BENEDICTI
PERERII VALENTINI
E SOCIETATE IESV

Prior Tomus

COMMENTARIORVM ET DISPVTA-tionum in Geneſim: continens hiſtoriam Moſis ab exordio mundi vſq; ad Noëticum diluuium, ſeptem libris explanatam.

Adiecti ſunt quattuor INDICES, vnus quæſtionum, alter eorum quæ pertinent ad doctrinam moralem, & vſum concionantium, tertius locorum ſacræ Scripturæ, quartus generalis & alphabeticus.

Jos. Georg Rebler, P. Eyb: 1651.

M. Ge. Lud. Oeder.



LVGDVNI,
EX OFFICINA IVNTARVM.

M. D. XCIIII.
CVM PRIVILEGIO.

27 023 460
Univ.-Bibl.
Giessen

Seminar für Philosophie
der
Justus Liebig-Universität
62/11.583

A

HENRICO CAETANO

S. R. E. CARDINALI ET

B CAMERARIO AMPLISSIMO

BENEDICTVS PERERIVS

E' SOCIETATE IESV S. D.

C QVID causæ sit, Henrice Caëtane Cardinalis amplissime, cur sacrarum litterarum doctrina, tam paucos hodie amatores & sectatores habeat, cùm sit ipsa vel maximè amabilis, maximéque Christianis hominibus expetenda, sæpe cogitanti mihi & admiranti, varia solent occurrere: sed vnum in primis, quo præter cætera plerique, non satis prudentes rerũ æstimatores, ab hoc præclaro & diuino studio arceri vidẽtur.

D Sunt enim multi, qui magno opinionis errore, studiũ huius disciplinæ vel ingloriũ sibi fore, vel infructuosum, vel etiã humanę voluptatis & iucũditatis inane existimãtes, ab eo refugiũt, vnde nullũ se aut perexiguũ operę suę prętiũ, laborísq; pręmiũ laturos confidũt. Etenim omnium studiorum tres sunt velut illecebræ, Honor, Vtilitas, & Voluptas. his nempe ad bo-

nas artes & disciplinas capessendas allicimur. Et A
vbi quidem nihil horum extat & apparet, eo nullus,
aut perpauci animum & studium applicant : Vbi
vero magna hæc, & specie eximia cernuntur, illuc
plurimi flagrantissimo studio , & acerrima corpo-
ris atque animi contentione feruntur. Nimirum,
quæ his quasi dotibus ornantur & commedantur
artes, expetuntur & coluntur à plurimis:quæ carent,
tanquam indotatæ incomptæque deseruntur atque B
contemnuntur. Verùm , honor & vtilitas acriora &
valentiora sunt ad attrahendos hominum animos,
quàm voluptas, si ab illis dissociata & seiuncta sit.
Quotum enim quemque inuenias , qui posthabitis
vtilioribus & honoratoribus studiis,sola veri noscen-
di & contemplandi dulcedine captus,velit in eo stu-
dio ætatem omnem conterere , vitámque consume-
re? Vides,opinor,Henrice clarissime , vnde tam per- C
nicioſus , & tam latè patens error Sacra studia ne-
gligentium , caput sustulerit. Quem errorem argu-
mentis refellere,cuiuis non inerudito facillimum est:
at penitus eum ex animis hominum euellere , eósque
ad cœlestium scriptorum amorem cultúmque tra-
ducere , non tam meæ aut cuiusquam Theologo-
rum facultatis,quàm,magnorum Ecclesiæ principum
sapientiæ,benignitatis,ac munificentiæ opus est.Non
enim eorum qui in Republica præstant, auctoritate D
tantùm & imperio , sed multò magis exemplo ac be-
neficio mouentur & reguntur cæteri:eorum spectant
illi iudicia sensúsque , & in hæc vel illa , voluntatum
propensiones:quid illi potissimum laudent & ament,
quid in pretio & honore,quid in oblectamentis & de-
liciis

A liciis habeant:& quo inclinant illi eodem ipſi propendent: denique ad eorum exiſtimationem & voluntatem,ſua omnia conſilia, ſtudiáque dirigere & accommodare ſtudent. Quantum igitur putamus futurum omni tempore diuinæ Scripturæ ſtudioſorum atque eruditorum hominum prouentum, ſi quorum ex gratia & beneficentia pendent cæteri, & per quos ſua illi vota expleri poſſe ſperant, ſingulare quoddam in his
B emineret cœleſtis huius doctrinæ ſtudium & obſeruantia, præcipuáque erga eos beneuolentia & liberalitas, qui in ea doctrina egregie tractanda, ſcriptíſque illuſtranda, ſua cum laude ac multorum vtilitate verſarentur? Quo magis ego tui, Caetane ornatiſsime, demiror ingenij præſtantiam, & eximium naturæ ad optima quæque propenſiſsimæ bonitatem.Nam cum vix adoleſcentiam egreſſus, maiorum tuorum volun-
C tate, ſimúlque exemplo nobiliſsimorum hominum qui ſola iuris Ciuilis ſcientia ſubnixi, magnos in hac vrbe honores, magnáſque res geſſerunt, te totum ad pernoſcendam iuris diſciplinam dedidiſſes, tantum in eam ſtudij atque operæ conferre voluiſti, tantumque profeciſti, quantum, ſcilicet, adiumento & ornamento eſſe poſſet primariæ nobilitatis viro, & ſplendidiſſima Reipublicæ Chriſtianæ munera gloriosè tracta-
D turo. Atque hæc fuit cauſa, cur tibi ad ſtudium iuris prudentiæ primùm addiſcendæ, poſtea maximis in negotiis & publicorum munerum perfunctionibus exercendæ, toto pectore incumbenti,nec Theologiæ, nec Sacrarum litterarum doctrinam capeſſere licuit. Verùm, quanta cupiditate ardoréque animi ea ſtudia (ſi res tuæ priuatæ aut publicę ita tuliſſent) am-

plexaturus fueris, vel vnum illud est nec leue, non ob- A
scurum argumentum quod claros in his litteris & ex-
cellenres viros eximiè colis ac diligis, eorúmque lucu-
lenta ingenij opera planiori ore laudare, & vt potio-
rem tuę ſuppellectilis partem, in rebus tibi cariſsimis
ac pretioſiſsimis numerare ſoles. Quin me quoque, in
quo tu diſciplinæ huius non expreſſam quidem effi-
giem, ſed vmbram tamen aliquam & ſpeciem cerne-
bas, tanta beneuolentia & gratia dignatus es, vt nul- B
lam de me bene merendi occaſionem prętерfluere ſi-
nas. Cum igitur hoc tempore priorem partem meo-
rum Commentariorum in librum Moſis, qui Geneſis
inſcribitur, editurus eſſem, non fuit mihi diu cunctan-
dum ambigua deliberatione, cui potiſsimum Principi
munus hoc, qualecumque eſt, offerendum eſſet: tibi
enim, merito tuo, debebatur. Scilicet, cui ego debe-
rem plurimum, tum meo nomine, tum Societatis no- C
ſtrę, quam tu tanto ſtudio complexus es, vt eam non
tantùm, vt multi, iudicio & inductione animi diligas,
verum etiam naturę quadam propenſione atque im-
petu amare videaris. Extabunt multa (credo equi-
dem) tui nominis rerúmque tuarum monumẽta prę-
clara, atque manſura. Celebrabitur enim multorum
ſermone fortunę tuę felicitas, te natum inclyta fami-
lia, ſummíque Põtificatus, octo Cardinalium, & qua- D
tuor Patriarcharum ſplendore clariſsima, multíſque
primę nobilitatis & potentię propinquitatibus &
amicitiis florentem, in ipſo ętatis flore, à ſapientiſsi-
mo Pontifice ſupremum in Eccleſię ſenatum, ingen-
ti hominum gaudio, eſſe cooptatum: móxque orna-
tum nobiliſsima legatione Bononienſi: tantíſque
breui,

breui, aliis ſuper alios honoribus & beneficiis auctum, vt his amplius, vix à patruo tuo Nicolao Cardinali, ſi eo faſtigio fuiſſet, expectare potueris. Illud quoque, ingenti virtutis tuę gloria, prędicabitur, te Bononienſem legationem, egregio ſeueritatis & comitatis, gratiæque ac iuſtitię temperamento, ſic adminiſtraſſe; vt incertum ſit, plus ne attuleris gaudij prudentiſsimo Pontifici, magnam in te ad id muneris deligendo, iudicij & prudentię laudem conſecuto: an tibi gloriæ, qui prouinciam ad luxum & delicias lubricam, celebri continentiæ atque integritatis fama tenuiſti: an denique Bononienſibus lætitiæ & admirationis, ſuo nimirum bono gaudentibus, ſimúlque mirantibus, te grauitatem ſummæ poteſtatis ita retinuiſſe, vt inuidiam omnem & arrogantiam effugeres: nec tibi (quod raræ prudentiæ ac virtutis eſt) aut facilitatis auctoritatem, aut ſeueritas amorem diminueret: cúmque nihil gratiæ cauſa faceres, omnia tamen eſſent grata quæ faceres. Quo factum eſt, vt accerrimus explorandis æſtimandíſque prędaris hominum artibus & virtutibus Sixtus Quintus Pontifex Maximus, tantam animi tui virtutem, in dies, ſcilicet, publicis rebus gerendis clariorem, & quantocumque muneri ac dignitati parem, diu Bononienſibus circumſcriptam eſſe cancellis non ſit paſſus: ſed tibi Romam (non minori Bononienſium mœrore, quàm Vrbis gratulatione) reuocato, grauiſsimum impoſuerit Camerariatus officium, vt ſummæ in Romana curia auctoritatis atque poteſtatis, ita ſingularem innocentiam, moderationémque animi & prudentiam deſiderans: nec ferè niſi cum Principe, aut

propin

propinquitate, aut certè beneuolentia fidéque coniunctiſsimis credi ſolitum. Tua verò illa in religioſiſſimis templis, iam vetuſtate deformatis ac propè collapſis, non ad famam gloriámque aucupandam, ſed ad priſcam ſacrorum locorum conſeruãdam religionem, ſplendidè reficiendis ordinandíſque ſumptuoſa & magnifica pietas, meritis hominum præconiis nullo tempore carebit. De illis (vt dixi) atque aliis tuis laudibus, & hoc ſæculo dicent multi, ſcribéntque, nec poſteritas, tua tibi fama ſuperſtite, atque omni æuo clara, conticeſcet. Mihi nec diſerto laudatori, nec ferè aliaruu rerum, præter mea ſtudia curioſo, ſatis fuerit, his lucubrationibus ampliſsimo nomini tuo dicandis, teſtatum apud omnes facere, quantum nobis & noſtris (id eſt, Sacrarum litterarum) ſtudiis, beneuolentiæ, gratiæ, ac dignitatis impartire ſoleas: & viciſsim ipſi, quantum amoris, reuerentiæ, ac venerationis debere nos tibi ſentiamus, libentérque prædicemus.

***

AVCTOR

AVCTOR OPERIS LECTORI.

COMMENTARIOS *nostros in librum Mosis, qui inscribitur Geneſis, duas in partes commodè posse diuidi iudicauimus: quarum prior hæc pars, quæ nunc in lucem prodiit, historiam Mosis ab exordio mundi ad Noëticum vsque diluuium septem libris explicatam continet. Posterior autem Commentariorum pars, quam hoc tempore molimur, & iam magna ex parte absolutam propediem in publicum (si incœpta & conatus nostros iuuet Deus) efferemus, reliquam historiam à diluuio ad extremum eius libri à Mose pertextam complectetur. Si quid verò in his Commentariis, aliis-ve scriptis nostris vel adhuc publicatis, vel posthac, fauente Deo, publicandis, visum fuerit iis, qui de Sacrarum litterarum doctrina scienter prudenterq; ac syncerè iudicare possunt, apertiore explanatione, aut etiam correctione dignum, equidem profiteor me, ad id, qualecunqae fuerit, & pro vt opus fuerit, enucleatius interpretandum, aut quoquomodo mutandum atque corrigendum, esse paratissimum. Quod si mihi, dum vixero, id facere non contingat, vt post obitum meum fiat ab iis, quorum muneris & curæ fuerit, vehementer opto & rogo. Mihi enim plane persuasum, & animo meo sensibusq; penitus infixum est, omnem ingenij & iudicij famam, omnemq; eruditionis & eloquentiæ laudem, non modo veritati, sed etiam pietati ac spirituali bonorum ædificationi esse postponendam. Nam si B. Paulus tanta illud asseueratione dixit quod est in capite octauo prioris Epistolæ, quam ille scripsit ad Corinthios: Si esca scandalizat fratrem meum non manducabo carnem in æternum, ne fratrem meum scandalizem: cum tamen manducare carnem, nec per se non esset bonum ac licitum, nec ea re quisquam merito posset offendi: quanto magis scriptori catholico & religioso, summa cautione omnique prouisione animi perficiendum est, ne quid prodat scriptis suis, quod iustam rectè sentientium atque iudicantium offensionem & reprehensionem incurrat; ac si quid forte vel per imprudentiam, vel per humanæ mentis infirmitatem offenderit, vt cum primum id, aut per se ipse, aut aliorum monitu aduerterit, promptè ac libenter emendet.*

INDEX LIBRORVM HVIVS OPERIS.

PRIMVS LIBER.

De Operibus Sex dierum, præter hominem.

SECVNDVS,

De Cælis & astris, & de Diuinatione Astrologica.

TERTIVS,

De Paradiso terrestri.

QVARTVS,

De Creatione primorum hominum.

QVINTVS,

De felici statu primorum hominum ante peccatum, siue de statu Innocentiæ.

SEXTVS,

De Primorum hominum tentatione, & supplicio.

SEPTIMVS.

De Cain & Abel, certaque progenie Adami vsque ad diluuium.

INDEX
DISPVTATIONVM
ET QVAESTIONVM, QVAE IN SINGVLIS HORVM COMMENTARIORVM LIBRIS EXPLICANTVR.

IN PRIMO LIBRO.
Qui est de operibus sex dierum.

1 DE dignitate, vtilitate & antiquitate doctrinæ Mosis de creatione Mundi. pag. 2. & 3.
2 Cur Moses nõ argumentando, sed simpliciter narrando, doctrinam creationis Mundi tradiderit. 2.b.c
3 De antiquitate Mosis & præstantia in omni genere doctrinarum. 6.b.& 10
4 An libri Sacri à Chaldæis incensi omnes fuerint, & mirabiliter ab Esdra restituti. 9.& 10
5 An quinque libros Mosis omnino tales nunc habeamus, quales ab eo scripti sunt. 13
6 Vnde Moses doctrinam de generatione Mundi acceperit. 16
7 Quo tempore liber hic Geneseos sit à Mose scriptus. 16.d.& 17
8 De quattuor regulis ad rectam huius doctrinæ Mosis interpretationem valde vtilibus. 22
9 An narratio Mosis de creatione Mundi sit historica, & vt sonant verba, ita sit accipienda. 22.& 23
10 An in explanatione huius doctrinæ confugiendum sit ad miracula, & ad potentiam Dei absolutam. 24.b.c
11 Nihil tradi, nec à Mose hoc loco, nec in aliis diuinæ Scripturæ libris, quod veris Philosophorum rationibus, & experimentis contradicat. 25
12 An in tractione huius doctrinæ Mosaicæ, rationem haberi oporteat eorum quæ ab Ethnicorum sapientibus similiter prodita sunt. 26
13 Disputatio, an Mundus fuerit æternus. 28
14 Disputatio aduersus Ægyptios & Chaldæos de antiquitate Mundi. 31. 32.33.34
15 Vnde oriatur varietas & difficultas in computatione annorum ab exordio Mundi vsque ad Domini nostri aduentum. 36
16 In Deo esse potentiam creandi ex nihilo, contra quàm putarunt Veteres Philosophi. 37
17 Disputatio, cur Moses nomen pluralis numeri Elohim iunxerit cum verbo singularis numeri Bara: & an in eo mysterium sanctæ Trinitatis insinuare voluerit. 40
18 An per Cœlum & Terram intelligere oporteat Angelos & materiam primam, vt censet Augustinus. 44
19 Disputatio aduersus Eugubinũ de luce

quadam increata & æterna, quam ille appellari putat nomine Cæli empyrei. 45
29 Disputatio de Cælo empyreo, quale sit, & cur factum, & an nomine Cæli significatum sit à Mose. 47.& 51
21 Quid vocabulo terræ sit intelligendum. 50.& 53
22 An Moses creationē omnium quattuor elementorum indicauerit. 54
23 Quæ à Philosophis, & Mathematicis verè tradita sunt de Terra, eorum præcipua in Sacris litteris edoceri. 55.c.& 56
24 An secundum diuinam Scripturam Terra fundata sit super aquas. 57
25 An contra Scripturā sit, ambitum Terræ esse compertum & cognitum hominibus. 58
26 Disputatio de abysso, & de primis illis tenebris mundi cum Basilio & Theodoreto. 60.& 61
27 Quis fuerit ille spiritus Domini qui ferebatur super aquas. 63
28 An quæ tradit Moses de terra inani & vacua, de tenebris & abysso, Spiritu Dei, ab Ethnicorum sapientibus cognita fuerint. 66.& 67

De opere primi diei.

29 De præstantia lucis. 68.b.c
30 An prima illa lux intelligenda sit corporalis, an spiritualis. 70
31 An illa lux fuerit elementum ignis, vt significat Damascenus. 73
32 An fuerit lux Solis perfecta, vt sensit Catharinus. 74.c
33 An fuerit nubes aliqua lucida, vt plerique Theologi censuerunt. 75.c.& 76
34 An fuerit ipsa lux per se sine materia & subiecto existens, vt significare videtur Basilius. 76.b.c
35 An fuerit lux Solis, sed imperfecta, quæ postea die quarto absoluta & perfecta sit. 78.c
36 An primo mundi triduo lux illa vicissitudinem dierum & noctium fecerit per extēsionem & retractionem suorum radiorū, vt significat Basilius. 81
37 Quo in cœli loco ea lux creata sit. 82
38 Quandiu mundus fuerit tenebrosus, priusquam lux creata sit. 83.& 84
39 Cur Moses dixerit factum esse vespere & mane diem vnum, & non diem primum. 87.& 88
40 Cur prius Moses nominauerit vespere quàm mane. 85.c
41 Primum mundi diem fuisse eum, qui postea appellatus est Dominicus, multis & præclaris nobilitatus prærogatiuis. 88

Opus secundi diei.

42 Quid vocabulo Firmamenti intelligendum sit, an cælum ex aqua, vt Iosepho, Theodoreto, Bedæ, aliisq; placuit, vel ex aëre, vt Basilio visum est, compactum? an aliud quippiam. 89.& seq.
43 Vtrum aquæ super cœlos positæ intelligendæ sint spiritualiter, an corporaliter, disputatio cum Origene. 98
44 An super cœlos sydereos sint veræ ac naturales aquæ, vt multis Patribus placuit. 98.& seq.
45 Vtrum sydera ad sui ardoris temperiem vel ad pastum, indigeant refrigeratione aliqua, vel pabulo. 102.103
46 An per aquas supercœlestes intelligi debeat cælū Christallinū. 103.& seq.
47 An per aquas cœlestes non aliàs intelligere oporteat quàm aquas imbriū, quæ in aëre generantur. 105

De opere tertij diei.

48 Quomodo tota aqua prius operiens vniuersam terram, tertio die in vnum locum & partē terræ redigi potuerit.

potuerit. 110
49 *Vtrum distinctio montium & vallium in terra fuerit ante diluuium.* 112
50 *Vtrum mare sit altius terra.* 113
51 *Vtrum aqua faciat globum distinctum à globo terræ, disputatio contra Paulum Burgensem.* 116
52 *Vtrum mare Rubrum altius sit terra Aegypti.* 114
53 *Vtrum mare Caspium continuetur cum Oceano septentrionali.* 119
54 *Vtrum prius detecta sit aquis terra Septentrionalis tanquam altior, posterius autem terra Australis quasi humilior & depressior.* 120
55 *Vtrum tertio die actu productæ sint plantæ, an tantùm causaliter & potentialiter, vt placet Augustino.* 122
56 *Vtrum ad primam generationem plantarum terra passiuè tantum concurrerit, an etiam efficienter.* 123
57 *Vtrum in exordio Mundi rosa sine spinis generata sit, vt significat Basilius.* 124
58 *Cur à Deo multa creata sunt homini nõ modo inutilia, sed etiam perniciosa.* ibid. & seq.
59 *Cur Moses non exposuerit generationem metallorum.* 125
60 *Cur Deus nõ similiter benedixerit plantis, vt benedixit animalibus.* 126

Quo tempore anni Mundus sit à Deo conditus.

61 *Discutitur opinio Gerardi Mercatoris existimantis Mundum esse creatum mense Iulio.* 127
62 *An Mũdus conditus fuerit Verno tempore.* 127. & seq.
63 *An sit conditus Mundus tempore Autumni.* 130. & seq.

De opere quarti diei.

64 *An verè quarto die primum creata sint astra, & quomodo facta sint in Cælo.* 137
65 *Cur astra creare voluerit Deus post plantas.* 138
66 *Cur creata sint ante generationem animalium.* 138
67 *Quoto die Martij creatus sit Sol.* 140
68 *An Luna creata sit in nouilunio, an in plenilunio.* ibid.
69 *Quanta sit magnitudo Solis.* 141
70 *Vtrum à sole omnia sydera lucem mutuentur.* ibid.
71 *Cur Luna appelletur luminare magnum, cum sit, vno excepto Mercurio, sydera omnium minima.* 142. & seq.
72 *Cur Moses reliquorum quinque planetarum nullam fecit mentionem.* 143

De opere quinti diei.

73 *Vtrum pisces memoria careant, vt significat Basilius.* 144
74 *Vtrum sit generatio aquatilium numerosior & multiformior, quàm terrestrium.* 146
75 *Cur pisces nominentur reptilia.* ibidem
76 *Quod genus piscium sit quod hic appellatur Cete.* ibid.
77 *De enormi magnitudine piscium.* 147
78 *Quid significet, Deum benedixisse piscibus.* 148
79 *An pisces creati sint ex aqua tantùm passiue, an etiam actiuè.* ibid.
80 *Disputatio, vtrum aues in exordio mundi à Deo creatæ fuerint ex aqua similiter vt pisces.* 149
81 *De multiplici similitudine & cognatione naturæ, quæ est inter pisces & aues.* 151
82 *Vtrum aues vocem & sermonem humanum exprimentes, ob id dignitate naturæ præstare cunctis animalibus terrestribus censeri debeant.* 152

De opere sexti diei.

83 CVr Deus non benedixit terrestribus animalibus, sicut aquatilibus. 154

84 Quid senserint Philosophi de prima generatione animalium. 185

85 Vtrum in prima generatione animalium facta sint animalia quæ oriuntur ex putri materia. ibid.

86 Quomodo mundus verè dicatur Vniuersum & perfectus. 156

87 Disputatio, vtrum animalium generatio ex coniunctione & commixtione animalium diuersæ speciei sit præter naturam, nec ea fuerit in exordio Mũdi vt vult Rupertus. ibid. & seq.

88 Cur eodem die creata sint animalia terrestria atque homo. 158. & seq.

89 An in elemento Ignis generetur, & viuat aliquod genus animalium. 158

90 De præstantia rerum prout efficiunt Vniuersum. 159

91 De quinque modis quibus intelligi potest, omnia esse in Mundo. 165

92 Præstantia gubernationis qua Deus regit Mundum, quibus ex rebus liquido cognoscatur. 166

93 De triplici genere malorum quæ sunt in Mundo, & ad perfectionem eius faciunt. 168

94 De duplici fine, propter quem Mundus creatus est. 169

95 De tribus quæ considerãda sunt in structura Mundi. 170

96 An Mundus melior quàm est, effici potuerit. 171

97 Hominem esse maximam partem perfectionis Vniuersi. 172

98 Quid significet in Scriptura, Deum quiescere. 174

99 Quomodo Deus die 7. quieuerit ab operando, cum semper in Mundo operetur. 174

100 De dignitate diei septimi. 177. & 180

101 An obseruatio diei septimi, ab exordio Mundi fuerit præcepta homini. 178

102 Quis fuerit ille fons, qui, vt narrat Moses in exordio Mundi ascendens è terra eam irrigabat vniuersam. 181

103 Vtrum Mundus totus simul in instanti creatus sit, an successiuè per sex dierũ interualla. 184

104 Cur Deus non simul totum Mundum creauerit, & cur non pluribus aut paucioribus diebus quàm sex. 191

105 An Mundus, sicut creatus est sex diebus, ita duraturus tãtùm sit sex annorum millibus, vt multi existimarunt. ibid.

106 Cur Moses creationem Angelorum non exposuerit. 194

107 Vtrum Angeli creati sint multo ante mundum corporeum. 196

108 An Angelos esse creatos simul cum mundo corporeo, non modo sit verum, sed etiam tanquam certum fidei Catholicæ dogma sit habendum. 197. & seq.

IN SECVNDO LIBRO qui est de Cælis & Astris, & de Diuinatione Astrologica.

1 CVr sacri Scriptores de Cœlis & astris pauca prodiderint. 200

2 Quid senserint Philosophi & Theologi Gentilium de natura Cælorum. 202. & 203

3 An secundum sacram Scripturã Cælum sit corruptibile. ibid.

4 An Cælum sit corrumpẽdum secundum doctrinam Patrũ & Theologorum. 203. & 204

5 An peritura sint omnia elemẽta in consummatione sæculi. 205

6 An hic Mundus sit omnino & secũdum substan

substantiam corrumpendus. 207
7 *Vtrum Cælum intrinsecè sit corruptibile, an incorruptibile.* 208
8 *Quomodo Cæli & Mundus post diem Iudicij sint immutanda & renouanda.* 209
9 *An post diem Iudicij erunt in mundo corpora mista, vt plantæ & animalia.* 210
10 *An post diem Iudicij, Mundus carens corporibus mistis erit perfectus, & appellari poterit Vniuersum.* ibid.
11 *An secundum sacram Scripturam Cælum sit rotundum.* 212
12 *Quot sint Cæli secundum diuinam Scripturam.* 214
13 *Vtrum Cæli secundum Philosophiam & sacram Scripturam moueantur à se ipsis, an ab Angelis.* 216.& *seq.*
14 *An post diem Iudicij cessaturus sit Cæli motus.* 218.& 219
15 *An Cælum habeat intrinsecam & naturalem propensionem ad motum circularem, ita vt sine eo futurum sit imperfectum.* 220
16 *An proprij motus omnium Cælorum absoluendi sint ante diem Iudicij.* 221
17 *Vtrum Cæli & astra sint animata secũdum Philosophos.* 221.& 222.
18 *Vtrum Cæli sint animati secundum Patres & Theologos.* 222
19 *Vtrum secundum doctrinam Theologicam & Philosophicam censendum sit Cælos esse animatos.* 224
20 *An si Cæli essent animati, deberent coli ab hominibus.* 225
21 *An secũdum Aristotelem Cæli sint verè animati.* 227
22 *An Stellæ octaui Cæli sint innumerabiles, & vtrum de hoc discordent Mathematici à sacra Scriptura, & à Patribus.* 228.229
23 *Vtrum secundum Hieronymum Sol sit animatus.* 222.& 224
24 *Vtrum secundum sacram Scripturam Astra sint immobilia, an vero per Cælum moueantur sicut pisces per aquam, & aues per aërem.* 230
25 *Vtrum opinio eorum qui faciunt Cælum immotũ, & astra moueri per ipsum, debeat probari, aut etiam possit defendi.* 232
26 *Vtrum astra sint naturæ igneæ, & verè calida secundum Sacras litteras & Patres ac Philosophos.* 233
27 *Vtrum astra indigeant refrigeratione aut pabulo aliquo, vt multi dixerunt.* 234.& 235
28 *Quomodo Sol calefaciat, cum ipse non sit propriè calidus, & an calefaciat per motum, aut tantùm per reflexionem radiorum.* 236

In Disputatione de Diuinatione Astrologica.

29 *QVid sit illud quod dixit Deus de luminaribus cæli, Et sint in signa, &c.* 237
30 *Diuinationem Astrologicam damnari in diuina Scriptura, & ab Ecclesia, & rationibus Theologicis.* 239.240
31 *De vanitate oraculorũ Apollinis.* 164
32 *Quibus ex causis accidat, vt dæmon prædicendo futura, sæpe fallatur.* 240.d. 241
33 *Non posse veritatem & firmitatem religionis Christianæ constare, & cohærere cum veritate Astrologiæ iudiciariæ.* 241
34 *Quod modis astrorum obseruatio sit obnoxia peccato.* 243
35 *Quam seuere olim in Ecclesia tractabantur isti Astrologi iudiciarij.* 239.& 243
36 *De falsis & impiis Astrologorum dictis & sententiis.* 245
37 *Astrologos iudiciarios esse rerum cælestium imperitos.* 246
38 *Disputatio contra antiquitatem obseruationum*

uationum istorum Astrologorum. 247
39 De noua stella quæ superioribus annis visa est. 249
40 Quàm sit difficile aspectum syderum in ortu cuiusque hominis exacte annotare. 249.& 25
41 Probatur octo rationibus non posse Astrologos ex arte & scientia sua prænosse ac prædicere futura contingentia. 251
42 Præter causas cœlestes, necessariam esse notitiam causarum particularium ad prænoscendos earum effectus. ibid. & sequent.
43 De simili ortu, & dissimilibus euentis Geminorum. 252
44 Pulcherrima disputatio Bardesanis aduersus Astrologos. 254
45 Vtrum sit facilius diuinare quid facturus sit vir bonus, an vir improbus. 257
46 Quàm sit vana & futilis prædictio Astrologorum de aliquo, quod sit futurus summus Pontifex. 258
47 Nullam posse esse scientiam vel artem istius Astrologiæ. 259
48 Vanitas & falsitas multarum prædictionum Astrologicarum. 260
49 Errores Astrologorum in Chronologia. 260.& 261
50 Astrologiam iudiciariam omni tempore à prudentibus & sapientibus viris esse contemptam & damnatam. 262.& 263
51 Cui generi hominum arrideant prædictiones Astrologicæ, quas S. Ambrosius comparat telis aranearum. 265
52 Disputatur contra tria fundamenta Astrologiæ iudiciariæ. 265
53 Disputatio de influentiis vtrum sint admittendæ. 266
54 Vtrum sit plus momenti in conceptu, an in ortu hominis ad diuinandum. 268
55 Vtrum astra natalitia cuiusque hominis, possint esse certæ causæ omnium quæ ei homini euentura sunt. 267.d.268
56 De vanitate Astrologorum, diuinationem suam extendentium etiam ad ciuitates, non solum ad homines. 269
57 Cur Astrologi non vt de hominibus, sic etiam de stirpibus & aliis animantibus ex obseruatione astrorum vaticinentur. ibid.
58 De antiquitate istius Astrologiæ apud Aegyptios & Chaldæos. 270
59 Vtrum astra, si non sunt causæ, saltem sint certa signa omnium futurorum.
60 Vtrum secundum Augustinum astra sint signa omnium rerum humarum. 272
61 De natura & varietate signorum. ibi. & sequent.
62 An Cometæ signa sint humanarum rerum. 274
63 An qui astra faciunt signa rerum futurarum, simul etiam necessario inducant & astruant Fatum. ibid.
64 De antiquo more scribendi apud Hebræos. 275
65 De quattuor causis propter quas euenit vt nonnunquam Astrologi vera prædicant. 276
66 Instinctu dæmonum agi nonnunquam homines ad diuinandum. ibid.d. 277
67 Quot modis dæmon futura, præmonstrare soleat. 277
68 Quot modis & quàm grauiter peccent, qui dæmonum, vel istorum Astrologorum opera vtuntur ad diuinandum. 278
69 Istiusmodi Astrologos ferè improbos & flagitiosos esse. ibid.
70 De vsu sortium apud antiquos ad diuinandum futura. ibid.& 279
71 Permissu Dei, nimis cupidos sciendi futura, laqueis dæmonum irretiri, & variis ac pernicioſis erroribus implicari. 279
72 Multos diuinare futura magis ex prudentia

dentia & vsu rerum humanarũ, quàm ex arte astrologica. ibid.& 280.a
73 Nimiam credulitatem ac leuitatem consulentium Astrologos, interdum conducere vt eorum prædicta vera cadant. 280

IN TERTIO LIBRO Qui est de Paradiso.

1 QVam sit perplexa, & difficilis explicatu doctrina Mosis de Paradiso. 281
2 De vocabulo Paradisi, & de duplici eius significatione in Sacris litteris. 283. & 284
3 De vocabulo Heden, an sit proprium nomen loci, & cuius. 285
4 An Paradisus consitus fuerit ad Orientem. 287
5 De Antiqua consuetudine orandi, versa ad Orientem facie. 287
6 Quæ regio nominetur in Sacris Orientalis. ibid.
7 An ille Paradisus fuerit locus aliquis corporalis & terrestris. 289
8 An Paradisus fuerit appellatus vniuersus terrarũ orbis in exordio Mundi. 291.d
9 Qualis fuerit Paradisus ille terrestris secundum Basilium, Ephræm, Isidorum, Damascenum, Rupertum. 292.d
10 An ille Paradisus fuerit vltra Oceanum. 295.a
11 An Paradisus tantæ fuerit celsitudinis, vt pertingeret vsque ad orbem Lunæ, vel vsque ad supremam regionem aëris. 296
12 De altitudine Olympi, Atho, & Atlantis montium. ibid.d
13 An diluuij aquæ attigerint Paradisum. 297.c
14 An Paradisus fuerit sub æquinoctiali. 298.a
15 De magnitudine & amplitudine Paradisi. 299
16 An in statu innocentiæ habitauissent homines extra Paradisum. ibid.c
17 An frustra sit conditus Paradisus, cum pæne nulli vsui fuerit homini. 300.b.c
18 Cur nullo tempore fuerit adhuc inuctus locus Paradisi. 301
19 An Paradisus ille, etiã nũc existat. 302
20 An Henoch & Elias sint in illo paradiso. 304 & 305
21 De incredibili amœnitate illius paradisi. 308.309
22 An intra paradisum fuerint arbores infrugiferæ. 309.c.d
23 An fuerint in ipso animalia. 310.b

De arbore vitæ.

CVr Hebraicè appelletur lignum vitarum. 311.d
25 Quomodo fuerit in medio Paradisi. 312.c.d
26 An arbor vitæ, fuerit arbor naturalis & terrestris. 313
27 An arbor vitæ fuerit eiusdẽ speciei, & similis alicui nostrarũ arborum. 315. & 316
28 An fuerit vna tantum in Paradiso, an multæ. 316.a
29 Cur appellata sit arbor vitæ. 316.b.c
30 An illa arbor vim haberet faciẽdi hominẽ immortalẽ, an tãtùm prorogãdi vitam in longissimum tempus. 318
31 De causis dissolutionis & interitus animantium. 319
32 Quomodo Deus in statu innocentiæ seruasset hominem à morte. 319
33 Quandiu in statu innocentiæ vixissent homines in terris. 321.a
34 An illa virtus arboris vitæ esset naturalis, an supernaturalis. 321.b.c
35 De tribus generibus arborum quæ erant in Paradiso, ex D. Bonauent. 322.b.c
36 An sapientes Gentilium notitiam aliquam habuerint illius arboris vitæ. 324.b.c

37 *Num argumentatio Aristotelis in tertio Metaphysicorum contra nectar & ambrosiam Deorum, valeat pariter contra arborem vitæ.* 325.b.c
38 *Vtrum Adam, dum fuit in Paradiso, comederit fructũ arboris vitæ.* 325.b

De arbore scientiæ boni & mali.

39 *AN fuerit arbor corporea, & an vna tantùm numero fuerit.* 325.& 326
40 *An arbor illa, fuerit ficus, vt visum est multis.* 326.d.& 327.a.b
41 *An fuerit arbor mali,* 327.c
42 *An dicta sit arbor scientiæ boni & mali ab effectu scientiæ & prudentiæ quem præstabat edenti.* 327.& 328
43 *An ità sit appellata ab euentu, vt communi doctorum scientia fertur.* 328. & 329
44 *An id nomen acceperit ex mendacio & fallacia serpentis.* 330

De fluminibus Paradisi.

45 *QVis fuerit ille fluuius irrigãs Paradisum, & quomodo eum irrigabat.* 331
46 *Vbi fluuius ille diuidebatur in quattuor alios fluuios.* 332.c
47 *An omnes aquæ ex illo fluuio Paradisi dulcedinem accipiant, per quam sint potabiles homini, vt tradidit Rupertus.* 332.333
48 *An fluuius ille appellatus Phison, sit Ganges.* 333.334.335
40 *De origine & de cursu Gangis.* 334.a
50 *Quis fuerit fluuius ille Phison.* 336
51 *Quæ sit terra Heuilath.* 336.d
52 *Quæ regio sit Ophir.* 337.& 338
53 *De Bdellio, Onichino, Carbunculo, Prasino: de Bedolach & Soham.* 339.& 340
54 *An fluuius Gehon, sit Nilus, vt plerisq; persuasum est.* 339.340
55 *De duplici Aethiopia, Orientali, & Occidentali.* 340.b.c
56 *An Gehon allueret Iudæam, vt nonnullis placuit.* 341.b
57 *De appellatione, origine, cursu, & exitu Tigris & Euphratis.* 342.& 343
58 *An idem sit fons & origo vtriusque fluminis.* 343.344.& 345

IN LIBRO QVARTO
Qui est de creatione primorum hominum.

1 *DE decem eximiis prærogatiuis primi hominis.* 347
2 *Quæ fuerint pulcherrima primi hominis vestimenta, quibus à Deo secundum Bernardum exornatus est.* 350
3 *Cur Deus quasi consultabundus inducitur in creatione primi hominis.* 355.A
4 *Disputatio aduersus Iudæos, quod in illis verbis,* Faciamus hominem ad imaginem & similitudinem nostram, *indicatum fuerit mysterium sanctæ Trinitatis.* 256.C
5 *Quod illud,* Faciamus hominem, *non possit intelligi de Deo loquente cum Angelis.* 358.B
6 *Quibus locis Scripturæ Deus de seipso loquens, vtatur numero plurali.* 360.A
7 *De Etymologia vocabuli hominis secundum Hebræam, Græcam, & Latinam linguam.* 360.B
8 *An cum dicitur,* Faciamus hominem, *vocabulo hominis intelligenda sit idea hominis, vt placuit Philoni, an tantùm homo interior, vt Basilio & Ambrosio visum est.* 362.& seq.
9 *An cum dicitur,* Ad imaginem & similitudinem nostram, *significetur aliud*

aliud vocabulo imaginis quàm similitudinis. 364

10 *An imago pertineat ad dona naturalia hominis, similitudo autem ad supernaturalia.* 365

11 *An per imaginem significentur omnes homines: per similitudinem autem prædestinati tantùm designentur, vt putat Rupertus.* 366. *& sequen.*

12 *An illud, Ad imaginem nostram, denotet Filium Dei, vel vt est æternum Dei Verbum, vel vt aliquando assumpturus erat naturam humanam.* 369.370

13 *An Deus induens speciem & similitudinem hominis, ea verba pronunciauerit, hominémque creauerit, vt existimauit Eugubinus & Oleaster.* 371.C.372.A

Disputatio prima de imagine Dei ad quam creatus est homo, continens octo quęstiones.

14 *IN qua potissimum re consistat ratio imaginis.* 373

15 *Cur tantopere Epiphanius & Theodoretus laboraverint in exponenda ratione imaginis.* 374.B.C

16 *Quibus in rebus constituant rationem imaginis Basilius, Nyssenus, Chrysostomus, Augustinus, Damascenus, Beda, Origenes, Faustinus, & Magister sententiarum.* ibidem. & 375

17 *Rationem imaginis duplicem esse, alteram principalem, alteram minus principalem: & illam esse in eo, quod est habere naturam intelligentem: cuius naturæ sex indiuiduæ sunt proprietates.* 377.B.C

18 *Vtrum imago Dei perfectior sit in Mundo, quàm in homine.* 378

19 *Vtrum Angelus perfectius sit factus ad imaginem Dei, quàm homo.* 379

20 *An mulier sit facta ad imaginem Dei.* 380.A.B

21 *An imago Dei sit tantùm in animo hominis, an etiã in corpore.* 381.B.C

22 *An sit aliquod discrimen constituẽdum inter esse imaginem Dei, & ad imaginem Dei.* 383.C.384.A.B

23 *An imago Dei propter peccatum deleta fuerit in homine.* 385

24 *An in rebus carentibus ratione sit etiam imago Dei, quod sit discrimen inter imaginem & vestigium.* 386

25 *Digressio moralis, qua exponuntur septem causæ, cur Deus hominem ad imaginem sui facere voluerit.* 387. & 388

Disputatio secunda, de imperio quod Deus homini dedit in animalia, continens quæstiones nouem.

26 *CVr primo loco à Mose memorentur pisces subiecti hominis imperio.* 390.D.391

27 *An Cetos & Balænas subiecerit Deus imperio hominis contra Theodoretum id negãtem disputatur.* 391.B.C

28 *An consentaneum fuerit, animalia subiici hominis imperio.* 392.C.393.A.B

29 *Ius dominij in animalia remansisse homini etiam post peccatum.* 393.C

30 *Quomodo animalia ferocia & sæua, ante peccatum erant subiecta & obedientia homini.* 394.B.C.395.A.B

31 *Quemadmodum post peccatum diminutum sit hominis imperium in animalia.* 396.B

32 *An in statu innocentiæ, hominum alij alijs imperassent.* 397.A.B

33 *De imperio viri in mulierem in statu innocentiæ.* 398

34 *Pulchra digressio moralis de hominis principatu & imperio in animalia.* 399.

399.c.& 400

Disputatio tertia de formatione humani corporis ex limo terræ, continens quæstiones duodecim.

35 CVr ruinam Angelorum reparare voluerit Deus per homines ex puluere terræ creatos. 403.C.404

36 An hominis origo è terra etiam sapientibus Gentilium nota fuerit. 404.B.C

37 Quomodo intelligendum sit, hominem esse formatum ex terra, & an in ea formatione aliquid de natura cælesti admistum fuerit. 404.C.405.A.B

38 An corpus humanum sit respondens & conueniens dignitati animæ rationalis. 406

39 Cur factum sit corpus humanum. 407.C.408

40 An homo præstantia sensuum interiorum & exteriorum vincat omnia animalia. 408.B.C

41 De excellentia temperamenti corporis 408.B.C

42 Quod non posßit iustè quispiam conqueri propter nuditatem & infirmitatem corporis, pulcherrima sententia Senecæ, & Lactantij. 410.& 411

43 Num Angeli concurrerint ad procreationem hominis. 412

44 An Creatus sit Adam perfectus secundum ætatem, & secundum molem corporis. 413.b

45 An Adam fuerit maximus gigas, vt censuit Ioannes Lucidus. 415.a

46 An prius tempore corpus hominis formatum fuerit, quàm ei sit infusa anima. 416.C.417

Disputatio quarta de creatione animæ rationalis, & infusione eius in corpus, continẽs quæstiones decem.

47 CVr creatio animæ rationalis insinuetur vocabulo insufflationis, & cur dicatur Deus insufflasse eam in faciem hominis. 418.& 419

48 Cur anima dicatur spiraculum vitæ, siue vt Hebraicè est, spiraculum vitarum. 420

49 Quomodo probet ex hoc loco Caietanus, vnam dumtaxat esse in homine animam. 421.b

50 An anima Adami creata fuerit ante corpus eius. 422

51 Cur sicut anima rationalis existit post corpus, non etiam similiter existat ante corpus. 425

52 An ex hoc loco Mosis demõstrari queat immortalitas animi nostri. 426.B.C

53 Quæ ratio omnium validissima sit visa Platonicis ad probandam animi nostri immortalitatem. 427.B.C

54 Vtrum anima rationalis sit naturâ sua immortalis, an tantum Dei voluntate & gratia. 428

55 An ex doctrina Mosis colligi possit, animam rationalem esse formam essentialem hominis, & vnam in vnoquoque homine. 429.B.C

56 An præter animam rationalem sint in homine ponendæ duæ aliæ animæ, videlicet sensitiua & vegetatiua, & an hoc repugnet sacræ Scripturæ, aut doctrinæ Patrum. 430

57 Cur Adamus non sit creatus intra Paradisum, sed extra. 432

58 An Eua creata sit in Paradiso, & cur. 433

59 An operatio hominis in Paradiso fuisset laboriosa, aut superuacanea. 435.A.B

60 De voluptate, vtilitate, & antiquitate agriculturæ. 436.A

62 Quomodo erat Paradisus custodiendus Adamo. 417

Disputatio quinta de Præcepto nõ edendi

edendi ex arbore scientiæ boni & mali quod datum est Adamo, continens quæstiones nouem.

62 AN datum sit Adamo præceptum comedendi ex alijs arboribus, vt significat S. Thomas. 438.b. c.439

63 Vtrum in statu innocentiæ homines esurirent & sitirent. 440.b.c

64 An illud præceptum non comedendi ex arbore scientiæ boni & mali, datum sit soli Adamo, an etiam Euæ. 441

65 Cur Deus legem illam non edendi ex illa arbore imposuerit Adamo. 443. c.444.& seq.

66 An sola lex naturalis satis fuisset ad explorandam obedientiam Adami, & de magno bono virtutis obedientiæ. 446

67 An illud præceptum datum Adamo fuerit difficile, an facile obseruatu, & vnde noscatur facilitas aut difficultas alicuius legis. 447.& 448

68 Cur Deus illud præceptum iniunxerit Adamo, quod sciebat ipsum non esse obseruaturum. 450

69 An sit eadem ratio Dei atque hominũ in prohibendis & impediendis malis futuris. 451

70 An Deus aliquod præmium promiserit Adamo, si non comederet ex illa arbore. 452.C

Disputatio sexta de pœna mortis, quam Deus Adamo edendi fructum vetitum comminatus est, continens quæstiones quinque.

71 QVomodo intelligendum sit, Adamum moriturum fuisse eodem die quo comederet ex arbore vetita, cum post esum eius amplius nongentos annos vixerit. 453. C. 454

72 An mors, quam Deus minatus est Adamo, fuerit mors tantùm animæ, an corporis, an vtriusque. 456

73 An mors sit naturalis homini, an contra naturam, & si est naturalis, quomodo sit pœna peccati. 458.B.C

74 Cur non sit minatus alia mala præter mortem. 459.B.C

75 Cur non sit comminatus pœnas Inferni. 460

76 Disputatio super illis verbis: Non est bonum hominem esse solum, vtrum his verbis demonstretur, abstinere à coniugio non esse bonum. 461. C. 462.A

77 Quod adiutorium mulier præstet viro. 462.C.464

78 An fœmina sit per se, an per accidens generata. 466

79 An Eua formata sit sexto die, an septimo, & an intra Paradisum vel extra. 466.c.467

80 An sopor quo Adam fuit correptus, somnus, an ecstasis fuerit. 468.C

81 Cur voluit Deus ex Adamo dormiente formari Euam. 469.B.470

82 Quomodo potuerit Adamo sine eius dolore detrahi costa. 470.b

83 Cur sicut Adã ex terra, non itidem Eua formata sit ex terra, sed ex viro. 471.B

84 An quia Eua formata est ex Adamo, propterea coniugium vtriusque naturaliter esset indecens atque illicitum. 473

85 Cur Eua sit facta ex latere & costa Adami. 474.C.475

86 An ex illa costa per rarefactionem eius, an per additionem alterius materiæ sit formatum corpus Euæ. 475. C.476

87 An costa illa detracta Adamo ad formationem Euæ, fuerit Adamo supernacanea, an de necessarijs costis integrati eius. 477
88 Euam non ex nuda costa, sed etiam ex carne Adami esse formatam. 479
89 Cur Eua dicatur ædificata ex Adamo. 480
90 Cur Moses non memoret creationem animæ mulieris. 481
91 Quid significet, Euam vt creata est, esse adductam ad Adamum. 482
92 Cur vnam tantum mulierem Deus primo creauerit. 483
93 Disputatio aduersus Caietanum, quod narratio Mosis de procreatione Euæ, non sit figurata seu parabolica, sed plane historica. 484.& sequentib.
94 Denominationem mulieris ex viro, propriè in sola Hebræa lingua cerni. 489
95 De indissolubili vinculo vxoris & mariti. ibid.
96 Quas ob causas maritus & vxor dicantur vna caro. 491
97 Disputatio de propagatione humani generis futura in statu innocentiæ, an scilicet facienda esset per generationẽ carnalem. 493.& sequentib.
98 An in statu innocentiæ fuisset par numerus marium, ac fœminarum. 497
99 Cum fœmina generetur ob defectum virtutis virilis, quomodo in statu innocentiæ potuissent generari fœminę. 497
100 Quantum valeat ad variandam generationem, vel diuersitas venti, vel vehemens imaginatio tempore commixtionis vel conceptus. 499
101 An tunc integritas fœminei genitalis concipiendo ex viro fuisset violata. 500
102 Quæ res concurrant ad constituendam perfectam rationem vioginitatis. 507
103 Disputatio super illis verbis, Crescite & multiplicamini, aduersus hæreticos nostri temporis, An his verbis præceptum sit omnibus hominibus vti coniugio, & vacare generationi prolis. 504.& seq.
104 An illis verbis contineatur præceptum aliquod ineundi cõiugij, necne. 505
105 Creatas esse arbores in exordio mundi cum fructibus iã maturis. 506.C
106 Quanta futura esset in statu innocentiæ frugalitas hominum in victu. 507
107 An ante peccatum nulla fuerit planta infructifera, aut inutilis homini ad cibum, vt putauit Beda, saltem in Paradiso vbi erat habitaturus homo. 507.& 508
108 An in statu innocentiæ fuisset in vsu hominibus carneus esus. 508. & 509
109 Cur sicut cibum, non etiam potum assignauit Deus primis hominibus. 510.A
110 An in statu innocentiæ coluissent homines & exercuissent artes liberales. 509.C
111 Prædicatio diuinæ prouidentiæ erga animalia, præsertim erga coruos. 510.B.C
112 Vtrum animalia quæ nunc sunt carniuora, in exordio mundi & vsque ad diluuium vescerentur carnibus. 511. 512
113 De multiplici vsu vestium, & vnde accidat vt nonnullis nuditas corporis non sit pudenda. 515.B.C
114 Platonem similia Mosi de nuditate hominum, & frugalitate eorum regnante Saturno: prodidisse. 516.b.c

IN LIBRO QVINTO

Qui est de statu innocentiæ.

1 QVibus ex rebus existimari possit, quanta fuerit excellẽtia status innocẽtię. 517

2 Egregiæ Augustini, Gregorij, & Damasceni de felicitute illius status, sententiæ. 519.& 520

Excellentia illius status septem rebus maximè continebatur. 521

De prima excellentia status innocentiæ, hoc est, de scientia Adami.

3 AN constet ex diuina Scriptura Adamum esse creatum scientia præditum. 522

4 An reuera omnia animalia adducta fuerint ad Adamum, an tantùm id factum sit per visionem quamdam intellectualem, vt putat Caietanus. 523.& 524

5 Cur adducta sint animalia ad Adamum. 524.C.525.A

6 De impositione nominum, quæ Adamus imposuit animalibus. 525

7 De lingua Hebræa, quam Adamus accepit à Deo. 526.B.C

8 Quo tempore Adam imposuit nomina Animalibus. 527.C

9 An statim vt creatus est Adam, habuerit scientia rerum omnium. 528.B

10 An scientia Adami rerum naturalium specie differret à scientia, quam nos habemus. 530.A

11 Quanta fuerit scientia Adami, & an scientiam rerũ cœlestium & elementorum habuerit, disputatur contra Caietanum. 530.C.531

12 Quarum rerum scientiam Adamus non habuerit à Domino infusam. 532.B

13 An Adam profecisset in scientia, & quomodo. 532.C

14 An Adam sapientior fuerit cunctis mortalibus. 433.C.534

15 De varijs causis propter quas amittitur scientia, & an illæ accidissent in statu innocentiæ. 534.B

16 Mira de obliuione omnium scientiarum, quæ accidit Alberto Magno. 525.B

17 Vtrum Adam sapientior fuerit Salomone. 555.& 556

Disputatio de cognitione rerum supernaturalium.

18 VTrum Adam creatus fuerit cum fide rerum supernaturalium. 537

19 Vtrum Adam cognitum habuerit vltimum finem supernaturalem, & media simpliciter necessaria ad assequẽdum illum finem. 537

20 Vtrum cognouerit ruinam Angelorum 537

21 Vtrum distinctè & explicatè cognouerit mysterium sanctissimæ Trinitatis. 538

22 Vtrum cognouerit futuram Filij Dei incarnationem. ibid.

23 Vtrum Adam cognoscceret Deum cognitione aliqua sublimiori, quàm sit cognitio per fidem. 539

24 Vtrum cognouerit Deum in ænigmate. ibidem

25 De quadruplici genere cognoscendi Deum. 541

26 Dupliciter cognitionem rerum diuinarum, quam habuit Adam, præstantiorem fuisse, quàm cæterorum hominum. 542

27 Dè excellentia contemplationis Dei & rerum diuinarum, quam habuit Adã in statu innocentiæ. ibidem

28 Vtrum si mansisset status innocentiæ, posteri Adami habuissent innatam sciẽtiam rerum naturalium. 543.544

De

29 De decẽ cauſis ob quas homines in ſtatu innocentiæ multo quàm nos & facilius & perfectius doctrinas omnes ſibi comparaſſent. 544.& ſeq.

Diſputatio de ſecunda excellentia ſtatus innocentiæ .i. de gratia gratum faciente

30 VTrum Adam fuerit in gratia ante lapſum. 545.C.& 546
31 Vtrum fuerit creatus cum gratia gratũ faciente. 546.& 547
32 Vtrum Adam non ſolum creatus fuerit cum habitu gratiæ, ſed etiam cum eius affectu & vſu. 551
33 Vtrum ſtante innocentiæ ſtatu potuiſſet homo facere peccatum aliquod veniale. 551.C.& 552.
34 Vnde habuerit Adam, vt in ſtatu innocẽtiæ nullum poſſet facere peccatum veniale. 554.C
35 Vtrum in ſtatu innocentiæ omnes generati fuiſſent cum gratia Dei. 554
36 Vtrum ſi Adam non peccaſſet, poſteri eius generati fuiſſent in gratia confirmati. 557.& ſeq.
37 De quadruplici effectu iuſtitiæ originalis. 559
38 Vtrum in ſtatu innocẽtiæ fuiſſet datum hominibus plus gratiæ, quam detur eis in ſtatu legis Euangelicæ. 561
39 Vtrum ſi Adam non peccaſſet, nec Filius Dei fuiſſet incarnatus: tunc plus gratiæ datum eſſet hominibus, quàm detur nunc in ſtatu legis Euangelicæ. ibid.C
40 Vtrum in ſtatu innocentiæ ſi Chriſtus fuiſſet etiam incarnatus, ſed immortalis & impaſſibilis, plus fuiſſet gratiæ datum hominibus, quàm detur nũc propter paſſionem & mortem Chriſti. 564
41 Vtrum gratia gratis data maior fuiſſet in ſtatu innocentiæ, quàm ſit nunc in ſtatu legis Euangelicæ. 565
42 Vtrum in ſtatu innocentiæ, qui minimam habuiſſet gratiam, longe tamen maiorem habuiſſet, quam plurimi nunc habeant in ſtatu legis Euangelicæ. 565
43 Vtrum in ſtatu innocentiæ plus gratiæ habuiſſent infantes, quàm nunc accipiãt regenerati per Baptiſmum Chriſti. ibidem

Diſputatio de tertia excellentia, ſtatus innocentiæ, id eſt, de iuſtitia originali.

44 DE ſex naturæ humanæ ſtatibus, eorumq; inter ſe differentia. 567
45 De quinque admirandis affectibus iuſtitiæ originalis. 568
46 Vtrum iuſtitia originalis fuerit rectitudo quædam naturalis humanæ voluntatis, vt voluit Henricus. 569
47 Quid fuerit iuſtitia originalis & an fuerit vnus aliquis habitus. 570.B.C
48 Vtrum iuſtitia originalis poneret in voluntate habitum caritatis naturalis erga Deum, vt finem vltimum naturalem. 572
49 Vtrum iuſtitia originalis ſufficeret ad perficiendum appetitum ſenſitiuum ſine proprijs eius habitibus moralibus, vel infuſis. 572
50 Vtrum iuſtitia originalis non ſolum ſubiiceret appetitum rationi, ſed etiam perficeret ne vnquam ille præter iudicium & voluntatem rationis commoueretur. 572
51 Vnde accidebat, vt omnes affectus & motus appetitus ſenſitiui, omnino eſſent in poteſtate rationis. 573
52 Vtrum homo in ſtatu innocentiæ omnino caruiſſet paſſionibus appetitus ſenſitiui. 574
53 De ſpeciali aſſiſtentia Dei in ſtatu innocentiæ, quæ ſex bona præſtabat homini.

ni. 575
54 Cur dicta sit originalis, & an ea quoque fuerit in Angelis. ibid.
55 Vtrum iustitia originalis fuerit donum Dei naturale, an supernaturale. 576.a
56 In qua parte seu potentia animæ tanquam in subiecto fuerit iustitia originalis: & vtrum fuerit in essentia animæ, vt vult S. Thomas. 576.c.d. 577
57 Vtrum fuerit in volũtate, vt placet Bonauenturæ & Scoto. 577
58 Vtrum fuerit in appetitu sensitiuo, vt visum est Durando. ibid.
59 Vtrum iustitia originalis, res diuersa fuerit à gratia gratum faciente, & an fuerit ab ea inseparabilis. 578. & sequentib.
60 Vtrum Eua, statim vt comedit fructum vetitum, perdiderit iustitiam originalem. 580
61 Vtrum si post peccatum Euæ non peccasset Adam, posteri eorũ nati fuissent cum iustitia originali. 582
62 Vtrum ex sacris litteris probari queat, hominem esse creatum cum iustitia originali. 582

Disputatio de quarta excellentia status innocentiæ, id est, de corporis immortalitate.

63 QVot modis aliquid in Scriptura dicatur immortale. 506
64 Qualis fuerit immortalitas Adami ante peccatum. 587.b.c
65 Quibus ex rebus soleat homini accidere mors, & quemadmodũ aduersus eas omnes res Deus primum hominem munierat. ibid.
66 Vtrum corpus Adami si non peccasset, fuisset immortale per aliquam virtutem in ipso inhærentem, vel naturalem, vel supernaturalem. 589
67 Vtrum Adam ante peccatum, verius diceretur immortalis, an mortalis. 592
68 Vtrum donum immortalitatis collatum Adamo, pertineret ad naturalem integritatem & perfectionem naturæ humanæ. 593. & 594
69 An coniunctio corporis mortalis cum anima immortali, sit præter naturam, & inordinata, & quasi monstrosa. 597
70 An rebellio carnis aduersus spiritum, sit secundum naturam hominis, an præter naturam eius. 598

IN SEXTO LIBRO Qui est de tentatione serpentis & lapsu atque punitione primorum hominum.

Disputatio de serpente qui tentauit Euam.

1 AN serpens ille naturaliter habuerit facultatem loquendi, vt putarunt nonnulli. 603
2 An permissu Dei, ad tempus data fuerit illi serpenti facultas loquendi. 605
3 Vtrum ille fuerit verus serpens, an diabolus sub imagine serpentis. 606
4 Vtrum narratio Mosis de illo serpente sit historica, an tantùm parabolica, vt existimauit Caietanus. ibid.
5 An simul ad tentandum Euam & verus serpens, & diabolus intra serpentem conuenerint. 608. & 609
6 Cur serpentes potius quàm alia animalia, incantationibus afficiantur & moueantur. 609
7 Mira de serpente Æsculapij, & de alio qui in deliciis fuit Tiberio Imperatori. 609.c
8 Quod dicitur, serpẽtem callidiorem fuisse bestiis terræ, an debeat intelligi de vero serpente, an de diabolo. 611

9 *Vtrum serpens re vera calidissimus omnium animantium, & de duplici genere calliditatis quo excellit serpens.* 613

10 *Quomodo Eua non exhorruerit serpentis congressum, & an ille serpens habuerit virgineam faciem.* 614

11 *Ex quo genere serpentum fuerit ille serpens, & vtrum fuerit Basiliscus vt putauit Eugubinus.* 615

12 *Cur Eua non obstupuerit audiens sermocinãtem secum serpentẽ.* 616.617

13 *Vtrum serpens qui tentauit Euam, extra Paradisum fuerit an intra.* 617

14 *Vtrum Eua tunc non certo sciuerit vtrũ serpẽs posset naturaliter loqui nec ne.* 608

15 *Consueuisse olim dæmones apud Gentiles per animalia & res inanimas humano modo loqui, multis exemplis demonstrat Cyrillus.* 609

16 *Vtrum omnis ignorantia contraria fuerit perfectioni status innocẽtiæ.* 610

17 *Vtrum maledictio qua Deus percussit serpentem, ad verum serpentem, an ad diabolum referenda sit.* 611

18 *De quatuor causis cur Deus maledixerit serpenti cum ipse nihil peccasset.* 611.612

19 *Cur Deus non maledixit expressè diabolo, qui illius fallaciæ & maleficij princeps auctor fuerat.* 612

20 *Vtrum maledictio illa sub nomine serpentis, omnino referenda sit ad solum diabolum, vt plerisque visum est.* 613

21 *Quid significet, diabolum super pectus & super ventrem ambulare.* 614

22 *Quid sit, diabolum terram comedere cunctis diebus vitæ suæ.* ibid.c.d

23 *Quod sit illud semen mulieris, & semen serpentis.* 615.b.c

24 *Quid sit serpentem insidiari calcaneo mulieris.* ibid.d

Quid sit conterere caput serpentis, id est, diaboli. 616.c

26 *Vtrum hinc cœptum fuerit Euãgelizari mundo aduentus Christi, & hinc cœperit Adam credere in Christum vt mundi redemptorem.* ibid.d

27 *Quemadmodum maledictio serpentis fuerit vero serpẽti in pœnam & supplicium.* 618

28 *Cur dæmon per serpentem potius, quàm per aliud quoduis animal hominem tentauerit.* 620

29 *Cur Moses nullam diaboli expressam fecerit mentionem.* 622

30 *Cur Eua dixerit, tactum arboris scientiæ boni & mali sibi fuisse interdictum à Deo, cum Deus esum tantummodo vetuisset.* 624

31 *Cur Eua dubitanter dixerit, Ne forte moriamur, cum Deus absolutè dixisset, In quacumque die comederis, morieris.* 625.626

32 *Tribus modis Euã peruertisse Dei verba, sicut etiam ab Hæreticis depranatur Scriptura.* 626

33 *Quanto artificio dæmon tentauerit Euã, & tentare soleat homines.* 627

34 *Quomodo oratio serpentis fuerit ambigua & sophistica, & ipse princeps sit sophistarum.* 629

35 *Per quos gradus hominem diabolus ad summa flagitia deuoluat:* 632

36 *Quanta mala ex incuriosa oculorum custodia proueniant.* ibid.d

37 *Egregia B. Gregorij sententia de custodia oculorum.* 633

Disputatio de peccato Euæ.

38 *QVam non peccasse ante cõgressum serpentis.* 634

39 *Primum peccatum Euæ fuisse superbiam.* 635

40 *Notabilis sententia B. Augustini, quod Superbis vtile sit in aliquod apertũ peccatum cadere, vt inde sibi displicentes resipiscant.* 636

41 Notan

41 Notantur octo peccata Euæ. 636. & 637
42 Quomodo Eua tam incredibilibus promissis serpentis credere potuerit. 637
43 Cur diabolus potius tentauerit Euam, quàm Adamum. ibid.d
44 An Eua narrauerit Adamo promissa serpentis. 638.c
45 Quibus rebus adductus est Adamus, vt acquiesceret petitioni Euæ. ibid.
46 Vtrum Adam expetiuerit similitudinem & æqualitatem Dei. 640.a
47 Vtrum verè dici possit, Adamum fuisse deceptum vel à serpente, vel ab Eua. 640.c.641
48 Octo modis animum Adami fuisse vitiatum atque depranatum. 644
49 Tres insignes sententiæ de peccato superbiæ, Augustini, Gregorij, & Bernardi. [illegible] & 645
50 Vtrum si Adam statim humiliter Deo confessus esset peccatum suum, eiectus fuisset Paradiso. 648

Disputatio de grauitate peccati primorum hominum.

51 QVomodo peccatum primorum hominum, & fuerit, & non fuerit grauissimum omnium. 649
52 Vtrius peccatum grauius fuerit, Adami, an Euæ. 651
53 Peccauerint ne primi homines peccato idololatriæ, an auaritiæ. 651. & sequentib.
54 Vtrum peccatum Euæ lèue fuerit, vt dicit Caietanus. 652
55 Quomodo intelligendum sit, primis illis hominibus post peccatũ apertos esse oculos. 653
56 Cur in Paradiso nudi fuerint primi homines. 656
57 Cur post peccatum voluerint se tegere foliis ficulneis. 657
58 De cura tegendi pudenda apud omnes gentes. 659
59 Quæ fuerit illa vox Dei, quam primo audiuit Adam, & cur voluerit se abscondere à facie Dei. 664. & 665
60 Qua ratione Deus locutus sit cum Adã, Eua, & serpente, & luculenta disputatio de variis modis quibus Deus vsus est, loquendo vel hominibus, vel Angelis. 666. & 667
61 Quam sit detestabilis excusatio peccati admissi, præclara Augustini & Gregorij sententia. 671
62 Notabilis sententia Ruperti de potentia mulieris aduersus serpentem. 676
63 Quomodo multiplicatio conceptus, quæ futura erat in statu innocentiæ, post peccatum fuerit pœna mulieris. 676
64 Quattuor ob causas multiplicationem fœtus esse pœnam mulieris. ibid.
65 Incommoda mulierum, dum gestant vterum. ibid. & seq.
66 De acerbitate dolorum mulieris in partu. 680
67 Qui fieri potuerit, vt in statu innocentiæ mulier pareret sine dolore. 681
68 Quomodo pœna fuit mulieris, esse sub viri potestate. 682
69 Vtrum secundum fidem Catholicam sentire oporteat, si Adam non peccasset, eum non fuisse moriturum, mortémque propter peccatum Adami accidisse homini. 684
70 Vtilissimum fuisse homini, post peccatum obnoxium esse morti & miseriis corporalibus. 685
71 Disputatio de etymologia nominis Euæ, & quomodo Adam id nominis imposuerit vxori suæ, & an imposuerit per vesanam animi superbiam, diuinæque sententiæ contemptum, vt existimauit Rupertus. 687. & 688

Disputatio de tunicis pelliceis, quibus Adam indutus à Deo est.

72 AN quod dicitur de tunicis pelliceis, historicè, an figuratè sit accipiendum. 688

73 Vnde & quomodo illæ tunicæ sint confectæ. 689

74 De antiquissimo vsu vestium ex pellibus apud homines. 690

75 De octo causis cur Deus primos homines post peccatum amictos esse voluerit tunicis pelliceis. 691.& 692

76 Disputatio super illis verbis, Ecce Adã quasi vnus ex nobis factus est. 693

Disputatio quanto tempore primi homines in Paradiso commorati sint.

77 AN eodem die quo creatus est Adã, sit eiectus Paradiso. 695

78 Inter ea quæ Adamo & Christo domino contigerunt, elegans analogia. 696

79 An plus vno die Adam fuerit in Paradiso. 697

80 An longo tempore Adam fuerit in Paradiso. 698

81 An tantùm per octo dies fuerit in Paradiso. 699

82 An verum sit quod tradidit Rupertus, virtutem Arbori, vitæ, tam diabolo quàm Adamo fuisse ignotam. 700

Disputatio de Cherubin, & gladio flammeo atque versatili positis ante aditum Paradisi.

83 VTrum narratio hæc Mosis sit historica, an figurata & mystica. 702

84 Vtrum illis verbis de Cherubim & gladio flammeo, significetur situs Paradisi sub æquinoctiali & zona torrida. ibidem

85 Vtrum significetur ingens copia ignis vndique Paradisum ambientis. 704

86 Vtrum denotetur ignis purgatorius, vt placet Ambrosio & Ruperto. ibid.

87 Quid significet vox Cherubim secundum Theodoretum. 709.& 710

88 Quæ sit vera & germana illorum verborum Mosis de Cherubim & gladio flammeo atque versatili sententia & interpretatio. 710.& 711

IN LIBRO SEPTIMO Qui est de Cain & Abel.

1 DE duabus ciuitatibus, altera Dei, altera diaboli, egregia disputatio. 713.& 714

2 De sanctitate & antiquitate linguæ Hebrææ. 717

3 Primos homines, quoad fuerunt in Paradiso, fuisse virgines. ibid.

4 Vtrum Cain fuerit primogenitus Adæ, & quo anno ætatis eius fuerit ab eo genitus & ipse & Abel. 718

5 Vnde Abel cognouerit sacrificandum esse Deo. 720

6 Laus artis pastoritiæ. 719

7 Cur nusquam Scriptura tradat, Adamũ & Isaac sacrificasse Deo. 720

8 Cur Abel obtulit primogenita & adipem. 721

9 Quid sit Deũ respexisse ad munera Abel, & quo signo id cognouerit Cain. 722

10 Quanta sit Dei in iudicando æquitas. 724.& seq.

11 De libertate humanæ voluntatis. 725

12 Quid significet illud quod dixit Deus ad Cain secundum trãslationem Septuaginta, Nonne si rectè offeras, rectè autem nõ diuidas, peccasti. 728.729.& 730

13 Altercatio inter Cain & Abel secundum

dum Targum Hierosolymitanum. 732
14 Quo genere necis Abel interemptus sit à Cain. 733
15 Quattuor genera peccatorum quæ clamant ad Deum. 735
16 Necis Abel, & supplicij quod propter eam luit Cain, pulcherrima interpretatio allegorica Ruperti, ad necem Christi, & ad mala quibus propter eam affecti sunt Iudæi, accommodata. 737
17 Disputatio super illis verbis Cain, Maior est iniquitas mea, quàm vt veniam merear. 738. & 739
18 Vtrum his verbis Cain peccatum suum confessus sit, exacta quidem confessione, sed inutili, quia sera fuit, vt significare videtur Chrysostomus. 740
19 Quid significet in Scriptura, Deum alicui faciem suam ostendere, vel abscondere. 741
20 Qualis sit metus improborum propter peccata ab ipsis commissa, ex Ambrosio, & Bernardo. 742
21 Disputatio super illis verbis, Omnis qui occiderit Cain, septuplum punietur. 743
22 De septem peccatis Cain. 748
23 Cur Deus tandiu mortem Cain distulerit. 749
24 Quid significet, Cain egressum esse à facie Domini. 757
25 Egregium documentū & sententia Ambrosij de non inuidendo prosperitati malorum, nec deploranda calamitate bonorum in hac vita. 751. & 752
26 An cum Cain ædificauit ciuitatem Henoch, tres dumtaxat, aut quinque homines in terris essent. 753
27 Mendacia Gentilium de vetustate ciuitatum. 754
28 Cur Cain ædificauerit illam ciuitatem. 755
29 De prima causa ædificandarum ciuitatum. ibid.
30 Moralis doctrina, cur Cain vir impius & sceleratus: primus omnium mortalium ciuitatem ædificauerit. 756
31 Disputatio super illis verbis, Septuplum vltio dabitur de Cain: de Lamech vero septuagies septies. 757
32 Vtrum Cain sit occisus à Lamech. 759
33 Tres gradus hominum, Innocētium, Pœnitentium, & Impœnitentium, quorum exempla fuere Abel, Lamech, & Cain. 761
34 Quando sit occisus Abel, & vtrum ante cædem Abel, habuerit Adam alios filios præter Cain & Abel. 764
35 Cur Scriptura dicat Seth fuisse genitum ad imaginem & similitudinem Adami. 705
36 Præconium Seth ex Iosepho & Suida. ibidem
37 An Enos primus omnium cœperit inuocare nomen Domini. 766
38 An verum sit, Adamum longiorem vitam egisse in terris quodāmodo quàm Mathusalem. 770
39 Quando Adam obierit. ibid.
40 Quatenus vita hominis naturaliter produci queat. 770. & 771
41 Vtrum tot illi anni, quot vixisse homines ante diluuium tradit Scriptura, pares fuerint annis nostris. 771. & 772
42 De septem causis, propter quas prisci illi homines tam longam vitam egerint. 772. & seq.
43 Cur nemo hominum ante diluuium attigerit millesimum annum. 774
44 Cur Moses singulis generationibus subiecerit illam clausulam, Et mortuus est. 775
45 Disputatio vtrum Adam sit saluus. 776
46 Vtrum Adam sepultus fuerit in monte Caluariæ. 777
Disputatio de Chronologia quam Scriptura tradit ab Adamo vsque ad diluuium cap. 5. Genes.

47 QVot anni fluxerint à creatione Adami vsque ad diluuium. 778
48 In prædicta computatione annorum, quid conueniat, & quid differat inter Scripturam Hebraicam, & translationem Septuaginta interpretum. 780
49 Vtrum in prædicta computatione annorum, standum sit potius Scripturæ Hebraicæ, quàm interpretationi Septuaginta. 782. & 783
50 Qua ratione prædicta supputatio annorum, vitiata & depravata fuerit in translatione Septuaginta interpretum. 783
51 In Chronologia patrum, & filiorum patribus succedentium, qui anni patrum commemorandi, & qui reticendi sint. 779
52 Cum dicitur Adam, cum genuisset Seth, fuisse centum & triginta annorum, quomodo vltimus ille annus, quo genuit filium, accipiendus sit, vtrum imperfectus & vt vulgo dicitur currens, an iam completus, vel aliquot mensibus redundans. 778. & 779
53 Vtrum in generationibus ab Adamo vsque ad diluuium commemoratis à Mose, aliqua fuerit ab eo prætermissa. 789
54 De magna varietate codicum Septuaginta interpretum in supputatione annorum ab Adamo vsque ad Abraam.
55 An filij qui memorantur geniti ante diluuium, fuerint omnes primogeniti. 786

Disputatio de translatione Henoch.

56 VTrum Henoch sit iam mortuus, an etiam nunc in terris viuat. 788
57 Vtrũ Henoch sit aliquãdo moriturꝰ. 790
58 Quem in locũ translatus fuerit Henoch. 792. & seq.
59 Cur Deus sic translulerit Henoch. 793
60 Vtrum Henoch postquam translatus est, viderit essentiam Dei. 791
61 De Mose & Paulo, vtrum viderint essentiam Dei. 792
62 Vtrum Henoch si in statu merendi sit, multitudine & magnitudine meritorũ sit omnes Sanctos superaturus. 794
63 Vtrum Henoch librum aliquem scripserit. 795
64 Cur liber ab Henoch scriptus non fuerit annumeratus libris Canonicis. 797
65 Vnde Iudas deprompserit prophetiam Henoch quam citat. 798
66 Vtrum Paradisus terrestris, diluuio illæsus & intactus fuerit. 802. 803
67 Vtrum Henoch sit in Paradiso terrestri. 806
68 An multitudo & auctoritas Doctorum aientium Henoch esse in paradiso terrestri vnde Adam electus fuit, faciat eam sententiam planè certam, & contrariam reddat temerariam. 808. & seq.
69 Quid obseruandum sit circa opiniones nouas, etiamsi valde probabiles & plausibiles sint. 809. & 810

X.

Disputatio de translatione Henoch.

VTrum Henoch sit iam mortuus, an etiam nunc in terris viuat. 791

Vtrũ Henoch sit aliquãdo moriturus. 792

Quem in locũ translatus fuerit Henoch. 792. & seq.

Cur Deus sic transtulerit Henoch. 793

Vtrum Henoch postquam translatus fuerit, viderit essentiam Dei. 794

De Mose & Paulo, vtrum viderint essentiam Dei. 795

Vtrum Henoch si in statu merendi, multitudine & magnitudine meritorum sit omnes Sanctos superaturus. 796

Vtrum Henoch librum aliquem scripserit. 797

Cur liber ab Henoch scriptus non fuerit annumeratus libris Canonicis. 798

Vnde Iudas deprompserit prophetiam Henoch quam citat. 798

Vtrum Paradisus terrestris, adhuc laesus & intactus fuerit. 801

Vtrum Henoch sit in Paradiso terrestri. 803

An multitudo & auctoritas Dissentientium Henoch esse in paradiso terrestri vnde Adam eiectus fuerit, eam sententiam plane veram & contrariam reddat veritati. 808. & seq.

Quid obseruandum sit circa opiniones nouas, etiamsi valde probabiles & plausibiles sint. 809. &

INDEX

deliget ac seponet, futura sibi vsui aliquando ad publicas conciones. 32

Ex libro quarto.

PLVRIMA eorum quę in prima parte disputãtur de imagine Dei, magno vsui esse possunt Cõcionatoribus præsertim ad illud Euangelium luculentè tranctandum. Matth.22. *Cuius est imago hæc,& superscriptio,&c.*

Digressio,qua exponuntur septem causæ cur Deus facere voluerit hominem ad imaginẽ suam, tota est moralis. 387

Tota illa disputatio de imperio hominis in animalia quæ tractatur libro quarto à pagina 391.vsque ad 401.multis in locis vsui esse poterit Concionatoribus, sicut etiam sequens disputatio de formatione corporis humani, cuius quæstiones in primo Indice annotatæ sunt.

De bono obedientiæ,& malo inobedientiæ. 445.vsque ad 447

Disputatio illa de pęna mortis quã Deus minatus est Adamo,si ederet fructũ sibi vetitum,quæ incipit pag.453. multa præstare potest futura vsui Concionatoribus,cum de more disputãdi incidet occasio.

Sequens item disputatio incipiens pag.461. de procreatione Euæ ex Adamo multa continet,quæ ad populares conciones vtiliter accommodari possunt.

Duæ illæ disputationes aduersus hæreticos, vna pag. 462. super illis verbis, *Non est bonum hominem esse solum.* Vtrum licitum sit abstinere cõiugio, & altera pag. 502.super illis verbis,*Crescite & multiplicamini.* Vtrum præceptum sit omni homini vacare generationi prolis:vbi Concionator de Celibatus, aut virginitatis laude differeret,amplam ei suppeditare possent materiã, & digrediẽdi facultatem aduersus hæreticos, præsertim in iis regionibus vbi vigent hæreses.

De continentia & frugalitate in victu,conducet legere quæ disputantur pag. 507. & 509. de esu carnium in statu innocentiæ minimè futuro.

Mirabilis prouidentia Dei erga animalia,& præsertim erga ceruos. 511

Ex libro quinto.

MIRA de felicitate primorũ hominum in statu innocentiæ,quam illi peccando,& sibi nobisque perdiderunt. 517.& sequentib.

Disputatio illa,quæ tractatur. pag. 545.& sequẽtibus de gratia Dei cum qua creatus est Adam, & quam habuissent posteri eius in statu innocentiæ, & de comparatione gratiæ quæ data esset in statu innocentiæ,& cum ea gratia quæ datur in statu legis Euãgelicæ, ad multas res eruditè atque

atque vtiliter tractandas, adiumento & ornamento esse poterit Concionatoribus: sicut etiam sequēs disputatio de iustitia originali, præsertim quantum ad effectus eius, & ad specialē Dei assistentiam quam præstabat homini in statu innocentiæ, & quātum ad illam quæstionē, Vtrum rebellio carnis aduersus spiritum, sit naturalis homini, an pęna peccati.

Ex libro sexto.

TOTA illa explanatio maledictionis serpentis, quæ tractatur à pag. 611. vsque ad 620. moralis est, vt, quid significet, diabolum super pectus & ventrem ambulare, comedere terrā cunctis diebus vitę suæ, insidiari calcaneo mulieris, & mulierē conterere caput serpentis.

Per quos gradus hominem diabolus ad summa flagitia deuoluat. 632

Quanta mala ex incuriosa oculorum custodia proueniant. 632. & sequentib.

Egregia B. Gregorij sententia de custodia oculorum. 633

De malo superbiæ, & quod, secundum Augustinum, vtile sit superbis in manifestum & pudendum aliquod peccatum cadere. 635. & 636

De octo peccatis quæ admisit Eua. 636

Tres insignes sententiæ de peccato superbiæ, Augustini, Gregorij, & Bernardi. 644. & 645

Disputatio de grauitate peccati primorum hominum, quæ tractatur pag. 644. magna ex parte moralis est.

Quid sit peccatori aperiri oculos post peccatum. 655

Quid sit foliis ficulneis velle peccatorē tegere sua pudenda. 657

Cur ante peccatum homines erant nudi. 656

Cur Deus ad increpandum peccatum primorum hominum, ad eos venerit post meridiem siue ad vesperam. 661. & 662

Quinque amari & pestilentes fructus peccati. 663

Pulchra interpretatio moralis super illis verbis dixit Dominus, *Adam vbi es?* 665

Quàm sit detestabilis excusatio peccati admissi, præclara Augustini & Gregorij sententia. 671

Quantum, conducat, peccata sua cui oportet, distinctè & humiliter confiteri. 672

Tres modi tentationis diabolicæ. 674

Moralis interpretatio Basilij, cur Deus posuerit inimicitias inter hominem & serpentem. 673

Quomodo solus Christus perfectè inimicitias gesserit cum serpente, secundum Rupertum. 674

Vtilissimum fuisse homini post

 pecca

peccatum, obnoxium esse morti & miseriis corporalibus. 685
De octo causis cur Deus primos homines post peccatũ amictos esse voluerit tunicis pelliceis. 692
Inter ea quæ Adamo & Christo domino contigerunt, elegans analogia. 696
Quid secundum allegoriam significet Cherubim & gladius flammeus ante Paradisum. 702
De igne purgatorio præclara sentẽtia Ambrosij & Ruperti. 704

Ex libro septimo.

DE libertate humanæ voluntatis. 726
Cur Cain occiderit fratrem suum Abel in campo seu in agro allegorica interpretatio Ambrosij. 732. & 733
Præclara Ambrosij sententia de voluntaria peccatorum confessione. 733
Quattuor genera peccatorum, quæ clamant ad Deum. 735
Necis Abel, & supplicij quod propter eam luit Cain, pulcherrima interpretatio allegorica Ruperti, ad necẽ Christi, & ad mala quibus propter eam affecti sunt Iudæi, accommodata. 737
Qualis sit metus improborũ propter peccata in ipsis commissa, ex Ambrosio & Bernardo. 742
Cur Deus tamdiu mortem Cain distulerit. 749
Egregium documẽtum & sententia Ambrosij de non inuidendo prosperitati malorum, nec deploranda calamitate bonorum. 751. & 752
Moralis doctrina, cur Cain vir impius & sceleratus, primus omnium mortalem ciuitatem ædificauerit. 545
Tres gradus hominum, Innocentium, Pœnitentium, & Impœnitentium: quorum exempla fuere Abel, Lamech, & Cain. 762

INDEX LOCORVM SACRÆ SCRIPTVRÆ QVI IN HIS COMMENTARIIS PAVLO subtilius & accuratius explanantur.

Ex capite 7. libri Geneseos.

VEHEMENTER *inundauerunt aquæ, & omnia repleuerunt in superficie terræ, & prævaluerũt nimis super terram, operiq; sunt omnes montes terræ excelsi sub vniuerso cælo: quindecim cubitis altior fuit aqua super montes quos operuerat.* 803

Ex capite 36.

Iste est Ana qui inuenit aquas calidas in solitudine, cum pasceret asinas Sebeon patris sui. 166. & 157

Ex capite 19. Leuitici.

Iumentum tuum non facies coire cum alterius generis animantibus. 156. & 157

Iosue capite 14.

Nomen Hebron antea vocabatur, Cariath-arbe: Adam maximus, ibi inter Enacim situs est. 415. & 416

4. Regum capite 3.

Dabit tibi cor sapiens & intelligens, in tantum vt nullus ante te similis tui fuerit, nec post te surrecturus sit. 535. & 536

Iob capite 38.

Quis conclusit ostiis mare, quando erumpebat quasi de vulua procedens. 118

Iob capite 40.

Ecce Behemoth, quem feci tecum, fœnum quasi bos comedet. 190

Ex Psalmo 23.

Quia ipse super maria fundauit eum, & super flumina præparauit eum. 57. & 58

Ex Psalmo 32.

Congregans sicut in vtre aquas maris, ponens in thesauris abyssos. 118

Ex Psalmo 103.

Extendens cælum sicut pellem. 145

Ibidem.

Super montes stabunt aquæ. 117

Ibidem.

Terminum posuisti, quem non transgredientur, neque conuertentur operire terram. ibid.

Ex Psalmo 135.

Qui fecit cælos in intellectu. 223

Ibidem.

Qui firmauit terram super aquas. 57. & 58

Ex capite 8. libri Prouerbiorum.

Quando circundabat mari terminũ suum, & legẽ ponebat aquis ne transirent fines suos. 118

Ex libro Ecclesiastæ capite 7.

Solummodo hoc inueni, quod fecerit Deus hominem rectum, & ipse se infinitis miscuerit quæstionibus. 549. & 585

Ex

Ex libro Sapientiæ capite 11.

Omnipotens manus tua, Domine, creauit orbem terrarum ex materia inuisa. 54

Ex libro Ecclesiastici capite 1.

Arenam maris, & pluuiæ guttas, & dies sæculi quis dinumerauit? 35

Ibidem.

Altitudinem cæli & latitudinem terræ, & profundum abyssi quis dimensus est? 59

Ex capite 17. eiusdem libri.

Deus creauit de terra hominem, & secundum imaginem suam fecit illum. Et iterum conuertit illum in ipsam, & secundum se vestituit illum virtute. 548

Ex capite 18. eiusdem libri.

Qui viuit in æternum, creauit omnia simul. 189

Ex capite 39. eiusdem libri.

In verbo Dñi stetit aqua sicut cõgeries, & in sermone oris illius, sicut exceptoria aquarũ. 118

Ex capite 44. eiusdem libri.

Henoch placuit Deo, & translatus est in Paradisum. 304

Ibidem.

Henoch placuit Deo & translatus est, vt det gentibus pœnitentiam. 792

Ibidem.

Henoch placuit Deo & translatus est in Paradisum. 806

Ex capite 34. Isaiæ.

Complicabuntur sicut liber cæli. 272. & 274

Ex Ieremia capite 2.

Et nunc quid tibi in via Ægypti, vt bibas aquam turbidam? siue vt habent Septuaginta, *vt bibas aquam Gehon?* 339

Ex capite 5. eiusdem.

Me ergo non timebitis, ait Dominus, &c. Qui posui arenam terminum mari, præceptum sempiternum quod non præteribit. 118

Ex capite 18. Matthæi.

Domine, quoties peccabit in me frater meus, & dimittam ei? vsque septies? Dixit illi Iesus, Non dico tibi vsque septies, sed vsque septuagies septies. 764

Ex capite 23. Lucæ.

Hodie mecum eris in Paradiso. 306

Ex epistola ad Romanos capite 7.

Infelix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis huius? 584

Ex epistola 1. ad Timotheum capite 2.

Et Adam non est seductus, mulier autem seducta in prævaricatione fuit. 640

Ex epistola ad Hebræos capite 11.

Fide, plurimã hostiã Abel, quam Cain obtulit Deo, per quã testimoniũ cõsecutus est esse iustus, testimonium perhibẽte muneribus eius Deo: & per illã defunctus adhuc loquitur. 721

Ex epistola 2. Petri Apostoli capite 3.

Cæli magno impetu transient, elementa vero calore soluentur, terra autem & quæ in ipsa sunt opera exurentur. 205

Ex epistola Catholica Iudæ Apostoli.

Prophetauit autem de his septimus ab Adam Enoch, dicens, Ecce venit Dominus in sanctis millibus suis, facere iudicium contra omnes, &c. 796. & *sequentibus.*

BENEDICTI PERERII IN LIBROS COMMENTARIORVM IN GENESIM

PRÆFATIO.

A LIBRVM Geneſeos, in quo naſcentis mundi primordia narrantur, & prima huius vniuerſitatis ſtructura, omniumq; partium eius diſpoſitio atque exornatio deſcribitur, interpretari aggredimur: arduum profecto, & vſquequaque impeditum opus, atque vt nullis rhetorum coloribus depictum, nulliſq; humanæ eloquētiæ pigmētis fucatum ac ſpecioſum, ita multiiugi, nec multis peruia refertum doctrina. Sed cū duabus maximè rebus cōſtet, atque æſtimetur librorū claritas & nobilitas, materiæ, atque auctoris
B dignitate: ſanè vtraq; res in hoc libro in primis præclara, & eximia cernimur. Princeps enim huius voluminis materies, mūdus eſt, cuius nimirum nouus exortus, & ſex quaſi natales dies, quibus à Deo procreatus eſt, in exordio libri à Moſe celebrantur. Quid eſt autem mundo, in rebus à Deo
C cōditis, mole maius, varietate admirabilius, ſpecie magnificentius, ornatu elegātius, pulchritudine amabilius, robore valentius, ad incolumitatem ac diuturnitatem firmius

Doctrina Moſis de mūdo, quā præſtans & vtilis ſit.

decentißimo partium omnium ordine, miroq; earum inter A
se quasi concentu quodam, consensuq; venustius, bonorum
omnium copia plenius, perfectione absolutius? denique cum
dixi mūdū, dixi omnia. quid enim aut dici, aut fingi potest,
siue maximū sit, siue minimum, quod nō, vt mundi ample-
xu, sic mundi vocabulo comprehēdatur? Iā vero si omnia
Dei opera cogitatione percurramus, nullum inueniemus
mūdi natura, vel ad inuestigādū abstrusius, vel ad repe-
riēdū difficilius, vel ad cognoscēdū iucūdius, vel deniq; ad B
docēdum vtilius. vtilius dico, nā vel vnū id quod Mo-
ses in principio huius libri verißimè docuit, si de mūdo co-
gnoscatur ac teneatur, ipsum ex nihilo, ab aliquo temporis
initio esse factum à Deo, incredibile est, ad cognitione Dei
mortalibus tradēdā, atque in eorum animis corroborandā,
quanta ex hoc vno efflorescat & redundet vtilitas, Cui
nāque persuasum fuerit, mundum, qui ex omni æternitate
nullus fuerat, & nulla ex materia, nouoq; certi tēporis ortu C
esse generatū, huic profecto nihil negotij erit persuadere esse
Deum, & vnum esse, & omnium rerum efficiētē, cōseruā-
tem, regētē, intelligentē, atque prouidētē esse causam: eumq;
infinita vi ac potestate pollere: nec vlla naturæ necessita-
te, sed sua tantùm voluntate ac bonitate ad fabricandum
mundum esse adductum: atque sibi ipsum ad omnia vsque
quaque sufficere: ex se, ac se solo esse beatum, nec ad tuendā
felicitatē suā vllius rei, quæ extra ipsum sit, vel admini- D
culo, vel accessione, vel cōsortio indigere. Ecce tibi, vno fi-
xo principio, id est, noua mundi effectione posita & cōcessa,
quam ex Mose didicimus, quasi ianua quadam aditúque
patefacto, quàm facilis ad capessendam rerum diuinarum
scientiam ingressio, quámque longa fiat progressio.

Sed cur Moses (nā & hoc quærat aliquis) hāc de mūdi
origi

A origine, & molitione doctrinâ, quæ difficillimos habet explicatus, nec habitura tamẽ erat pronã legẽtium fidẽ & assensum, simplici tãtum narratione, nudaq; rerum expositione cõtextã tradiderit, nec vllis eam argumẽtationum munimentis, nulliſq; rationum adminiculis cõmunire, & confirmare voluerit? Equidem ſex rationes, eaſque intelligentibus rerum æſtimatoribus maximè probãdas afferre poſſum. Principio hæc Moſis doctrina planè hiſtorica eſt,

Cur Moſes de mundi exordio, nõ argumẽtando, ſed quaſi narrando ſcripſerit.

B quemadmodum hic mundus ſit à Deo fabricatus, diſtinctè atque enucleatè enarrans. Quamobrem in ea doctrina tradenda Moſes, non Philoſophi, ſed Hiſtorici partes agere & implere debuit. Hiſtoriæ autem ratio fidelem rerum geſtarum commemorationem depoſcit; rationes autem, & argumenta minimè requirit. Poſtea, cùm hæc doctrina nõ ſit humana, non enim eſt hominum diligentia & induſtria, ſtudioque comparata; ſed diuina ſit, & ſingulari Dei munere Moſi patefacta: rectiſſimum profecto fuit eam ſolius

C Dei, à quo erat tradita, & cuius fides omnium ponderé argumentorum longè grauior eſt, auctoritate niti, neque imbecillæ hominum intelligẽtiæ ratiunculis, aut cõiecturis fulciri, & ſuſtentari. Deinde placet B. Thomæ, nec mihi diſplicet, nouam mundi creationem firmis, ac neceſſariis rationibus nõ poſſe concludi, ſed fide tantùm à nobis acceptã & cognitã haberi, cui ſentẽtiæ ſuffragari videtur S. Pau-

S. Thomas in 1. p. q. 46. artic. 2.

D lus, cuius in Epiſtola, quæ ſcripta eſt ad Hebræos c. 11. hæc ſunt verba. Fide, intelligimus aptata eſſe ſæcula verbo Dei, vt ex inuiſibilibus viſibilia fierent. Certè (quod apud omnes extra controuerſiam eſt) tunc factum eſſe mundum quando factus eſt, & nõ prius aut poſterius, & eo partium ordine, atque ſpatio temporis, quo narrat Moſes fuiſſe eum à Deo perfectum, nemo non ſolùm certa

ratione comprehendere, sed ne coniectura quidem assequi, A
aut suspicione aliqua attingere potuisset. Ad hoc, doctrina
hæc scripta, & tradita est populo Hebræo, rudi scilicet at-
que indocto, neque Philosophicarū argumētationū capaci,
& cui omnino persuasum erat, omnia Mosis & dicta &
scripta, à Deo esse profecta, cum quo illum tam frequenter,
& familiariter loqui, & cuius potentia tot, & tā insignia
facere miracula cernebāt. Adijce, quod maximo Dei, nostræ
vtilitatis prouidentissimi consilio ita factum esse reor; quò B
videlicet vberior nobis de Deo bene merendi seges ac ma-
teries præberetur, fidei virtutem nauiter exercēdo, & Dei
verbis sine vlla dubitatione, summáq; cum animi demis-
sione, ac religione credendo. Si enim apud Pythagoræ disci-
pulos præiudicata magistri tantū valuit opinio, vt ipsum
dixisse, satis illis esset ad credendum; quanto magis Dei au-
ctoritas arcana rerum cælestium, per vates suos enun-
ciantis, ac docentis, instar omnium rationum esse debet? C

Postremo hac scribendi, & docendi ratione id sane per-
fectum est, vt quorundā superbia & contumacia, magisq;
contentionis, quàm veritatis cupida ingenia, & veteris
illius Academiæ volubilitatis atque instabilitatis æmula,
coërcerentur ac reprimerentur. Sunt enim multi (tanta est
humani animi vanitas & peruersitas) sunt inquā, multi
ad opinandum quodlibet audaces & proiecti: quiq; in op-
pugnāda veritate arguti & diserti videri velint: atque D
omnibus cōtradicendo, nulliq; rationibus quantumuis ex-
quisitus acquiescendo, nomen suum maximè nobilitatum,
memoriamq; in multa sæcula prorogatum iri putent: sum-
mamq; ingenij, & doctrinæ laudem, atque gloriam existi-
ment, rebus claris lucem, firmis robur, certis fidem, veteri-
bus auctoritatem, nouis dignitatem auferre. Neque verò

hæc

A hæc Mosis dicendi, scribendiq; vel simplicitas, vel potius (sic enim est, si verè æstimetur) grauitas, cuiquam Philosophorum iure potuit displicere: ipsorum namque princeps, & vt vocant ipsi, Philosophiæ deus Plato, quàm multa in Timæo de hac ipsa mundi generatione, & de prima rerum omnium procreatione, nullis argumentorum firmamentis munita, sed nuda tantùm oratione simpliciter enarrata, & explicata reliquit?

B Diximus de materia huius libri, & de ratione eã tractãdi, qua vsus est Moses: scilicet quod in præsens satis fore putauimus: sequitur, vt quod secundo loco propositum fuerat, etiam de auctore dicamus. Si libros, sui quemq; auctoris nomen, & gloria docorat, atque nobilitat, magna profectò huius libri laus est Moses eius auctor, vir nimirũ quanto dignior omni laude, tanto omni laudatione maior, vt propterea satius hoc loco futurũ duxerim tacitus præ- Laus Mosis.

C terire eius laudes, quàm laudantis culpa, tenuiter & ieiunè tractatas infuscari, atque inquinari. Et alioqui maioris videtur reuerentiæ, quod dignè laudari nõ potest, id silentio venerari potius, quàm eloqui: præsertim autem cùm nõ rarò accidat, vt, quæ quanta ipsa sunt, dici non potest, ea si dicantur, minora quàm sunt, rerum magnitudinem dicentis facultate metientibus, esse videantur. Verùm, vt cætera de Mose nunc taceantur, illud tamen in præsentia non est Vetustas Mosis.

D tacendum, in eius viri ætatẽ intuentibus, statim occurrere, & quasi lucere vetustatem huius operis: vnde plurimum ei non cõmendationis tantùm, sed etiam venerationis accedat. Etenim si nullã habet Græcia scriptionem poëmate Homeri antiquiorem, quod priori libro aduersus Apionem affirmat Iosephus: quis non videt quanta huius libri sit laus vetustatis, cuius auctor Moses quingentis annis Homerum Poëma Homeri omni scriptione Græcorum antiquius.

merum anteiuit? Eupolemus prodidit, (vt in libro decimo de Præparatione Euãgelica refert Eusebius) primum omnium litteras Iudæis tradidisse Mosem: à Iudæis accepisse eas Phœnices: à Phœnicibus ad Græcos Cadmum trãstulisse. Mosem verò lõge priorem fuisse Cadmo, veteres historias, & annales replicantibus nõ erit obscurum. Quanquã illud Eupolemi dictum de litteris genti Hebræorũ à Mose primùm traditis, nõ probat Augustinus in lib. 18. de Ciuitate Dei, c. 39. Quin vt linguam, ita quoque litteras Hebraicas ante Mosem fuisse censet. Augustini sententia fit Iosephi auctoritate probabilior: in primo enim lib. Iudaicarum originum scribit, nepotes Seth ante generalem illam orbis terrarum eluuionem, scientiã rerum cœlestium ab ipsis inuentam, ne vnquã casu aliquo periret, duabus in columnis, altera lapidea, altera lateritia litteris insculptam, consignatamq; reliquisse. Verùm antiquitas Mosis (persequamur enim, quod dicere sumus exorsi) ex comparatione aliorum scriptorum & sapientium, quicumq; apud alias gentes habiti sunt vetustissimi facile existimari potest.

Euseb. libro 10. de præp. Euang. c. 1.

An Moses litteras tradiderit Hebræis.

Iosephus libr. Anti. c. 3.

Socratem quidẽ certè, ex quo velut parẽte tot nobilium Philosophorum familiæ proseminatæ sunt, post nouissimos nostrorum Prophetarum, Zachariã, Aggæum, & Malachiã fuisse constat. Septẽ autẽ illi sapiẽtes, quorum princeps Thales primus in Græcia Philosophari cœpit, multò post eos prophetas, qui Maiores appellãtur, post Salomonẽ autẽ plus quadringẽtis annis floruerunt. Ex quo apparet & extat, iã propemodum canescente in populo Dei sapiẽtia, vix dum fuisse apud Græcos Philosophiæ incunabula. Nec verò Moses priscos tãtùm Gentiliũ poëtas, & Theologos Orpheum, Linum, & Musæum, Homero atque Hesiodo longè antiquiores, sed Mercurium etiam Philosophiæ apud

Socrates posterior nouissimis Prophetarum.

Septem Sapientes.

Aegy

A *Aegyptios principem, & inuentorem anteceſsit. Siquidem vt eo loco, quem paulo ſupra poſui, docet Auguſtinus, Mercurius qui Triſmegiſti cognomen inuenit, nepos fuit maioris Mercurij, cuius maternus auus Atlas Aſtrologus & æqualis Promethei, eo tempore floruit, quo tempore vixit Moſes. Quid plura? qui Græcorum hiſtorias & annales, cum diuinarum litterarum hiſtoria & chronologia, diligenter & ſubtiliter cõpararunt, ab his verisſimè obſeruatum & proditũ eſt, Moſem æqualem fuiſſe Cecropis primi*

Mercurius Triſmegiſtus poſterior Moſe.

B *Athenienſium regis. quæcumque autẽ à Græcis memorãda, mirandaq; vel de claris hominibus, vel de Heroibus, atque etiam diis ipſorum, aut hiſtoriis tradita, aut fabuloſis celebrata miraculis narrãtur, ea omnia liquet poſt Cecropẽ extitiſſe. poſt Cecropem namque fuit Deucalionis diluuium, Phaëthõtis incendium, Proſerpinæ, & Europæ raptus, Cereris myſteria, & partus Apollinis. poſt Cecropem Cadmus*

Moſes æqualis fuit Cecropis, & multis deorum antiquior.

C *Thebas condidit, primúſq; litteras à Phœnicibus acceptas Græcis tradidit: Dionyſius, ſeu Liber pater Indos ſubegit, Orientemq; domuit, Minos leges, ſcriptorũ præconiis nobilitatas, Cretenſibus dedit, Aeſculapius medicinæ gloria excelluit, honores etiã diuinos conſecutus. poſt Cecropem Perſei victoriæ, Theſæi acta, Herculiſq; labores celebrantur, & Poëtæ, à quibus profluxit Græcorũ Theologia, Amphiõ, Linus, Orpheus, & Muſæus floruerunt. Non ero longior.*

D *X L. poſt Cecropem annis bellum Troianum geſtum eſt, eoq; minimùm 100. annis poſterior fuit Homerus.*

Ex his palam eſt, Moſem, qui Cecropi ſynchronos fuit omnium, quorum nunc extant ſcripta, vel quorum nomen in Gẽtilium ſcriptis proditũ ſit, primum fuiſſe Theologum, Philoſophum, Poëtam, & Hiſtoricum. Et fuiſſe eum præſtãtiſsimum Theologum, tribus ex rebus planiſsimè intelligitur.

Moſẽ ſummum fuiſſe Theologũ, philoſophũ, poëtam, & hiſtoricum.

gitur. Primùm, quia frequentissimos eosq; familiarissimos A
atque intimos cũ Deo sermones habuit, cũ ipso quasi amicus cum amico loqui, & ex eius loqui ore, secretissima eius consilia cognoscere solitus. Deinde quia monstrauit nobis, qualem esse Deum existimare oporteat, vnum nempe, optimum, Maximum, omnipotentem, mundi conditorem, atque rectorem, omniumq; rerum sciẽtissimum & prouidentissimum administratorem. Ad extremum quia Hebræum populum docuit, qua pietate & religione, quibusq; cæremo- B
niis Deus ritè colendus, & venerandus esset: quibus item piacularibus victimis & sacrificiis, iram Dei mitigare, elicere misericordiam, auxilium euocare, veniam denique sceleribus impetrare posset.

Quàm autẽ eximius Philosophus fuerit Moses, nemini qui vel hunc modò librum legerit, dubium esse potest: difficillimam quippe, ac nobilissimam Philosophiæ partẽ, eam dico, quæ est de mũdo & homine, hic liber, vt verissimè, ita C
grauiter & mirabiliter ab ipso descriptam & explicatam, continet. Atque hæc omnia Moses non à se conficta, non ab hominibus accepta, non naturæ vestigiis ductuq; indagata, sed ipso Deo indicante ac docente sibi patefacta & cognita, litterarum monumentis consignauit. Poëticæ verò laudis præstantiã duo eius elegãtissima carmina, seu can-
Exod. 15. Deut. 32. tica, quæ in libro Exodi & Deuteronomij leguntur, apertè declarant. vt taceam partẽ libri Iob non minimã pulcher- D
rima metri ratione ab ipso esse compositam. Quin grauissi-
Hieronym. epistol. 139. ad Cypria. mus auctor Hieronymus affirmat, esse Mosis vndecim Psalmos, qui in libro Psalmorũ, ab octogesimo octauo vsq; ad cẽtesimũ numerantur. Reliqua est historia: cuius prima virtus & præcipua laus veritas est, q̃ tanta est in historia Mosis, vt ne de vnius quidẽ verbi omniũ scriptorũ eius

veritate,

A veritate, fas sit ambigere. Eo præterea cæteris historicis præcelluit, quod lõgissimi temporis historiã scripsit: nã vsque à mundi exordio repetitã ad duo millia & quingentos annos pertexuit. Cæterũ de antiquitate Mosis, & virtutũ ipsius excellẽtia, dabitur nobis & alius prædicandi magis idoneus locus, & aliud ad dicendũ minus angustũ, restrictũq; tẽpus.

Sed vereor ne illa fortasse hoc loco lectorẽ subeat cogitatio, non esse Mosem huius libri auctorẽ, sed Esdram. Vetus

B quippe fama est, & opinio Irenæi libr. 3. c. 25. Tertulliani lib. de Habitu muliebri, Clementis Alexandrini 1. lib. Stromatum, Eusebij in Chronicis, B. Hieronymi in lib. aduersus Heluidium, aliorumq; nobilium scriptorũ auctoritate confirmata, quo tempore Hierosolyma capta sunt, ac funditus euersa à Chaldæis simul etiã tã Mosis libros, quàm cæteros omnes veteris Testamẽti fuisse incensos, posteà verò diuino memoriæ beneficio ac miraculo, fuisse eosdem ab Esdra renouatos,

C & pristinæ integritati redditos: quo fit, vt sacrorũ librorũ, quos nunc habemus, nõ Mosem sed Esdram scriptorem, & auctorem censeri oporteat. Verum hoc nihil habet difficultatis: nam quia Esdras nõ fecit, nec composuit nouos sacros libros, sed priores, ita vt fuerant, eisdem planè sententiis, ac verbis instaurauit, atque redintegrauit, propterea non ipse auctor sacrorum librorum, sed refector tantùm, ac restitutor existimari & appellari debet. Quãquam peruulgatæ illi, &

D antiquæ opinioni de sacris libris ad vnũ omnibus Chaldaico incendio deperditis, & multis post annis ab Esdra restitutis, nisi tot grauium virorũ obstaret auctoritas, procliuius esset contrãdicere, quàm assentiri. Dicam hoc loco, nõ enim lectori, opinor, id molestum accidet, quibus rationibus huius sententiæ fides si non omnino labefactari, & funditus euerti, non parum tamẽ eleuari, ac debilitari videatur. Ac primũ

Ab Esdras sacros omnes libros combustos renouauerit.

Non fuisse à Chaldæis combustos omnes sacros libros.

quidem nullo modo dubitandum est, librorum Mosis, cæterorum q; diuinæ scripturæ quàm plurima fuisse apud Iudæos exemplaria, præsertim autem penes sacerdotes, quorum in eo populo multa erant millia: his namque tum ad sacerdotalia munera ritè obeunda, tum ad docendũ populum, eiusq; lites, & controuersias conuenienter diuinæ legi diiudicandas ac dirimendas, diuinorum voluminum, maximè verò Mosis diligens & assidua lectio, pernecessaria erat. Fuisse autem permulta diuinorum voluminum exemplaria illo præterea argumento constat, quòd in priori lib. Machab. c. 1. scriptum est, ex mãdato regis Antiochi sacros omnes libros apud quoscunque Hebræorum reperiebantur, discissos esse, atque cõbustos, erant igitur multi, & variè dispersi: nec tãta eius regis tamen diligentia factũ est, vt omnes libri perirent. Namque post id temporis, in eodem lib. c. 3. legimus venisse Iudæos in Massipha, ibique ieiunauisse, & discissis vestibus induisse cilicia, & expãdisse libros legis. Quin aliquot annis post Ionathas in Epistola quã scripsit ad Spartiatas: Nos, inquit, cũ nullo horum indigeremus, habentes solatia sanctos libros, qui sunt in manibus nostris, &c. Et verò si omnia diuinæ scripturæ volumina fuissent tũc ab Antiocho combusta, vnde nam sacri libri, qui erãt tempore Domini nostri & Apostolorum, extitissent? an finget quispiam alterum quendam Esdram, à quo iterum sint illi refecti?

2. Machab. 12.

Quod si tempore Machabæorum cũ iussu regis Antiochi, qui crudelissimo dominatu omnẽ Iudæã oppressam tenebat, sacri libri summa cum diligentia conquirebãtur, omnibusq; vestigiis indagabãtur, & apud quoscunque inuenti essent, cremabantur; multi tamẽ ex illo incẽdio seruari sunt: quanto minus credibile est fuisse eos à Chaldæis omnes combustos: cum neque Chaldæos combussisse aliquos libros, neque comburere

A burere voluisse, vsquam scriptura testetur? Quinimo cum omnia, quæ Chaldæi captis Hierosolymis aut incenderunt, aut destruxerunt, aut Babylonem asportarunt, ea distinctè ac minutatim in quarto lib. Regum, in 2. Paralipomenõ, & apud Hieremiam commemorentur, de sacris tamen libris tunc cõbustis nulla prorsus vspiã in sacris litteris fit mentio. Non esset autem id tacitum, si esset factum, quemadmodum sacrorum voluminum combustio, quæ tempore Ma- 4. Reg. c. 25. 2. Paralipo. c. 36. Hier. c. 52.

B chabæorum facta est, in eorum libris expressè, ac disertè narratur. Adijce, quod non sit credibile Hieremiam, qui permissu regis Babylonis ex Chaldaico illo vrbis, & templi excidio, incendioq; arcam, altare incensi, & tabernaculum (vt scriptum est in secundo libro Machabæorum) eripuit, atque seruauit, non maiori cum studio & cura, certè minori labore, & difficultate diuinos libros, ne prorsus omnes interirent, fuisse conseruaturum. Quid? quod in illa vrbis & 2. Mach. 2.

C templi conflagratione non esse libros sacros à Chaldæis inflammatos & perditos, non minimum signum est, post illud tempus annis propè septuaginta, & plus octoginta ante Esdram, Danielem meminisse librorum Hieremiæ & Mosis, tanquam qui tunc salui, & integri essent; Iosephum quoque in libro vndecimo Iudaicarum antiquitatum narrare, Dan. 9. Ioseph. libr. 11. antiquit. cap. 1.

D Cyrum regem, ad donandam Iudæis libertatem, potestatemq; reficiendi templi, ostenso sibi Esaiæ libro à Iudæis, vel, vt Theodoretus tradit, ab ipso Daniele, in quo vates nominatim ipsi amplissimum imperium Dei verbis pollicebatur, esse permotum, erat igitur tempore Cyri, tot nempe annis post incendium Chaldæorum, & ante Esdram integer liber Isaiæ. Theodore. lib. 1. de fide. Esa. 45.

Non longum faciam: prædicti huius opinionis auctores, & sectatores nullo eam scripturæ testimonio, nulla ratione

firma, nulla vel probabili coniectura confirmant. Est sanè A
in lib. 4. Esdræ c. 14. nescio quid, vnde fortasse illi eam sententiam hauserunt: Inducitur enim Esdras Deo supplicans, vt quia lex eius incensa erat, ad eam renouandam Spiritum sanctum sibi impartiretur: & post hæc subijcitur, huic Esdræ petitioni fuisse à Deo satisfactum. Verum hoc inane ac futile est argumentum: quis enim nescit, librum illum esse apocryphum, & nullam eius libri esse apud Hebræos æquè, quàm apud Christianos fidē, & auctoritatem? Quan- B
quam non agit eo loco Esdras de restitutione diuinorū voluminum, sed de aliorum librorum scriptione, quibus videlicet contineretur interior quædam, & abditior, mystica q̄ librorum Mosis, & sacrarū rerum intelligētia, quàm nonnulli putant esse eam, quæ Cabalistica vulgo appellatur. Siquidem in eo ipso libro traditur, Esdram per quadraginta dies, quatuor, & ducentos libros scripsisse, quorum centum triginta quatuor in vulgus indicasse, ac publicasse, nouissimos autem septuaginta in publicum efferre Dei iussu esse C
prohibitum. Quo licet intelligere, quæ tradita sunt eo loco de libris ab Esdra scriptis ad refectionem diuinorum voluminum, qua de nūc agimus, nequaquam pertinere. Nec verò in præteritis relinquam, Athanasiū istiusmodi diuinæ scripturæ restitutionem tanto miraculo ab Esdra factam non intellexisse: nam cum is agit in Synopsi de libris Esdræ, ita scribit: Narratur & hoc de Esdra, cùm libri sacri per D
incuriam populi, & diuturnam captiuitatem perirent, ipsum, cùm esset vir industrius, & lector perdiligens, veriq́ue ac recti studiosissimus, eos omnes libros apud se custodiuisse, & posteà eos in commune protulisse, atque ita ab interitu quodammodo vindicatos conseruasse. Hæc dixi de hac opinione, non

auctori

A auctoritate censentis, sed disputantis libertate: neque enim tam volui inueteratæ, receptæq; opinioni aduersari, quàm, quid in ea videri possit vel obscurum, vel dubium, vel cum diuinis litteris parum congruens, vel denique nec pronum ad credendum, nec ad probandum facile, more disputantium indicare.

An Moses scripserit Pentateuchũ tale omnino, quale nunc est.

Illud etiam hoc loco in disputationem adduci potest, an
quales Mosis libros iam olim habemus, tales omnino sint ab
B *eo scripti, vt nihil in eis contineatur, quod non sit à Mose*
profectum, litterisq; mandatum? Non esse libros Pentateu-
chi, vt nunc sunt, ita scriptos à Mose, quidam eo argumento
colligunt, quod in cap. 21. libri Numerorum citatur liber
Bellorum Domini, Prouerbia item & Carmina, quæ post
Mosis tempora esse scripta, non est dubitandum, quin eo lo-
co, eorum prouerbiorum & carminum auctores, appellan-
tur Hebraicè Moschelim, hoc est, si verbũ de verbo Latinè
C *reddas, Parabolantes, seu Prouerbiantes: nempe qui figu-*
rata dictione, quæ Parabolis, & Prouerbiis constaret, tam
dicendo, quàm scribendo vtebantur. Quo licet intelligere,
fuisse eos argutos, & elegantes scriptores. Michal enim He-
bræis est genus dicendi, scribendiq; vrbanum, acutum, &
elegans. Nimirũ isti res maxime insignes, & memorabiles
populi Dei, partim ligata oratione, partim soluta scribebant
Ita censent alij. Ego, vt credam maximã Pentateuchi par-
Auctoris sententia.
D *tem esse Mosis adducor, tum consentiente omnium auctori-*
tate, tum etiam quod in sacris libris Exo. 17. & 24. & Deu-
teron. 31. multa in scriptis Mosen reliquisse comperio. Nec
leue argumentum eius rei est, quod Dominus noster dixit
Iudæis Ioan. 5. Si crederetis Moysi, crederetis forsitan & mihi: de me enim ille scripsit. Si autem illius litteris non creditis, quomodo verbis meis credetis?

Et apud Ioannem capite primo. Philippus dixit Nathanaeli: Quem scripsit Moyses in lege, & Prophetæ, inuenimus Iesum filium Ioseph à Nazareth. *Placet etiam mihi eorum sententia, qui existimant hoc Pentateuchum longo post Mosem tempore, interiectis multifariam, verborum & sententiarum clausulis, veluti sarcitum, & explicatius redditum, & ad continuandam historiæ seriem melius esse dispositũ. Illud quoque simillimũ vero est, fuisse in Synagoga priscis illis temporibus Diaria & Annales, in quibus res sacræ memorabiles, & ad sacræ doctrinæ propagationem vtiles scribebantur continuata serie, ab his, qui omni ætate eruditionis ac pietatis laude florebant, è quorum scriptis sumpta esse multa eorum, quæ nunc sunt in sacris libris, breuius tamen, & distinctius tradita, & in meliorem ordinem adducta, magno argumento est, quod sæpe in diuinis libris citantur alij libri, in quibus eædem res vberius narrabantur, qui libri omnes interciderunt: talis fuit liber Bellorum Domini, qui in cap. vigesimoprimo, libri Numerorum nominatur: liber item Iustorum, cuius in libro Iosue capite decimo, & in libro secundo Regum capite primo, fit mentio: commemorantur etiam in tertio libro Regum capite vndecimo, & decimo quarto liber Verborum dierum Salomonis, & liber de Actis Israël, & Regum Iuda, gesta quoque Dauidis à Samuele Nathã & Gad Prophetis conscripta, itemq; præclarum illud opus de omnibus quæ acta sunt regnante Dauide, tam in terra Israël, quàm in cunctis aliarum gentium regnis, quorum scriptorum extremis verbis prioris libri Paralipomenon habetur memoria: præterea libri Verborũ Nathan: liber Ahiæ Solonitis, visio Abdon cõtra Hieroboam, in secũdo Paralipomenon capite nono, sermones etiam Ozai de rebus Manassis regis in secundo Paralipomenon*

A B C D

Libri de rebus sacris olim scripti qui non extant.

A pomenon capite trigesimotertio, liber quoque Dierũ sacerdotij Ioannis Hyrcani extremo priori libro Machabæorum memorantur. Quid multa? auctor posterioris libri Machabæorum in eius libri capite secũdo fatetur, ꝟnum se in ꝟolumen coarctasse res gestas Iudæ Machabæi, quinque libris à Iasone Cyrenæo latius, & enucleatius expositas. Sed cur istiusmodi scripta in album diuinarum scripturarum non sint reposita, cùm alij eorundem auctorum libri in canonicis, & sacris habeantur, nec pauca sint in diuinis litteris ex illiusmodi scriptis exprompta, causam aliquam reperire cupiens Augustinus in 38. capite, libri 18. de Ciuitate Dei, ad hunc modum scribit: Cuius rei fateor, causa me latet, nisi quod ego existimo etiam ipsos, quibus ea, quæ in auctoritate religionis esse deberent, sanctus vtique Spiritus reuelabat, alia sicut homines historica diligentia, alia sicut Prophetas inspiratione diuina scribere potuisse, atque hæc ita fuisse distincta, vt illa tanquam ipsis, ista verò tanquam Deo per ipsos loquenti iudicarentur esse tribuenda, ac sic illa pertinerent ad vbertatem cognitionis, hæc ad religionis auctoritatem, in qua auctoritate custoditur canon. *Hactenus Augustinus.*

Cur supradicti libri non fuerint olim in sacratum scripturarũ numerum, & auctoritatẽ recepti.

B. Augustini sentẽtia.

Restat, ꝟt illud extremo huius præfationis loco aperiamus, ꝟnde Moses hanc de mundi opificio doctrinam, nulla ratione humana comprehensibilem, acceperit; & quo eam tempore litteris, scriptisq; mandauerit. Quæ scripsit Moses de mundi fabricatione, ea potuit ipse dupliciter habere cognita partim à Deo, lumine prophetico illustratus: quo lumine quæ occultissima sunt, atq; omnẽ humanæ intelligẽtiæ ꝟim & captũ excedũt, siue præsentia, siue futura siue præterita sint, manifesto cernuntur: partim doctus & eruditus à

Vnde Moses hanc de generatione mundi doctrinam acceperit.

maio

Fidelissima doctrinæ Mosaicę traditio ab Adamo vsque ad Mosem.

maioribus suis, ad quos eiusmodi rerum doctrina, inde ab A
Adamo vsque fidelissima posterorum traditione, quasi per
manus transmissa, & ad Mosen vsque perducta fuerat.
Etenim quæ in hoc libro scripsit Moses, potuit ea cognoscere
ipse de filiis, vel nepotibus Ioseph Patriarchæ, inter mortem
enim Ioseph, & ortum Mosis, anni non plures quattuor &
sexaginta interfuerunt. Ioseph autem eadem nosse potuit ex
patre suo Iacob: hic ex Isaac, qui didicit ex Abraham: hunc
verò, & Sem & Noë docere potuerunt: post ortum quippe B
ipsius Abrahæ octo & quinquaginta annos vixit Noë: Sē
autem per triginta tres annos, Abrahæ superstes fuit. Noë
porrò hāc ipsam doctrinam accipere potuit ab auo suo Ma-
thusalem, qui ad annum Noë sexcentesimum peruenit: quo-
niam autem simul cum Adamo ducentos & quadraginta
tres annos vixit Mathusalem, potuit ipsum Adamū sæpe-
numero & videre præsentem, & loquentem audire, & ab
eo plurima de rebus diuinis edoceri. Liquet igitur, quæ cōti- C
nentur hoc volumine, ea fuisse Mosi explorata & percepta,
tum diuina, tum humana ratione & vtraque quidem ve-
rissima & certissima sed priore tamē diuinam huic scriptu-
ræ fidem & auctoritatem adstruente: cui nimirum nec falsi
quicquam subesse posset, nec refragari, aut non credere cui-
quam fas esset.

Quo tēpore liber Geneseos scriptus sit à Mose.

Sed quo tempore hunc librum scripsit Moses? videlicet
ante decessum Hebræorū ex Aegypto. Hoc censuit Eusebius, D
& in libr. 7. de Præparatione euangelica cap. 2. non obscurè
indicauit, eiusdem rei duplicem ego, nec opinor non pro-
babilem, coniecturam habeo. Altera coniectura est, quod
Exod. 2. & 3. Moses Aegypto profugus per quadraginta annos in terra
Madian versatus est, vbi soceri sui gregem pascendi cu-
ram agens & otio & solitudine, duabus ad cōmentandum

scriben

A *scribendumq́ rebus maximè opportunis, ad res diuinas animo pertractandas, litterisque prodendas mirabiliter illectabatur. Altera coniectura est, scriptionem huius libri plurimum eo tempore conferre potuisse ad consolandos, & erigendos animos Hebræorum, qui id temporis diuturna, & prægraui Aegyptiorum seruitute oppressi tenebantur. Ponebat enim hic liber ante oculos, eorum qui Hebræi populi fuere principes, ac parentes, eximias virtutes, & res præ-*
B *clarè gestas, maximè verò in rebus aduersis inuicti animi magnitudinem, atque constantiam: scilicet Iudæi tam insignibus maiorum suorum patientiæ exemplis, & fiducia diuini auxilij, quod illos sæpe rebus planè desperatis expertos fuisse legebant, in illa suorum temporum acerbitate, & calamitate maiorem in modum sustentari, ac recreari poterant. Repræsentabat etiam hic liber eorum animis magnifica Dei oracula & promissa, & in primis illud, quo præ-*
C *dictum fuerat Abrahamo, fore, vt post ortum filij sui Isaac,* Gen. 15.
posteri eius quadringentorum annorum laboriosa peregrinatione, durissimaq́ seruitute afflictarentur: sed post eius temporis decursum, iri omnes mirabiliter liberatum, & promissæ optataq́ terræ Chananæorum possessione potituros: eius autem temporis finis iam tunc proximè aberat. His igitur argumentis fit, vt opinio Eusebij mihi quidem ad veritatis similitudinem propensior videatur. Sic enim eo loci,
D *quem paulò suprà posui, scribit Eusebius:* Primus apud Hebræos eximius ille Theologus Moses scripta reliquit, qui diuinitus, antequam leges poneret, maiorum vitas animis hominum impressit: ita bonorum præmiis, & impiorum suppliciis ad amplexandam virtutem, & fugiendam impietatem exhortatus, legem tandem in medium proposuit, iudicauit etiam, ne forte difficillima legis præcepta Iudæi ducerẽt, atque

ab illis resilirent, priscorum exemplа esse proponenda, A
vt omnibus pateret absque legum mandatis sola ratione nixos optimè maiores Iudæorum vixisse, atque ideo non fore ipsis difficile vitas illorum imitari, si paria diuinitus consequi præmia desiderarent. *Sic Eusebius.*

Opinio Theodoreti, Bedæ Tostati.

At verò Theodoretus in quæstione prima earum quæstionum, quas scripsit in Genesim, & Tostatus super 13. cap. Geneseos quæst. 132. opinantur, scriptum esse librum hunc à B
Mose post legem Hebræis latam, quo nimirum tempore Moses cum Hebræis, quorum Dux erat, in solitudine versabatur. Bedam quoque in eadem sententia licet ponere, cui opinioni fides duobus argumentis potest adstrui, etenim Moses in 2. capite huius libri ait, Deum quod in die septima requieuit ab omnibus operibus, quæ fecerat in mundi fabrica, propterea benedixisse ei diei, ipsumq; sanctificasse: quæ benedictio & sanctificatio non est profecto aliud, quàm vacatio ab omni labore, & opere seruili, quæ in vsu esse cæpit apud Iudæos post legem à Deo ipsis datam. Ex quo intelligitur, cùm illud scripsit Moses, proculdubio eũ spectasse tempus iam promulgatæ legis, quo nimirum tempore librum hunc ipse scribebat. Deinde in 7. cap. libri Geneseos, Noë, iussu Dei, septena de mũdis animalibus, bina verò ex immundis in arcam intulit: distinctio autem mundorum, & im- C D
Leui. 11. & Deute. 14.
mundorum animalium, per legem Hebræis est cognita & constituta: quoniam igitur septena illa animalia erant de genere eorum, quæ posteà per legem declarata sunt munda, bina verò ex eorum numero, quæ lex ostendit esse immunda, propterea Moses habito ad id temporis respectu, quo librum Geneseos scribebat, scilicet post legem Hebræis latam, quo tempore distinctio mundorum, immundorúmve animaliũ erat illis notissima, rectè appellauit septena illa mun-

da, bina

A da, bina immunda, nempe vsus figura anticipationis, in sacris litteris satis frequenti. Atque hac duplici ratione opinio hæc Theodoreti, Bedæ, & Tostati confirmatur, sed neutra profecto admodum firma ratio est, facileq; repelli potest. Dicetur enim, multa quæ per legem Mosaicam cõstituta sunt, etiam ante legem fuisse in more, & vsu apud probos & religiosos viros, non quidem lege aliqua Dei præceptoq; sancita, sed ex maiorum traditione, vel vsque ab Adamo, vel B certè ab eius nepote Enos, cuius tempore cæptum esse dicitur inuocari nomen Domini, profecta. Quo fit, vt longè ante Mosaicam legem in sacris litteris legamus fuisse in vsu constructiones altarium, & oblationes, certosq; ritus sacrificiorum, vota item & decimas, abstinentiam quoque à sanguine & suffocato: necnon & suscitationem seminis fratris, qui sine liberis esset mortuus. Quare in horum numero etiam sabbati obseruantia, & distinctio mundorum atque C immundorum animalium esse potuit, quamobrem licet vtraque hæc opinio sit probabilis, mihi tamẽ prior, quam dixi placuisse Eusebio, videtur probabilior. Verum nos pauca hæc præfati, ad explanandum mundi opificium per sex dies à Deo consummatum, quod Moses vt verissimè, ita breuissimè descripsit, aggrediamur: ciúsque rei tractatu primum horum commentariorum volumen D consumamus.

***

multa quę lege Mosis sãcita sũt fuisse ante in vsu, & cultu apud veteres Patriarchás. Gen. 4.

A

HISTORIA MOSIS, QVÆ HOC PRIMO COMMENTARIORVM VOLVMINE EXPLANATVR.

B

EX CAPITE PRIMO GENESEOS.

IN PRINCIPIO creauit Deus Cœlum & terram. Terra autem erat inanis & vacua, & tenebræ erant super faciem abyssi: & Spiritus Domini ferebatur super aquas. Dixitque Deus. Fiat lux. Et facta est lux. Et vidit Deus lucem C quòd esset bona: & diuisit lucem à tenebris. Appellauitque lucem, diem; & tenebras, noctem: factúmque est vespere & mane dies vnus. Dixit quoque Deus, Fiat firmamentum in medio aquarum; & diuidat aquas ab aquis. Et fecit Deus firmamentum, diuisitque aquas, quæ erant sub firmamento, ab his quæ erant super firmamentum. Et factum est ita. Vocauitque Deus firmamentum Cœlum: & factum est vespere & mane dies secundus. Dixit verò Deus, Congregentur aquæ, quæ sub Cœlo sunt, in locum vnum; & appareat arida. Et factum est ita. Et vocauit Deus aridam, terram; congregationésque aquarum appellauit maria. Et vidit Deus quòd esset bonum, & ait, Germinet terra herbam virentem, & facientem semen, & lignum pomiferum faciens fructum iuxta genus suum, cuius semen in semetipso sit super terram. Et factum est ita. Et protulit terra herbam virentem, & facientem semen iuxta genus suum, lignúmque faciens fructum, & habens vnumquodque sementem secundum speciem suam: Et vidit Deus quod esset bonum. Et factum est vespere & mane dies tertius. Dixit autē Deus. Fiant

D

lumi

A luminaria in firmamento Cœli, & diuidant diem ac noctem: & sint in signa, & tempora, & dies, & annos, vt luceant in firmamento Cœli, & illuminent terram. Et factum est ita. Fecitque Deus duo luminaria magna: luminare maius, vt præesset diei, & luminare minus vt præesset nocti, & stellas. Et posuit eas in firmamento Cœli, vt lucerent super terram. Et præessent diei ac nocti, & diuiderent lucem ac tenebras. Et vidit Deus quod esset bonum. Et factum est vespere & mane dies quartus. Dixit etiam Deus, Producant aquæ reptile animæ viuentis, & volatile super terram sub firmamento Cœli. Creauitque Deus cete
B grandia, & omnem animam viuentem, atque motabilem, quam produxerant aquæ in species suas & omne volatile secundum genus suum. Et vidit Deus quod esset bonum: Benedixitque eis, dicens, Crescite & multiplicamini, & replete aquas maris: auesque multiplicentur super terram. Et factum est vespere & mane dies quintus. Dixit quoque Deus. Producat terra animam viuentem in genere suo, & reptilia, & bestias terræ secundum species suas. Factumque est ita. Et fecit Deus bestias terræ iuxta species suas, & iumenta, & omne reptile terræ in genere
C suo. Viditque Deus cuncta quæ fecerat, & erant valde bona. Et factum est vespere, & mane dies sextus.

EX CAPITE SECVNDO GENESEOS.

IGITVR perfecti sunt Cœli, & terra, & omnis ornatus eorum: Compleuitq; Deus die septimo opus suum, quod fecerat: & requieuit die septimo ab vniuerso opere quod patrarat. Et benedixit diei septimo, & sanctificauit illum: quia in ipso cessauerat ab omni opere
D suo, quod creauit Deus vt faceret. Istæ sunt generationes Cęli & terræ, quando creatæ sunt, in die quo fecit Dominus Deus Cœlum, & terram, & omne virgultum agri, antequam oriretur in terra, omnemque herbam regionis priusquam germinaret: non enim pluerat Dominus Deus super terram, & homo non erat qui operaretur terram: sed fons ascendebat è terra, irrigans vniuersam superficiem terræ.

A

TRADVNTVR QVATVOR REGVLÆ, QVIBVS FACILE IVDICARI POSSIT, DE VARIIS AVCTORVM HANC MOSIS DE generatione Mundi doctrinam explanantium interpretationibus, quæ vera aut falsa sit, & quæ sit magis minús-ve probabilis interpretatio.

***

B

DESCRIBITVR à Moſe in exordio huius libri origo & fabrica huius mũdi corporati & aſpectabilis & oſtenditur quemadmodum à Deo per ſex dies particulatim cõditus, diſpoſitus, & exornatus fuerit, cuius deſcriptionis, & narrationis Moſaicæ apud ſcriptores tam veteris, quàm recentis memoriæ vix dici poteſt, quàm multæ ſint, atque diſcrepantes interpretationes, quarum aliquæ ſunt falſæ, nonnullæ vix probabiles: quædam etiam ad turpiter errandum lubricæ ac præcipites. Quare, vt lector errores omnes (quoad eius fieri poſſit) præcauere, & certam atque compendiariam viam inueſtigandæ reperiendæque veritatis inſiſtere queat, ſubiiciam hoc loco breues aliquot regulas, ad quas explorare, & diiudicare valeat, quæ interpretatio ſit bona, aut mala, quæ propoſito & verbis Moſis congruens, aut diſcrepans, & de multis non reprobandis, quæ ſit magis minúſve probanda.

C

Narrationem Moſis eſſe hiſtoricã & ſecũdum hiſtoricum ſenſum interpretandã Auguſtinus. lib 8. de Gen. ad lit. cap 1.

PRIMA regula: *Doctrina Moſis, quæ de creatione mundi traditur, eſt planè hiſtorica.* Narrat enim Moſes mundum factum eſſe à Deo ex aliquo certo temporis initio; nec totum ſimul puncto temporis eſſe conditum, ſed per partes ſpatio ſex dierum eſſe fabricatum. Confirmat hanc regulam Beatus Auguſtinus initio libri octaui de Geneſi ad litteram, ita ſcribens: *Narratio Moſis in libro Geneſeos, non eſt genus locutionis figuratarum rerum, ſicut in Cantico Canticorum, ſed eſt expoſitio rerum omino geſtarum, ſicut in Regnorum libris, & cæteris eiuſmodi. Sed quia in his ea dicuntur, quæ vitæ humanæ vſus notiſſimus habet: non difficilè immo promptiſſimè primitus accipiuntur ad litteram: in libro autem Geneſeos, quòd ea dicuntur, quæ vſitatum naturæ curſum intuentibus non occurrant, propterea nolunt quidam ea propriè, ſed figuratè dicta intelligi: atque ex illo loco putant incipere*

D

pere

A *pere historicam narrationem huius libri, ex quo dimissi de Paradiso Adam & Eua conuenerunt, ntque genuerunt, quasi verò vsitatum nobis sit, vel quod tot annos illi vixerunt, vel quod Henoch translatus est, vel quod grandæua, & sterilis Sara filium peperit, & cætera huiusce modi.* Hæc Augustinus.

Ex his perspicuè intelligitur, si narratio Mosis est historica, consequens esse, vt is proprius & germanus, atque, vt vocant, litteralis sensus sit verborum Mosis, quem reddunt verba eius secundum propriam, & vulgo vsitatam eorum significationẽ accepta. Si enim Moses Historicè scripsit, proculdubio id docere voluit, quod verba eius propriè sumpta declarant, quare eorum interpretatio maximè laudanda & probanda est, qui, quæcumque à Mose traduntur hoc loco, sedulò curant, vt verba ipsa sonant & præseferunt, interpretari. Atque

B huius rei testem, & approbatorem exeitabo Augustinum, qui libri octaui de Genesi ad litteram c. 2. partim corrigens quæ scripserat super Genesim in duobus libris contra Manichæos, quod non historicum, sed figuratum & mysticum interpretationis genus in illis secutus esset; partim ostendens sibi in iis libris, quos posterius, ætate & doctrina maturior, & in studio sacratum litterarum exercitatior scribebat, cordi & curæ fore, vt expositionem sententiæ verborum inhærentem, quoad posset, sequeretur, ad hunc modum scribit: *Scripsi ego contra Manichæos duos libros super Genesim recenti tempore conuersionis meæ: & quia non occurrebant mihi tunc omnia quemadmodum propriè possent accipi, quid figuratè significarent ea, quæ ad litteram non potui inuenire, quamta valui*

C *breuitate & perspicuitate explicaui, memor tamen quid maximè voluerim, nec potuerim, vt non figuratè, sed propriè primitus cuncta intelligerentur: nec omnino desperans etiam sic posse intelligi, id ipsum in prima parte secundi libri,* (hoc est, in c. 2.) *Ita posui: Quisquis voluerit omnia, quæ dicta sunt à Mose secundum litteram accipere; nec aliter intelligere quàm littera sonat; idq; citra vllam fidei iniuriam faciat, non solum ei non est inuidendum, sed præcipuus, multumq; laudabilis intellector habendus est. hæc tum dixi. Nunc autem quia voluit Dominus, vt ea diligentius intuens atque considerans non frustra, quantum opinor, existimarem etiam per me posse secundum propriam, non autem secundum allegoricam locutionem hæc dicta esse à Mose demonstrari, sicut ea quæ superius voluimus ostendere, sic etiam quæ sequuntur de Paradiso perscrutemur.* Hactenus Augustinus.

Sensus litteralis proprius & germanus Mosis sensus.

D Verum nihil est quod hanc regulam & fortius confirmet, & luculentius illustret, quàm quod scribit in eam sententiã Basilivs, Origenem, tacito tamen eius nomine, reprehendens, Is enim in tertia Homilia super Genesim, cum cõmemorasset opinionem Origenis intelligentis per aquas supercœlestes, bonos Angelos per sublunares verò aquas, malos Spiritus, subdit ea quæ sequuntur: *Et quidem isti, ait, prætextu anagogici sensus, & sublimioris intelligentiæ, ad allegorias transferunt omnia: nos vero hisce interpretationibus, vt quæ somniis & anilibus fabulis similes sunt, relegatis, nomine aquæ intelligamus veram aquam, & cæteras res similiter.*

Valde obseruanda Basilij sententia.

In exordio autem nonæ Homiliæ super Genesim similia dicit

dicit, & paulò etiam illustriora, *Noui*, ait, *Leges allegoriarum, & si non* A
à me inuentas, ab aliis tamen elaboratas teneo: nam qui non acceptant sententias scripturæ communes, hi aquam non vt aquam accipiunt, sed vt aliam quandam naturam, & piscem, & herbam, & alia ad id, quod ipsis videtur, suas retorquent interpretationes: similiter vt somniorum interpretes, qui ad id respicientes, quod sibi proposuerunt, somniorum interpretationes fingere solent. Ego verò cum fœnum audio, fœnum intelligo, & stirpem, & piscem, & feram, & iumentum, omnia, vt dicta sunt, ita accipio. Sic Basilius. Et Beda super Exhameron exponens illa verba: *In principio creauit Deus Cœlum & terram. Diligenter*, inquit, *intuendum est, vt ita quisque sensibus allegoricis studium impendat, quatenus apertam historiæ fidem allegorizando non derelinquat.* Videtur etiam Augustinum censura hæc, sanè verissima, quodam- B
modo attingere. Siquidem is verba Mosis, quæ propriè significant res corporeas, vt Cœlum, lux, tenebræ, dies, nox, mane, & vespera, à propria earum significatione ad expositionem, & intelligentiam rerum spiritalium, quasi figuratè accipi debeant, sæpe traducit. Adiicio vnum hoc, velut clausulam huius regulæ; si, quæ tradit Moses hoc loco, non historicè ac propriè, sed figuratè & allegoricè sint accipienda, fore, vt ex Mose aut nullam, aut certè non stabilem, ratam certamque habeamus de mundi origine & effectione doctrinam, cùm tamen, quam ea de re tenet Ecclesia Catholica, quamque in fidei articulos retulit, ex hoc potissimum libro Mosis acceperit. Etenim sensus Mysticus & allegoricus, præterquam quod non est ad docendum quippiam, probandumque satis idoneus & firmus, C
est etiam varius, multiplex, & incertus, tantaque in varietate constitutus, quanta est hominum ad eos sensus fingendos solertia, & vbertas ingenij.

Non esse sine necessaria causa confugiendum ad miracula & absolutam omnipotentiam.

Secvnda regula. *In hac Mosis doctrina tractanda & explicanda, non est sine causa recurrendum ad miracula, & ad potentiam Dei absolutam,* sicut inscienter, & ineptè faciunt nonnulli, qui cum opinionis suæ rationem idoneam & probabilem reddere non possint quasi ad asylum, confugiunt ad miracula & omnipotentiam Dei. Etenim in prima rerum omnium molitione & mundi fabricatione, nequaquam spectandum est, quid simpliciter & absolutè Deus facere potuerit, sed quid eum fecisse consentaneum sit eius sapientiæ, & quid naturalis ipsarum rerum vis, dispositio, & conuenientia deposcat. Hanc D
regulam vt satis per se manifestam, & cuiuis sanæ mentis probabilem, non aliter confirmabo, quàm vnico Augustini testimonio: is enim initio libri secundi de Genesi ad litteram, de aquis, quæ super firmamentum sunt disputans, docet eos, qui super cœlum aquas esse posse negant, non esse miraculis & omnipotentia Dei confutandos,

August. lib. 2. de Genes. ad litteram ca. 2.

& tanquam obruendos. Sic enim ait: *Nec quisquam istos ita debet refellere, vt dicat secundum omnipotentiam Dei, cui cuncta sunt possibilia, oportere nos credere tales esse aquas super cœlos quales sunt super terram, nunc enim quemadmodum Deus instituerit naturas rerum, secundum scripturas*

eius

A *eius nos quærere conuenit: non autem quid ipse in eis vel ex eis ad miraculum omnipotentiæ suæ velit operari.*

Fugienda est pertinax propriæ opinionis defensio.

TERTIA regula. *Cauendum est, ne quam quisque semel adamauit & amplexus est sententiam, eam non modo teneat mordicus, & præfractè defendat sed etiam contendat ita esse scripturæ propriam, vt aliam quamlibet suæ vel aduersam, vel diuersam, clamet scripturæ esse contrariam.* Malè enim de scriptura merentur, qui eam, quæ per se latissimè patet, & variarum sententiarum, atque interpretationum est capax, ad suæ opinionis & ingenij angustias coarctare, & coangustare volunt. Audiant isti Augustinum in cap. 18. libr. 1. de Genesi ad litteram ita scribentem: *Si quis locus scripturæ obscurus & difficilis, varias sententias & expo-*

B *sitiones salua fide Catholica, potest admittere: nulla earum ita temere, & obstinatè tenenda est, tanquam scripturæ propria: vt si fortè diligentius discussa veritas eam rectè labefactauerit, nos corruamus, non pro sententia scripturæ, sed pro nostra ita dimicantes, vt eam velimus scripturæ esse, quæ nostra est; cum potius eam, quæ scripturarum esse comperta fuerit, nostram esse velle debeamus.*

Quæ traduntur in sacris litteris, humanarum doctrinarum veris rationibus & experimentis contraria esse non posse.

QVARTA regula. *Illud etiam diligenter cauendum, & omnino fugiendum est, ne in tractanda Mosis doctrina, quicquam affirmatè & asseueranter sentiamus, & dicamus quod repugnet manifestis experimentis, & rationibus philosophiæ, vel aliarum disciplinarum:* namque cùm verum

C omne semper cum vero congruat, non potest veritas sacrarum litterarum, veris rationibus & experimentis humanarum doctrinarum esse contraria. Hoc & acutè vidit Augustinus, & admonere nos voluit: eodem enim illo libro, quem proximè posui, capit. 21. ad hunc modũ scribit: *Hoc indubitanter tenendum est, vt quicquid sapientes huius mundi de natura rerum veraciter demonstrare potuerint, ostendamus nostris litteris non esse contrarium quicquid autem illi in suis voluminibus contrarium sacris litteris docent, sine vlla dubitatione credamus id falsissimum esse, & quoquo modo possumus, etiam ostendamus: atque ita teneamus fidem Domini nostri, in quo sunt abscónditi omnes thesauri sapientiæ, vt neque falsæ Philosophiæ loquacitate seducamur, neque simulatæ religionis superstitione terreamur.* Ad hanc regulam si exigamus, & expendamus nonnullas quorundam interpretum opiniones, planè respuendas atque

D reiiciendas esse intelligemus. Exempli causa: Origenes, Lactantius, Procopius Gazęus, Chrysostomus, & quidam alij censent secundum scripturam cœlum non esse rotundum, esse immobile: moueri stellas per cœlum, vt pisces per aquam, & aues per aërem: non esse Antipodas: aquam maris esse multis partibus sublimiorem, celsissimis etiam terræ montibus: quæ tamen falsa esse omnia, manifestis experimentis, necessariisque rationibus nunc constat.

Obseruanda B. Augustini sententia.

PONAM hic grauissimam ea de re Augustini sententiam. is Epistola 7. ad Marcellinum ita scribit: *Si ratio contra diuinarum scripturarum auctoritatem redditur, quamlibet acuta sit, fallitur verisimilitudine; nam vera esse nõ potest: rursus si manifesta certaq; rationis, velut sanctarum*

scripturarum obiicitur auctoritas, non intelligit qui hoc facit: & non scripturæ A
sensum, ad quem penetrare nõ potuit, sed suum potius obiicit veritati: nec quod
in ea, sed quòd in se ipso velut pro ea inuenit opponit. Hæc Augustinus.

Sed vt quidam sunt infensissimi Philosophiæ, ac bonis disciplinis, cásque putant studio sacratum litterarum prodesse: nihil obstare autem, & obesse plurimum. ita ex aduerso sunt alij vsq; adeo insani amatores, & stupidi admiratores antiquorũ poëtarum & philosophorum, vt omnia eorum dicta existimẽt oracula: & quæcunq; Moses in hoc libro Geneseos breuissimè docuit, ea contendant ab illis fuisse non obscurè cognita vberius etiam explicata, ornatiúsque tractata. Itaque Mosis sententias ad illorum dogmata confirmanda & persuadenda, & illorum dicta, ad Mosis doctrinam illustrandam B
& exornandam, subtiliter & minutatim accommodare conantur. Equidem non sum nescius visum esse olim multis Ecclesiæ Patribus & doctoribus, veteres Gentilium poëtas & Philosophos, è fontibus Mosis hortos suos irrigasse, hoc est, plurima è scriptis eius in suos libros transtulisse: quæ postea illi, vel vt furtum celarent, vel quòd ea non benè intelligerent, admixtis fabulis & erroribus deformarunt, atque contaminarunt. Ego tamen (dicam enim liberè quod sentio) nunquam probaui nimis curiosum studium, & diligentiam eorum, qui sententias Mosis quoquo modo trahunt, & detorquent ad Philosophorum & poëtarum, vel decreta, vel etiam fabulas, vt Orphei, Homeri, Mercurij Trismegisti, Pythagoræ, Platonis, quinetiam Aristotelis. Hoc, mihi quidem certè, diuinæ scripturæ C
dignitati & maiestati, valde alienum & indecorum videtur: infuscat enim cœlestem eius splendorem, puritatem inquinat, sanctitatémque profanat ac polluit, & fidem diuinitatis eius non parum eleuat. Atque hanc ob causam à multis minus probatur Augustinus Eugubinus in sua Cosmopœia, & in libris de Perenni Philosophia. In hãc bonorum & doctorum hominum offensionem atque reprehensionem incurrit etiam Ioannes Picus Mirandulanus; qui tertium & vigesimum natus annum, super primum caput Geneseos Heptaplum composuit, in quo septem nouas expositiones doctrinæ Mosis de Operibus sex dierum, à nullo priorum scriptorum tentatas, à se autem primo cogitatas, inuentas, elaboratas, perfectásque pertractauit. Sed liber ille habet quidem speciem prodigiosi ingenij, & admirandæ in illa ætate eruditionis: ad doctrinam autem Mosis interpretandam & intelligendam, parum conducit. Refert Sixtus Senensis in libro quarto Bibliothecæ sanctæ, se, cum esset Romæ, quęsisse ex Aloysio Lippomano, qui tum recens ediderat Catenam in Genesim; cur inter alios tam multos scriptores & interpretes libri Geneseos quos in illa Catena commemorauerat, nullam Mirandulani fecisset mentionem: respondisse autem illum, se in conficienda Catena, eorum elegisse commentarios & interpretationes, qui Mosis verba & sententias, suis commentationibus explicare voluisse vide

Mosis dicta ad poëtarum & Philosophorum sententias nõ detorquenda.

Animaduersio in Picum Mirãdulanũ.

Lippomanus cur in sua Catena de Pico nihil inseruerit.

A se videbantur, quoniam autem animaduerterat Picum in eo vno laborasse, vt Pythagoræ, Platonis, Aristotelis, aliorúmque Philosophorum inuenta & dogmata, vel suas potius cogitationes, dictis & sententiis Mosaicis exprimeret & ornaret, statuisse, nullam sibi illius viri in suo opere habendam esse rationem. Sed fuit nihilominus vir ille magnus & omni æuo admirandus, cui si lõgior vita contigisset, sicut maximam sui admirationem & expectationem commouit apud omnes, ita profectò & sibi gloriam immortalẽ, & summum Italiæ decus atque ornamentum, & optimis quibusque studiis & disciplinis, ingentem vtilitatem attulisset. Nolo plures regulas colligendo, cùm prædictæ satis esse possint, fatigare lectorem.

Epilogus superioris disputationis.

B ERGO (vt locum hunc tandem concludam) cum multæ, ac variæ interpretationes doctrinę Mosis se offerent lectori, eam ipse probabiliorem cæteris, meliorémque decernat, quæ est proposito & instituto Mosis accommodatior atque congruentior, quæ magis inhæret sententiæ verborum, magísque conseruat propriam vocabulorum significationem & vsum: quæ planior est & facilior ad intelligendũ etiam non admodum doctis hominibus: quæ congruit cum consuetudine loquendi scripturæ, nec affingit Mosi locutiones in sacris litteris inusitatas: quæ commodè elicitur ex aliis scripturæ locis, vbi iisdem agitur de rebus, eadémque doctrina traditur: quæ sine causa non confugit ad miracula & omnipotentiam Dei: quæ nihil tradit alienum & dissentaneum sapientiæ Dei, & pietati nostræ fidei: quæ

C nihil habet repugnans manifestis experimentis & rationibus, quæ in Philosophia, cæterísque doctrinis humanis traduntur: quæ talis est, vt per eam, vniuersam doctrinam Mosis benè sibi constare, & pulchrè secundum omnes partes suas cohærere appareat: postremo quæ non sit tum propter nouitatem, tum quod abhorreat: ab interpretatione & sententia Patrum, ab antiqua traditione, à communi Ecclesiæ, & populi Christiani sensu, suspecta, In quo valde offendit doctos & pios viros, quod Caietanus initio Commentariorum suorum in Genesim præfatur his verbis: *Si quando occurrerit aliquis sensus textui consonus, quamuis, à torrente Doctorum alienus, Lector æquum se præbeat censorem, nulliúsque detestetur illum ex hoc, quod dissonat à priscis*

Audax & correctione digna Caietani sententia.

D *doctoribus: non enim allig auit Deus expositionem Scripturæ priscorum doctorum sensibus, alioquin ipes nobis tolleretur exponendi Scripturam, nisi transferendo (vt aiunt) de lidio in quinternum,* Sic Caietanus. Qui quod præfatus est audacter, præstitit abundè: quam etiam ob causam in huius libri expositione nonnullos in errores, & quidem graues lapsus est.

*

A

In principio.

HOc multis & variis modis, sed duobus meo iudicio, aptius & melius interpretari licet. Primo vt *In principio* significet, ante alia omnia, quemadmodũ cũ ædificaturus domũ, in principio & ante alia bonũ substruit, & supponit fundamentum, ita Deus in fabricando mundo, in principio & ante alia condidit Cœlum & terram, velut duas principes mundi partes, quæ cęteras ordine naturæ necessario antecedunt. Hac significatione non semel ea dictio vsurpatur in scriptura, velut apud Dauidem in Psalmo 101. *Initio tu Domine terram fundasti, & opera manuum tuarum sunt cœli.* & apud Salomonem. Prouerb. 8. *Dominus possedit me in initio viarum suarum, antequam quicquam faceret.* Altero modo hoc quod est, *in principio*, significat, Ab aliquo initio temporis, vt significetur mundum non semper fuisse, Deúmque fecisse, vt mundus, qui ex æternitate nullus fuerat, repente, tum nimirum quando ei libuit, primum esse inciperet. Et certè non solum multis apprimè doctis, & nobilibus scriptoribus hæc placuit interpretatio, sed etiam tam olim Synagoga, quàm postea Ecclesia ex hoc loco Mosis intellexit, & probauit, nouam fuisse, & ab aliquo temporis initio generationem mundi. Ac licet vtramque hanc interpretationem maximè probem, posteriorem tamen in præsentia subtilius tractandam mihi proposui. Ex qua duo elici obseruauit Basilius: alterum, ex hac doctrina Mosis perspicuè intelligi mundum non esse æternum, sed aliquando ortus sui habuisse initium: alterum, etiam cognosci antiquitatem mundi, vt ratio iniri queat inueniendi, quantum à nostra ætate mundi distet exordium, eius veluti æui annos omnes retroactos computando. In vtroque Ethnici aberrarunt à verò. etenim quidam censuerunt mundum esse sempiternum: alij, cœpisse quidem illum aliquando putauerunt, quam plurimas tamen myriades annorum, & propè innumera retrolapsa sæcula finxerunt, vtrumque errorem statui hoc loco, aliquot velut rationum machinis adhibitis, funditus demoliri. ac primo quidem ad priorem euertendum aggrediar.

B

C

Basil. homil. 1. in Hexa.

D

NON fuit omni tempore vna eademq; omnium philosophorum atque gentium de mundi origine sententia. Alij mundi ortũ & originẽ agnouerunt: alij, qualis nunc cernitur mundus, talem fuisse in æterno præteriti temporis spatio existimauerunt. Quamobrem Aristoteles primo libro Topicorum, quæstionem vtrum mundus sit æternus necne, fecit problema Dialecticum: quod tum propter auctoritates contraria sentientium, tum propter contrariarũ rationum probabilitatem, in vtramque partem probabiliter agitari & disceptari possit. Verumtamen pauciſſimi fuere propugnatores æternitatis, si

Aristot. lib. 1. Top. cap. 1.

A tis, si cum eius oppugnatoribus comparentur, etenim mundum non semper fuisse præter vnum philosophorum Aristotelem, vnámque Chaldæorum gentem, concors fuit ferè omnium sententia, non sapientum modo assensu, sed etiam indoctorum hominum quasi tacito naturæ quodam sensu, iudicióque comprobata. Quem omnium consensum (tanta est rei euidentia) ne Aristoteles quidem, qui obnixissimè conatus est huic sententiæ obsistere, inficiari potuit, namque is 1. lib. de Cœlo, text. 102. Omnes, inquit, mundum generant: atqui, vt ipsemet initio primi libri Topicorum docet, Quod videtur omnibus, aut plurimis, aut sapientibus, id probabile esse censendum est. Nec sanè de nihilo est, quod in hanc opinionem consensere omnes: tanta enim hominum consensio, quid aliud est, quàm clarissima na-

B turæ vox? quàm naturalis quædam notio, sensúsque veritatis à Deo hominum animis mentibúsque impressus, & certissimum eius argumentum, cuius fidem, ne Aristoteles quidem, quamuis maximè velle, eleuare possit? Quippe ipsius Aristotelis sunt, & feruntur in primis celebres illæ sententiæ: Quod in omnibus, aut in pluribus inest, id secundum naturam: quod est præter hæc, id præter naturam æstimandum est. Hoc enim sæpe vsurpat ipse tam in libris Physicorum quàm in libris de Cœlo. In libro autem de Diuinatione per somnia sic ait: *Quod omnes aut complures sentiunt, aut dicunt, id falsum esse non est putandum.* In libro autem 7. Ethicorum commendat poëtæ cuiusdam

C versus, qui Latinè redditi hanc habent sententiam.

Non prorsus fama illa perit, quam multa per orbem
Turba hominum celebrat.

POSTREMO clarissimus est apud eundem locus ille in libro 10. Ethicorum. *Quod omnibus*, inquit, *videtur, id esse affirmamus, qui verò hanc fidem tollit, is non multo probabiliora dicturus est.*

ILLVD autem magno iudicio est, verum esse hanc de noua mũdi constructione sententiam, quod ea ad veri Dei cognitionem, cultúmque atque religionem animis hominum inserendam, fouendam, & confirmandam plurimum valeat. Si enim persuasum alicui fuerit mundum, qui ex omni æternitate nullus fuerat, ab aliquo initio temporis à Deo esse conditum, continuò eidem nullo negotio persuadebitur & esse Deum, & vnum esse, & rerum omnium intelligen-

D tem, conseruantem, ac moderantem esse causam, & infinita vi ac potestate pollere: nec vlla naturæ necessitate, sed sua modo voluntate, bonitatéque ad fabricandum mundum esse adductum, ipsúmque ex se: ac se solo esse beatum, nec ad tuendam felicitatem suam, vllius rei quæ extra ipsum sit, vel adminiculo, vel consortio indigere. Hæc omnia adeò ex primo illo apta, nexáque pendent, vt quisquis illud concesserit, ea negare non queat, contra verò qui mundum faciunt æternum, vel negant ea quæ diximus de Deo, vel certè tam euidenter & expeditè probare non possunt. Non est hic pro derelicto habendum, quod Plinius, sanè imprudens, suæq; oblitus sententiæ, tan-

Probatur mundum non semper fuisse.

Arist. lib. 1. Top. cap. 1.

Cap. 1.

Cap. 13.

Cap. 2. Mundum à Deo conditum esse credere magnum est ad Deum colendum adiumentum.

Plinius vel contra suam

Sententiam noua mundi exordio testimonium perhibuit.

quam argumentum cur credamus mundum nec fuisse ex infinito A tempore, nec ad infinitum tempus permansurum, in cap. 16. lib. 7. annotauit. *In plenum*, inquit, *cuncto mortalium generi, minorem in dies fieri mensuram propemodum obseruatur, raróque patribus proceriores: tamquam consumente vbertatem seminum exustione, in cuius vices nunc vergat æuum.* Idem argumentum etiam auctor libri quarti Esdræ in cap. 5. eius libri tractauit. Iam verò isti multis implicantur difficultatibus, quibus vix se, aut ne vix quidem explicare possunt: nam vel auctore (qui naturæ censorem & iudicem egit) Aristotele, verissima sunt illa philosophorum pronuntiata? Vnum infinitum non esse maius alio infinito. Nihil vel magnitudine, vel numero infinitum constare posse: Infinitum nullo modo posse pertransiri. Denique infinitum ratione atque intelligentia non posse comprehendi. Quæ autem sunt his B contraria, ea censet Aristoteles non falsa modo, sed etiam ἄλογα καὶ ἀδύνατα atqui ea omnia necessario admittenda, & vel ingratis deuoranda sunt æternitatem mundi præfractè defendentibus.

Æternitatis mundi defensores quibus se difficultatibus inuoluãt.

VERVM missa hæc faciamus, quæ ex interiori philosophia petuntur, eáque scholasticis philosophis, ac Theologis subtilius disputanda relinquamus, in quibus philosophicè tractandis nos etiam consumpsimus totum librum decimumquintum eius operis, quod de Philosophia superioribus annis edidimus. Deducamus igitur orationem in liberorem, apertiorémque campum, eáque dicamus, quæ vel populo probari queant: Excutiamus omnis memoriam antiquitatis, & vetustissimarum rerum non monimẽta solum, sed etiam C primordia inuestigemus, & hac ratione mundum non esse æternum apertistmè ostendamus.

Ex rerum inuentoribus mũdum æternum non esse colligitur.

OMNIS priscarum rerum memoria, quæcumque apud Gentiles siue in scriptis, siue in litteris, seu litterarum figuris, siue in quarumlibet aliarum rerum monimentis extat, non solum exordio mundi, quod tradit sacra scriptura, sed Noëtico etiam diluuio recentior esse deprehenditur. Plinius quidem in capit. 56. libr. 7. curiosè, persequitur, diligentérque colligit primos omnium artium & disciplinarum omniúmque rerum quæ ad vsus humanæ vitæ comparatæ sunt inuentores: quorum ætates sigillatim contemplantibus manifestum fit, non modo mundum non fuisse æternum, sed etiam eius originem D non esse admodum antiquam. Et verò, si mundus æternus esset, qui fieri posset, vt nullius rei, quæ ante sex annorum millia in orbe fuerit, vlla sit apud gentem aliquam memoria? cuius rationis vim & probabilitatem, etiam Lucretius poëta grauis & doctus, & vidit animo, & in libro 5. his versibus exposuit:

Præterea si nulla fuit genitalis origo
Terrarum & cœli, semperque æterna fuêre,
Cur supra bellum Thebanum, & funera Troiæ
Non alias aliy quoque res cecinêre Poëtæ?
Quo tot facta virum toties cecidere? Nec vsquam

Aeternis

A *Aeternis famæ monimentis insita florent?*
Verùm, vt opinor, habet nouitatem summa, recénsque
Natura est mundi, neque pridem exordia cœpit.

BEROSVS certè Chaldæus, antiquissimam putatur scripsisse hîstoriam, cuius tamen ipse (vt Iosephus refert priori libro contra Apionem) à diluuio sumpsit exordium. Trogus Pompeius altissimè repetens originem rerum, quas historiæ mandauit, orsus est scribere à Nino rege, qui annis post mundum conditum nongentis & mille, primam, quæ in mundo fuit Assyriorum monarchiam fundauit. Eusebius lib. 9. de Præparat. euangel. cap. 4. & lib. 10. capit. 3. multa colligit, quæ ad hoc argumentum spectant: inter alia tradit, Dionysium Halicarnasseum in libro, quem de temporibus edidit, affirmare, res Argolicas, quæ ab Inacho cœperunt, omnium rerum Græcarum esse vetustissimas: Achusilaum item. Phoronidem, aliósque Græcos scriptores, antiquissimum mortalium prædicare Phoronæum: M. etiam Varronem acerrimum vetustatis æstimatorem in sua historia nihil Ogygis diluuio antiquius agnoscere. Atqui & Inachus, & Phoronæus atque Ogyges eiusdem ætatis fuêre, qua ætate vixit Iacob Patriarcha, Nec illud est in præteritis relinquendum, fuisse post Cecropem Mosis æqualẽ, omnia, quæ à Græcis de claris hominibus, & Heroibus, diisque suis, aut veris historiis tradita, aut fabulosis celebrata miraculis commemorantur. Quid plura? Belus, ex quo fluxit & originem traxit (vt visum est multis) omnis Idolorum cultus C pater fuit Nini Assyriorum regis, cuius temporibus Abraham natum esse accipimus. Ergo longè posteriora Noëtico sunt diluuio quæcumque apud gentes habentur vetustissima.

B *Quemodo constet antiquissima quæque apud gẽtes Noëtico diluuio esse recentiora.*

NON me fugit, quemadmodum huic nostræ argumentationi olim conati sint occurrere Plato in Timæo, & Atlantico, Aristoteles in primo libro Meteorum, Theophrastus etiã vt refert Philo in eo libro, quem inscripsit, Quod mundus sit incorruptibilis (si tamen Philo eius libri auctor fuit) propter crebras scilicet & ingentes eluuiones atque deflagrationes, quas in variis terrarum regionibus, longinquis, sed certis tamen, & statis temporum interuallis euenire necesse est, vna cum ipsis gentibus, aliarum quoque rerum vsum, notiD tiam, & memoriam interiisse, easdémque tum artes & disciplinas, tum hominum opiniones & inuenta, infinities, vicissitudine tempore occidisse, atque reuixisse. Sed hoc ab illis temere, & sine ratione vlla prebabili dictum est. Cum enim nullus omnium hominum generalis interitus, nullumque terrarum omnium simul exitium (vt censent ipsi) esse queat: profecto reliquiæ nominis vetustissimorum hominum vnius gentis, saltem apud aliam aliquam gentem seruatæ essent incolumes: atque hac ratione ad nostram quoque notitiam peruenisset. Nam & Aristoteles lib. primæ Philosophiæ 12. reliquias quasdam priscæ Philosophiæ ad suam vsque ætatem permansisse affirmat: verùm aduersus priorem errorem Gentilium, qui existimauerunt

Sum. c. 2.

Text. 20.

runt mundum esse æternum, satis à nobis sit in præsentia, tanquam A
in transcursu disputatum.

QVONIAM igitur non semper fuisse mundum ostendimus, sequitur vt de eius origine & antiquitate dicamus, etenim non solum mundi primordia sacræ litteræ aperuerunt, sed quantum etiam temporis à mundi ortu ad hodiernam diem excurrerit, quantáque sit retroacta humani generis ætas, & inquirendi,& inueniendi viam rationémque tradiderunt. Qua in re vix dici potest, quam fuerit omni tempore vaga,inconstans, erránsque ac planè cæca gentilitas. M. Varro princeps senatus Romanorum sapientum, prope cunctis suffragiis renunciatus,cum omne mundi æuum (vt Censorinus est auctor) tria in tempora dispertiuisset,primum designauit id quod prę- B
cessit primum cataclysmum : alterum,quod à cataclysmo fluit ad exordium Olympiadum : tertium, quod à prima Olympiade ad suam ætatem præterierat, atque hoc extremum confirmat subtili computatione temporum,certóque annorum numero notatum & comprehensum haberi:medium autem vt non exacta ratione teneri, ita satis probabilibus coniecturis esse cognitum : primum verò illud omnino fugere nostram intelligentiam. Namque si mundus æternus est,tempus illud,vt interminatum & immensum,esse mortalibus incomprehensibile:sin autem mundus initium habuit,nihilominus tamen subtiliter ac præfinito determinare annorum eius temporis numerum, immensæ difficultatis esse.

Varro de origine mundi quid senserit.

SED audiamus ea de re Ægyptiorum & Chaldæorum portenta. C
Fuit semper Ægyptus prodigiosorum mendaciorum parens, altrix, & magistra, hæc, vt incredibili suæ vetustati, quam iactabat, fidem faceret, innumera finxit mundi sæcula : dicebat enim, vt Diodorus, Pomponius Mela & Laërtius prodiderunt, ex quo tempore sunt Ægyptij, quater cursus suos vertisse sydera, & bis solem occidisse, vnde nunc oritur : regésque Ægyptiorum partim ex diis, partim ex hominibus vsque ad nouissimum regẽ Ptolemæum patrem Cleopatræ, supra septuaginta annorum millia regnasse in Ægypto : postquam autem rationem syderum comprehendit Ægyptus, amplius quam centum annorum millia numerari. Plinius etiam libro 35.ca. 13. refert Ægyptios gloriari solitos, artem pingendi sex millibus D
annorum floruisse in Ægypto, priusquam ea transiret in Græciam. O miram nugandi & mentiendi licentiam, videlicet putarunt isti,eò se liberius atque impudentius mentiri posse, quò difficilius credebant sua redargui posse mendacia : sed bene habet, quod quæ de sua vetustate mentiuntur,aliis ipsorum notioribus mendaciis confutantur. Scripsit Alexander Magnus epistolam ad matrem suam Olympiadem cuius epistolæ meminit Cyprianus in lib. de Idololatria, & Augustinus lib. 12. de Ciuitate Dei, cap. 10. in illa sic erat scriptum narrasse Alexandro quendam sacerdotem Ægyptium, in sacris litteris & annalibus Ægyptiorum, tempora omnium regnorum subtili-

Mendacia Ægyptiorum de vetustate mundi.

Epistola Alexandri magni ad Olympiadem.

ter

A ter annotata contineri: in his autem traditum esse, regnum Assyriorum quinque annorum millia excessisse: Persarum autem & Macedonum imperium, plusquam octo annorum millibus definiri. Quæ falsa esse constat omnium scriptorum tam Græcorum, quam Latinorum consensu. Regnum enim Assyriorum, qui longissimè produxerunt, non longius quam mille trecentorum & sexaginta annorum, à primo rege Nino ad extremum regem Sardanapalum, constituerunt: tempus autem regni Macedonum vsque ad Mortẽ Alexandri quingentos annos nõ excessit: porro monarchiam Persarum à primo eius fundatore Cyro, ad Alexandrum eius euersorem, minus quadraginta & ducentis annis stetisse compertum est. Vt igitur vera, scilicet, sunt quę de alienis regnis tradunt Ægyptij, ita vera esse
B credere conuenit, quæ de sua ipsi vetustate nugantur: ad quorũ vanitatem contemnẽdam vel vnius Varronis iudicium atque sententia satis esse deberet. Is namque in illa sua nobili historia prodidit (vt libri 18. capite 40. de Ciuitate Dei memorat Augustinus) Aegyptios paulo amplius duobus annorum millibus ante suam ætatem, primo litteras, magistra Iside, didicisse quamquam vetus opinio fuit eiusdem Varronis, Diodori Siculi, Plinij, Solini & Censorini, priscos Aegyptios breuioribus annis quam sunt nostrates, hoc est vel trimestribus, vel etiam menstruis esse vsos. In Aegypto (inquit Censorinus) antiquissimum ferunt annum bimestrem fuisse, post à Pisone
C rege quadrimestrem factum, nouissimè ad tredecim menses & quinque dies esse productum. Diodorus etiam narrat, cum traditum esset à veteribus, priscos reges mille supérque ducentis annis singulos regnasse, fidémque tanta summa non admitteret, pro certo habitum esse à pleríque, cursus lunares, solaribus nõdum plenè inuẽtis, tunc annos confeciisse. Quamobrem non esse incredibile, quæ de tot annorum millibus vel ab Aegyptiis, vel à Chaldæis traduntur. Non tacebo hic aliam quorũdam minimè ineruditam, nec improbabilem coniecturam, Aegyptios & Chaldæos, vt syderalis doctrinæ studio maximè deditos, vniuciuisque planetæ conuersionem pro anno cõputasse: ita vt in tringinta annis solaribus, numerent vnum Saturni
D annum, Iouis plures duobus: Martis quindecim, fermè triginta Mercurij, totidémque Veneris, Lunæ vero ad trecentos sexagiata: itaque in spaltio triginta annorum solarium, simul etiam reliquorum planetarum annos plures quadringentis recensebant.

Varro de origine litterarũ apud Aegyptios.

Quales fuerint apud priscos Aegyptios anni.

VENIO ad Chaldæorum deliramenta, Gloriabantur illi habere se syderum rerúmque cœlestium scientiam, non minus quã septuaginta & quadringentorum mille annorum obseruationibus experimentísque comparatam, atque comprobatam. O futiles homines & mendaciorum prodigos. enimuerò bellè in istos quadrat quod quidam dixit: Qui semel verecundiæ fines transierit, eum benè & nauiter oportere esse impudentem. sic reor istos Chaldæos, quia mentiri iuuabat, immodicè atque incredibiliter mentiri voluisse. Atqui Por-

Deridetur inanis Chaldæorum iactantia de sua gẽtis & artis vetustate.

Cic. epist. ad Lucilium.

Porphyrius de antiquitate syderalium obseruationum apud Chaldæos.

phyrius auctor est est(vt memorat Ioannes Picus Mirandulanus in lib. 11. eius operis quod aduersus Astrologos acutè.doctèq; composuit)Callisthenem discipulum & nepotem Aristotelis, comitémque bellorum Alexandri Magni,cum Babylone omnia Chaldæorum arcana & monumenta excussisset,curioséque scrutatus esset,reperisse obseruationes rerum cœlestium, quæ omnium erant vetustissimæ, non amplius quàm nongentorum & mille annorum fuisse.Hypparchus quoq; & Ptolemæus,primi syderalis sapiétiæ antistites, Astronomicarum obseruationũ antiquitatem non altius repetunt, quàm à temporibus Nabuchodonosori Chaldæorum regis,Iudęorum calamitatibus nobilitati,qui circa primam & trigesimam Olympia dẽ regnare cœpit. A

Mendacium Eudoxi & Aristotet. vt de illis refert Plinius 3. de antiquitate Zoroastris magicæ artis inuentoris.

Sed dicet aliquis,Plinium libro 30. Eudoxi & Aristotelis testimonio confirmare, Zoroastrem Astronomiæ, vt ferunt, parentem, sex annorum millibus fuisse ante Platonis obitum. verùm Diodorus Siculus,Iustinus,& alij graues & probati scriptores,mendacium hoc apertè refellunt;quippe Zoroastrem æqualem faciunt Nini regis, à quo & bello victus est, regnóque spoliatus : à Nino autem ad obitum Platonis,paulò plures septingentis & mille annis numerãtur.Eodem loco habendum est, quod narrat Plinius libro 6. esse in monimentis Indorum à Libero patre, qui primus in Indiam arma intulit, ad Alexandrum Magnum fuisse reges Indorum cẽtum quinquaginta tres, per annos sex mille quadringentos duósque additis præterea uensibus tribus. Namque à petitissimis & diligentissimis chronographis animaduersum est, post mortem Mosis, Iosue Hebræorum imperatore cum Chananæis feliciſſimè bellum gerentè, Indiam à Libero patre esse debellatam & ab eo tempore ad Alexandrum Magnũ annos duntaxat septuaginta & centum milleq; recẽseri.Similia sunt illa Platonis in Timęo figmenta : narrasse Soloni Sacerdotẽ quendã Aegyptiũ Athenas nouẽ millibus annorum ante Solonis ætatẽ fuisse conditas; omnésq; totius tractus illius tẽporis res insigniores,in sacris libris Aegyptiorum subtiliter annotatas contineri. Ita ne iuuit tantum philosophum in dialogo omnium grauissimo nugari, & pulcherrimam de mundo disputationem anilibus fabulis & mendaciis contaminare ? An latere potuit Platonem,quod à multis Græciæ scriptoribus erat proditum, Cecropem fuisse primum Athenarum conditorem, qui ætatẽ Solonis vix mille annis anteceſſit ? Verùm hæc atque alia eius generis commenta, risu magis & cõtemptu Græcæ vanitatis explodẽda sunt, quàm argumentis confutanda. Hæc igitur in præsentia aduersus duos Gẽtilium errores,doctrinæ Mosis quæ hoc loco traditur, omnino contrarios,alterum de æternitate Mundi,alterum de nimia eius antiquitate breuiter disputare volui : vt in aperto esset omnibus,non modo mundum non esse æternum,sed etiam, cùm ab eius ortu ad hodiernam diem non plures quàm sexcenti & quinquies mille anni prętererint B

Fabulasse quod de antiquitate Regũ India memorat Plinius.

Figmẽta Aegyptiorũ, quæ narrantur in Timæo Platonis.

C

D

A rierint, nullam esse tamen apud Gentiles, vel fuisse vnquam huius rei memoriam, quæ (exclusis fabulosis) reuera quater mille annorum vetustatem, hoc est, Noëtici diluuij tempus excedat. Quo licet intelligere, cùm sacrarum literarum historia res gestas in mundo per annos mille sex centos quinquaginta sex ante diluuium Noë, fideliter veréque litteris proditas complectatur, sacram scripturam, vt aliis rebus, sic etiam vetustate cunctis omnium gentium scriptis, & monimentis anteire. *Antiquitas diuinæ scripturæ.*

Sed difficultatem aliquam habet, quod paulo supra, auctore B. Basilio, docuimus, numerum annorum ab exordio mundi ad hodiernam diem, compertum nobis atque cognitum esse posse. Et- *Excutitur locus qui est in 1 cap. lib. Ecclesiastici.*
B enim initio libri Ecclesiastici sic est scriptum: *Arenam maris, & pluuiæ guttas, & dies sæculi quis dinumerauit?* quibus verbis dupliciter significatur, annos mundi mortalibus esse incomprehensibiles, tum quod interrogatio illa, *Quis*, sæpenumero in sacris litteris vim habet negandi, idémque poller atque, nullus: exempla passim sunt obuia. velut in Cantico Mosis: *Quis similis tui in fortibus Domine?* *Exod. cap. 15.* & in psalmis, *Quis est homo qui viuet, & non videbit mortem?* *Psalm 88.* & apud Iob: *Quis restitit Deo, & pacem habuit?* tum etiam quod trium rerum, quæ hic ponuntur, par ducitur ratio? at priores *Iob. 9.* duæ, hoc est, *Arena maris & gutta pluuiæ*, quanto numero contineantur, non potest à quoquam hominum sciri; ergo nec tertia res quæ adiungitur, *Dies sæculi*, potest nobis esse cognita. Hæc dis-
C ficulas variè soluitur: quam varietatem hic breuiter exponam. Quidam respondent, dies seculi non posse sciri ab homine, videlicet humana ratione, posse tamen sciri per reuelationem Dei, sacris litteris expressam, nobísque traditam. Nicolaus de Lyra locum illum explanans, & huic difficultati occurrens, ait annos mundi haberi cognitos ratione quadam probabili, non tamen certitudine infallibili. Scriptores enim tam sacri quàm profani, variè describunt tempora, & recensent annos, quibus aliquis aut vixit, aut regnauit: nonnulli enim solos annos integros & expletos memorant, inchoatos autem tacent: alij non modo numerant in-
D choatos, sed eos etiam pro integris recensent: sunt etiam qui integros vt integros, & inchoatos vt inchoatos computant, quę est limatissima chronographiæ ratio. Exempli causa: si quis vixit, aut regauit quadraginta annos & septem menses, dicet aliquis precisè regnasse hunc quadraginta annos: alius vnum & quadraginta anns, illos septem menses pro anno vno computans: alij subtili computatione vsi dicent regnasse annos quadraginta supérque septem menses.

Atque vt hoc quod dixi breuiter, latius & enucleatius dicam, animaduertendum est quatuor esse res, quæ supputationem annoru& ab exordio mundi adeo variam & discrepantem, ob idque dubiam & incertam faciunt, vt Sixtus Senen. libr. quinto Bibliothecæ *Quatuor causis error varietatē & discrepantiam cōputationis.*

annorum ab exordio mũdi vsque ad Domini nostri aduentum.

sanctæ propè triginta supputationes annorum ab ortu mundi ad Domini nostri aduentum collegerit omnes inter se discrepantes, à bonis tamen auctoribus traditas: Et verò si omnes voluisset persequi, ad quinquaginta recensere potuisset. Primò igitur dubitationem affert magna illa varietas, & discrepantia chronologiæ ab initio mundi ad ortum Abrahæ, quam reperimus in libris Hebræis, nostrisque Latinis, atque in Græcis codicibus L X X. Interpretum: nam cum in illis tempus illud non nisi mille nongentos & quadraginta octo annos contineat: in his continet ter mille trecentos & quatuordecim, nempe plures illis, annos mille quadringentos sexaginta octo. verùm de hac chronologiæ varietate diligenter, & accurate disputabimus infra libro septimo horum commentariorum. Deinde multi secuti L X X. Interpretes & B. Lucam, inter Arphaxad & Sale interponunt generationem Cainam, hoc est, triginta annos? quamobrem à diluuio ad ortum Abrahæ numerant annos duos & viginti atque trecentos; plerique autem omnes, Hebræos, & Latinos secuti libros, in quibus generatio Cainam omittitur, totum illud tempus ducentis modo & nonaginta duobus annis definiunt. Ad hoc, ratio quorundam temporum non satis liquet, nec in confesso est apud omnes: exempli causa, vtrum Abraham natus sit septuagesimo anno Thare, quæ fermè omnium est opinio, & quod ipse Moses capite vndecimo Geneseos indicare videtur; an verò natus sit centesimo & trigesimo anno Thare, quod ex aliis scripturæ locis quidam non ignobiles auctores satis probabiliter argumentantur: Ratio etiam temporum à Mosis obitu ad Dauidem perplexa est & obscura: Septuaginta item anni captiuitatis Babylonicæ, vnde initium, & vbi finem habuerint, valde controuersum est. Postremo tempora quæ à liberatione captiuitatis Babylonicæ ad Domini nostri aduentum, & ortum transacta sunt, in sacris litteris non traduntur, sed ea ex profanis ethnicorum historiis, & chronographiis petenda sunt: quæ tamen non vnius modi sunt, nec æqualis fidei atque auctoritatis: quidam enim probatas, & fide dignas sequuntur: alij verò commentitias & mendaces, quales sunt annales Ioannis Annij Viterbien. speciosis titulis Berosi, Metasthenis, Manethonis, & Philonis subornati & fucati, qui multis memoriæ nostræ, cætero qui doctis viris, non tamen antiquitatis litteratæ peritis imposuerunt.

Luc. 3.

A B C D

RESTAT vltimum ad difficultatem initio positam responsum: namque auctor libri Ecclesiastici non ait: *Annos sæculi quis dinumerauit?* sed, *Dies sæculi:* non igitur de annis. sed de diebus loquitur: permagni autem interest de vtris loquamur: quemadmodum enim annos in Chronologia tam sacri, quàm profani scriptores diligenter commemorare solent, ita minutias dierum, qui vel explendo anno desunt, vel supersunt expleto, recensere supersedent.

In Chronologia vt diligens annorum, sic

A dent. Et quo res sit illustrior, vnum ponamus exemplum : Dicitur Adam cum esset centum & triginta annorum genuisse Seth, obiisse verò triginta & nongentos natum annos : an putamus necessario esse nobis credendum, eodem die genuisse Seth, quo præcisè centesimum & trigesimum annum Adamus expleuerat, aut quo die compleuit trigesimum & nongentesimum annum, eodem excessisse? ergo numerus annorum mundi teneri potest : dierum autem non potest. Vel si hæc interpretatio propterea cuiquam non probatur, quia vocabulum diei hoc loco non propriè pro die, vt ab anno & mense distinguitur, positum sit, sed more sacrarum litterarum, pro tempore : dicemus illud *Dies sæculi*, non esse dictum est de die-

B bus, vel temporibus ab ortu mundi vsque adhuc transactis, sed de futuris vsque ad mundi finem, & diem Iudicij, quod tempus proculdubio mortalibus planè incompertum est, velut in extremo hoc libro copiosè dicturi sumus.

nulla dierum habetur ratio.

Creauit.

C NEc verbum Hebræum בָּרָא *Bara* quod est hoc loco nec Græcum ἐποίησεν quo vtuntur LXX. Interpretes, nec Latinum, *Creauit*, propriè significat tantùm productionem rei ex nihilo, ad quam solam denotandam scholastici Philosophi & Theologi, nomen creationis & verbum creandi accommodare solent, certè diuina scriptura promiscuè id verbi vsurpat in qualibet productione. namque Moses paulo infrà hoc ipso verbo creandi vtitur, vbi agit de cætorum & hominis generatione, quas res constat non esse ex nihilo conditas. Beatus Hieronymus in Commentariis super illa verba Pauli, quæ sunt in cap. secundo Epistolæ ad Ephesios. *Ipsius enim sumus factura, creati in CHRISTO IESV in operibus bonis,* annotauit nomen conditionis & creationis, ad magna eximia opera fere adaptari dicimus enim vrbem Romam conditam esse à Romulo: & Virgilius.

Tantæ molis erat Romanam condere gentem.

Li. 1. Æneï.

D & Moses inquit, *In principio Deum creasse cœlum & terram.* verùm quicquid sit de propria huius vocis notione & significatione, certè operatio Dei, qua is fecit cœlum & terram, reuera productio fuit ex nihilo. Etenim siue intelligamus per cœlum & terram (vt placet multis) corpus ipsum cœleste & elementare, siue (vt visum est aliis) materiam informem, & naturam Angelicam : necesse est fateri eas res conditas esse ex nihilo, vel quod primæ omniũ sunt conditæ, vel quod eiusmodi sunt, vt ex materia fieri non possint Ac licet vetus fuerit, & ferè commune Philosophorum omnium. decretum. Ex nihilo nihil posse fieri, quinetiam Plato, qui Deum fecit mundi opificem, senserit mundum ex materia æterna & ingeni-

De productione rei ex nihilo quid sentiendum.

Plato in Timæo.

ta, esse à Deo factum : nos tamen sacris litteris (quæ non sanè magis A
quam auctor earum Deus mentiri possunt) eruditi, doctiqúe veritatem, nihil præter Deum censemus æternum, & quidquid est quod Deus non est, ab aliquo temporis initio factum esse, aut ex nihilo aut ex alia re, quæ tamen ipsa ex nihilo facta fuerit, pro certo habemus, hoc enim cum alibi, tum perspicuè in posterioris libri Machabæorum capite septimo scriptum testatumque reperimus: nam mater illa septem filiorum martyrum, & ipsa octies martyr, sic vnum de filiis affatur: *Peto à te nate, vt aspicias ad cœlum, & terram & ad omnia qua in eis sunt: & intelligas quia ex nihilo fecit illa Deus, & cætera.*

NON esse autem materiam æternam, & ingenitam, copiosè di- B
sputat aduersus Hermogenem hærericum Tertullianus, & Lactantius lib.2. Diuinarum institut.cap.8.Eusebius autem in lib.7.de Præparatione Euangel. capite octauo etiam Philonis, Dionysij, & Maximi ea de re argumentationes prolixè commemorat. Nos quoque libro quinto nostri operis quod de Philosophia edidimus, possibilem esse Deo hanc rationem producendi res ex nihilo, & multis argumentis confirmauimus, & contrarias Philosophorum rationes dissoluimus.

Basilius argumentatur plures vno creari mundos à Deo potuisse.

BASILIVS ex eo, quod Moses scribit Deum fecisse cœlum & terram, totúmque mundum, putat concludi, potuisse ab eo fieri com- C
plures alios mundos, quemadmodum enim artifex eadem arte & potestate, qua vnum opus facit, potest etiam complura alia eiusdem generis efficere, ita Deus qua potestate, & arte fecit mundum, eadem potuisset, & verò posset, etiamnum complures mundos condere. Verum huic rationi occurrit Aristoteles in primo de Cœlo, text.94.affirmans causam, cur plures mundi esse nequeant, non prouenire ex defectu artis, vel potestatis opificis, nec ex ingenio mundanæ formæ, quæ vt est materialis, ita quoque est multiplicabilis: sed ex defectu materiæ, quam cum vnus hic mundus vniuersam in se sit complexus, nihil materiæ reliquum esse factum, ex qua alius mundus fabricari queat. Verùtamẽ Aristoteles in hac sua argumentatione pro certo sumit id, quod nos negamus, nempe mundum hunc & ma- D
teriam eius, non esse à Deo ex nihilo condita: namque si hoc ipse credidisset, non fuisset ei incredibile, Deum & aliam materiam, & alium mundum ex nihilo posse facere. Obseruauit etiam Basilius illi verbis. *Fecit DEVS cœlum & terram,* apertè declarari mundum verè, ac proprie factum esse à Deo, hoc est Dei consilio, & libera voluntate non autem ex necessitate naturæ.

Mundum nulla necessitate, sed liberè à Deo esse factum.

De mundi affectione variæ Philosophorum sententiæ.

DE mundi porrò affectione variæ olim fuêre philosophorum sententiæ, variique errores. Epicurei, dixerunt mundum fortuitam atomorum cohæsione, & coagmentatione extitisse: Strato Lampsacenus, nullum agnouit mundi molitorem, sed mundum suaptè natura, vi ac potestate, qualis nunc est, talem etiam ex omni æterni-

tate

A tate fuisse existimauit : Peripatetici, mundum à Deo ex necessitate naturæ profectum censuerunt, similiter vt ex corpore illuminato existit vmbra, & radius ex Sole, & in speculo imago : Plato satis apertè, & disertè in Timæo docet mundum esse à Deo factum, id quod putat Eusebius libro vndecimo de Præparatione Euangelica, capite decimo quinto ex hoc loco Mosis Platonem accepisse. Verùm ille veritatem hanc mox aspersa erroris labe fœdauit, dixit enim Cœlum esse factum à Deo, non autem terram & alia elementa : Deúmque rerum modo immortalium effectorem fuisse, cæterarum autem mortalium rerum effectionem, diis secundis demandasse. Anaxagoras verò primus omnium Philosophorum, vt in primo libro Metaphysicorum testatur Aristoteles, & Plato in
B Theæteto) causam efficientem rerum omnium fecit intellectum, qui quæ erant incomposita & inordinata, apte componens, & in ordinem adducens, mundum hunc maximum, atque ornatissimum effecit.

Arist. lib. 1. Met. cap. 4. vel secundi parui cap. 2.

SCITVM est quod tradit Plinius in præfatione sui operis, veteres pingendi : fingendíque nobilissimos artifices, opera sua etiam absolutissima illa, & quæ posteri mirando nunquam satiantur, pendenti titulo sit inscripsisse : APELLES FACIEBAT, vel POLYCLETVS, non autem FECIT; ea re insinuantes, opera esse inchoata, nec omnino perfecta, & quod in eis desiderari posset, se quidem emendaturos fuisse, nisi morte essent intercepti. Tria tantum opera
C reperiuntur absolutè inscripta, FECIT, tanquam in illis summa artis securitas artifici placuerit, quæ tamen omnia magnæ hominum inuidiæ fuerunt obnoxia, cautè illi quidem ac prudenter, quorum non est omni vitio carere, De Deo autem, cuius perfecta sunt opera, & exquisita secundum omnes voluntates eius, & quibus nemo potest quicquam addere, vel detrahere, non erat consentaneum dicere Deus faciebat mundum, sed fecit, scilicet, tanquam opus omnibus suis partibus expletum, cunctísque numeris absolutum, atque consummatum ; & iudicio ipsius opificis, cuius est infinita sapientia, comprobatum. *Vidit enim Deus cuncta quæ fecerat, & erant valdè bona*, Rupertus libro primo de Trinitate & operibus eius, capite quarto, ponit quæstionem, cur in creatione cæterarum rerum
D adhibeatur vox & præceptum Dei, hoc est, *Dixit, & Fiat :* Non autem in creatione Cœli & terræ : cur enim Deus non dixit : Fiat cœlum, & factum est, sicut dixit : *Fiat lux, & facta est lux.* Auctor quicumque ille fuit) libri quarti Esdræ in capite sexto, hanc ipsam Mosis de Creatione mundi historiam commemorans ait, Deum dixisse, Fiat Cœlum, & Fiat terra : & facta esse, sed hoc à narratione Mosis planè discrepat. Rupertus ad quæstionem à se propositam tripliciter respondet : verba eius subiiciam. *Primo*, inquit, *cum ipsum principium, in quo facta sunt omnia,*

Notabile dictum Plinij.

Deut. 32. Psal. 110.

Gen. 1.

Dubitatio Ruperti.

Cur Deus non dixerit fiat cœlum, & fiat terra sicut de aliis dixit.

sit

sit Dei verbum, superfluum, vt ineptum fuisse dici: In principio dixit Deus: A
Deinde verbum imperatiuum, Fiat, supponit aliquid, cui imperetur, vel præceptum ponatur effectionem autem cœli & terræ, cum ipsa sint ex nihilo condita, nihil præcessit, ad quod Dei vox & præceptum dirigeretur. Postremo sic dicere voluit Moses, ne quispiam suspicaretur Deum quidem species, & formas rerum omnium designasse, ac perfeciſſe: verum Hylem, id est, Materiam primam, de qua cuncta sunt facta, non à Deo esse factam, sed Deo semper fuisse coæternam. Igitur quo modo dici debuit, sic dictum est, quia, In principio creauit Deus cœlum & terram. Sic Rupertus. Cuius sententia in eo quod ait vocem & imperium Dei non referri ac dirigi ad nihilum, sed ad id quod est, vereor ne non satis congruat cum doctrina Pauli, qui in 4. capite Epistolæ ad Romanos de Deo loquens, ait: *Vocat ea, quæ non sunt, tanquam ea quæ sunt.* Et Dauid Psalmo 32. *Verbo Domini* B
cœli firmati sunt. & in Psalmo 148. *Laudate Dominum omnes Angeli eius, Laudate eum omnes virtutes eius, &c. Quia ipse dixit, & facta sunt: ipse mandauit, & creata sunt.* Ergo Dauidi, tam cœli quàm Angeli omnes verbo & imperio Dei creati sunt, videlicet ex nihilo. Vide quo modo hanc ipsam quæstionem B. Augustinus, in libro primo de Genesi ad litteram ponat atque dissoluat.

Cap. 3. & 4.

Deus.

HEBRAICE est אלהים *Elohim*, in numero plurali: quæ C
vox in scriptura non modo tribuitur Deo, sed etiam Angelis, Iudicibus, ac Principibus: propriè enim significat eos, qui propter magnam auctoritatem & potestatem, præsertim autem puniendi & vindicandi, quam habent, sunt aliis metuendi & terribiles. Mirum autem videri potest, cum vox, Elohim, sit numeri pluralis, cur Moses eam vocem iunxerit cum ברא *Bara*, numeri singularis: similiter vt si Latine dicatur, Dij creauit. Auget etiam admirationem, quod nomen Elohim, habet singulare Eloha, & reperitur in scriptura apud Iob cap. duodecimo ibi: *Inuocauit Deum, & exaudiet eum.* Et cap. tricesimo sexto. in illis verbis, *Adhuc habeo quod pro Deo loquar:* & in Habacuc capite primo. *Hæc est fortitudo eius Dei sui*, & apud eundem cap. tertio. *Deus ab* D
Austro veniet. Quare insciẽter Caietanus in Commentario huius loci dixit nomen Elohim apud Hebræos carere singulari. Si ergo Elohim habet singnlare Eloha, cur Moses dixit, אלהים ברא *Elohim bara*, iungens plurale cum singulari, ac non potius, *Heloa bara*, præsertim cùm alias non raro Elohim inueniatur in sacris litteris iunctum cum verbo numeri pluralis, veluti Genes. 30. vbi nos legimus: *Apparuit illi Deus*, Hebraicè est: *Apparuerunt ei Dij:* & cap. 20. eiusdem libri, pro eo quod Latina versio habet: *Eduxit me Deus de domo patris mei*, in Hebræo Codice est: *Eduxerũt me dij*, Habet igitur singulare, &

Quæstio cur Moses sic locutus sit Dij creauit.

sæpe

A sæpe iungit nr verbo numeri pluralis, quare non leuis se ingerit nobis causa dubitandi & inquirendi, cur Moses hoc loco contra leges grammaticæ nomen pluralis numeri copulauerit cum verbo singularis numeri. Huiusmodi dubitationem & admirationem tollunt multi sane pij ac docti viri, eius rei causam fuisse dicentes, quod Moses fidei nostræ præcipua mysteria abunde prædoctus à Deo, voluerit in ipso scripturæ suæ exordio præiacere velut semina quædam Christianę doctrinę, quam de mysterio sanctę Trinitatis habemus. Namque per nomen plural אלהים *Elohim*, multitudinem diuinarum personarum, per verbum ברא *Bara*. numeri singularis, vnitatem diuinę essentię insinuauit. Ita sensit Magister li-
B bro 2. sentent. dist. 1. quem Scholastici Theologi prorsus omnes secuti sunt, cum quibus consentit Paulus Burgensis, Nicolaus de Lyra, Petrus Galatinus, Augustinus Eugubinus, Ambrosius Catharinus, aliique quàm plurimi.

Auctores qui tradunt. Mysterium Trinitatis fuisse hic à Mose insinuatum.

Catharinvs auem & hoc loco, & libro 4. Animaduersionum in Caietani scripta, acerbè eum insectatur, tamquam non satis piè de mysterio sanctę Trinitatis sentientem, propterea quod in commentario huius loci, negauerit coniunctionem nominis pluralis cum verbo singulari esse adhibitam à Mose ad significandum mysterium Trinitatis, neque ex hoc modo loquendi Mosis posse Christianos argumentari esse multas personas diuinas in vna essentia, aduersus Iudęos. Verumtamen si hoc crimen est; non est pro-
C fectò vnius Caietani crimen proprium, sed cum aliis doctissimis & antiquioribus viris commune. Etenim centum annis ante Caietanum, idem censuit Tostatus, & scriptum reliquit in cōmentario huius loci, in quodam autem suo Tractatu, quem de Trinitate edidit, pro eadem sententia aduersus Nicolaū de Lyra pugnauit acerrimè. Et verò multis nec sanè inualidis rationibus probari posset, nullum in eiusmodi modo loquendi Mosis latere mysterium. Principio, omnium primus Magister sententiarum. sensit in hoc loco Mosis rectè significari mysterium Trinitatis: meritò autem possumus mirari neminem priorum scriptorum, saltem Origenem, & Hieronymū, Hebraicè scientissimos, & omniū scripturę vocum Hebręarum, præser-
D tim autē quę ad mysteria nostrę fidei confirmanda, vel illustrāda faciunt, curiosissimos & obseruantissimos, nullum hoc loco mysteriū contineri, esse subodoratos. Deinde discrepantia illa inter Elohim numeri pluralis, & bara numeri singularis, non habet mysterium sed idiomatismum linguæ Hebrææ, in qua frequentes sunt eiusmodi discrepantiæ, exempli causa; Isa. decimonono, legitur: *Tradam Ægyptum in manū Dominorum crudelium.* Hebraicè est, *Dominorum duri, seu fortis*, & Iosue cap. vltimo scriptum est, *Non poteritis seruire Deo: Dominus enim sanctus est*, Hebraicè legitur. *Quia Dij sancti ipse.* Neque hæc discrepantia reperitur tantùm, cum de Deo loquitur scriptura, sed

Animaduersio Catharini in Caietanū sed non iusta.

Falsum esse ostenditur nomine אלהים *tres personas diuinas intelligi.*

etiam cum de aliis: veluti Genes. 42. vbi nos legimus, *Locutus est Dominus terræ duræ.* Hebræi codices sic habent: *Dixit nobis Domini terræ:* In Exodo quoque capite vigesimo sic est: *Nō habebis Deos alienos,* pro quo Hebraicè est: *Non erit tibi Dij alieni.* Et capite 21. Latina versio habet: *Sin autem Dominus dederit illi vxorem.* Hebraicè verò est: *Si Domini eius dederit illi vxorem.* Ex his palam est prædictam discrepantiam numeri singularis atque pluralis carere mysterio, cum Hebraicè vsitata sit, siue de Deo, siue aliis de rebus sermo habeatur. Ad hoc, si Moses, huiusmodi locutione indicare voluisset mysterium Trinitatis, profecto admodum impropriè locutus esset, nō enim congruè dicitur de personis diuinis quod sint Dij. alioquin etiam posset dici quod sint multi Dij, vel tres Dij? quod tamē & in scriptura damnatur, & in Symbolo Athanasij: nec iudicio Theologorum rectè loqueretur, si quis diceret, Personæ diuinæ, vel Pater Filius, & Spiritus sanctus creauit mundum, sed dici debet, crearunt: sicut non rectè, dicitur, Pater & Filius, spirat Spiritum sanctum, sed spirant. Præterea, si hic modus loquendi insolens & inusitatus fuisset in lingua Hebræa, nouus & admirandus Hebræis accidisset; quare Rabbini aliquid circa hoc fuissent commenti, nec tanto silentio rem tanti momenti, plenámque mysterij, & admirationis suppressissent. Quod si ob eam causam Moses iunxit nomen Elohim numeri pluralis, cum verbo Bara numeri singularis, vt denotaret diuinarum personarum pluralitatem cū vnitate essentiæ diuinæ, cur aliàs de Deo loquens, velut Genes. 20. & trigesimo quinto (quos locos paulo superius commemorauimus) coniunxit nomen Elohim cum verbis numeri pluralis? sic enim & personarum diuinarum multitudo, & diuersitas naturæ diuinæ significari videbatur. Nec profectò benè consultum fuisset Iudæorum ruditati atque tarditati, & ad idololatriam procliuitati: hinc enim illi occasionem cepissent existimandi multos esse Deos Hæc ego, non eò disputaui vt pios & doctos homines, qui ex hoc etiam loco mysterium Trinitatis elicere studuerunt, reprehenderem, eorumque religiosum studium atque diligentiam damnarem: nec vt lectorem ab ea sententia deducerem, sed vt nimiam Catharini in reprehendendo Caietano auiditatem reprimerem, quinetiam nimiam eius asperitatem acerbitatémque mitigarem, & virum de mysteriis fidei nostræ benè sentientem, de Theologia verò optimè meritum, ab ea suspicione, quam Catharinus aduersus eum immerito commouit purgarem atque vindicarem.

A B C D

Sed reuertamur ad contemplationem illius vocis, *Deus*, quæ primum omnium hic nominatur in scriptura, quamuis id nominis primus omnium enunciasse legatur serpens, qui tentans Euam dixit. *Cur præcepit vobis Deus, &c.* Ex hoc loco apparet verè dici posse, inde incipere doctrinam Christianorum, vbi terminatur

Genes. 3.

A tur sapientia Gentilium; hæc autem est cognitio Dei in cuius inuestigatione ac perceptione, maxima quæque ingenia, omnibus sæculis, acerrimo studio & incredibili diligentia laborarunt, atque desudarunt. Scire quispiam auet quis mundum hunc architectatus & fabricatus sit: ecce tibi Moses in exordio sui voluminis vno id verbo expedit, dicens, *In principio creauit Deus Cœlum, & terram*; quasi diceret, Nemo putet mundum ex se suáque vi constare: nemo cogitet eum casu & fortuitò extitisse: non enim aliter quàm ab aliquo sapientissimo opifice, summo consilio & ratione effici potuit: hic autem opifex Deus est. Etenim, si qui videbant sphœram illam Archimedis vel Possidonij multorum prædicatione nobilitatam, in qua omnium Cœlestium orbium conuersiones,
B vt in Cœlo fiunt, itidem ad vnum omnes perfectè representabantur, dubitare non poterant, quin opus illud à summo ingenio & excellenti doctrina esset perfectum: quanto minus nobis, Cœlum, terram totúmque mundum contemplantibus fas est dubitare, eius operis designatorem & effectorem fuisse Deum? Rectè igitur Scriptura quodã loco inquit, *Qui creauit omnia Deus est*; Et Paulus de Deo loquens, *Ex ipso*, inquit, *& per ipsum, & in ipso sunt omnia*: & Ioannes *Omnia per ipsum facta sunt, & sine ipso factum est nihil.* Sed enim, cùm dicitur Deus fecisse mundum, satis ostenditur solum Deum fuisse eius conditorem, nec fuisse multos qui ad eum fabricandum simul operas suas viréque contulerint. ad hanc enim remouendam opi-
C nionem valet quod per Isaiam capi. quadragesimo quarto ait Deus, *Ego sum Dominus faciens omnia, extendens Cœlos solus, stabiliens terram, & nullus mecum.* Porrò licet opificium mundi tantum sit, quantum nullius mortalium intelligentia comprehendi queat, comparatione tamen Dei nihil est. Si enim terra cum Cœlo collata instar puncti obtinet: quanti æstimari debet mundus cum Deo comparatus? Momentum stateræ, & gutta roris antelucani respectu Dei orbis terræ appellatur in capite 9. libri Sapientiæ. Non igitur Deus efficiendo mundo, exhausit potentiam suam; sed eo condito, nihilominus integra & efficax fuit eius vis & potestas ad alios mundos condendos: non enim mundus effectus est adæquatus suę causæ, hoc
D est, vt maximus sit, non tamen adæquatur cum Dei potentia. Solet autem Scriptura hoc maximè insigni prædicare & magnificare Deũ, quod is fecerit Cœlum & terram. Sic Abraham Geneseos 14. *Leuo manum meam ad Dominum Deum excelsum possessorem Cœli & terræ*, & ibidem Melchisedec, *Benedictus Abraham a Deo excelso, qui creauit Cœlum & terram*; & Dauid, *Adiutorium nostrum in nomine Domini, qui fecit cœlũ & terrã*; Ionas etiã propheta sciscitãtibus ex eo eo nautis respõdit, *Hebræus ego sum, & Dominum Deum cœli ego timeo, qui fecit mare & aridam. Et timuerunt viri timore magno, &c.* Hieremias verò cap. 10. hac nota vult nos internoscere verũ Deũ à falsis diis, *Sic dicetis*, inquit, *eis, Dij qui cœlos & terram non fecerunt, pereant de terra, & de his quæ sub*

Heb. 3.
Rom. 11.
Ioan. 1.

Deus in scriptura eo nomine frequẽter prædicatur quod fuerit Creator cœli & terræ, Psal. 123.
Iona 1.

Cœlo sunt. Et in cap. 32. ex eo quod Deus fecit Cœlum & terram, cõcludit nihil difficile illi esse posse: *Domine Deus, ecce tu fecisti cœlum & terram in fortitudine tua magna, & in brachio tuo extento: non erit tibi difficile omne verbum.* Nec verò Deus mundum condidit, eúmque postea deseruit, & cõseruandum regendúmque aliis tradidit: quemadmodum parentes ex se genitos aliis nutriendos educandósque cõmittunt: ipse enim quem condidit, perpetuo regit & conseruat & vt ab alio quam à Deo mundus non potuit effici, ita nec ab alio conseruari aut gubernari potest. Audi Iob, qui in 34. capite sic ait, *Quem constituit alium super terram? aut quem posuit super orbem, quem fabricatus est?* & Paulus, *Qui portat omnia verbo virtutis suæ*, Et auctor libri Sapientiæ, *Quomodo posset aliquid permanere nisi tu voluisses? aut quod à te vocatum non esset, conseruaretur?* quod etiam pluribus verbis persequitur Dauid in illo psalmo. cum ait, *Omnia à te expectant, vt des illis escam in tempore:* & reliqua quæ sequuntur.

Mundũ à solo Deo & creatum esse, & conseruari atque gubernari.

Hebr. 1.

Sap. 11.

Psalm. 103.

Cœlum & terram.

QVATVOR esse animaduerto nobiliores horum verborum interpretationes. Prima interpretatio est, Mosem his verbis noluisse docere Cœlum & terram esse condita ante primum diem, nec eorum effectionem tradere hoc loco, sed nomine Cœli & terræ, totum hunc mundum corporeum (id quod fit crebro in sacris litteris) significare voluisse, ita vt consilium Mosis fuerit strictim & summatim, veluti ante oculos ponere vniuersum mundi opificium: deinde per sex dies ipsum particulatim explicare quid quoque die à Deo sit factum, sigillatim enarrando, vt si quis ita loquatur, Hic architectus fabricatus est ingens hoc & magnificum palatium, & primo quidem altissimum firmissimumq; iecit fundamentum ex magnis firmísque saxis compactum, tum amplissimos celsissimósque parietes excitauit, cæterasq; deinceps partes eius palatij ab illo affabre designatas, sigillatim exponeret. Hæc interpretatio apprimè placet Chrysostomo: memoratur etiam nec improbatur ab Augustino in capite tertio libri secundi contra Manichæos, & libro vndecimo de Ciuitate Dei, capite 33. Basilius verò in homilia 3. super Genesim ait eã fuisse à maioribus traditam, sibi tamen non probari. Et verò nec mihi admodum probatur: connexio enim, & continuatio verborum Mosis eam respuere videtur: nam cum Moses dixisset, *In principio creauit Deus Cœlum & terram*: subdit, *terra autem erat inanis & vacua.* In qua sententia, illa particula *Autem* copulatiua arguit proximè ante creationem terræ fuisse positam. Et certè Mosem his verbis tradere creationem Cœli & terræ non obscurè videtur Dauid indicare in psalmo 101. qui hunc ipsum Mosis locum spectans ait, *Initio tu Domine terram fundasti, & opera manuum tuarum sunt Cœli.*

Quatuor interpretationes.

Opinio Chrysostomi.

ALTE

A ALTERA interpretatio est Augustini in lib. 12. Confessionum cap. 7. is enim per cœlum interpretatur naturam Angelicam, per terram materiam informem omnium corporum: vt à principio Deus res duas condiderit, velut duo totius entis creati extrema; alterum summum & prope Deum, qui est Angelus: alterum infimum & prope nihil, quæ est materia prima. Verum hanc interpretationem non esse litteralem, manifestè constat eo argumento, quod hæc Mosis doctrina & narratio omnino est historica (vt supra docuimus cum regulas quasdam traderemus,) Si autem est historica, proculdubio verba illius propriè, non figuratè sunt accipienda: quid autem magis est præter propriam & vsitatam vo- *Opinio Augustini.*

B cum significationem, aut magis extra communem loquendi consuetudinem, quàm cœli nomine naturam Angelicam, terræ autem vocabulo materiam informem appellare? Quod si verba Mosis à propria eorum significatione ad figuratam & mysticam detorqueantur, cum eiusmodi significationes & interpretationes mysticæ sint admodum variæ & multiplices nullam profectò ex hoc loco stabilem & certam de mundi creatione doctrinam & sententiam Mosis eruere possemus.

TERTIA interpretatio est eiusdem Augustini, qui in priori volumine de Genesi contra Manichæos, tam per cœlum, quàm per terram significari putat materiam primam ex qua cõstant quidem omnia corpora, sed primo & principaliter cœlum & terra, vt ob eam

C causam eorum nominibus ea sit à Mose nuncupata. *Altera opinio eiusdem Augustini.*

SED hæc Augustini sententia, quò planius intelligatur, ipsa eius verba hic subiiciam, quæ sunt in capite septimo eius libri. *Informis illa materia*, ait, *quam de nihilo Deus fecit appellata est primo cœlum & terra: non quia iam hoc erat, sed quia hoc esse poterat: nam & cœlum scribitur postea factum. Quemadmodum si semen arboris considerantes, dicamus ibi esse radices, & robur, & ramos, & fructus, & folia: non quia iam sunt, sed quia inde futura sunt. Isto genere locutionis etiam Dominus loquitur cùm dicit:* Iam non dicam vos seruos, *quia seruus nescit quid faciat Dominus eius:* vos autem dixi amicos, quia omnia quæcumque audiui à *Ioan. 15.*

D Patre meo nota feci vobis: *non quia iam factum erat, sed quia certissimè futurum erat. Nam post paululum dicit illis, Adhuc multa habeo vobis dicere, sed non potestis portare modo. Vt quid ergo dixerat, Omnia, quæ audiui à Patre meo nota feci vobis, nisi quia se sciebat hoc esse facturum?* Hæc Augustinus. Sed expositio hæc iisdem argumentis, quibus quæ proximè à nobis confutata est, refelli potest. Præterea verò, minis durum & insolens videtur, materiam primam appellari nomine cœli & terræ, quod hæc corpora formanda essent ex illa: pari enim ratione appellari potuisset & aqua, & aër, & ignis, & quodlibet aliorum corporum. Nec fit credibile, Mosem hæc scribentem Hebræis rudibus & indoctis, voluisse eos docere materiam primam, quam vix satis docti &

acuti philosophi intelligentia comprehendere potuerunt. Remotum etiam à ratione videtur, diuinam Scripturam, quæ toties Deum eò prædicat & magnificat, quod creauerit cœlum & terram, (id quod sine dubio ex hoc Mosis loco accepit) significare voluisse Deum fecisse materiam primam, cùm enim ea sit infima & vilissima rerum omnium à Deo conditarum, non ob eius creationem toties, & tantopere Deum laudandum & prædicandum esse existimasset. A

Communis opinio Theologorum hic vocabulo cœli, Empyreũ cælũ significari.

QVARTA interpretatio est peruulgata apud Theologos, iam enim annis ab hinc nongentis, à plerisque Theologorum recepta & probata est. In ea enim fuit Beda, Alcuinus, Rabanus, Magister sententiarum, & eius vestigia persequentes Scholastici Theologi, itémque Nicolaus de Lyra, & Magister historiæ scholasticæ, Tostatus quoque, atque Catharinus. Horum communis est opinio, nomine Cœli hoc loco intelligendum esse tantummodo cœlum Empyreum: multis rebus maxime diuersum à cæteris cœlis. Verum de hoc cœlo empyreo Augustini Eugubini non falsam modo, sed etiam perabsurdam, & à Christiana disciplina valde abhorrentem sententiam, velut in transcursu perstringere ac refellere, non alienum duco. Is igitur in sua Cosmopæia inter alia quædam paradoxa hoc etiam tradidit, idémque repetiit in tractatu quem fecit de Naturis incorporeis: Cœlum empyreum esse quippiam æternum & increatum, hoc est, esse lucem & claritatem quandam manantem ex Dei essentia, in qua Deus est, & ad cuius participationem atque fruitionem, tam boni Angeli, quàm viri iusti admittuntur. *Hæc enim est*, inquit, *illa æterna lux & claritas Dei, quæ in scriptura toties iustis hominibus pro mercede laborum promittitur*: de qua intelligendum putat illud quod de Deo in Psalmo centesimo tertio canit Dauid: *Amictus lumine sicut vestimento*, & illud Pauli: *Qui lucem habitat inaccessibilem*: & illud Domini apud Ioannem: *Clarifica me tu Pater, claritate quam habui priusquam mundus fieret apud te.* huius lucis specimen quoddam datum est in transfiguratione Domini nostri, & in rubo Mosis, & in eius vultu ex colloquio & consuetudine cum Deo habita, supra humanum obtutum resplendente. Hanc opinionem confirmat Eugubinus testimonio Basilij, qui homilia secunda super Genesim, inquit: *Arbitrari se ante molitionem huius mundi corporei fuisse lucem & claritatem quandam inenarrabilem, in qua versabantur Angeli, & quæ iustis hominibus in diuina scriptura crebro promittitur.* Existimat hoc etiam vidisse Homerum quasi per nebulam, cum sedem & domicilium Deorum appellauit Olympum, hoc est, totum splendentem atque collucentem. B C D

Noua & absurda Eugubini opinio de cælo empyreo explodiuur.

1. Tim. 6.
Ioan. 17.
Matt. 17.
Exod. 3.
Ibid. 34.

ATQVE hæc fuit Eugubini opinio: quam ego non tam refellendam, quam omnino explodendam, atque execrandam, ac si fieri posset, sempiterna obliuione sepeliendam iudico. Cuius enim animus

A mus non horreat audire, rem esse aliquam, quæ Deus non est, Deo tamen ipsi coæternam & increatam? quid magis contrarium scripturæ dici potest? cuius illæ sunt tot in locis tam illustres sententiæ: *Omnia per ipsum facta sunt.* & : *Qui omnia creauit, Deus est*, & rursus: *Creauit; vt essent omnia:* apud Paulum etiam in primo capite Epistolæ ad Colossenses, & in Symbolo fidei: *Deus pronunciatur ac declaratur conditor omnium rerum visibilium, & inuisibilium.* Vix autem possum existimare, quæ fuerit Eugubini de suo illo empyreo Cœlo mens, qui sensus, quæ cogitatio. Ait esse lucem & claritatem quandam: sed qualis est ista lux? num accidens solitarium, & per se cohærens? at repugnat hoc naturæ accidentis, nec sine miraculo fieri potest. An dicet esse substantiam? sed vtram? num corpoream? verum B qualis erit ista natura corporea, & ex quo genere corporum? fuit igitur corpus, aliquod ante mundi huius molitionem? num incorpoream? erit igitur spiritus aliquis & natura intelligens. Præterea si manat ista lux ex natura & maiestate Deitatis, haud dubiè manabit ex necessitate naturæ, hoc est tanta, quanta est vis Diuinitatis, erit igitur infinita: quo quid absurdius & incredibilius dici potest? Denique quocumque se versetur Eugubinus, mille implicabitur & irretietur laqueis, nec se vlla ratione extricare poterit. At enim verò dicet aliquis, Eugubinum satis modestè hanc opinionem suam prodidisse, subieciisse enim eam iudicio & censuræ Ecclesiæ, paratum, si ab Ecclesia damnetur, eam quoque damC nare. Rectè istud quidem: sed quanto satius fuisset, tam peruersum & impium dogma non euulgare, quàm cum istiusmodi correctione relinquere in scriptis, quod lectori non admodum cauto & erudito, errandi præbeat occasionem? Itaque vere dici potuisset Eugubino, quod in quemdam scitè dixit Cato. *Quare*, inquit, *culpam deprecari, quam ea carere maluisti?*

Ioan.1. Heb.3. Sap.1.

Quid sit lux inaccessibilis, quam Deus inhabitare dicitur.

Lvx autem illa & claritas super cœlestis, in qua Deus esse dicitur, & qua beati omnes perfruuntur: vel est ipsemet Deus, cuius inenarrabilis decor, pulchritudo, & vis illuminandi, & lætificandi tam hominum quàm Angelorum mentes, similitudine ac nomine lucis exprimitur, vel est vita æterna iustis hominibus promissa, quæ, eo D quod habet in se clarissimam Dei cognitionem cum summa lætitia & gaudio coniunctam, lux ritè nominatur: vel est claritas, qua cœlum empyreum omni ex parte mirabiliter collucet simul cum ipso cœlo condita. Ex quo perspicuum fit, propter supradictas scripturæ sententias quæ commemorantur ab Eugubino, non modo esse absurdum, sed etiam ridiculum, cœlum empyreum esse lucem quandam coæternam Deo prorsus increatam, & ex Dei natura & maiestate naturaliter manantem, arbitrari.

Quale sit cælum empyreũ secundum Theologos.

Sed omisso Eugubini figmento, videamus quale esse velint cœlum empyreum supradicti Theologi, quod hoc loco à Mose cœli vocabulo significari arbitrantur, Affirmant esse corpus totius mũdi altissimum

altissimum & amplissimum, penitus immobile & impassibile, totum A
lucens, non luce densa, quæ radios fundat, & quæ sit oculis mortalium conspicua, sed luce tali, qualis esse dicitur in elemento ignis, quod supra aëtem orbi lunæ subsidet. Porro Cœlum empyreum dicunt à principio creatum esse, plenum ornatúmque, atque distinctum nouem Angelorum ordinibus, & Diuinæ potentiæ claritate atque maiestate, supra quàm dici aut etiam cogitari possit, decorari atque illustrari. Hic Deum suam essentiam clarissimè videndam beatis mentibus aperire, huc euolare iustorum animos corpore solutos nulláque peccati macula infectos: hic denique post resurrectionem omnes iustos simul cum corporibus suis commoraturos. Putant etiam Cœlum hoc significari à scriptura, quotiescúmque ea dicit: Cœ- B
Psal 113. lum Cœli, vel Cœli Cœlorum: veluti cum Dauid ait, *Cœlum cœli*
Psal. 148. *Domino*, & *Laudate Dominum cœli cœlorum*: & Moses, *Domini cœlum est,*
Deut. 10. *& cœlum cœli.* Atque hoc Cœlum Damascenus libro secundo de Fide orthodoxa capite sexto existimat esse tertium illud Cœlum, ad quod Paulus 2. Corinth. 12. raptum se esse dicit: vt per primum Cœlum intelligatur aëreum: per secundum, id omne quod est sydereum, per tertium verò, ipsum empyreum, quod etiam in scriptura vocatur
Psal. 141. Terra viuentium, & Regio viuorum. Dauid enim dixit: *Portio mea*
Psal. 114. *in terra viuentium: &, Placebo Domino in regione viuorum:* quinetiam simpliciter dicitur Terra, Dominus enim dixit *Beati mites, quoniam ipsi*
Matth. 5. *possidebunt terram,* tum quod sicut inter elementa sola terra est immobilis, ita inter Cœlos empyreum, tum quod quemadmodum terra C
nunc est domicilium hominum mortalem vitam viuentium, ita post resurrectionem, Cœlum empyreum erit sedes iustorum hominum beatam vitam perpetuo æuo degentium.

Quibus rationibus per cœlum, cœlũ empyreum significari hic ostendatur.

Qvod autem Moses hoc loco nomine Cœli, empyrei Cœli creationem tradere voluerit, tribus argumentis confirmant. Primum argumentum petitur ex ipsa scriptura, quæ in hac narratione Mosis distinguit Cœlum à firmamento, & aquis supra firmamentum factis secundo die, & à sole & luna cæteríque astris, quæ quarto die sunt condita. Cùm igitur per firmamentum intelligatur octaua sphœra per aquas supra firmamentum locatas, nonum Cœlum, quod vocant crystallinum per solem autem lunámque & astra D
septem orbes planetarum: relinquitur, per cœlum in principio factum, non aliud posse intelligi quam cœlum empyreum, cumque scriptura toties prædicet hoc Cœlum, vt suprà diximus, non est credibile eius creationem prætermissam esse à Mose, sed cùm sit primum omnium, primo etiam loco esse traditam. Alterum argumentum ductum est ex quadam conuenientia & congruentia: Si enim Deus propter statum hominis mortalis, & ad huius breuis vitæ vsus & commoda tot Cœlos condidit, qui irrequieta conuersione circumagantur quanto magis consentaneum fuit facere Cœlum aliquod, quod esset statui hominis post resurrectionem,

animo

A animo simul & corpore, beatam & immortalem vitam agentis maximè congruens domicilium? Si querat quispiam, quid opus fuerit Cœlum empyreum creari in exordio mundi, cuius futurus non erat vsus nisi post sæculi consummationem. Respondet isti, creari debuisse à principio, tum quod sit corpus incorruptibile, omnia autem corpora incorruptibilia ab initio sunt facta: tum quod huiusmodi Cœlum est conditum propter statum gloriæ iustorum. Duplex autem gloria expectatur, altera spiritualis, corporalis altera, non solum in humani corporis glorificatione, sed in totius etiam mundi renouatione, vt Paulus docet in capite octauo, Epistolæ, quam scripsit ad Romanos: in exordio autem mundi gloria spiritualis inchoata est in sanctis & beatis Angelis, quorum æqualitas in Euangelio B promittitur iustis: quare conueniebat, vt etiam gloria corporalis à principio inchoaretur in aliquo corpore, quod esset velut exemplar eius gloriæ, quam vniuersa creatura corporalis post iustorum resurrectionem expectat. Vide sanctum Thomam 1. parte quæstione 66. articulo tertio.

Matth. 22. Luc. 20.

Tertivm argumentum nititur veterum & nobilium scriptorum, qui hoc idem senserunt auctoritate, & vt tacitùs præteream, quos supra nominaui, certè ante nongentos annos Beda primus omnium perspicuis & disertis verbis hanc huius loci Mosaici intelligentiam & sententiam tradit in suo Hexamero, breui quidem, sed vere aureo libello: qui superioribus annis, sub nomine & inscriptio- C ne Iunilij Afri, falso est euulgatus, cum certis argumentis constet auctorem eius fuisse Bedam. In eo igitur libello Beda prope initium ita scribit: *Cœlum, quod in principio Deum fecisse scribit Moses, ipsum est Cœlum superius, quod ab omni huius mundi volubili statu secretum diuinæ gloriæ præsentia manet semper quietum. Nam de nostro Cœlo, in quo sunt posita luminaria huic sæculo necessaria, in sequentibus scriptura quomodo, vel quando sit factum declarat; non ergo superius illud Cœlum, quod mortalium omnium est inaccessibile conspectibus, inane creatum est & vacuum, vt terra, quæ nil in prima sua creatione virentium germinum, vel viuentium produxit animantium: quia nimirum suis incolis mox creatum, hoc est beatissimis Angelorum agminibus impletum est.* Hæc Beda quo loco etiam Beatum Hieronymum laudat D huius sententiæ suffragatorem. Præterea citatur in eandem sententiam Basilius, qui in secunda, & tertia homilia super Genesim affirmat, Cœlum in principio factum, esse diuersum à firmamento, quod factum est secundo die: illud enim esse supremum, super quod sit lux inenarrabilis, in qua, tam Angeli quàm animi hominum beati versantur. Similia quædam scribit Theodoretus in Quæstionibus suis super Genesim, quæstione vndecima & decima quarta. In Catena verò Lippomani ponitur sententia Diodori Episcopi Tharsensis, quem Chrysostomi magistrum fuisse ferunt, Is ait, non esse hoc loco nomine Cœli intelligendum Cœlum quodcumque est oculis mor-

Hexameron Bedæ falso ad scriptus Iunilio.

talium aſpectabile, ſed ſuperius quoddam & diuinius quod Cœlum Cœli vocatur in ſcriptura. Damaſcenus autem libro ſecundo, de Fide orthodoxa, capite ſexto, idem fermè ſcribens de hoc Cœlo, inquit eſſe ipſum mundi ſupremum terminum, ſedem Angelorum & ſublimius omni Cœlo ſydereo, quod in ſacris litteris appellatur *Cœlum Cœli*, & à Paulo, *Tertium Cœlum*. Subiungit præterea, Cœlum hoc cognitum fuiſſe à ſapientibus huius mundi, & memoriæ proditum: vocari enim ab ipſis ἄναστρον, hoc eſt inſtellatum, quæ Moſis propria ſunt, ſua facientibus dogmata. Quin enim Ioannes Picus Mirandulanus in ſuo Heptaplo, capite primo ſecundæ expoſitionis, duos nominat Hebræorum ſapientes, Abraham Hiſpanum inſignem Aſtrologum, & Iſaac in Philoſophia nobilem, quorum vterque tradidit Cœlum empyreum: Iſaac verò putauit eum orbem eſſe adumbratum ab Ezechiele per ſapphirum in ſimilitudinem throni, vt color ſapphiri, lucis nitorem, throni autem ſimilitudo, ſtabilitatem & immobilitatem eius Cœli declaret, quid igitur prædicti ſcriptores putauerint per Cœlum hoc loco intelligendum eſſe, ſatis eſt expoſitum.

Cœlum empyreum Philoſophis cognitum.

Ezech. 1. & 10.

A

B

NOMINE autem terræ cenſent ſignificari à Moſe materiam primam, vel informem omnino, vt videtur ſenſiſſe Beatus Auguſtinus ſicut paulò ſuprà diximus, & ex ſcholaſticis in 2. ſent. Marſilius & Gabriel: vel non quidem omnino informem, ſed habentem tantummodo generalem quandam formam corporis, velut corpulentam quandam maſſam, quæ totum illud vacuum, quod eſt intra Cœli empyrei ambitum, occupabat & implebat: & ab initio erat corpulenta quædam maſſa rudis & indigeſta, ex qua deinceps corpora omnia, tam cœleſtia, quàm ſublunaria compoſita & conformata ſunt. Exiſtimant autem ruditatem & informitatem huiuſmodi materiæ fuiſſe adumbratam à Moſe tripliciter: primò, nomine terræ, quod vt terra ſubiacet aliis omnibus elementis, & eſt locus omnium miſtorum: ſic materia ſubiecta eſt omnibus formis, quæ ex eius quaſi vtero gignuntur, & in eius ſinu & gremio continentur. Deinde inſinuari vocabulo aquæ, cùm dicitur: *Spiritus Domini ferebatur ſuper aquas*: propterea quod, quemadmodum aqua eſt maximè formabilis, & quoquo modo figurabilis ita eſt materia tractabilis & flexibilis à quolibet agente, & ad quamuis formam accipiendam facilè comparari, & accommodari poteſt. Poſtremo ſignificari eam vocabulo Abyſſi, illis verbis; *Et tenebræ erant ſuper faciem abyſſi*. Vox enim Abyſſi ſignificat profunditatem quandam viſu impenetrabilem: non eſt autem diſſimilis huius materiæ natura: quippe non eſt per ſe comprehenſibilis, ſed, auctore Platone ſpuria tantum & adulterina notione cognoſcitur. Ariſtoteli autem placet eius notitiam capi ex analogia ad materiam rerum artificialium: hanc opinionem memorat Lyranus, & probat Toſtatus, &

Quid vocabulo terræ ſignificari putent Theologi. Aug. c. 7. lib. 1. de Geneſi contra Manichæos.

C

Geneſ 1.

D

Ibid. 1.

Plato in Timæo.

A tus, & tribuitur ea Bedæ, Strabo, Hugoni, sed malè. Porro hanc illi opinionem confirmant etiam testimonio scripturæ, quæ in capite vndecimo libri Sapientiæ tradit fecisse Deum orbem terrarum ex materia inuisa, seu vt est in codicibus Græcis, & ita solet vsurpari ab Augustino, ex materia informi. *Si mundus*, inquiunt, *Ex materia informi est conditus, eius materiam ante alia in principio esse conditam, eiusque effectionem à Mose primo loco, esse traditam, maximè consentaneum est.* Sic illi. Est autem huius sententiæ per quam affine & similimum, quod docet Philastrius Episcopus Brixiensis in catalogo hæreseon: insimulat enim hæreseos eos, qui dicunt Mosem nomine terræ in principio creatæ, significare voluisse terram hanc nostram elementarem: cùm à Mose significetur alia quædam terra, quæ est velut matrix omnium rerum, quæ in scriptura vocatur Hyle, hoc est, materia inuisibilis & incomposita, quæ à Deo facta est in principio: hæc autem nostra terra facta est, deinde & fundata super aquam, sicut dixit Dauid, *Qui firmauit terram super aquas:* Illa verò matrix omnium rerum terra, immensa est & aquam & terram vi sua continens. Hæc Philastrius. Cæterum nomine terræ, non esse intelligendam materiam informem, quæ primo & ante alia creata fuerit à Deo, sanctus Thomas prima parte quæstione sexagesima sexta articulo primo, ad hunc modum argumentatur: *Per materiam primam per se creatam ante alia omnia, vel intelligunt isti verè materiam primam nudam omni forma: at cum huiusmodi materia sit ens in pura potentia, existentiam qua est omnem à forma accipiens, non potest sine forma creari aut existere: efficeretur enim vt actu esset sine vllo actu, & existeret sine vlla existentia: vel per materiam informem intelligunt non materiam primam, sed materiam generali quadam forma corporis tantum præditam:* at contendit Beatus Thomas talem non fuisse productam à Deo in principio mundi; etenim subiectum generationis substantialis est ens in potentia, & non hoc aliquid, vt docet Aristoteles in quinto libro Physicorum: nec in vno composito potest esse nisi vna duntaxat forma substantialis, quocirca ex illa materia corporea nullum aliud corpus formari, & generari potuisset. Sed has beatæ Thomæ rationes multi & docti viri (quorum ego sententiæ libenter subscribo) infirmas iudicant: nam nihil prohibet, quinetiam fortasse necessarium est, in quibusdam corporibus multas esse formas substantiales: nec materia prima est proximum subiectum generationis præterquam elementorum: in generatione enim mistorum elementa ipsa proximæ materiæ, ac subiecti vicem implent, sicut semen in generatione animalium. Nec est probabile, materiam primam à formis accipere existentiam, qua est actu in mundo, sed eam, cùm sit per se ingenerabilis & incorruptibilis, habere quoque existentiam naturæ suæ conuenientem, ne, cum millies quotidie formas induat & exuat, necesse sit eam millies etiam quotidie exi-

Philastrij de materia prima mirabilis opinio.

Psal. 139.

B. Thomæ argumentatio quod non sit per se creata materia informis, in sit valida.

stentiam suam deperdere, & denuo acquirere: quo nihil improba- A
bilius dici potest. Verùm hanc controuersiam in quinto libro nostro de Philosophia, longa nos & accurata disputatione tractauimus.

Auctoris sententiæ quid per cælũ in principio creatum debeat intelligi.

EXPECTAT, opinor, lector, vt quid ego sentiam de hac quarta interpretatione tam vulgata, tam multis probata, & à nobis tam fuse & diligenter adhuc exposita, paucis aperiam. Equidem cum istius opinionis auctoribus partim consentio: partim dissentio, assentior esse Cœlum empyreum, quale propemodum ab istis describitur, & esse in principio mundi factum: & fortasse hoc loco nomine cœli à Mose comprehensum. Quamquam, illud adduci non possum, vt credam, eiusmodi cœlum fuisse ab antiquis & ethnicis Philosophis, non B
modo cognitione perceptum, sed etiam scriptis proditum: eius namque cœli natura nõ solum fugit hominis sensus, sed etiam humanam rationem excedit: quippe cùm nec motu, nec lumine, nec proprio aliquo effectu, & defluxu nobis possit innotescere, his autem solis tribus viis gentiles Philosophi naturam Cœli, & inuestigarunt, & compertam habuerunt. Nam cœlum illud ἄναγρον positum ab antiquis, non fuit empyreum, vt putauit Damascenus, sed nonum cœlum primo deprehensum à Ptolemæo, tantæ tarditatis in motu, vt centum annis non amplius quàm vnum gradum absoluat. Non assentior autem istis, nomine cœli hoc loco vnũ dumtaxat cœlum empyreum

Cælũ empyreum nõ fuisse cõpertũ Gentilibus probatur.

significari: etenim consilium, & propositum Mosis in hac doctrina C
tradenda id profectò fuit, vt aperiret Hebræis originem & primordia, molitoremque ac opificem rerum omnium corporearum, quas illi & cernebant, & propter earum magnitudinem, pulchritudinem, vim atque efficientiam magnopere mirabantur, & doceret eas res nõ esse deos, nec diuino cultu & honore dignas esse, sed esse veri Dei opera: quæ cùm ex æternitate nulla fuissent, aliquando primum ex nihilo à Deo sunt facta: vt hac ratione, & Hebræos deduceret ab errore Gentilium, huiusmodi res pro diis colentiũ atque venerantium, & per earum rerum aspectum atque contemplationem ad vnius Dei, omnium conditoris notitiam, amorem, cultumque eorum animos excitaret, atque subueheret. Huic autem consilio & proposito Mo- D
sis, valde alienum & dissentaneum erat, statim in principio suæ historiæ tradere Hebræis cœlum empyreum, quod non modo humanis sensibus est incompertum, sed etiam humana ratione vel sapientissimis Philosophis fuit incomprehensibile. Sanctus præterea Hieronymus in Epistola centesima trigesima nona, ad Cyprianum, scribit, Mosem in libro Geneseos creationem tantum rerum visibilium exposuisse, deinde Dauid Mosem æmulatus, hanc eius sententiam. *In principio creauit Deus Cœlum & terram:* fermè eisdem verbis expressit in Psalmo 101. dicens: *Initio tu Domine terram fundasti, & opera manuum tuarum sunt cœli*, quod autem per cœlum non intellexerit Dauid

Moses Hebræis creationem rerũ visibilium solũ exposuit.

A uid cœlum tantummodo empyreum, apertè declarant prædictis verbis proximè consequentia, subiunxit enim de cœlis, *Ipsi peribunt, tu autem permanes, & omnes sicut vestimentum veterascent. Et sicut operiorium mutabis eos, & mutabuntur,* hæc autem in cœlum empyreum nulla ratione conuenire possunt, vtpote quod secundum Theologos, sit prorsus impassibile & immutabile, nec post consummationem sæculi vllo modo innouandum atque commutandum. Suffragatur etiam huic sententiæ Basilius, quippe in homilia secunda super Genesim ait: *Cœlum, quod in principio factum est, similiter vt terram, esse ab initio factum incompositum, & inornatum: postea vero esse decoratum luce, & Sole, Luna, omnibusq; astris mirabiliter distinctum & exornatum.* Ex quo intelligitur, Cœlum in principio factum Basilio videri id, quod postea luce & syderi-

B bus est illustratum, quod de Cœlo empyreo dici non potest. Ego igitur arbitror, nomine cœli hoc loco intelligendum esse vniuersum corpus cœleste cunctos orbes complectens: ita vt in principio Deus creauerit substantiam, & numerum omnium cœlorum, sine luce tamen, motu, & distinctione syderum: postea verò tribuit eis lucem, & suum cuique cœlo motum, & accendit in eis sydera, magna vi & potestate ad agendum pollentia. Itaque corpus cœleste factum est ab initio perfectum, quod attinet ad substantiam, numerum, ordinem seu dispositionem, magnitudinem, figuram, denique partium densitatem & raritatem: deinde vero multa sunt illis addita primo & quarto die, hoc est, suus cuique orbi Angelus motor, proprius cuiusque

C motus, decor lucis, & astrorum distinctio, denique singularis & mira cuiusque cœli vis & potentia agendi. Atque hoc & intellectu facilius, & creditu promptius erit, postquam secundi diei opificium fuerit expositum, tunc enim ostendemus, per firmamentum non posse intelligi aut octauam sphæram solam, aut eam vna cum subiectis ipsi septem planetarum orbibus: nec per aquas super firmamentum locatas, intelligi debere nonum Cœlum, crystallinum vulgò appellatum.

Quid per cœlũ intelligẽdum sit, secundũ auctorem.

Porro nomine Terræ interpretor & intelligo id, quod nomen ipsum præse fert & significat, verum, inquam, terræ elementum: cum enim doctrina hæc Mosis (vt sæpe diximus) historica sit,

D verba eius propriè, non figuratè, seu allegoricè sunt accipienda: namque ob hanc potissimum causam Tertullianus valde reprehendit Hermogenem, quod quam Moses vocat terram inanem & vacuam, is proprias vocum notiones deprauans, dixerit esse materiam primam. Nec aliter quàm nos Basilius, Ambrosius, Theodoretus, Chrysostomus, Beda in Hexamero, denique quotquot memini me legisse scriptores Græcos, & Latinos ante Augustinum, nomine terræ interpretati sunt. Et verò huic opinioni magnam fidem astruit, quod Moses eodem nomine terræ, in opere tertij & sexti diei enarrando, pro vero elemento terræ (vt fatentur omnes) vti-

Quid per terrã hic debeat intelligi secũdũ auctorem.

Hermogenes merito reprehẽditur à Tertulliano.

tur: nec est virisimile, tam paruo interuallo, nomen terræ tam ambiguè & obscurè vsurpasse, hoc est, primo pro materia informi, deinde verò pro elemento terræ. Ad hoc, terram fuisse initio mundi factam, declarauit Dauid, cum dixit: *Initio tu Domine terram fundasti*, pro illa autem voce Latina, *Initio*, Hebraicè est vox propriè significans, prius & ante alia. Quod si terra non est facta in principio, quando igitur est facta, aut vbi eius effectio narratur à Mose? Respondent, tertio die esse factam: at eo die legimus dixisse Deum, non vt terra fierer, sed vt appareret arida, hoc est, vt quæ erat obruta aquis, extaret: & exsiccata, idonea fieret sedes & locus generationis, & habitationis, tam stirpium quàm animantium. Quid quod non sit credibile, aquam esse productam ante terram, legimus autem ante tertium diem, separatas esse aquas superiores ab inferioribus, quinetiam ante primum diem audimus Mosem dicentem: *Spiritus Domini ferebatur super aquas*. Postremò, durissimum est, & quod animus respuat credere, Mosem per omnia illa verba: *Terra erat inanis & vacua, & tenebræ erant super faciem abyssi, & Spiritus Domini ferebatur super aquas*, non aliud quam materiam primam nobis insinuare voluisse. Sententiam autem illam productam ex libro Sapientiæ: *Creauit Deus orbem terrarum ex materia inuisa*, seu informi: ira reor intelligendam esse, vt eam Beda in Hexameron interpretatur: ait enim significari congeriem illam corporum indigestam, & inornatam, videlicet cœli, terræ, & aquæ, in exordio mundi ante alia conditam, hæc enim appellatur materia, quod ex his, vel in his corporibus facta sunt, quæcumque posteà per sex dies facta memorantur. Dicitur autem materia inuisa, vel informis, quod eiusmodi corpora initio facta sunt sine luce, & sine eo decore, formositate, & ornatu, quem postmodum acceperunt. Sic etiam exponit ea verba Glossa interlinearis: & hoc ipsum innuit Sanctus Paulus ad Hebræos vndecimo, cum dixit: *Fide intelligimus aptata esse sæcula verbo Dei, vt ex inuisibilibus visibilia fierent*. Inuisibilia, vocat cœlum, terram, & aquam, prout erant ab initio ante primam diem. Sic autem esse hoc loco accipiendum terræ vocabulum, vt nos diximus, censent Basilius, Ambrosius, Chrysostomus, & omnes Græci, & Beda in Hexameron, atque Hugo in suis Annotationibus in Hexameron, & in principio primi libri de Sacramentis.

Psalm. 101.

Explicatur locus libri Sapientiæ c. 11.

A

B

C

D

Cur Moses tantũ de terræ & aquæ, non autẽ de aëris & ignis melitione fecerit mentionem.

Ac licet Moses hoc loco duorum tantummodo elementorum explicatè faciat mentionem terræ nimirum & aquæ, reliqua duo tacitus præteriens. attamen simul facta esse omnia quattuor elementa, censet Basilius homilia secunda, & Damascenus libro secundo, capite quinto. Beda item in Hexameron. Quin Basilius, inquit, eumque secutus Beda. *Etiamnum videre est reliqua tria elementa multifariam intra terram contineri: namque ignem latere intra terram: perpetuæ eructatio flammarum & ignium, velut ex monte Æthna, aliisq; locis, & complurium*

A *complurium aquarum igneo calore feruentium eruptio ex terra, satis indicat. Quantum aëris intra sua viscera terra cohibeat, frequentes terræmotus propter spiritum intus agitatum, atque conflictatum, sunt indices: vt omittam interiores cauernas, & specus terræ multo aere completos. Quanta verò aquarum vis interiori complexu terræ contineatur, perennes fontium scaturigines, & fluminum origines; necnon effosio puteorum apertè ostendunt.* Quare nemini mirandum accidat, Mosem nomine terræ reliqua etiam elementa comprehendisse. Quamquam sunt qui putent non obscurè indicatum à Mose aërem illis verbis: *Spiritus Domini ferebatur super aquas*, vt non aliud sit Spiritus, quàm agitatus aër. Elementum vero ignis esse præteritum à Mose, quis miretur, qui sciat, nec paucos, nec ignobiles Philosophos addubitasse, num sit aliquod elementum ignis supra aërem,

B Lunæ globo subiectum, quosdam vero etiam audacter negasse? Nec est non verisimile, quod quidam graues auctores tradiderunt, Mosem rudi populo scribentem, duo tantummodo elementa exposuisse, terram & aquam, quod hæc sola sub aspectum cadant, & ex ipsis cætera corpora & manifestè, & magna ex parte composita sint, & in ipsis tanquam in loco naturali commorentur. Aristoteles libro secundo de Cœlo, textu decimo septimo. Ex eo quod cœlum sempiterna conuersione circumagitur, argumentatur opus illi fuisse centro quodam immobili, non quidem Mathematico, sed Physico, circa quod cœlum voluatur: hoc autem aliud quàm terram esse non posse: posita autem terra, alia quoque elementa necessariò ponenda esse. Etenim

C natura non fert vnum contrarium sine altero, ne, si vnum dumtaxat fuerit, trahat ad se omnia, & in se vnum conuertat: sed vtrumque contrarium, facit vt mutua concertatione vtriusque, vis eorum temperetur atque moderetur: quare si est terra corpus grauissimum & infimum, erit quoque ignis leuissimus corporum, supremumque locum appetens, hæc si fuerit extrema, necesse est alia duo, quæ sunt intermedia non deesse, præsertim cum secundum qualitates actiuas aqua sit contraria igni, terra verò aëri, simili ferme ratione in Timæo de necessitate quattuor elementorum Philosophatur Plato.

Eorum, quæ Philosophi & Mathematici de terra verè disputarũt & tradiderũt plera que multis ante sæculis fuisse sacris in lutteris prodita.

D Est autem hoc loco intelligendum, quæ vel Astrologi, vel Philosophi de terra, ingenti nominis sui gloria, subtiliter & doctè tradiderunt, ea vel omnia, vel certè præcipua, plurimis ante sæculis in Sacra Scriptura inueniri tradita. Et primo quidem, terram factam esse à Deo in loco suo naturali, vbi nunc est, non debet in dubio verti: existimandum enim est, Deum ita fecisse res omnes, vt naturis earum maximè congruebat, nec fecisse quicquam in statu violento, & contra eius naturam: est autem contra naturam terræ, eique violentum, esse extra locum suum naturalem. Nec sanè potuisset tanta terræ moles extra locum suum naturalem, nisi miraculosè velut suspensa teneri. Atque hoc apertè docet nos Scriptura:

Terram esse à Deo factã in suo loco naturali.

Scriptura : quippe Psalmo 118. sic ait, *Fundasti terram, & permanet.* A vtrumque verbum profecto,& Fundandi & Permanendi arguit terram in suo loco naturali esse à Deo factam;extra illum enim, nec vere diceretur fundata,nec permanere potuisset. Ob eandem etiã causam cum de creatione terræ agit Scriptura, alicubi dicit eam fuisse à Deo creatam & formatam,alibi verò fundatam & firmatam siue stabilitam,haud dubiè indicans factam esse in suo loco, extra quem nec bene fundari,nec firmari poterat.Huc etiam pertinet elegans illa descriptio fundationis terræ,quam metaphoricè ab ædificatione ingentis & magnifici cuiusdam palatij sumptam, tradit Iob in capite trigesimo octauo.*Vbi eras,*inquit, *quando ponebã fundamenta terræ? Quis posuit mensuras eius,si nosti?vel quis tetendit super eam lineam? super quo bases* B *illius solidatæ sunt? aut quis demisit lapidem angularem eius?* Terram autem esse immobilem,optimis argumentis probat Aristotel.lib.2.de Cœlo textu 90.sed hoc ipsum,annis ante Aristotelem septingentis,in sacris litteris proditum reperimus.Dauid enim in psalmo 92.dixit, *Firmauit Deus orbem terræ qui non commouebitur:*& in psalmo 103. *Fundasti terram super stabilitatem suam,non inclinabitur in sæculum sæculi,*& Salomon initio libri Ecclesiastæ,*Terra autem in æternum stat:*& in prioris libri Paralipomenon cap.16.*Deus fundauit orbem immobilem.* Eandem verò terræ immobilitatem metaphoricè describit Dauid in Psalmo 74.cum inducit Deum de terra dicentem,*Ego confirmaui columnas eius*, ea similitudine declarans naturalem terræ grauitatem, per quam in medio mundi collocata,firma & immobilis permanet,Sed enim, quispiam fortasse C opponet nobis quod scriptum est apud Iob c.9.de Deo, *Qui transtulit montes qui commouet terram de loco suo.*Verum hoc soluitur:eo enim loco Scriptura loquitur non de motu totius elemẽti terræ, sed aliquarum eius partium,qualis fieri solet in terræmotu,in quo terra,incluso intus spiritu concussa & tremefacta commouetur.

Terram esse immobilem & probauit Aristoteles & multo ante ipsum cecinit Dauid. Eccl.1.

Explicatur locus Iob c.9.

Esse autem terram in medio mundi loco (quod vocant centrum)locatam,& Mathematici docent & confirmat Aristoteles in 2. libro de Cœlo text. 98. & multô ante traditum est in Scriptura. Nam apud Philosophos,sursum & deorsum ita disponuntur in mundo,qui rotundus est,vt sursum quidem ponant in cœlo lunæ, deorsum autem in centro mundi : quippe centrum comparatione totius circumferentiæ,est locus infimus, & vndique à circumferentia maximè distans:at diuina Scriptura sicut sursum assignat cœlo, ita deorsum affigit terræ, quo indicat eam esse in centro mundi locatam. Salomon enim Prouerb. 25. *Cœlum*, inquit, *sursum & terra deorsum:* & Moses capite quarto Deuteronomij ita scribit, *Dominus ipse est Deus in Cœlo sursum & in terra deorsum* ; Dauid quoque cùm in Psalmo 102. exprimere vellet maximam quamdam distantiam, dixit : *secundum altitudinem Cœli à terra, &c.* non esset autem maxima distantia inter Cœlum & terram, nisi terra in medio mundi loco esset posi

Terram esse locatã in centro mundi.

D

A set posita. Ad extremum, terram esse sphœricam, multis rationibus demonstratum est à Mathematicis, & ab Aristotele in libro 2. de Cœlo text. 104. quod etiam non obscurè indicat sacra Scriptura, quæ toties appellat orbem terræ: vox enim illa Orbis, ostendit terram esse rotundam, & in figuram orbis conglobatam. Idem quoque intelligitur ex illis verbis, quæ sunt apud Isaiam capite 40. *Qui sedet super gyrum terræ*, vel vt habet Hebraica lectio, *Qui sedet super globum terræ*. Septuaginta autem verterunt, *Qui tenet gyrum terræ*. Ex quo liquet, futiles & commentitias fuisse veterum quorundam opiniones de figura terræ: Anaximander enim dixit eam esse columnarem, Anaximenes, mensæ similem; Leucippus, tympano: Democritus, disco.

Terram esse rotundam.

B Porro quidam olim mirati sunt, hodiéque mirantur, super quo fundata & firmata terra, tanto æuo perstet immota: non enim in animum inducere possunt tantam terræ molem & pondus, nulla re subnixum firmatúmque velut suspensum teneri posse, ne in aliquam partem propendens moueatur. Quamobrem existimarunt nonnulli eius rei non aliam reddi posse rationem, quàm omnipotentiam Dei miraculosè terræ molem ita sustinentis. Aristoteles in libro secundo de Cœlo text. 78. sex vel septem commemorat opiniones veterum de causa firmitatis & stabilitatis terræ, quarum antiquissima est opinio Thaletis, terram fundatam esse super aquas, & veluti insidentem & innatantem aquis, sustentari: quam & ipse

C reprobat, & confutat Seneca libro sexto Naturalium quæst. capite sexto. Nam, vt multa prætermittam argumenta, profectò quod de terra quæritur, idem grauiori ratione quæri potest de aqua, super quo ipsa fulciatur atque sustentetur, cùm etiam sit corpus graue: quinimo cùm terra sit grauior quàm aqua, magis est rationi consentaneum aquam sustentari à terra, quàm terram ab aqua: cui rei manifestam & certam fidem facit, sub qualibet aqua subsidere terram velut eius fundamentum. Cúmque in corporibus simplicibus & vniformibus, par sit ratio vnius cuiuslibet particulæ, atque totius elementi, si elementum terræ maneret super aqua, etiam partes

D omnes terræ super aqua manerent, quas tamen in aquam proiectas non supernatare aquis, sed in imum demergi cernimus. Verumtamen opinio Thaletis fauere ac suffragari videtur diuina Scriptura, quæ non vno in loco ait terram esse super aquas. Etenim in capite 20. Exodi sic est: *Non facies tibi sculptile, neque omnem similitudinem quæ est in Cœlo desuper, & quæ in terra deorsum, nec eorum quæ sunt in aquis sub terra.* Sed clarius hoc docet Dauid psalmo 23. *Quia ipse super materia*, inquit, *fundauit eum*, scilicet orbem terrarum, *& super flumina præparauit eum*: Et in psalmo 135. *Qui firmauit terram super aquas.* Hanc sententiam sequitur auctor libri quarti Esdræ in capite vlt. & Iustinus martyr in responsione ad quæstiones Orthodoxorum respondens ad quæst. 130. Denique hoc indicare videntur

Quæstio quo fundamẽto nixa & firmata, terra maneat semper immobilis.

Thaletis opinio, terram esse fundatam super aquas.

An secundum diuinam scripturam terra sit super aquas.

verba illa Petri, quæ sunt in capite tertio posterioris Epistolæ, *Cœli erant prius, & terra de aqua, & per aquam, consistens Dei verbo.* Verum neque hæc, nec si quæ alia obiici possunt, abducere nos debent à vera sententia: pro certo enim habendum est nihil in sacris litteris tradi, quod contrarium sit manifestis experimentis verisque rationibus: at necessariis argumentis ostenditur, terram naturaliter super aquam esse non posse: dicere autem terram super aquis miraculosè à Deo sustineri, hominis est ad commentitiæ opinionis suæ defensionem quiduis stolidè effutientis, & omnipotentia Dei, cum nec opus est & minimè decet, temere abutentis. Causam verò stabilitatis & firmitatis terræ esse naturalem eius grauitatem, quæ cum summa sit, suopte nutu ac pondere petit infimum mundi locum, hoc est centrum, in quo locata naturaliter quiescit, nec inde nisi per vim extrahi potest, & recta ratio ostendit, & vera philosophia demonstrat. Non igitur mirandum est, terram cùm sit in centro manere immotam: quin potius ingentis miraculi esset si quoquam alio moueretur: quocunque enim extra centrum ferretur, necesse esset eam sursum ascendere: omnis enim locus qui in circulo est extra centrum, centro superior est. Atque hoc idem significare voluit Dauid, cum dixit in Psalmo 103. *Fundasti terram super stabilitatem suam, non inclinabitur in sæculum sæculi?* stabilitatem vocans summum illud grauitatis pondus, quo fit vt terra in centro immota permaneat. Huc etiam spectat illud Iob in capite 26. *Qui appendit terram super nihilum*, hoc est, super nullo fundamento seu firmamento: non enim terra in centro posita, quoquam alio eget fundamento, quo fulciatur & sustentetur. Nec verò quod Scriptura inquit, *terram fundatam esse super aquam*, huic veritati aduersatur: namque id variè exponitur, quidam enim id referunt ad primum illum statum terræ, cùm ea in exordio mundi creata est à Deo aquis operta: vt illud super aquam, idem valeat quod in aqua, id quod respuit lectio Græca. Et hanc interpretationem assignat Basilio Euthymius, explanans psalmum vicesimum tertium, quo loco ait Chrysostomum simpliciter accepisse verba illa Dauidis, existimantem re vera terram super aquis esse fundatam, vt eo miraculo clarius eluceret Dei omnipotentia. Ipse autem Euthymius arbitratur verba Dauidis non esse intelligenda de toto elemento aquæ vel terræ, sed de iis aquis siue marinis, siue fluuialibus, quæ subterraneis meatibus cursus suos agunt. Etenim magna quædam flumina terram subterlabi longinquis interuallis, & post emergere in apertum, in confesso est apud omnes. Veruntamen similior vero est eorum sententia, qui terram super aquis esse factam, interpretantur terram esse factam superiorem, celsiorem, & eminentiorem aquis. Cùm enim lingua Hebræa careat comparatiuis, ad eorum vim exprimendam, vtitur particula super, præ & aliis similibus. Sic Dauid, *Super mel ori meo? & super aurum & lapidem*

Explicatur locus Dauidis, qui est in psal. 23.

Psal. 118.
Psal. 18.

A *pidem pretiosum multum.*

RESTAT vna quæstio breuiter expedienda, an opinio Philosophorum & Mathematicorum affirmantium, vniuersæ terræ ambitum & magnitudinem certa ratione ab ipsis compertam & comprehensam esse, repugnet diuinæ Scripturæ, quæ initio libri Ecclesiastici sic ait, *Latitudinem terræ, & profundum abyssi, quis dimensus est?* quasi dicat, nullus: & Deus ait Iob capite 38. eius libri, *Nunquid considerasti latitudinem terræ?* Ex his duobus locis videtur elici posse quod aiunt Mathematici & philosophi, esse homini incomprehensibile. Veruntamen respondendum est nullam esse repugnantiam: supradictis namque verbis Scripturæ non significatur impossibi-

B litas, sed raritas & difficultas: illa enim interrogatio *Quis*, vt benè HIERONYMVS annotauit, aliquando significat in sacris litteris raritatem & difficultatem, vt in illa sententia Salomonis, *Quis potest dicere, mundum est cor meum?* vel in illa eiusdem, *Mulierem fortem quis inueniet?* aliquando verò simpliciter negat, & denotat impossibilitatem: exempli causa, *Quis prior dedit illi, & retribuetur ei?* vel, *Quis restitit Deo, & pacem habuit?* vel *Quis est homo qui viuet, & non videbit mortem?* Vel responderi potest, Scripturam loqui de latitudine terræ, non simpliciter, sed eius tantùm, quæ est extra aquas & est habitabilis, cuius amplitudo adhuc incognita est mortalibus, quotidie repertis nouis terris atque gentibus: vel agit Scriptura de latitudine solius terræ? rationes autem Mathematicorum valent

C in vniuerso globo, qui ex terra simul & aqua est conflatus. vel denique Scriptura loquitur de exacta & infallibili cognitione amplitudinis terræ, quam Mathematici non tradunt? nec enim inter omnes constat quantum spatij terræ respondeat vni gradui cœlestis circuli: ex quo variæ philosophorum & Mathematicorum de dimensione ambitus terræ opiniones extiterunt. Et enim secundum Mathematicos, quos secutus est Aristoteles libro secundo de Cœlo, ambitus terræ continebat quadringenta millia stadiorum hoc est, quinquaginta millia milliarium Italicorum: secundum Hyparchum, teste Plinio, milliaria triginta quattuor mille sexcenta vi-

D ginti quinque: secundum Eratosthenem, vt refert Macrobius in somnium Scipionis, vnum & triginta mille & quingenta milliaria: secundum Ptolemæum, viginti duo mille & quingenta: quam opinionem etiam BASILIVS Homilia in Hexameron nona commemorat: secundum Alphraganum plurimósque, vt ait ipse, Sapientes, viginti mille & quadringenta milliaria: secundum Pharnelium, vigintiquattuor millia quingenta quattuordecim: secundum recentiores non modo Astronomiæ peritos, sed etiam qui penè totum Oceanum pernauigarunt, milliaria nouies & decies mille supérque octoginta. Tanta autem hæc magnitudo terræ, si cũ octaua sphœra, in qua sunt inerrantia sydera comparetur, instar puncti obtinere dicitur: ambitus enim octaui cœli continet ambitum globi qui ex

Excutitur locus Ecclesiastici de notitia latitudinis seu ambitus terræ.

Prouerb. 20.
Infra 31.
Rom. 11.
Iob 9.
Psalm. 88.

Varietas opinionũ de magnitudine ambitus terræ.
Aristotel. libr. 2. de Cœlo text. 112.

terra & aqua constat, vicies & bis millies supérque sexcenties & A
duodecies eóque amplius: quod æstimantibus manifestum fit quanta sit terræ paruitas, si cum supremo omnium Cœlo empyreo comparetur.

VERS. 2. *Terra autem erat inanis & vacua: & tenebræ erant super faciem abyssi.*

Quid sit terrã fuisse inanem & vacuam.

HEBRAICE sunt duæ voces, תהו ובהו *Tohu Vabehu*, quas Interpretes tam in linguam Græcam, quàm Latiam variè transtulerunt. Noster Interpres Latinus vertit *Inanis & vacua*: Pagninus: *Desolata & inanis*: Alij *Inculta & vacua*: Septuaginta *Inuisibilis & incomposita*: Aquila *Vanitas & nihil*: Symmachus *Otiosum & indigestum*: Theodotio *Inane & nihilum*: Paraphrasis Onkeli ad verbum habet *Desolata & vacua*: Ionathæ autem *Vacua hominibus & Iumentis*. Periti linguæ Hebrææ docent, vocẽ תהו *Tohu*, propriè significare vanum, seu vanitatem, videlicet, quod finẽ non assequitur, cuius gratia factum est. hac voce in 1. Regum ca. 12. appellantur idola, cùm dicitur. *Nolite declinare post vana, quæ non proderunt vobis, neque eruent vos, quia vana sunt*: vbi bis ponitur vox, תהו *Tohu*. Vox autem בהו *Bohu*, propriè significat inane, vacuum, & nihilum, latens etiam & obscurum; Vnde quidam putant ductam esse vocem Italicam, *Buio*, quæ significat obscurum & tenebrosum. His autem verbis Moses ante oculos nostros ponit, qualis fuerit in exordio mũdi status terræ: erat enim sine luce, sine vllo ornatu & decore, vacua hominibus, animantibus, & plantis; non distincta in mõtes, valles, campos, & colles; non eminens & extans supra aquas, sed omni ex parte altissimè aquis operta; deniq; talis, vt verè posset appellari materia inuisibilis & informis: Sic enim in libro Sapientiæ cap. 11. appellatur, cum dicitur: *Manum Dei fecisse orbem terrarum ex materia inuisa seu informi*. Caietanus putat eo tempore fuisse terram puram, quòd nullum in se haberet corpus mistum. Verùm cùm tũc esset tota aquis confusa & perfusa, non poterat summam siccitatem habere, quæ est velut insigne elementi terrę. Vt igitur fuerit pura secundum substantiam, secundũ qualitates tamẽ puram esse non potuit. B C D

ILLAM autem sententiam, *Et tenebræ erant super faciem abyssi*: Pagninus vertit, *Tenebræ erant in superficie voraginis*. Vox autẽ Hebræa, חשך *Chosech*, quam pluraliter Interpres noster vertit Tenebras. posset etiam Latinè vertit, Obscuritas, seruato eodẽ numero singulari. Pro illo *Super faciem*, Hebraicè est עלפני *Alpene*, significãs pluraliter superficies: quo denotatur, vt inquit Caietanus, totam aquã omni ex parte, hoc est, tam versus nostrum hemisphœrium, quàm versus oppositum, fuisse obscuram & tenebrosam, nondũ enim lux

vlla

A vlla erat à Deo creata תהום *Thehom* verò Hebraicè significat proprie voraginem, abyssum, & magnam profunditatem aquarum. BASILIVS ita definit abyssum: *Est*, inquit, *abyssus copiosa aqua, ad cuius fundum non facile penetrari potest deorsum versus.* AVGVSTINVS super Psalmum 41. *Abyssus*, inquit, *est profunditas impenetrabilis & incomprehensibilis: & fere dici solet in aquis, ibi enim est altitudo, vbi profunditas, quæ penetrari vsque ad fundum non potest, atque hinc ducta similitudine, abyssum multam vocat Scriptura Dei iudicia, vt quæ sint humana ratione & intelligentia incomprehensibilia.* Fuisse autem tunc ingentem aquarum magnitudinem, non est dubitandum: Caietanus quidem certè censet maiorem tunc fuisse aquarum vim & copiam, quàm tempore diluuij, quo tempore quindecim cubitis omnes terræ montes excessit

B aqua: in exordio autem mundi tanta fuit aquarum altitudo, vt linea ducta à circumferentia terræ ad extimam aque circumferentiam, longè maior fuerit quàm linea ducta à centro terræ ad eius superficiem, quæ tamen est semidiameter terræ, minimum, longitudine continens ter circiter mille milliaria. Nec mirum hoc cuiquam videri vult Caietanus: quantò enim superius est elementum, tantò grandius est secundum omnes dimensiones, quinetiam opinatur aquam tunc decuplo ampliorem fuisse quàm terram, quòd nimirum tanta sit naturalis aquæ proportio ad terram. BEDA verò ne hac quidem altitudine aquæ contētus, affirmat in Hexameron, totum illud mundi spa-

C tium quod inter empyreum & terram continebatur, plenum fuisse aqua, hoc est, vt ego interpretor, materia quadam humida & aquea, & velut nebulosa, non æqualiter densa vel rara, sed quæ & densius coacta in elementarem aquam verti posset, & magis tenuata in aërem rarescceret, & ex qua mirabili ratione concreta, etiam orbes cœlestes conficerentur.

SED de primæuis mundi tenebris, memorabile est, ac verè paradoxum, quod BASILIVS & THEODORETVS hoc loco tradunt. aiunt enim supra primum cœlum fuisse à Deo, ante hunc mundum corporatum & aspectabilē, factam lucem quamdam inaccessibilem, in qua versabantur Angeli multis sæculis ante huius mundi molitionem conditi. Creato autem deinde cœlo, quoniam ipsum est cor-

D pus continuum & solidum, opacauit & obtenebrauit omnia, quæ intra eius ambitum facta sunt, videlicet obiectu suo obstans, ne lumen illud supremum, terram & aquam illuminare posset. atque hanc isti putant esse causam, cur creato cœlo, tenebræ fuerint super terram & aquam. Ad hanc commentationem adducti videntur, odio nugarum Manichæorum asserentium tenebras esse quamdam substantiam æternam, & principium rerum non minus quàm lucem. Similia verò eorum, quæ de primis tenebris tradunt BASILIVS & THEODORETVS, etiam B. Petrum docere solitum, auctoritate & testimonio Clementis Rom. in Hexameron confirmat BEDA.

Quid sit abyssus. Basil. Homi. 2. in hexa.

Psal. 55.

Quāta fuerit in mundi initio aquarum vis. Gen. 7.

Mira Basilij & Theodoreti de primæuis mundi tenebris opinio.

Hæc opinio refutatur.

SED profecto, si quod verba istorum in speciem præseferunt, A
hoc ipsi senserunt & significare voluerunt, difficile est eorum opinionem approbare. Etenim lux illa supercœlestis, aut erat spiritualis tantùm, aut corporalis: si tantùm spiritualis, certè tametsi nullum fuisset impedimentum cœli, nihilò magis tamen terram & aquam illuminare potuisset: nec cœlum, quod est corpus, vim spiritualem illius lucis impedire, nec, cùm Moses sine dubio hic agat de tenebris corporalibus, eiusmodi tenebræ ex priuatione illius lucis spiritualis existere potuissent. Sin autem ea lux erat corporalis, non vtique per se cohærere & constare poterat, sed eam in aliquo corpore inhærere necesse erat, quare fuisset aliquod corpus à Deo conditum ante cœlum & terram, quod aduersatur & Mosi hoc loco, & Dauidi in B
Psalmo centesimo primo dicentibus, *In principio creasse Deum Cœlum & terram.* Quod autem in exordio mundi tenebræ fuerint, & obscuritas ante lucem, etiam Paulus nos docuit, cum in vndecimo capite Epistolæ ad Hebræos inquit, *Fide intelligimus aptata esse sæcula verbo Dei, vt ex inuisibilibus visibilia fierent:* Et in capite quarto posterioris Epistolæ ad Corinthios, *Deus*, inquit, *qui dixit de tenebris lucem splendescere.* Erat igitur à principio terra aquis circumtecta, & quasi circumamicta. Quocirca Dauid in Psalmo centesimotertio de terra loquens, *Abyssus*, inquit, *sicut vestimentum amictus eius*, & Iob capite tricesimooctauo originem aquarum describens, *Quis concluſit ostiis mare, quando erumpebat quasi de vulua procedens, Cum ponerem nubem vestimentum eius, & caligine illud quasi pannis infantiæ obuoluerem?* C

Et Spiritus Domini ferebatur Super aquas.

Ibidem.

Varia lectio. PAGNINVS vertit, *Spiritus Domini suflabat in superficie aquarum.* Paraphrasis Onkeli habet, *Spiritus à facie Dei flabat super facies aquarum.* Ionathas vero, *Spiritus seu ventus misericordiarum, siue gratiæ, flabat super facies aquarum.* Hebraicè enim est vox pluralis numeri *Facies*, quam &

Quadruplex significatio vocabuli Spiritus. noster interpres, & Septuaginta omiserunt. Vocis Hebrææ רוח *Ruach*, quæ Latinè vertitur, Spiritus, quadruplex significatio est D
in sacris litteris sæpe vsurpata: vel pro aëre seu vento, vel pro Spiritu Sancto, vel pro natura incorporea, sic dicitur Deus Spiritus & Angelus, vel, vt paulo infra ostendam, pro vi quadam & impetu motionéque & efficacia. Verbum מרחפת *Merachepheth*, id est, *Ferebatur*, Septuaginta verterunt *Superferebatur*, hæc enim eorum translatio sæpenumero citatur ab Augustino: & alij, motabat se, seu agitabat, seu volitabat, alij sufflabat vel flabat. Hieronymus in Quæstionibus Hebraicis super Genesim affirmat, prædictum verbum Hebræum propriè significare, incubare siue confouere, similitudine volucrum, quæ oua calore suo fouent & animant: ex quo censet

perspicue

A perſpicue intelligi, Moſem hoc loco per Spiritum Domini non ſignificare aërem aut ventum, ſed Spiritum Sanctum, qui dicitur ſpiritus omnia viuificans, fouens & perficiens. Eandem verbi Hebræi interpretationem ait Baſilius hoc loco ſe ex quòdam Syro, magno viro accepiſſe; haud dubiè indicans Ephræm ſuum, & æqualem, & perquam familiarem. Eandem quoque verbi Hebræi notionem & interpretationem, maximè probat DIODORVS Epiſcopus Tharſenſis.

Noua Caietani interpretatio.

SED ANTEQVAM Patrum interpretationes exponam, libet explodere nouam & mirabilem Caietani expoſitionem, quam nemo, quod equidem ſciam, aut veterum aut etiam recentiorum, ne B per ſuſpicionem quidem attigit. Exiſtimat Caietanus his verbis metaphoricè ſignificari Angelos, qui Cœlos, præſertim autem primum mobile, maxima celeritate mouent. Ita vt, *Spiritus Dei*, ſignificet Angelum, ita crebro appellatum in Scriptura: Dauid enim dixit, *Qui facit Angelos ſuos ſpiritus. Super aquas*, ſignificat Cœlos, nam & Hebraicè vocantur שמים *Schamaim*, ab aquis ducto vocabulo: & Cœlum cryſtallinum, quod putat Caietanus primum mobile, cum ſit totum diaphanum & pellucidum, nomine aquæ rite nominatur. Illa autem particula *Super*, denotat excellentiam Angeli ſupra Cœlum quod mouet; non enim ab eo continetur, vel pendet, ſed potius ei ſupereminet & præſidet. *Ferebatur*, ſeu vt propriè ſonat verbum Hebræum *Volitabat*, aut *Incubabat*, oſtendit qualis ſit motus C Cœli, qui fit ab Angelo. Si enim legamus *Volitabat*, declaratur ſumma eius motus celeritas: ſin autem legamus *Incubabat*, demonſtratur vitalis eius vis & efficacia: eſt enim motus cœleſtis, vt tradit Ariſtoteles initio libri octaui Phyſicorum, quaſi vita rerum ſublunarium: per hunc enim, vt idem docet in primo libro de Cœlo, impertitur Deus omnibus rebus eſſe ac viuere, aliis quidem clarius, aliis verò obſcurius. Atque hæc eſt Caietani interpretatio. Quam eſſe duriſſimam, omnino extortam & violentam, miniméque cum propoſito & verbis ipſius Moſis congruentem, quilibet per ſe videre poteſt, adeo vt noſtra confutatione non egeat. Certè, ante factam lucem quid opus fuit conuerſione Cœli? etenim motus cœli non fit niſi D ad diſpenſandum lumen. deinde nomine aquarum ſignificari cœlos, locutio eſt nimium figurata, & in Scriptura inſolens, nec hiſtoricæ narrationi Moſis conueniens. Abſurdum etiam eſt, facere Moſem, tam paruo interuallo, tam ambiguè vtentem vocabulo aquarum, primo quidem pro cœlo, deinde autem in enarrando opere ſecundi, tertij, & quinti diei, pro verò aquæ elemento. Sed dimittamus Caietanum, & aliorum interpretationes ad iudicium & examen vocemus.

Pſalm 103.

Refellitur interpretatio Caietani.

Variæ opiniones quid hoc loco per Spiritum Do-

TERTVLLIANVS in libro quem ſcripſit aduerſus Hermogenem, contendit per Spiritum Domini hoc loco non Deum, ſed ventum ſignificari. Hæc interpretatio probatur maximè Theodoreto, qui

mini significetur.

Prima opinio Tertulliani & Theodoreti dicentium per Spiritum intelligi aërem.

to, qui in quæstione 8. super Genesim, putat Mosem his verbis subindicasse elementum aëris: sicut tradiderat elementum terræ & aquæ. Illud autem *Ferebatur*, ait demonstrare mobilitatem & agitationem naturalem ipsius aëris seu venti, vel naturalem aëris situm, qui est vndique supereminere aquis, ipsas circundando. Appellatur autem spiritus Dei, vel quod à Deo immissus erat, non enim tunc erant, causæ naturales excitantes ventum: vel quod ille ventus esset admodum validus & vehemens: mos enim est Scripturæ, cùm rem quampiam insignem & eximiam significare vult, adiungere ei nomen Dei, sicut dicitur Mons Dei, Cedrus Dei, Bellum Dei vel Domini, Ciuitas Dei. Hanc expositionem memorat Basilius hoc loco & Diodorus, vt citatur in Catena, nec improbant tamen, licet postponant ei, quæ est de Spiritu sancto. Cùm igitur hæc interpretatio à Tertulliano & Theodoreto maximè probata sit nec à Basilio & Diodoro, aliisque viris grauissimis damnata, nulla profecto ratio erat cur Catharinus eam non modo vt falsam, sed vt parum piam tam seuerè reiiceret & condemnaret. Nam quod quidam aiunt, licet vox *Spiritus*, interdum in Scriptura ponatur pro vento, nunquam tamen eam cum adiunctione Dei vel Domini, sumi pro vento, sed tantum pro Spiritu Sancto, falsum esse coarguit Theodoretus manifesto exemplo ex Psal. Dauidis 147. vbi sic est, *Flabit spiritus eius, & fluent aquæ*: significatur enim, immisso vento à Deo, aquas frigore conglaciatas deliquari atque diffluere. Potuisset idem aliis permultis Scripturæ testimoniis conuincere: cuiusmodi est illud Exod. 15. *Flauit spiritus eius, & operuit eos mare*; & in Cantico trium puerorum, *Benedicite imber & ros Domino, benedicite omnis spiritus Dei Domino*: & apud Iob. cap. 27. *Donec supererit halitus in me, & spiritus Dei in naribus meis, non loquentur labia mea iniquitatem*: & apud Isaiam cap. 30. *Nutrimenta eius, ignis & ligna multa: flatus Domini sicut torrens sulphuris succendens eam*, & cap. 40. *Exsiccatum est fœnum, & cecidit flos, quia spiritus Domini sufflauit in eo*. Existimant autem probatores huius interpretationis, propterea Mosem hoc loco fecisse mentionem spiritus, id est, aëris seu venti, quòd indicare vellet omnia elementa initio fuisse à Deo condita, hoc est, terram, aquam, & aërem, nam de igne vtrum sit elementum aliquod separato in mundi loco positum, magna lis est etiamnum inter philosophos. Et sanè priora duo manifesta sunt, etiam vulgo, visu tactuque: tertium & tactu & auditu: quartum autem id est, ignis, qui est supra aërem proximè subiectus orbi lunæ, nullo sensu notus est. Et propterea fortasse Deus creauit aërem cum motu & agitatione, vt ea ratione creatio ipsius omnibus innotesceret, aërem quippe vulgus indoctum non nisi ex motu eius deprehendit. Alij censent mentionem esse factam spiritus, scilicet venti, quod eius ministerio mox vsurus esset Deus ad separandam aquam à terra, vel certe ad exiccandam terram, quæ segregatis aquis lutulenta & cœnosa remanserat.

ALTERA

A ALTERA interpretatio, est ferme omnium Patrum tam Græcorum quàm Latinorum, per Spiritum Dei hoc loco, vel solùm, vel præcipuè ac principaliter significari Spiritum sanctum: quam sententiam secuta est Ecclesia Catholica in benedictione fontium: in qua de Spiritu sancto hæc canit, *Tu super aquas faturus eos ferebaris.* Et iterum, *Deus, cuius Spiritus super aquas inter ipsa mundi primordia ferebatur, vt iam tum virtutem sanctificationis aquarum natura conciperet,* Placuit autem maximè Patribus hæc interpretatio, tum quod per eam sacramentum regenerationis spiritualis, quæ fit per aquam & Spiritum sanctum, (in cuius rei signum & argumẽtum cùm Dominus noster baptizatus est in Iordane supra Iordanis aquas, Spiritus B sanctus in specie columbæ apparuit) ostenditur præmonstrata fuisse in prima mundi & hominis, origine, in qua Spiritus Domini ferebatur super aquas: tum maximè, quòd per eam patefit & innotescit mysterium Trinitatis in ipso mundi & diuinæ Scripturæ exordio: nam illud *In Principio*, denotat Filium: illud autem *Creauit Deus*, indicat Deum Patrem: hoc autem *Spiritus Domini ferebatur super aquas*, demonstrat Spiritum sanctum. Certè negari nullo modo potest, Spiritum sanctum in sacris litteris sæpenumero dici auctorem creãdi cœlos & terram omniáque fouendi, viuificandi, conseruandi. Dauid enim cecinit, *Verbo Domini cœli firmati sunt, & Spiritu oris eius omnis virtus eorum*; & alio loco, *Emittes Spiritum tuum & creabuntur, & renouabis faciem terræ:* & Iob inquit, *Spiritus Domini ornauit cœlos:* & in C libro Sapientiæ, multa præclara de Spiritu Dei prædicantur. Sed quid sibi vult illud verbum *Ferebatur*, seu vt legit Augustinus *Superferebatur super aquas?* Basilius inquit non aliud esse *Ferebatur*, quàm fouebat & viuificabat aquas, præparans eas ad mox futuram fœcũditatem. Augustinus ait, illud. *Superferebatur*, significare Deum esse superiorem rebus, quas condidit, nec vlla necessitate, nec rei alicuius indigentia impulsum esse ad fabricandum mundum, sed sua modo bonitate & benignitate: qui enim ob indigentiam operatur, operibus ipse suis subiicitur potius quàm superfertur. Beda in Hexameron sic ait, *Spiritus Domini ferebatur super aquas, non corporalibus locis sed excellentia potestatis: quia subiacebat voluntati creatoris, quicquid deinde* D *formandum & perficiendum inchoauerat.* Tostatus sic interpretatur: *Voluntas & mens Dei opificis ferebatur super aquas: quasi mente pertractans & designans quæcumque statuerat ex aquis facere, ad similitudinem hominis opificis spectantis & considerantis materiam sibi subiectam, quemadmodum ex ea fingere possit opus ad similitudinem eius formæ, quam animo suo conceptam & informatam habet.*

Altera interpretatio ferè à Patribus & Theologis probata quæ per Spiritum hoc loco Spiritum sanctum intelligit.
Ioan 1.
Matth. 3.

Trinitatis in mundi initio fit mentio.

Psal 32.

Psal. 103.
Iob. 26.
Sap 1. & 7.

TERTIA interpretatio est, per spiritum Domini significari non ventum, nec Spiritum sanctum: sed vim & impetum, & efficaciam quamdam vitalem & fœcunditatis plenam aquis impressam à Deo. frequens enim est in Scriptura, per spiritum Dei, significari

Tertia interpretatio Chrysostomi.

subitam quandam vim & extraordinariam Dei motionẽ, ad aliquid A
Iudic.14. magnum & eximium agendũ. Sic legimus spiritum Domini irruisse
1.Reg.11. in Sampsonem, & discerpsisse leonem: & in Saulem, & minutatim
4.Reg 2. concidisse bouem; in Elisæum quoque, & statim prophetare cepisse:
Act 8 hac etiam significatione dicitur spiritus Dei sustulisse Eliam in cœ-
lum, & rapuisse Philippum: & apud Danielem capite decimo quarto,
dicitur Angelus Domini apprehendisse Habacuc in vertice eius, &
portasse in capillo capitis, & posuisse in Babylonem super lacũ leo-
num *in impetu spiritus sui.* Ideo autem Moses docere voluit in princi-
pio, vim & efficaciam Dei affuisse aquis: vt intelligeretur, quęcumq;
postea ex aquis iussu Dei puncto temporis facta esse narrantur, non
esse facta natiua facultate & potestate aquarum: sed supernaturali
Iud 14. virtute Dei, qui aquis illis aderat, Sicut etiam cùm dicitur Sampson, B
irruente in eum spiritu Dei discerpsisse leonem, significatur non id
fecisse Sampsonem naturali robore, & propriis viribus, sed mirabili
quadam virtute tunc ei à Deo indita. Hanc expositionem solam am-
plectitur Chrysostomus homil. tertia in Genesim. Augustinus au-
tem in libro super Genesim imperfecto, capite quarto ait per Spiri-
tum Dei tria posse intelligi; vel Spiritum sanctum, vel ventum seu
aërem, vel vitalem quamdam creaturam, qua vniuersus orbis visibi-
lis mouetur atque continetur.

A T Q V E hæ sunt tres nobiliores, & verò etiam probabiliores
huius loci interpretationes; quarum quæ sit potissima, lectoris ar-
bitrio existimandum relinquo. Mihi certè prima & tertia, secun- C
Iudiciũ Au- dum sensum litteralem, quemadmodum secunda secundum sen-
ctoris Cur sum mysticum, maximè probatur. Illud fortasse cuipiam miran-
Moses creatio dum accidet, cur Moses sicut terræ, ita etiam aquæ Deum esse crea-
nem aquæ hic torem apertè non docuerit. Respondemus id quod tradit Augu-
non memora- stinus libro 11. de Ciuit. dei, capit. vlt. satis id insinuasse Mosem. nam
uerit. cùm dixisset, In principio Deum creasse terram, proximè declara-
uit qualis sit creata, nimirum inanis & vacua, & aquis tenebrosis
vndique operta: quibus verbis inuolutè docetur terram creatam
esse simul cum aqua, neque enim creari debuit aqua ante cœlum
& terram. Solius autem terræ creationem apertè tradidit Moses,
quia eius nomine etiam aquam comprehendi voluit, quod ex vtro-
que elemento vnus globus, & quasi vnum corpus confletur. Quin D
videtur aqua esse facta propter terram, non prout terra simplex est
elementum, sic enim ignobilior est, quàm aqua: sed vt est sedes &
quasi mater omnium viuentium. Deum autem effectorem esse &
conditorem aquarum omnium, multis in locis explicatissimè tra-
ditur in sacris litteris: veluti in capite 20. Exodi: in Psalmo 88. &
94. in Actis Apostol. capite. 14. & in Apocalypsi capite, 14. & in
lib. Iudith capite 9. sic est, *Deus cœlorum, & creator aquarum, & domi-*
nus totius creaturæ.

NON

A NON præteribo tacitus, celeriter tamen perstringam, quod à quibusdam non incuriosis rerum antiquarum æstimatoribus obseruatum & proditum est: multa, eorum quæ hic traduntur à Mose, similima reperiri in veterum poëtarum Theologorũ & philosophorum monimentis: & quia eos omnes Moses multis sæculis antecessit, credibile fit illa ex Mosaicis hausta esse fontibus. Moses tradit in exordio mundi fuisse terram inanem & vacuam, itémque tenebras & abyssum, Spiritum Domini & aquas: quæ ad vnum omnia Mercurius Trismegistus expressit in Pimandro. Sic enim ait, *Erant tenebræ infinitæ in abyssо, & aqua, & spiritus, tenuis intelligibilis, quæ diuina virtute erant in ipsо Chao.* Plato exponens in Timæo quemadmodum B aggressus sit Deus fabricare mundum: *Quicquid erat*, inquit, *non trãquillum & quietum, sed immoderatè agitatum, & quasi fluctuans, id assumpsit, & ex inordinato ad ordinem adduxit.* quam sententiam ex hoc loco Mosis accepisse Platonem, auctor est Iustinus Martyr in posteriori Apologia pro Christianis. Anaxagoras censuit omnia fuisse primò confusa & indigesta, deinde, accessisse mentem, quæ ea distinguendo & separando, mundum effecit. Hosiodus (vt refert Aristoteles libro primo Metaphysicorũ, & libro quarto Physicorum, & in libello qui inscribitur aduersus Xenophanẽ Zenonẽ, & Gorgiam) dixit primum omnium fuisse Chaos, tum amplissimam tellurem extitisse. Et Aristoteles quidem putat Deum fecisse Chaos tanquam receptaculum & locum corporum gignendorum: in eo autem libello C quem dixi, ait Hesiodum per Chaos intellexisse nihil, & ex nihilo fecisse cęlum & terram. Ouidius in primo libr. Metamorphoseos initio sententiam Hesiodi, & Anaxagoræ de mundi origine secutus, ita scribit:

Vnus erat toto naturæ vultus in orbe,
Quem dixêre Chaos, rudis indigestaq́, moles.
Nec quicquam nisi pondus iners, congestaq́, eodem,
Non bene iunctarum discordia semina rerum.

EVGVBINVS in Cosmopęia annotauit, veteres Græciæ sapientes materiam omnium rerum appellasse ὕλην paululum mutata voce pro ἴλην quæ vox significat cœnum, & limum: Et verò mate- D ria ex qua sunt cuncta fermè condita, secundum Mosem, fuit terra cœnosa & limosa, hoc est, terra aquis confusa & permista. Porrò noctem seu tenebras præcessisse creationem mundi, præter Mercurium & Hesiodum, etiam Thales Milesius sensit, rogatus enim vtra prior fuisset nox, an dies, respondit, ptiorem fuisse noctem. Aristoteles etiam testificatur antiquissimos Theologos tria fecisse mũdi principia, Chaos, Noctem, & Oceanum. Homerus certè, Oceanum & Thetin primos fecit deorum parentes, & deos inducit iurantes per aquam stygiam, quasi per rem omnium vetustissimam & honoratissimam. Thales verò, primus philosophorum in Græcia, aquam fecit rerum omnium principium.

Priscos gentilium Sapientes, multa huic Mosis doctrinæ similia prodidisse.

QVOD autem Moses ait de spiritu Dei mouente & præparante aquas ad rerum procreationem, dogma est Stoicorum asserentium omnia quæ sunt in mundo, vno diuino Spiritu procreari, regi, atque contineri. Idémque Virgilius elegantissimis illis versibus expressit.

Virgilius libr. 6. Æneidos.

Principio Cœlum, ac terras, camposq́; liquentes
Lucentemq́; globum Lunæ, Titaniaq́; astra
Spiritus intus alit: totamq́; infusa per artus
Mens agitat molem, & magno se corpore miscet.

HVNC spiritum fortasse appellauit amorem Hesiodus, quem etiam constituit mundi principium, Plato verò animam mundi. denique aquam pertinere ad mundi generationem & originem, sententa fuit Stoicorum, quam Seneca libro tertio Naturalium quæstionum capite decimotertio eleganter his verbis expressit: *Aqua*, ait, *Thales, valentissimum elementum est, hoc fuisse primum putat, ex hoc surrexisse omnia, sed nos quoque aut in eadem sententia eius, aut in vltima surrexisse omnia, sed nos quoque aut in eadem sententia eius, aut in vltima surremus. Dicimus enim ignem esse qui occupet mundum, & in se cuncta conuertat, hunc euanidum considere, & nihil relinqui aliud in rerum natura, igne restincto, quàm humorem, in hoc futuri mundi speciem latere. ita ignis, exitus mundi est, humor primordium.* Hactenus Seneca. Sed hæc à nobis nunc obiter dicta, & raptim collecta, aliena à proposito minimè sectantibus satis esse debent.

Stoicorũ sententia, referẽte Seneca.

OPVS PRIMI DIEI.

VERS. 3. *Dixit Deus, Fiat lux: Et facta est lux.*

Præconiũ lucis.

EFFECTIS primis mundi corporibus, indigestis tamen atque tenebrosis, lux ante alia omnia primo die à Deo, aptè profecto sapientérque creata est. Etenim lux est prima qualitas actiua primi corporis, hoc est, cœli non intra cœlum tamen contracta, sed ad omnes res corporeas effusa. Est lux generale principaléque instrumentum causarum cœlestium, quo vis omnis syderum, omnísque defluxus & effectus ad nos defertur, & quo vno fit in hoc nostrate mundo quicquid à cœlo fit. Et massa illa elementorum & cœlorum erat tenebrosa, confusa & vacua: primo die creata luce sublata est tenebrositas: secundo & tertio die, confusio ab aquis & terra est remota: reliquis diebus cœlum stellis, aër auibus, piscibus aqua, terra animantibus completa est. Adde quod, cùm Cœlum & terra inornata essent creata, decuit primum ornari Cœlum: cuius duplex ornamentum est, motus & lumen, sed principalius est lumen, nam motus est propter lumen. Et licet hoc primo die data sit Cœlo lux, & motus,

A motus, primo Cœlo mobili, expressa tamen mentio solius fit lucis, quia hæc per se nota est sensibus, vulgo etiam: motus autem non nisi doctis, & per lucem: quamuis cùm dicitur hanc lucem fecisse vicissitudinem diei ac noctis, mane ac vespere, satis indicatur motus eius, sine quo ea vicissitudo constare non potest. Nec tantùm lux est ornamentum colorum, sed omnium etiam corporum: Per lucem, vt Basilius, Beda, & Damascenus aiunt, omnia fiunt conspicua & manifesta, non vt cernantur modo, sed vt etiam cum voluptate cernantur: per eam enim varietas: decor, & pulchritudo rerum omnium apparet. *In principio* (ait Damascenus libro secundo de Fide orthodoxa capite septimo.) *Deus fecit lucem, id est, prima die pulchritudinem & ornamentum omnis visibilis creaturæ: auser enim*
B *lucem, & omnia in tenebris ignota manebunt, proprium non valentia demonstrare decorem.* Atque hanc vnam rationem, cur lux creata fuerit, reddit Auctor libri quarti Esdræ in capite sexto vbi commemorans hanc ipsam Mosis de creatione lucis historiam, sic ait, *Tunc dixisti de thesauris tuis proferri lumen luminosum, quo appareret opus tuum.* Hunc etiam principatum loci in describendo sex dierum opere, promeruit, lucis præstantia: nihil enim ea est in rebus corporatis: & quæ sub aspectum cadunt, vel ad aspectum iucundius, vel ad hilarandos animos lætius, vel ad vsum commodius, vel ad effectum potentius & fœcundius, vel ad mundi decorem & ornamentum pulchrius, vel ad percipiendam rerum omnium, præsertim au-
C tem cœlestium cognitionem, aptius, vel denique ad exprimendas & repræsentandas res spirituales & diuinas accommodatius. Quo factum est, vt tam in sacris litteris, quàm ab iis qui res diuinas tractarunt, sæpenumero & nomen & similitudo lucis ad explicandas res sacras vsurpetur. Lege Dionysium capite quarto primæ partis eius libri, qui est de Diuinis nominibus, & caput decimum quintum libri de cœlesti Hierarchia, in quo recensentur ad quatuor & triginta proprietates lucis & ignis, Deo diuinisque rebus mirificè congruentes. Porro cum mundi constructio per sex dies continuanda, & sexto demum die consumanda esset: quis non videt primo die creari lucem debuisse, sine qua dierum &
D noctium, nec ratio, nec distinctio, nec vicissitudo constare potest? Ob has igitur causas lucem primo die effici conueniebat. Quare sicut magnificam domum designanti, vtar enim similitudine Ambrosij, in primis curæ est lumen scilicet, vt ipsum quàm commodissime & largissime domus accipiat: ita Deus huic quod moliebatur amplissimo pulcherrimóque mundi palatio, ante alia lucem, vt opus erat, prouidentissimè comparauit. Vide apud Hugonem libro primo de Sacramentis, partis primæ capite septimo aliam quandam rationem quare Deus opera sex dierum à creatione lucis exordiri voluit; pulchram sane, sed tropologicam tamen potius quàm historicam: quamobrem nos eam hoc loco breuitatis

Cur Moses in principio Deum lucem fecisse prodiderit.

causa taciti prætermisimus. A

Quid significet illud Dixit Deus &c.

SED cur inducitur à Mose Deus creans lucem dicendo, *Dixit Deus, Fiat lux: Et facta est lux?* Respondeo, phrasi Hebraica, *dicere*, idem significare quod iubere, decernere, statuere, & velle efficaciter, vt aliquid fiat: sic etiam verbum Dei significat imperium, decretum, & voluntatem eius efficacem. Dixit igitur, *Fiat lux*, hoc est, iussit, statuit, & voluit efficaciter, vt lux fieret. deinde inducitur Deus solo verbo & imperio efficiens lucem, vt appareat incomparabilis eius auctoritas & potestas in res omnes, tam quæ sunt, quàm quæ non sunt. Ipse enim, vt Paulus ait ad Romanos, *Vocat ea quæ non sunt tanquam ea quæ sunt, & omnia obediunt ei.* Præterea vt innotescat quanta Deus celeritate & facilitate, quodcumque vult perficere valeat: namque infinitis partibus facilius est Deo facere quodcumque fuerit ei collibitum, quàm est homini verbo id explicare, vel cogitatione fingere. Rectè igitur Paulus ad Hebræos primo ait, Deum *portare omnia verbo virtutis suæ.* Ad hoc, vt palam fiat quàm sit potens & efficax Dei voluntas, *Omnia*, inquit Dauid, *quæcumque voluit, fecit in Cœlo & in terra, in mari, & in omnibus abyssis*; & in libro Sapientiæ de Deo scriptum est, *Subest tibi, cum volueris, posse*; & in Apocalypsi, *Tu Domine creasti omnia, & propter voluntatem tuam erant, & creata sunt.* His accedit, vt intelligatur, Deum non esse velut agens naturale necessitate quadam & sine cognitione faciens opus suum, sed ratione, consilio & libera voluntate, lucem totúmque mundum condidisse: dicere enim, & iubere, eorum est tantummodo, qui ad agendum, & rationem & consilium adhibent. Ad extremum, vt sic insinuetur secunda persona sanctissimæ Trinitatis, quæ est Verbum æternum: nam si Deus dicendo, fecit lucem & mundum, ergo per Verbum suum fecit: vt verissimè dictum sit à Dauide, *Verbo Domini cœli firmati sunt*, & à Ioanne, *Omnia per ipsum facta sunt, & sine ipso factum est nihil:* In libro quoque Sapientiæ capite nono sic est, *Tu Deus fecisti omnia Verbo tuo.* THEODORETVS in libro quæstionum super Genesim, ponit hanc quæstionem numero nonam: Cuinam Dixit Deus, *Fiat lux?* & respondet ita: *Non præcepit Deus alteri cuidam creare; sed quæ non sunt vocat: ita vt hic, præceptum sit ipsa voluntas. Omnia enim, ait Dauid, quæcumque voluit, Deus fecit. Quod si creando, voce quadam vsus est, certum est, hoc non elementorum inanimatorum causa, sed inuisibilium virtutum gratia factum esse, vt sciant, quod ipso iubente, ea quæ non sunt subsistant.* Sic THEODORETVS. Ad hanc lucis creationem post tenebras, spectauit Paulus, cùm in posterioris Epistolæ ad Corinthios capite quarto ait. *Deus qui dixit de tenebris lucem splendescere*, &c. & ad Heb. 11. *Fide intelligimus aptata esse sæcula verbo Dei, vt ex inuisibilibus visibilia fierent.*

Romano. 4.

Psal. 134.

Sap. 11

Apoc. 4.

Deus non est agens naturale.

Verbum æternum hic insinuatur.

Psal. 32.

Ioan. 1.

Psal. 134.

Rom. 4.

Quæstio Vtrum prima illa lux fuerit

SED vetus & grauis controuersia est inter Theologos, qualisnam fuerit lux illa primo die condita; vtrum spiritualis, an corporalis? nam cùm in Scriptura appelletur Deus lux, & dicatur habitare lucem inacces-

B

C

D

si

A acceſſibilem: cumque Chriſtus dixit Apoſtolis, *Vos eſtis lux mundi*, & Paulus fidelibus ſcripſit, *Eratis aliquando tenebræ, nunc autem lux in Domino*; non dubium eſt quin prædictis locis nomen lucis ſpiritualiter intelligendum ſit. Primum igitur videamus quid ea de re ſenſerit Auguſtinus. Is libro 11. de Ciuitate Dei capite ſeptimo ponit in dubio vtrum lux illa fuerit corporalis, an ſpiritualis: ita enim ſcribit, *Qualis illa ſit lux, & quo alternante motu, qualémque veſperam & mane fecerit; remotum eſt à ſenſibus noſtris, nec ita vt eſt, intelligi à nobis poteſt. Aut enim aliqua lux corporea eſt, ſiue in ſuperioribus mundi partibus longè à conſpectibus noſtris, ſiue vnde Sol poſtmodum accenſus eſt. Aut lucis nomine ſignificata eſt ſancta ciuitas in ſanctis Angelis & Spiritibus beatis. Fit tamen & veſpera diei huius, & mane aliquatenus, quoniam*

B *ſcientia creaturæ, in comparatione ſcientiæ creatoris, quodammodo veſperaſcit. Itemque luceſcit, & mane ſit, cum & ipſa refertur ad laudem dilectionémque creatoris: nec in noctem vergitur, vbi non Creator, Creaturæ dilectione relinquitur. Cognitio quippe creaturæ in ſeipſa decoloratior eſt, vt ita dicam, quàm cum in Dei ſapientia cognoſcitur, velut in arte qua facta eſt.* Hæc Auguſtinus illo loco dubitanter dixit. At paulò infra capite nono eiuſdem libri probabilius cenſet, nomine cœli, quod in principio creatum eſt, ſignificatam eſſe à Moſe naturam angelicam; nomine autem lucis die primo creatæ, inſinuari confirmationem & conſummationem Angelorum in gratia: per diuiſionem autem lucis & tenebrarum, indicari ſegregationem malorum Angelorum à

C bonorum conſortio. Hoc vt probet, ad hunc modum argumentatur Auguſtinus. *Moſes*, inquit, *in principio creatum eſſe Cœlum & terram, ergo ante hæc nihil erat creatum. Idem Moſes poſteà ſcripſit Deum ſeptimo die requieuiſſe à cunctis operibus quæ fecerat. Porro Angelos eſſe Dei opera, nefas eſt dubitare, cum & in Hymno trium puerorum, & in Pſalmo 148. ſcriptum ſit, Laudate Deum omnes Angeli eius, laudate eum omnes virtutes eius: & poſtea ſubiicitur. Quoniam ipſe dixit & facta ſunt, ipſe mandauit & creata ſunt. Ex his concluditur, Angelos eſſe factos intra vnum aliquem illorum ſex dierum. Et quidem factos eſſe ante quartum diem, quo ſydera omnia ſunt condita, liquet ex illis Domini verbis, quæ ſunt apud Iob c. 38.* ſecundum tranſlationẽ 70. Interpretũ, *Quando facta ſunt ſydera, laudauerunt me voce magna Angeli mei. Nec tertio aut ſecundo die factos eſſe exiſtimandum eſt: in*

D *promptu eſt enim, quid factum ſit illis diebus, nempe tertio die ſeparata eſt aqua à terra, & terra produxit herbas & ſtirpes: die autem ſecundo factum eſt firmamentum, diſterminans aquas quæ ſupra firmamentum ſunt ab iis, quæ ſunt infra firmamentum. Relinquitur igitur creationem Angelorum, ſi ad iſtorum opera dierum referenda eſt, pertinere ad opus primi diei, quo lux facta eſt.* Hæc ibi AVGVSTINVS. Idemque confirmat libro primo ſuper Geneſim ad litteram capite tertio & libro duodecimo Confeſſionum capite nono & decimoſexto. Hoc ipſum tradit Eucherius in commentario ſuper hunc locum. Rupertus verò in 1. libro de Trinitate & operibus eius, c. 10. non modo ita ſentit, ſed etiam argumẽto

probare

ſpiritualis, an corporalis. *1. Tim 6.* *Matth. 5.* *Epheſ. 2.*

Auguſtini ſententia.

Dan 3.

probare conatur non fuisse lucem illam corpoream; *Non conueniebat*, inquit, *primum Dei opus esse cæteris ignobilius: lux autem illa si corporalis fuit, quid aliud fuit quam accidentaria quædam aëris illuminatio? namque astra omnia postea quarto die formata, sunt, tum necesse fuit illam lucem non diutius quàm primo triduo durasse, factóque sole & cæteris astris prorsus euanuisse, quis autem in animum suum inducat credere, in molitione mundi, primum Dei opus fuisse ignobilissimum, in triduo duntaxat duraturum, in hoc factum, vt mox aboleretur?* Sic Rupertus. A

Communis opinio.

VERVMTAMEN communis fere Patrum tam Græcorum quam Latinorum, & prope omnium Theologorum sententia est, lucem illam fuisse corporalem & sensibilem: quinetiam probarunt hanc sententiam BEDA & Magister sententiarum, cæteroqui doctrinæ Augustini studiosissimi & acerrimi defensores. Eandem quoque Ecclesia videtur amplexata in Hymno, qui canitur ad Vesperas diei Dominici, in quo Deum ob creationem primigeniæ lucis ad hunc modum laudat. B

Lucis creator optime,
Lucem dierum proferens,
Primordiis lucis nouæ,
Mundi parans originem.
Qui mane iunctum vesperi
Diem vocari præcipis.

Bonauentura confutat opinionem Augustini.

SANCTVS BONAVENTVRA in secundo sententiarum distinctione 13. supradictam opinionem Augustini aliquot rationibus, non sane inualidis, confutat. *Primum*, inquit, *ante creationem illius lucis Moses dicit fuisse tenebras super faciem abyssi, haud dubiè corporales tenebras; ad quarum expulsionem, cum lux primo die creata fuerit, eam fuisse corporalem necesse est. Deinde per illam lucem distincti sunt tres priores dies, qui solis & astrorum creationem præcesserunt; sed illi tres fuerunt sensibiles: non minus profectò quàm reliqui tres post creatum solem, ergo prima illa lux fuit etiam corporalis & sensibilis. Ad hoc, satis apparet, interpretationem Augustini sententiæ verborum Mosis nequaquam inhærere & congruere, nec esse vt vocant, litteralem, sed ad mysticum & allegoricum sensum pertinere: quippe qui illis vocibus, lux, tenebræ, dies, vesper, & mane, à propria & vsitata earum significatione, ad figuratam & mysticam translatis, vtitur: cùm tamen non semel supra dictum & inculcatum sit, hanc Mosis narrationem esse historicam, ob idque secundum propriam & communem vocum significationem & vsum, interpretandam.* His adde illud argumentum: Si primo die & Angeli facti sunt, & boni à malis separati, illis glorificatis, his verò damnatis efficeretur, simul & nulla interiecta mora factos esse Angelos; eorúmque alios cecidisse, alios stetisse; & illos damnatos, hos verò beatificatos; præsertim autem cùm Augustinus putet, quæ hic narrantur facta per sex dies, ea omnia simul vnóque temporis momento esse facta. C D

Solutio rationum Augustini.

AD RATIONES contrarias, in promptu est respondere. Etenim licet

A licet Angeli sint Dei opera, hic tamen à Mose eorum creatio non est commemorata; propter multas & satis idoneas rationes infra cùm de creatione Angelorum separatim & propriè disputabimus à nobis proferendas. Dicitur autem Deus septimo die requieuisse ab omnibus operibus suis, nempe ab operibus mundi sensibilis ante expositis, & quorum effectio distinctè fuerat enarrata. Cœlum autem fuisse in principio creatum, significat fuisse recens factum, & ab aliquo principio temporis: vel fuisse factum ante alia omnia non quidem simpliciter, sed ante omnia, quæ deinceps per sex dies condita memorantur. Nec verò fuit prima lux, vt putat Rupertus accidentaria tantum aëris illuminatio, nec ea post triduum euanuit. Verùm hoc mox propriè & accuratè tractabitur. Hugo libri primi de Sacra-
B mentis parte 1. capite decimo existimat Angelos simul esse creatos cum Cœlo & terra; & per illam moram qua terra fuit inanis, vacua & tenebrosa, vsque ad creationem lucis fuisse eos in via ad merendum, vel demerendum. Prima die cum facta est lux, & à tenebris diuisa, bonos Angelos esse in bono confirmatos: malos autem obfirmatos in malo, & à bonis segregatos: Et ita quod agebatur in mundo sensibili, imago erat eorum, quæ in mundo intelligibili agebantur. Quæ Hugonis imaginatio & coniectura mihi quidem maiorem in modum placet & probatur. Vide Ægidium in Hexameron capite 16. primæ partis.

Hugo de mora quæ interfuit inter creationẽ Angelorũ eorumque glorificationẽ, aut dãnationẽ quid senserit.

DAMASCENVS videtur existimasse, lucem illam fuisse elemen-
C tum ignis: sic enim in capite septimo libri secundi de Fide orthodoxa scribit. *Ignis, vnum quatuor elementorum existit, cæterorum leuissimum, & ocyssime sursum emicans adustiuum & illuminatiuum, prima die à rerum opifice conditum: Inquit enim diuina Scriptura. Et dixit Deus Fiat lux: Et facta est lux, neque enim aliud est ignis quam lux, vt quidam aiunt.* Hactenus Damascenus. Cuius sententia, ne falsa videatur, sic est interpretanda: vt nomine ignis significare voluerit omne corpus lucens, ex se lumen fundens, caloremque producens. Plato quidem in Timæo, & Aristoteles in libris Topicorum tres faciunt species ignis: aiunt enim quemdam esse ignem cœlestem qui est lux syderum, plus lucens quàm calefaciens: alterum esse ignem aëreum, vt est flamma æquè lucens atque
D calefaciens: tertium esse ignem terreum & densum, qualis est carbo, vel ferrum candens & accensum, quod nimirum parum lucet, sed vehementer vrit. Idem significat Hugo in annotationibus in Genesim capite sexto. Et videtur hoc sumptum ex Gregorio Nysseno in homilia super Hexameron, vbi ait ignem qui latebat in terra, Dei potentia exiliuisse, & subuolasse in supremam mundi oram indeque mundo claritatem lucemque impertiuisse. At enim, lux primo die facta permansit posteâ, & permanet etiam nunc, non autem nunc luce ignis illuminatur mundus: quin cum elementum ignis totam terram & aquam aëremque circundet, vndique to-

Plato & Aristoteles tres faciunt species ignis.

Opinio Bonauēturæ lucem esse formam substantialem astrorū quam refellūt S. Thomas & Scotus.

tum orbem semper illuminaret, nec vsquam sineret vllo tempore esse tenebras, nullaque esset diei & noctis vicissitudo: cumque ignis in suo loco non luceat, non esset id factum secundum naturam, nec sine miraculo. Alienum est hoc loco in quæstionem vocare sit lux corpus, necne. sit forma substantialis, an accidentalis, quas quæstiones eruditè tractat Beatus Thomas prima parte, quæstione sexagesima septima, B. Bonauentura in secundum sententiarum, distinctione decima tertia articulo secundo quæstione secunda censet lucem, quæ inhæret in corpore lucente, formam esse eius substantialem: fulgorem autem & lumen, quod inde dimanat & diffunditur ad alia corpora, esse accidens, sed eam opinionem merito refellit Sanctus Thomas prima parte quæstione sexagesima tertia articulo tertio, & Scotus in secundo Sententia. distinctione decima tertia. Non est silentio prætereundum, quod Theodoretus tradit in quæstionibus super Genesim, quæstione septima videtur enim sentire, lucem esse substantiam quandam per se subsistentem verba eius sic habent: *Lumen substantia est & subsistit: & cùm occidit rursus oritur, & cùm abierit reuertitur. Quemadmodum enim corpus nostrum est substantia, vmbra verò quam facit accidens est, non substantia: ita lux substantia est, tenebræ autem, minime.* Sed proculdubio Theodoretus nomine substantiæ non aliud significare voluit, quàm rem solidam, & (vt in scholis Philosophorum & Theologorum appellatur) ens reale positiuum: opponit enim lumen tenebris, quas negat esse substantiam, hoc est, rem quampiam existentem, sed nudam modo luminis priuationem, verum deinceps quæ nam res fuerit prima illa lux, disquirere oportet.

Quemadmodum sit interpretãdũ quod Theodoretus dixit, lucẽ esse substãtiam & rem subsistentem.

An lux primo die creata, fuerit lux solis perfecta vt tradit Catharinus.

AMBROSIVS Catharinus in commentario huius loci, affirmat lucem primo die creatam non aliam fuisse, quàm lucem solis perfectam æquè ac nunc est: cuius perfectionis & pulchritudinis magnum esse argumentum, quod eam Deus ipse suo iudicio & sententia comprobauit. *Vidit enim Deus*, inquit Scriptura, *Lucem quod esset bona.* Cum autem sit alia lux distinguens noctes atque dies nisi lux solis, nec tres dies posteriores diuersæ conditionis fuerint quàm tres priores, sed omnium illorum sex dierum par sit ratio & origo: profecto cogit nos ipsa ratio, non aliam fuisse primi diei lucem quàm Solis, arbitrari. Itaque Catharinus existimat primo die factum esse solem cum suo orbe, vnaque sex reliquos planetarum orbes esse factos, eodemque die simul esse conditum primum mobile: quod putat ipse nonum esse Cœlum: neque enim Sol diem & noctem motu proprio, sed motu raptuque primi mobilis circumactus efficit. Illo etiam primo die censet factam esse terram, vt quæ opacitate sua dies noctesque constituat, vt in Timæo tradit Plato. Tunc etiam aërem & ignem creatum putat, quippe cùm sint corpora media, per quæ lumina cœlestia ad terram transmittuntur. Quare totus prope mundus visibilis,

secundum

A secundum partes quas vocant integrales, hoc est, cœlos & elementa, excepto firmamento, seu octaua sphæra secundo die condita, est à Deo primo die fabricatus. Cur igitur Moses quarto die solis & lunæ, omniumque syderum creationem commemorat? Respondet reuera solem reliquosque planetas primo die esse factos: sed quia die quarto stellæ inerrantes sunt conditæ, per recapitulationem Moses mentionem tunc fecit insigniorum, astrorum, vt simul ostenderet perfectum, & omnibus numeris absolutum cœli ornatum. Atque hæc est opinio Catharini. Quæ mihi quidem certè multis de causis videtur reprobanda, nec absimilis figmẽto. Etenim terram & aquam ante primam diem, & lucis creationem in obscuritate, & tenebris esse facta Mose narrante liquidô cognouimus, *In principio*, inquit, B *creauit Deus cœlum & terram: Terra autem erat inanis & vacua, & tenebræ erant super faciem abyssi, & Spiritus Domini ferebatur super aquas.* Nam, quod Catharinus per terram & aquam interpretatus est materiam primam, supra confutauimus. Deinde, quale est, fecisse Deum simul primum mobile, & septem orbes planetarum, relicto intermedio spatio penitus vacuo, in quo postero die formandum erat firmamentum, seu octauum cœlum? Vacuum enim horret natura, fugitque bona mundi partium dispositio, omniumque corporum continuata series atque connexio. Ad hæc qui potuit sol tanto interuallo vacuo inter primum cœlum, & orbes planetarum interiecto, motu primi mobilis cieri? non enim proprio, motu: sed raptu primi cœli circum- C actus sol dies & noctes efficit: nam mouens & mobile debent esse simul: nec potuit motus primi mobilis, per vacuum tantum, quantum scilicet est omne spatium quod tenet octaua sphæra, pertinere ad orbem solis. Quid quod diuina Scriptura apertis verbis docet, principale opus quartæ diei fuisse solis & lunæ creationem? iisdem enim verbis inducitur Deus vti quarto die in fabricando solem & lunam, quibus in aliarum rerum effectione superioribus tribus diebus vsus fuerat.

Refutatur Catharinus.

Sed persequamur aliorum sententias. Beda in suo Hexameron Hugo de sancto Victore libro primo de Sacramentis, Magister sententia. libro 2. & ibidem Bonauentura: alijque complures scholastici, D Nicolaus quoque de Lyra, & Tostatus in Cõmentariis suis super hũc locum Geneseos, arbitrantur primam illam lucem non fuisse solem, sed corpus quoddam lucidũ ad similitudinem densæ lucentisq; nubis in superiore parte mundi, videlicet in qua posteâ Sol est positus, quod circum densiorem materiæ partem, quæ medium mundi locum circumplectebatur, in orbem conuersum, dierum & noctium vicissitudines efficiebat. Erat autem lux illa perquam tenuis & languida atque imperfecta. Talis nimirum, vt inquit Beda, qualis est lux solis in aurora, priusquam Sol appareat supra nostrum horizontem, non habens vim calefaciendi, nedum viuificandi.

Ex illo autem corpore lucido postea quarto die formatus est Sol amplioris præstantiorisque lucis additione. Hanc sententiam esse falsam, beatus Thomas prima parte quæstione sexagesima septima articulo vltimo ad hunc modum argumentatur: *Aut illa nubes lucida facto sole euanuit, atqui non est credibile primum Dei opus statim interiisse, præsertim cæterorum dierum operibus permanentibus: aut mansit separata & per se cohærens, verùm hoc non apparet, & facto sole nubes illa planè superuacua fuisset: aut mansit adiuncta & cohærens soli: sed quid illa adiunctione opus erat soli, tantam per se lucis copiam, & ad perfectè illuminandum mundum sufficientem habenti?* Restat vt illud dicatur (& verò id censent eius opinionis auctores) ex illa nube formatum esse solem. Sed hoc Thomas valde absurdum iudicat: cum enim Sol sit corpus incorruptibile, non potuit eius materia fuisse sub alia forma: alioqui materia illa capax esset multarum formarum, ob idque in potentia contradictionis in quo autem ea potentia est, id nullo modo esse incorruptibile, multis locis confirmat Aristoteles, cæterum hanc Thomæ argumentationem non valde formidarent aduersarij, quin facillime repellerent: responderent enim nubem illam lucidam, fuisse non ex materia elementari, sed cœlesti, quæ facta sit Sol, non per mutationem substantialem, sed per diuersam illius materiæ condensationem, atque figurationem, & vberioris, nobilioris, ac efficacioris lucis accessionem.

Argumentatio S. Thomæ contra supra dictos auctores.

A

B

Basilivs homilia in Genesim sexta, tradit primo die creatam esse lucem per se & immaterialem: quarto autem die factum esse corpus solis tanquam eius vehiculum, cui insita & impressa est. Sed forte gratius erit lectori verba ipsa Basilij cognoscere: *Primo die*, inquit, *ipsa natura lucis producta est: quarto autem die solis corpus, vt esset illi primogenitæ luci vehiculum, est conditum. Nam, vt alia diuersaq; sunt & non eadem, ignis atque lucerna: & ignis quidem illuminandi vim obtinet, lucerna autem idcirco facta est, vt moderatam lucem subministret egentibus, sic & illi purissimæ synceræ immaterialiq; luci ceu vehiculum nunc luminaria sunt extructa. Vt enim Apostolus quosdam asserit fuisse luminaria in mundo: cum interim alia sit vera lux mundi, cuius participatione sancti, animarum facti sunt luminaria, quas eruebant, eas eximentes ignorantiæ tenebris: ad eumdem quoque modum vel nunc post conditam lucem illam micantissimam, hunc solem, quem creauit ipse opifex, ad illustrandum mundi ambitum sua luce perfudit: Atqui incredibile nemini videatur, & à fide abhorrens, quod dictum à me est, aliud nimirum quiddam esse à luce splendorem, aliud item corpus subsidens luci ac subiectum. Primum enim, res omnes compositæ sic à nobis diuidi solent in ipsam essentiam susceptricem, & in eam, quæ ipsi accidit qualitatem. Vt igitur diuersa sunt hæc natura, albedo inquam, & corpus dealbatum: sic & ea quæ modo diximus, differunt quidem' vnita tamen sunt potentia Creatoris. Itaque ne mihi dixeris fieri hæc non posse, vt lux à corpore solis separetur. Neque enim ego lucis à solis corpore separationem mihi ac tibi possibilem esse dico: sed asserendum esse censeo, quæ mentis sola agitatione*

Mira opinio Basilij.

Philip. 2.

C

D

A agitatione cogitationeq́, disparari à se possunt, ea, re ipsa seiungi facultate Creatoris vtriusque naturæ posse. Nam & ignis vim vstiuam ab eius splendore tu quidem ipse separare minime vales: Deus autem volens famulum suum reddere sibi attentiorem illo admirabili spectaculo in rubum ignem splendore solum agentem, otiosam autem flagrandi vrendiq́, facultatem habentem immisit, vt & Psaltes testatur. Vox Domini dicendo, intercidentis flammam ignis. Vnde arcana quædam doctrina nos docet cum pro iis quæ in vita gessimus, mercedes nobis retribuentur, naturam ignis in hæc distributum iri: lux sane iustis in peremnem & peramœnam fruitionem cedet: è diuerso autem supplicio addicendis seorsum attribuetur vis vstiua. Ad hæc, ex Lunæ affectibus, eorum quæ in quæstionem posuimus, inuenire possumus fidem. Deficiens enim deliquio Luna, decrementaq́, Exod. 3. Psalm 28. 2. Cor 5.

B suscipiens, non corpore toto absumitur, sed lumen quod acceserat ipsa deponens, iterumque assumens, speciem nobis incrementi decrementiq́, exhibet. Enimuerò Lunæ corpus haud absumi, cum in deliquio est argumento dilucido sunt ea, quæ cernimus. Licet enim tibi, liquidò in aëre atque omni nebula liberata, cum potissimum in cornua Luna curuatur, partem ipsius obscuram lumineq́, carentem, tanta orbis sui curuatura circumscribi conspicere, quanta totum splendorem cùm sinuatur in orbem, obit: vt aspectu sinum obscurum, aëris æmulum, ad eam referente partem quæ lucet, integer totusq́, orbis perspicuè videatur. Et noli mihi proferre lucem aduentitiam esse Lunæ, propterea quod imminuitur quidem, cùm solem versus motu cietur, accrescit autem, cùm ab eodem digreditur: Non enim hoc in præsenti nobis inuestigandum proponitur: sed illud aliud esse Lunæ corpus, aliud lucem ipsius, qua lucet. Huc vsque sanctus Basilius. Qui si (vt

C præ se fert) sensit, lucem quæ est accidens, ab omni materia separatam, esse à Deo primo die creatam, maximum profecto inducit miraculum, & nunquam aliàs factum, præterquam in vnico Eucharistiæ Sacramento in prima verò rerum effectione, institutione, & dispositione ad miracula confugere, præsertim cùm illis minime sit opus, nec placet Augustino, nec mihi probatur. Quod si Basilius existimauit primam illam lucem fuisse factam in aliqua materia, quæ posteâ soli sit adiecta, vel ex qua Sol formatus fuerit, non discrepat ab opinione Bedæ paulò superius expositа. Simile quiddam Basilio, vel potius idem significat Gregorius Nazianzenus in Oratione de nouo die Dominico. Theodoretus in quæstionibus super Genesim quæ-

D stione decima quarta, & decima sexta docet primo die factam esse vniuersam lucem splendidissimam, & quam simul confertam, nec hominum, nec animalium visus potuisset sustinere quamobrem quarto die fuisse eam in Solem & Lunam cæteraque sydera dispertitam, vt ita & animalium oculis esset accommodatior, & ad rerum sublunarium generationem, & conseruationem commodior. Verùm si iam omnes Cœli ab initio creati fuerant, quomodo illa lux vna numero, inseri potuit tot & tam diuersis Cœlis? non enim potest vnum numero accidens, ex vno subiecto transferri in alia, cùm accidens omnino pendeat à subiecto: nec possit explicari qualis fuerit

Expenditur opinio Basilij.

Theodoreti opinio.

mutatio illa lucis, translatio, & distributio: nec est recurrendum ad omnipotentiam Dei, & ad miracula quibus in creatione mundi, cum Deus rerum naturas condidit, & naturalem eorum ordinem legesque constituit, locum dare non oportet quêadmodum supra in principio huius commentationis in secunda regula ex beato Augustino probauimus. His adiiciam sententiam Augustini ex vndecimo capite primi libri de Genesi ad litteram: quamquam eo loco Augustinus magis dubitanter loquitur, quàm affirmatè quicquam decernit, ad hunc autem modum scribit, *Vt quid ergo factus est Sol in potestatem diei, qui luceret super terram: si lux illa primo die facta, diei faciendo sufficerat, quæ dies etiam vocata est? An illa prior lux regiones superiores à terra longinquas illustrabat, vt sentiri non posset in terris: atque ita oportebat solem fieri per quem dies inferioribus mundi partibus appareret? Potest & hoc dici auctum esse fulgorem diei, sole addito, vt per illam lucem, minus fulgens dies quàm nunc est, fuisse credatur.* Sic Augustinus.

Miracula in creatione mũdi nõ admittenda.

A

B

Mihi præter cæteras probatur eorum sententia, qui censent primam illam lucem non aliam fuisse quàm lucem solis, sed primo quidem die, velut informem & imperfectam esse factam, quarto autem die fuisse absolutam & consummatam: quam sententiam eo proniori assensu amplector, quod eam Dionysio Areopagitæ placuisse video. Is enim, in quarto capite primæ partis eius libri qui est de Diuinis nominibus, ita scribit, Lux est mensura & numerus horarum, dierum, totiusque labentis temporis. Ipsa est enim ea lux (etsi tunc erat informis, quod & diuinus Moses ait) quæ primam distinxit & diffiniuit dierum nostrorum Trinitatem. Dionysium secutus est Sanctus Thomas prima parte quæstione sexagesima septima articulo quarto, & quæstione septuagesima articulo primo, & Dionysius Carthusianus super primum caput Geneseos articulo nono. Duo autem in hac sententia nos docere & probare oportet, & lucem illam fuisse lucem solis, & fuisse tamen primo triduo imperfectam, quarto autem die absolutionem & perfectionem ei accessisse: vtrumque breuiter expediam. Fuisse illam primam lucem, eandem quæ est lux solis, non dubiis colligitur argumentis: Etenim in principio creauit Deus Cœlum & terram & aquam in statu imperfecto & inornato; deinde per sex dies eadem corpora disposuit, ornauit, & suis ea velut incolis compleuit, ratio autem & ordo naturæ poscebat, vt primo ornaret Cœlum tanquam nobilissimum & principale mundi corpus: Cœli autem ornamentum, vel solum, vel maximum est lux, fuit igitur prima illa lux cœlestis, nec alia quælibet lux nisi cœlestis efficere potuisset sine miraculo, quod primam illam lucem præstitisse narrat Moses: quod si non fuisset lux cœlestis, vel vtique fuisset elementum ignis vel nubes lucida, vel aliud eorum quæ paulò antè refutata sunt: fuit igitur proculdubio cœlestis: at quænam alia lux quàm solis esse poterat ornamentum Cœli, & quæ Dei sententia tanquam bona & pulchra

Sentẽtia omnium maxime auctori probata illã primã lucẽ fuisse solis, sed imperfectam.

Primam lucẽ eandem fuisse cum luce solis probatur.

C

D

A pulchra comprobaretur? Postea, cùm Sol esset futurus prima & generalissima causa generationis & conseruationis rerum omnium sublunarium, conueniebat eius lucem, vnde pendet illius vis & efficientia, primo die creari. Deinde nomen lucis absolutè positum designare solet lucem solis, quæ propter suam copiam, & pulchritudinem & efficacitatem, simpliciter solet lux appellari: sæpenumero enim Scriptura diuina, lucis nomen vsurpat pro luce solis, velut Esaiæ capite sexagesimo. *Non erit*, inquit, *tibi amplius Sol ad lucendum per diem*, pro *Ad lucendum*. Hebraicè est, לאור *Laor*, hoc est, ad lucem: nam etiam lux primo die facta hic vocatur אור *Or*. Et Hieremias capite quarto. *Aspexi terram, & ecce vacua erat & nihili: & Cœlos & non erat lux in eis*. Nec in sacris litteris modò, sed etiam in Latino & vulgari ser-
B mone frequens est lucem simpliciter ponere pro luce solis, vel pro die qui fit à sole: sic dicitur, Hodierna luce, & Nondum illuxit. Ad hæc, munus separandi lucem à tenebris & distinguendi diem & noctem, quod hic tribuitur primogenitæ luci, idem postea quarto die assignatur soli, vt nullus ambigat non aliam fuisse primam illam lucem, quàm solis. Etenim illa prima lux mansit posteâ, sicut cætera Dei opera illis sex diebus facta: ergo mansit manetque etiamnum vis eius lucis effectusque, pellere ex mundo tenebras, distinguere diem & noctem, facere vespere ac mane atqui hæc ipsa facit nunc lux solis, ergo etiam tunc faciebat. Atque huic opinioni mirè congruit nomen huius primi diei antiquissimo gentium more vsurpatum,
C vsuque tritum: dictus est enim Dies Solis, siquidem septimus ab hoc dies, in quo Deus requieuit ab operibus suis, fuit dies ab Ethnicis Saturni, à Iudæis Sabbathi nominatus: vt propterea fortasse dies solis appellatus sit, quod is dies creatione solis decoratus ac nobilitatus fuerit. Ad extremum, qui aliam faciunt lucem quàm solis multis & propemodum inexplicabilibus difficultatibus tenentur impediti & implicati: siue dicant illam lucem post primum triduum euanuisse, siue ex illa formatum esse solem, vtrumuis enim dicatur, nec pauca, nec leuia consequuntur incommoda, quorum hæc nostra opinio nullum patitur. Nec mirum cuiquam accidat, cur Moses primi diei lucem, solis nomine non appellauerit: nam nec quarto
D die ponitur nomen proprium Solis, quod est Hebraicè שמש *Semesh*, sed appellatur vocabulo luminaris: dicitur enim fecisse Deus duo luminaria magna, quæ vocantur Hebraicè, מאור *Maor*, voce ducta à luce, quæ Hebræis dicitur, אור *Or*, quasi sic dicta sint quod contineant & præbeant lucem. Maluit autem Moses appellare lucem & luminare, quàm nominare Solem: tum vt indicaret finem & vsum solis esse lucere & illuminare terram: tum vt intelligeretur, ex luce accidere soli, omnem quam habet vim, & pulchritudinem, & efficientiam, & quem inter cœlestia sydera obtinet dignitatis principatum.

Dies Solis cur dies dominicus olim dictus.

DEIN

Quæ nã luci solis, quarto die, facta sit accessio.

DEINCEPS sequitur vt doceamus, qualis quantaque accessio quarto die sit facta. Hanc accessionem breuiter exponit beatus Thomas prima parte quæstione sexagesima septima articulo quarto, ad hunc fere modum, *Dicendum est, secundum Dionysium, primam illam lucem fuisse lucem Solis; tunc enim iam fuit Sol secundum substantiam habens lucem informem, hoc est, quæ habebat vim illuminandi in communi: sed posteâ quarto die data est ei specialis & determinata virtus ad particulares effectus.* Et infra quæstione septuagesima articulo primo idem repetens ait, *primo die fuisse productam lucem secundum communem lucis naturam: quarto verò die tributam esse luminaribus determinatam virtutem ad determinatos effectus secundum quod videmus alios effectus habere radium Solis, & alios radium Lunæ, & sic de aliis. Et propter hanc determinationem virtutis dixit Dionysius quarto capite de Diuinis nominibus, lumen solis, quod in principio erat informe, quarto die fuisse formatum.* Hæc Sanctus Thomas. Quibus addi posset, quarto die accessisse soli, eam quam posteâ habuit magnitudinem, figuram, & pulchritudinem: non enim primo die globus solis vsque quaque accensus est, sed aliquatenus tantum: quarto autem die totus est splendidissima luce completus, peculiares item vires & influxus, maiorem quoque copiam lucis, applicationemque ad ipsum proprij motoris, qui proprio solis motu eum circumageret: Ad hæc, numerosissimum comitatum aliorum syderum & planetarum, quorum motus, vt Astronomi tradunt, secundum motum solis disponi & dirigi videntur. Quarto die cœpit Sol dare signa, & præbere præsagia futurarum tempestatum, & effectuum naturalium: tunc incepit quadripartita variatio anni, hoc est, Hyemis, Veris, Æstatis, Autumni: tunc cœpit dissimilitudo & inæqualitas dierum: nam primi tres dies fuerant omnino æquales & vniformes, tunc denique accessit dependentia Lunæ à Sole: nam pro vario Lunæ congressu cum Sole, vel ab eo digressu, variè lumen eius commutatur, varius quoque Solis cum reliquis planetis concursus & coitio, varios parit influxus & effectus, sed de hac quæstione satis dictum sit.

***

Diuisit

A *Diuisit lucem à tenebris, appellauitque lucem diem, & tenebras noctem.* VERS. 4.

DVAE quæstiones existunt hoc loco, prior quæstio est, qua ratione prima illa lux toto illo triduo diem & noctem distinctè fecerit, Basilius & Damascenus censent id esse factum non propter motum illius lucis in orbem circum terram, sicut nunc fit per motum solis, sed per emissionem & contractionem radiorum, non quidem naturali illius lucis vi facultatéque, sed Dei omnipotentia, similiter vt fa- B ctum in Ægypto quidam putant, cùm plaga nona illata, totum triduum Aegyptiis, vbicumque locorum Aegypti essent, lux solis non est visa, quæ tamẽ Hebræis, qui erant in terra Gessen, aliisq; hominibus extra Aegyptum commorantibus, clarissimè fulgebat. Verba Basilij in secunda homilia super Genesim sic habent. *Tunc* (id est, primo illo triduo) *diei cedenti nox vicissim succedebat, non quidem secundum motionem solis, sed primigenia illa luce suum splendorem diffundente, seq; rursum contrahente, idque pro mensura à Deo definita.* Damascenus autem libro secundo de fide orthodoxa, capite septimo, ita scribit: *In tribus primis diebus, refuso & contracto lumine, diuino præcepto* C *dies & nox fiebat.* Hanc opinionem refert Augustinus, nec probat tamen in primo libro super Genesim ad litteram, in cuius capite vndecimo, sic ait: *Non est credendum primam illã lucẽ fuisse extinctam, vt nocturnæ tenebræ succederent, & rursus accensam, vt mane fieret, antequam hoc solis officio gereretur, quod à quarto die cœpisse fieri, eadem Scriptura testatur.* Sic ibi. Infrà verò in eiusdem libri, capit. decimo sexto, hæc scribit, *Nullum occurrit exemplum quo istam emissionem contractionémque lucis, vt diei noctisque vicissitudines fierent, probare possumus.* Tantùm Augustinus. Beda autem supradictam Basilij sententiam in suo Hexameron refellit tamquam Scripturæ contrariam, quippe quæ hoc loco doceat, lucem illam non modo fecisse diem & noctem, sed D etiam mane & vesperam: atqui si per emissionem radiorum factus esset dies, & per eorundem contractionem nox, profectò non fuisset vespera & mane, quæ accretionem & diminutionẽ lucis, propter motum corporis illuminantis necessario habent, sed fuisset statim & dies clarissimus, & nox omnino tenebrosa. Beatus Thomas loco proximè citato, eamdem opinionem confutat eo argumento, quod prima illa lux non potuisset id facere, quod asserit Basilius, sine maximo miraculo: In prima autem institutione naturæ, & rerum omnium dispositione, non est confugiendum ad miracula, præsertim cùm alius modus, & facilior, & naturæ congruentior: ob idque probabilior reperiri queat, quo lux illa diem & noctem, mane & vespere facere potuerit: modus enim ille Basilij prorsus extraordinarius,

Quemadmodũ primo triduo sit facta distinctio & vicissitudo diei ac noctis.

Opinio Basilij, & Damascent, quæ refellitur ab Augustin.

Exod 10.

In prima institutione naturæ ad miracula non est confugiendũ.

Secunda opinio, Bedæ & aliorum.

narius,& nunquam posteâ vsitatus fuit. Beda verò, & quicumque lucem illam putarunt fuisse nubem quamdam longè latéque lucentem, ad similitudinem eius columnæ, quæ Hebræis in deserto per quadraginta annos, interdiu nubis:noctu autem ignis speciem gerens,index & dux itineris fuit, censent eam nubem primo illo triduo circumactam fuisse ab Angelo circum rudem illam & indigestam massam terræ & aquæ, vel vt aliis placet, circa materiam corpoream informem,quæ sua crassitudine & densitate medium mundi locum obsidens, idonea erat ad opacandum & obumbrandum, ex quo facta est illius tridui noctium & dierum distinctio. Nobis autem, omnibúsque arbitrantibus lucem illam non fuisse aliam quàm solis,qui proprium motum nondum habens,solo primi cœli raptu ab ortu voluebatur ad occasum, viginti quattuor horis vniuersum orbem circumlustrans,dies noctésque omnino, æquales & vniformes faciebat:in promptu est docere, quemadmodum lux illa,diem & noctem,mane & vesperam efficeret, videlicet.non secus quàm nunc eam facere videmus.

Exod 13.

Quo cœli loco fuerit prima illa lux cũ primũ apparuit.

POSTERIOR quæstio est: in quo cœli loco lux illa fuerit, cùm primum apparuit, num in oriente, an potius in meridie, vel in occasu.Sanctus Bonauentura in secundo Sententiarum, distinctione decima tertia,articulo primo,quæstione secunda,duas ea de re commemorat sententias: priorem assignat Bedę, lucem illam fuisse creatam in meridie, tum quod illa lux *primo fecit vesperam, & deinde mane*, vt ait Scriptura: prius igitur à meridie tendebat ad occasum, quàm vel iret ad ortum, vel ab ortu iret ad meridiem: tum etiam quod cum Dei opera sint perfecta, existimandum est talem fuisse à Deo lucem creatam,vt statim perfectè mundum illuminare posset:id autẽ fit potius in meridie quàm in ortu. Licet autẽ quodlibet cœli punctum in quo Sol est, respectu diuersarum terræ partium,sit oriens & occidens & meridies, faciátque vesperam & mane:attamen respectu eius terræ, vbi homo formatus habitaturus erat,& vbi futurus erat paradisus, & prima hominum etiam post peccatum habitatio,dicitur fuisse lux illa in meridie, cùm primùm condita terris apparuit, Si opponas, à meridie vsque ad mane proximè sequens,non esse spatium viginti quattuor horarum;ob idque non fuisse primum diem integrum; qualem fuisse eum apertè ostendit Scriptura: dicens, *Factum est vespere, & mane dies vnus.* Respondent huius opinionis defensores, sex illas horas præcedentes creationem lucis, mensuratas per aquæ & spiritus motionem atque agitationem, quo tempore fuit tenebrosa illa mundi constitutio, adiiciendas esse primo diei:illæ enim sex horæ tantùm temporis occuparunt, quantum sol consumpsisset ab ortu vsque ad meridiem, erant enim primi illi dies æquinoctiales, quorum dies artificiales sunt duodecim horarum,totidémque constant noctes.Cùm igitur à meridie vsque ad mane sequens, fuerint decem & octo horæ, sex

Prima opinio quam Bonauentura tribuit Bedæ.

nimirum

A nimirum à meridie ad occasum,& ab occasu vsque ad mane duodecim,quas nox continebat,adiicias sex alias horas tenebrarum, reperies plenum numerum viginti quattuor horarum.*Sed* videtur huic opinioni aduersari quod ait Moses,illam lucem fecisse vesperam & mane,& hac ratione vnum diem integrum confecisse,in illis autem sex primis horis tenebrarum ante creationem lucis,nec vespera fuit, nec mane:vtrumque enim denotat lucem, licet imperfectam, hoc est,aut augescentem, aut decrescentem. Deinde primus dies proculdubio similis fuit cæterorum dierum consequentium, & simili ratione,mane & vesperam habens, par enim est ratio omnium sex dierum,& in eorum omnium commemoratione iisdem verbis Mo-
B ses vtitur: atqui prædictæ opinionis auctores necesse est dicere primum diem cæterorum dierum fuisse dissimillimum. Nec sanè videtur in hac sententia fuisse Beda,siquidem in Hexameron apertè significat creatam fuisse lucem in oriente, & fecisse integrum diem artificialem duodecim horarum, & naturalem viginti quattuor. Bedam,Hugo libro primo de Sacramentis,partis primæ,cap.vicesimonono,& magister sententiarum,distinctione decima tertia,libro secundo secuti sunt. Aegidius tamen in prima parte sui Hexameron cap.16.affirmat primam lucem creatam esse in meridie, ideóq; prius fecisse vesperam quàm mane.

ALTERAM sententiam Hugoni de S. Victore in libr.de Sacra- *Opinio Hugonis, Bonauenturæ, & Caietani.*
mentis attribuit Bonauentura,magísque probat,à qua nõ discrepat
C hoc loco Caietanus,censent isti primum apparuisse lucem illam in Oriente,& facta conuersione totius cœli, ad idem punctum regressam,vnde moueri cœperat,naturalem diem integram fecisse:namq; inter creationem cœli & terræ,ac primum diem seu formationem lucis,nullum temporis spatium intercessit,sed sola originis & ordinis naturæ distinctio.Fuit enim ea opinio B. Augustini, cui materia informis,vocabulis terræ & aquæ adumbrata,nõ nisi origine, prior fuit ipsius formatione. Atque huic sententiæ duplici Scripturæ testimonio fides astruitur,nam in 2.cap.lib.Genes.sic est: *Istæ sunt generationes cœli & terræ,quando creatæ sunt,in die quo fecit Dominus Deus cœ-*
D *lum & terram.* Ergo cælum & terra,ante primum diem non sunt facta.Idem clarius cernitur in cap.20. & 31.Exod.quibus locis,apertis verbis traditur,Deum sex diebus fecisse cælum & terram,omniáque vel ex his,vel in his facta,Ex quo apparet, cælum & terram non ante primum diem, sed intra vnum aliquem illorum sex dierum esse condita.Atque hunc esse sensum & intellectum etiam Ecclesiæ videtur posse colligi ex duobus hymnis,quorũ alter in matutinis precationibus diei Dominici, alter ad vesperas eiusdem diei publicè in templis canitur.In illo sic habes:

Primo dierum omnium,
Quo mundus extat conditus,&c.

In hoc autem sic est:

Primordiis lucis nouæ
Mundi parans originem.

Deum fecisse cælũ & terram ante sex dierum exordium.

VERVMTAMEN Beda in libro de sex ætatibus mundi, affirmat ante exordium sex dierum creata esse cœlum supremum, terram,& aquam:idémque satis manifestè indicat Basilius homilia secunda in Genesim:& hoc ipsum ostendit Paulus, cùm secundo ad Corinthios cap.4. inquit: *Deus qui dixit de tenebris lucem splendescere:* & ad Hebræos 11.*Fide intelligimus aptata esse sæcula verbo Dei,vt ex inuisibilibus visibilia fierent:*& in lib.Sapientiæ, cap.11.traditur. *Deum ex materia inuisa*,seu vt est Græcè,*ex materia informi orbem fecisse.* Beatus Hieronymus in epistola 83. ad Oceanum apertis verbis hoc ipsum tradit.*Rudis mundis*, inquit, *necdum sole rutilante: nec pallente luna, nec astris micantibus,incompositam & inuisibilem materiam, abyssorum magnitudine,& deformibus tenebris opprimebat: Solus Spiritus Dei in aurigæ modum super aquas ferebatur, & nascentem mundum in figura baptismi parturiebat. Inter cœlum & terram medium extruitur firmamentum: & iuxta Hebraici sermonis etymologiam, Cœlum,*id est, שמים *Samaim,ex aquis sortitur vocabulum,& aquæ quæ super cœlos sunt, in laudes Dei separantur.* Sic Hieronymus. Quod quidem etiam aperte declarat narratio Mosis qui proxime ante dixit:*Et tenebræ erant super faciem abyssi,& spiritus domini ferebatur super aquas*, etenim si mundus simul cum ipsa luce conditus est, numquam fuerunt tenebræ super faciem abyssi, nec verè dici posset,mundus ex tenebroso & informi lucidus esse factus.Nã friuolũ est dicere aërem & aquam dici tenebrosa fuisse ante creationẽ lucis,quia ex se non haberent lucem:ea namq; ratione aër etiã cùm meridiana luce est maximè lucidus, posset simpliciter dici tenebrosus,quia ne tunc quidem lucem habet ex se, nec sermo historicus,cùm sit popularis, & vulgo tritus, cùm aliquid dicit fuisse prius,significat prioritatem originis vel naturæ,sed temporis.

Psal. 148.

Aliquandiu fuisse mundũ prius tenebrosum, quàm lux creata sit.

PRAETEREA, si ante creationem lucis Spiritus domini ferebatur super aquas,illa motio aëris seu vẽti super aquas: non nisi in tẽpore fieri potuit.B.Thomas in prima parte quęstione sexagesima sexta articulo primo,hanc sententiam tribuit Basilio, Chrysostomo, & Ambrosio,& in secundo Sententiarum,distinctione decimatertia, dicit esse magis consonam textui Scripturæ. Et est sane omnium Græcorum.Hugo libro primo de Sacramentis, parte prima, capite 6.& 9.ait, *creationem cœli & terræ,priorem fuisse ordine temporis creationelucis: & cum non fuerit prior tantum vno instanti, quia duo instantia non possunt esse immediata: & vtraque creatio tam cœli & terræ, quàm lucis facta sit in instanti,necesse est fuisse tempore priorem: quin ipsemet* capite nono ait. *Ante creationem lucis fuisse tempus, non tamen diem aut noctem.* Et Hugoni similem non modo sententiam, sed etiam orationem habet Magister in secundo Sententiarum, distinctione decimatertia.Quocirca non rectè B.Bonauentura, opinionem eorum qui inter creationem Cœli & lucis, non ponũt vllum temporis ordinẽ, sed

Animaduersio in Bona

A sed tantum naturæ, Hugoni attribuit, nam licet Hugo supradicto loco dicat, non interceſſiſſe moram vel dilationem, his tamen ille vocabulis non eſt vſus ſecundum phyſicorum ſubtilitatem, quibus nullum tempus ſine mora eſſe poteſt, ſed vulgarem ſecutus eſt loquendi conſuetudinem, qua quod celerrimè factum eſt, ſine mora factum dicitur. Itaque moram negat Hugo fuiſſe, ſignificãs tempus illud ante creationem lucis fuiſſe quàm breuiſſimum. Nec officit huic ſententiæ, quod paulò ſuperius ex capite 2. Geneſeos prolatum eſt: *In die quo fecit Dominus Deus cœlum & terram.* Ibi enim, dies pro tempore, ſicut crebro fit in Scriptura, poſitus eſt, nam ſubditur. *Et omne virgultum agri*: quod tamen non primo die cum cœlo & terra ſed tertio die

uãturam non rectè de Hugone ſentientem.

B procreatum eſt. Quod autem in 20. & 31. ca. Exod. dictum eſt, Deum ſex diebus feciſſe cœlum & terram, *& omnia quæ in eis ſunt*, non eſt huic opinioni contrarium. Illud enim ſpacium temporis ante primum diem, annumeratur ſex diebus, quia fuit quàm breuiſſimum, & fuit continuata Dei operatio: nec ſanè plures dies naturales conſumpti ſunt quàm ſex: ac licet ante primum diem Cœlum & elementa facta ſint ſecundum ſubſtantiam, tamen non fuerunt perfecta & omnino conſummata, niſi ſpacio illorum ſex dierum, tunc enim datus eſt illis ornatus, complementum, & perfectio. Quanto autem tempore ſtatus ille mundi tenebroſus durauerit, hoc eſt, vtrum plus an minus quàm vnus dies continere ſolet, nec mihi compertum eſt, nec opinor cuiquam mortalium, niſi cui diuinitus id eſſet patefactum.

Expenditur locus Exodi.

Geneſ 2.

C

Factum eſt veſpere, & manè dies vnus.

VERS. 5.

HEBRAICE ſic eſt: *Factum eſt veſpere, & factum eſt mane dies vnus.* Chaldaicè eſt in genitiuo, *Diei primi*. At enim verò quæſtionem parit, quod Moſes definiendo primum diem, prius nominet veſpere quàm mane, cùm reuera mane antecedat veſpere, Catharinus opinatur ſolem ita

Cur prius memoretur veſpere quam mane in confectione dierũ.

D eſſe creatum à Deo, vt lucere, cœperit in altero hemiſphœrio quod huic noſtro eſt oppoſitum. Nam in hoc noſtro, & factus eſt primus homo, & poſt eius peccatum, primo habitauit genus humanum, & Hebræi ad quos hunc librum ſcripſit Moſes, quare comparatione huius noſtri hemiſphœrij prius ſol fecit noctem quàm diem. Sed hoc ſimile eſt figmento, nulla enim ratio afferri poteſt, cur in illo hemiſphœrio potius quàm in hoc noſtro, ſol lucere cœperit, quin multo probabilius eſt ita eſſe factum, vt primum colluſtraret terram, in qua homo erat habitaturus. Quid quod nec ſic quidem Catharinus tollit difficultatem propoſitam, cur veſpere prius nominetur quàm manè. Catharinus enim tantum oſtendit, priorem fuiſſe in noſtro hemiſphœrio noctem quàm diem, non autem fuiſſe prius veſpere quàm manè niſi noctem velit appellare veſperam. Toſtatus hoc loco, &

Eugubinus in Cosmopæia censent ideo fuisse præpositum vespere, A
quòd hoc nomine Moses significare voluerit tempus illud tenebra-
rum, in quibus mundus fuit ante creationem lucis, quod tempus iu-
dicio Tostati, tantum fuit, quantum est spatium duodecim horarum
Æquinoctialium, in quo quia nulla fuit lux, propterea vocatur ves-
pere: tempus autem quod præteriit ab exordio lucis creatæ ad eius
occasum, fuit etiam duodecim horarum, quocirca ex quo tempore
creauit Deus cœlum & terram vsque ad occasum primæ lucis su-
per eum horizontem, super quem primo lucere cœpit, transactum
est tempus viginti quatuor horarum, hoc est, integer dies na-
turalis. Sed Tostatus valdè abutitur vocabulo vespere pro no-
cte, cum in Scriptura vespere non significet simpliciter tenebras
& obscuritatem noctis, sed imminutum lumen solis, ad occa- B
sum vergentis, hoc est, tres extremas horas diei artificialis, vel cre-
pusculum inter solis occasum & tenebras noctis: atque hanc habet
vox Hebræa, quæ Latinè redditur vespere, germanam propriámque
notionem & significationẽ, dicitur enim ערב *Hereb* à verbo *Harab*,
quod propriè significat ligare, quasi vespera sit ligamen diei & no-
ctis, sicut mane Hebræi vocant ביקר *Boiquer*, à verbo בקר *Bachar*,
id est, *discernere vel quærere*, eò quòd mane incipiant res discerni.

Dies Hebræorum à vespera incipiebat.

B. Hieronymus super 2. caput Ionæ, videtur ex hoc loco colligere
principium diei apud Hebræos fuisse olim vesperam: noctem verò
non ad præcedentem, sed ad subsequentem diem pertinuisse, & diem C
naturalem integrum à vespera ad proximè consequentem vesperam
censeri solitum, quod vt in celebrandis festiuitatibus seruatum esse
à Iudæis non est dubium, quippe in Leuitico cap. 23. hoc à Deo
præceptum erat datum. *A vespera*, inquit, *vsque ad vesperam celebrabitis
sabbata vestra.* Ita prope certum est, & si nunc id ageretur, multis

Dies apud Iudæos triplex.

exemplis Scripturæ, multísque argumentis probari posset, apud Iu-
dæos fuisse olim in vsu triplex genus dierum, diem scilicet legalem,
à vespera ad vesperam, diem naturalem ab ortu solis ad ortum, diem
vsualem à media nocte ad mediam noctem. Hugo lib. 1. de Sacra-
mentis partis primæ cap. 9. & Magister lib. 2. sententiarum, distin-
ctione 13. aiunt primum diem non habuisse auroram & mane, quod
est terminus præcedentis noctis, sed fuisse statim claram lucem: D
ideóque illius diei prius fuisse vespere, posterius fuisse mane. Sed
contra hoc facit quod Moses enumerando reliquos dies, similiter
loquitur vt in hoc primo, dicens: *Factum est vespere & mane dies secun-
dus & tertius, & itidem deinceps*: non igitur illud, singulare ac proprium
fuit primi diei. Alij censent, lucem illam esse creatam in meridie, ob
idque non habuisse mane, sed statim fecisse vesperam. Hanc tamen
opinionem paulò supra in explicando proximè antecedentem quæ-
stionem confutauimus: & sic profecto vespere & mane illius primi
diei, non fecissent vnum diem integrum naturalem, nam à meridie
vsque ad mane subsequens, non sunt nisi decem & octo horæ, erant

enim

A enim illi dies æquinoctiales.

MIHI probabilior cæteris omnibus videtur Basilij interpretatio, quam & Ambrosius hoc loco, & Chrysostomus homilia tertia, & quinta in Genesim, & Augustinus libro primo de Genesi contra Manichæos capite decimo, & in libro imperfecto super Genesim capite septimo. Hugo in annotationibus in Genesim capite sexto, aliique deinceps quàm plurimi, secuti sunt. Verba Basilij, ex quibus sententia eius planè intelligitur: in homilia secunda super Genesim, sic habent: *Vt in ordine creationis prærogatiuam deferret diei, ipsius diei finem primo commemorat, qui est vespera: deinde subnectit finem noctis, quod est mane, vt ita constet priorem fuisse diem artificialem quàm noctem. Prior enim ille mundi status, nimirum ante primigeniam* B *lucem exortam, non nox dicebatur, sed tenebræ. Nox enim ea temporis portio dicta est, quæ distinctè se habet, & appositè ad diem: quæ quidem diei succedanea nouam hanc appellationem adepta est. Factum est igitur vespera, & factum est mane: his plane verbis diem noctemque comprehensim significans. Non tamen vtrumque complexus est nuncupatione diei ac noctis: sed præstabiliori totam tribuit appellationem.* Addit Basilius, recensèri hoc loco dies, non autem noctes, quod Scripturæ consuetudo sit in dimetiendis temporibus, dierum modò, prætermissis noctibus, rationem habere, sicut in recensendis hominibus, viros sine fœminis numerare: idque aliquot Scripturæ testimoniis probare conatur. Cùm tamen eam opinionem non C paucis locis Scriptura redarguat. Ionas enim, vt in libro eius capite secundo traditur, & à Christo Domino commemoratur in Euangelio, dicitur fuisse *in ventre ceti tribus diebus & tribus noctibus*: & Deuteronomij capite nono legimus *Mosem bis ieiunasse quadraginta diebus & quadraginta noctibus*: quod etiam de Christo Domino nostro proditum est in Euangelio.

Auctoris sententia, quæ est Basilij, Ambrosij, Chrysostomi, Augustini & Hugonis.

In exordio mundi, dies præcessit noctem.

Matth. 12.

Matth. 4.

NON FIT autem hic noctis mentio, quia describuntur sex dies naturales transacti in molitione & consummatione mundi, dies autem naturales constant ex die artificiali & nocte, quamquam etiam diem & noctem artificialem satis indicauit Moses, cùm paulò ante dixit: *Deum diuisisse lucem à tenebris; & lucem appellasse diem,* D *tenebras verò noctem.* Verùm vt hæc ita sint, verissimam certè putemus rationem à Basilio allatam, Cur Moses diem à vespera definiuerit ad mane: per vesperam enim, aptè significauit diem artificialem completum, eius enim terminus est vespera: per mane autem, noctem plenè transactam, noctis enim exactæ finis & argumentum est ipsum mane.

Cur Moses prius vesperæ quam mane meminerit.

PORRO, quidam ex hoc loco satis probabiliter argumentantur antiquitus apud Iudæos, aliásque vetustissimas gentes, quibuscum fuit consuetudo & commercium Iudæis, diem ab ortu solis, ad eiusdem exortum, proximè consequentem definiri solitum, licet apud varias gentes, varia fuerit dierum ratio & vsus.

Varia ratio apud varias gentes auspicandi diem.

Plinius.

Plinius certè libro secundo cap.77. (vt taceam Gellium libro tertio, cap.2. Censorinum in libro de Natali die Romanorum,& ex his mutuatum Isidorum libro quinto Etymologiarum capite 3. (tradit: *Babylonios & Chaldæos diem obseruasse inter duos solis exortus: Athenienses inter duos occasus: Vmbros à meridie in meridiem: Vulgus omne à luce ad tenebras: Sacerdotes Romanos, & qui diem definiuere ciuilem, itémque Aegyptios, & Hyparchum, atque adeo cunctos Astronomos, à media nocte ad mediam noctem.* Sic ille. Ecclesia in officiis Ecclesiasticis & diebus festis celebrandis, diem censet more Iudæorum à vespera ad vesp[illegible]m: in agendis autem ieiuniis,à media nocte ad mediam noctem,& in agendo Missæ sacrificio. A

Cur primus ille dies appellatus sit vnus dies.

Sed cur Moses hunc diem, quo lux facta est, appellauit diem vnum, & non primum? Sic enim ait: *Factum est vespere, & mane dies vnus*, cùm tamen primum diem dici, & ratio poscceret, & consequentia narrationis. Deinceps enim commemorando reliquos sex dies appellauit diem secundum, tertium, quartum, & sic deinceps vsque ad septimum. Basilius inquit, *Mosem ita esse locutum, vt ostenderet quantum esset spatium vnius diei naturalis, nempe quantum comprehendit simul diem artificialem & noctem.* Vel fortasse dictus est vnus & non primus, eodem Basilio auctore, quòd is dies posteà nominandus esset Dominicus, & in eo efficienda esset quæ à fidelibus expectatur resurrectio mortuorum, futuráque consummatæ fœlicitatis nostræ adeptio, in qua vnus erit perpetuus dies sine noctis vicissitudine, vt tradit Ioannes in Apocalypsi. Sed illud mihi sit credibilius, Mosem dixisse vnum pro primo phrasi Hebraica, qua vsus est Daniel initio 9.cap. *Vno*, inquit, *anno Darij Regis*, hoc est, primo, vt ipse mox declarat. Et in Euangelio dicitur Dominus, *Iesus resurrexisse vna Sabbati*; hoc est, primo die post sabbatum. Hunc autem diem, quo lux creata est, fuisse diem solis, postea propter Domini resurrectionem appellatum diem Dominicum, liquidò constat eo argumento, quod septimus ab eo proximus dies, quo Deus requieuisse dicitur, eúmque diem sanctificasse, haud dubiè fuit dies sabbati: hoc enim euidenter concluditur ex 20. & 31.capitibus libri Exodi, vbi iubentur Hebræi diem sabbathi religiosissimè obseruare, quod eo die Deus requieuisset ab opere creationis mundi, quod sex diebus patrauerat, ob idque eum diem sanctificasset. Hunc porrò diem, multa quæ in eo diuersis temporibus euenerunt maximè insignia & memorabilia, valde nobilitarunt & illustrarunt, cunctisque fidelibus singulari honore præcipuáque religione colendum & venerandum reddiderunt. Horum quædam tradit B. Leo Epist. 81. ad Dioscorum cap. 1. nec pauca in serm. 154. de tempore commemorat Augustinus, supérque alij alia prodiderunt: quæ si colligantur, & numero aliquo comprehendantur, tot fere sunt. Primo, hic fuit primus mundi dies, in quo lux facta est. Secundo, in hoc die siccis vestigiis Hebræi mare rubrum transgressi sunt: Tertio, eodem die primũ de cœlo pluit manna in deserto

Bas. in Hexa sub fin.

Apoc 21. Ioan.20.

Primum mundi diem fuisse eum, qui postea dictus est dies Dominicus.

Præconium diei dominici.

Quot & quanta die dominico miracula patrata sint.

B C D

Quarto

A Quarto, Christus, vt quidam existimant, initio huius diei natus est. Quinto, baptizatus est in Iordane. Sexto, primum miraculum fecit in nuptiis, aquam conuertendo in vinum. Septimo, multiplicatis quinque panibus & duobus piscibus, quinque hominũ millia satiata sunt. Octauo, Dominus noster resurrexit à mortuis. Nono, octauo post resurrectionem die, Dominus Iesus ianuis clausis ingressus est ad discipulos, deditq; eis Spiritum sanctum, & potestatem remittẽdi peccata. Decimo, mandauit Apostolis vt Euangelium toto orbe prædicarent, & baptizarent homines *in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti*. Vndecimo, in hunc diem incidit dies Pentecostes, quo Spiritus sanctus super Christi discipulos descendit. Duodecimo, in
B hoc die Dominico Ioannes habuit admirandas illas visiones & reuelationes, quas in Apocalypsi reliquit scriptas, vt ipsemet capite primo eius libri testatur. Decimotertio. in hoc die creditur futura nostrorum corporum resurrectio, nostræq; felicitatis consummatio, & totius mundi renouatio. Hæc sunt primi illius diei insignia & ornamenta, quibus ea dies mirabiliter nobilitatur atque decoratur. In Epistola Bedę de celebratione Paschatis seu de Aequinoctio verno, memorantur decreta quædam Synodi Cæsariensis Palæstinæ, quam congregauit Theophilus Episcopus ex mandato Victoris Papæ, inter alia traduntur quinque vel sex sanctificationes diei Dominicæ, sed fere in supradictis contentæ & memoratæ.

C

OPVS SECVNDAE DIEI.

Dixítque Deus, Fiat firmamentum in medio aquarum & diuidat aquas ab aquis. VERS. 6.

D DVAS hic locus quæstiones habet perquam difficiles, & quorundam iudicio inexplicabililes, vt autem mea fert sententia, nequaquam adhuc satis explicatas. Prior quæstio est, quid nam Moses nomine firmamenti significare voluerit: posterior autem quæstio est, quales aquas intelligere oporteat, quas Moses ait supra firmamentum esse locatas. De his quęstionibus, & aliorum iudicium, & nostram sententiam, breuiter quidem, diligenter tamen & accuratè exponemus. Quàm plurimis tum veterum tum recentiorum visum est, nomine firmamenti hoc loco significari verum corpus cœleste, nempe vel octauum orbem, in quo sunt inerrantia sydera, vel coniunctũ quiddam ex octo cœlis, octauo nimirum & septem inferioribus: ita vt vocabulo firmamenti significentur omnes Cœli, astris vel multis, vel vno tantum lucentes.

Quid significet vocabulũ firmamẽti, prima opinio.

Sic autem aiunt esse appellatum cęlum, quòd sit solidum & firmæ concretæque materiæ. quocirca LXX. Interpretes hoc loco Græcè reddiderũt στερέωμα, id est, *solidum* vel vt Latinus Interpretes Septuaginta imitatus vertit, *Firmamentum*, Velleius apud Ciceronem libro primo de Natura deorum, corpora solida & firma, vocari ait ab Epicuro propter firmitatem στερέμνια. Iure autem id nominis cęlo est impositum, vt quod diuinæ litteræ docent esse solidissimum: Iob enim capite triceſimoseptimo affirmat *Cœlos quasi ære solidissimo esse fusos*, & alio loco, *Donec*, inquit, *atteratur cœlum*: Homerus quoque appellauit *Cœlum ferreum & æneum*, quin etiam Aristoteles primo libro Meteororum, *motum solis dicit esse motum corporis solidi, quo aër atteratur & attenuetur, calórque gignatur*: quem locũ explanãs Alexander Aphrodiseus monet, ex eo perspicuè intelligi, solis & reliquorum astrorum corpora esse solida. Basilius quoque Homilia tertia in Genesim tradit, Scripturam nomine Stereomatis seu firmamenti, significare solere corpora robore & soliditate pollentia, & ad renitendum valida, sic dicitur in psalmis, *Dominus firmamentum meum, & refugium meum*. Externi quoque scriptores, stereoma vocant corpus non nudis modo tribus dimensionibus constãs, vti est Mathematicum, sed densum plenúmque & renitendi potens. quare hic στερέωμα significat corpus solidum & firmum, scilicet ad aquas suapte natura labiles & dissipabiles coërcendas, atque continẽdas idoneum, Theodoretus quæstione vndecima in Genesim, *Propterea*, inquit, *appelatum esse firmamentum, quòd ex aqua, quæ prius erat fluxa & liquabilis, vehementissimè spissata, fortissiméque indurata concretum fuerit*. Arbitrantur etiam complures veterum, firmamentum ex aqua valde gelata, & ad similitudinem crystalli durata fuisse concretum. hoc tradit Iosephus in primo capite primi libri de Iudaicis antiquitatibus: ait enim *fuisse firmamentum glacie circumpactum, & humida natura ad terram irroratione iuuandam, idoneè temperatum*. Eadem fuit sententia Theodoreti in quæstione vndecima super Genesim, item Gennadij & Seueriani, velut super hunc locum citatur in Catena, quibus consentit Beda in suo Hexamero. Bedam autem, & Magister sentent. libro secundo, distinctione 14. & Magister historiæ scholasticæ 1. libr. cap. 4. & Hugo in libro Annotationum in Genesim, capite sexto, aliíque nec pauci, nec minuti scriptores, secuti sunt. Sed libet hic Bedæ verba apponere, *In medio aquarum*, inquit, *firmatum esse constat sydereum Cœlum, neque aliquid prohibet, vt de aquis factum esse credatur, qui enim Crystallini lapidis quanta firmitas, quæ sit perspicuitas ac puritas nouimus, quem de aquarum concretione certum est procreatum; quid obstat credi quod idem dispositor naturarum infirmamentum Cœli substantiam solidarit aquarum?* Hoc ipsum infrà confirmat Beda verbis Beati Petri commemoratis à Beato Clemente lib. 2. Recognitionum, quibus docet *totum interius mundi spacium, intra supremi Cœli ambitum inclusum, fuisse ab initio plenum aquis: aqua verò quæ erat in medio illo spacio quasi gelu conglaciata*

Cœlum cur firmamẽti nomine Scriptura appellet.

Iob 14.

Psalm. 17.

Clem. Rom.

&

A *& concreta, & modo Crystalli solidata, fecit firmamentum, quod Deus Cœlum appellauit.* Sic Beda Hæc tamen opinio non solum non arrisit Basilio, sed eam ipse derisit, dicens esse nimium puerile, nimiúmque simplicis mentis arbitrari Cœlum fuisse ex aqua concretum. Quæ est igitur Basilij sententia? permotus verbis illis Isaiæ, quæ sunt in capite quinquagesimoprimo secundum translationem Septuaginta Interpretum, *Cœlum sicut fumus firmatum est*, censet Basilius *firmamentum ex tenui quadam materia, qualis est aërea, vehementer tamen densata & constipata, esse conflatum.* Cum Basilio in hoc etiam, vt ferè in aliis, consentit Ambrosius. atque hæc ab antiquis de firmamento, eiusq; materia sunt prodita. Nostra memoria Catharinus in commentariis

B suis super Genesim, per firmamentum interpretatus est octauam sphæram, sic ratus appellatam, quod in ea stellæ omnes inerrātes fixæ firmæq; sint, nec variis motibus diuagentur, aut inter se vmquā dissocientur, sed eadem omni æuo spacia inter se conseruent.

Basil Hom. 3. in Genes.

Ambrosius in Hexameron.

Sed ego nomine firmamenti non significari hoc loco verum corpus cœleste, siue vnum aliquod cœlum, siue coniunctè multos cęlos, videor mihi satis euidenter posse ostendere. Et vt primò confutem Catharinum, non potest firmamētum in pręsens pro octauo Cęlo sumi, nulla enim ratio est, cur nomen firmamenti potius impositum fuerit octauo orbi, quàm cuilibet cæterorum: nec cur Deus octauum orbem proprie appellauerit cęlum, cùm id nominis æqualiter in omnes alios orbes conueniat: & Scriptura vocabulum cęli

C vsurpare solet non nisi duobus modis, vel pro omni copore Cęlesti, vel pro aëre, seu toto illo spacio, quod inter cęlum & terram vsquequaque interpatet. Deinde Moses paulò infrà enarrando quarti diei opus ait, *Deum fecisse solem & lunam, quæ vocat duo luminaria magna, eaq; posuisse in firmamento*: Solem autem & Lunam non esse in octauo Cęlo, nemini non est manifestum. Ad hoc, non potest Catharinus expedire quemadmodum octauum cęlum sit in medio aquarum, superiores aquas determinans ab inferioribus: nam, vt demus quod ipse vult, per aquas superiores significari nonũ cęlum à multis dictũ crystallinũ; qua ratione inferiores & terrestres aquas verè dicetur octauũ Cęlum diuidere à superioribus, & esse vtrarumq; tanquā medius

D quidam terminus interiectus? cùm inter aquas terrenas & octauum Cęlum, propè immenso interuallo duo sint interposita elementa aëris & ignis, superq; septem planetarum orbes. Nisi fortè Catharinus eorũ perfugio vti velit, qui fabulātur per aquas inferiores intelligēdũ esse orbē Saturni, ob frigidissimam eius vim & potentiā, nomine aquarũ rite appellatũ, sed hoc quā frigidũ sit cōmentum, infirmũq; refugiũ, paulò infrà ostendemus. Nec verò aliud quodliber Cęlum, aut multorũ cęlorũ complexio & collectio, nomine firmamenti hoc loco significatur. Etenim suprà docuimus oēs Cęlos secũdum ipsorũ substātiam ante primũ diē esse cōditos. Deinde nullũ est cęlũ φ verè dici queat esse in medio aquarũ, & diuidere aquas inferiores à superi-

Auctoris sententia de firmamento.

Cœli nomen in Scriptura duobus modis sumitur.

rioribus: vltimum enim cœlum in quo est Luna, longissimo spacio A
distat ab aquis terrenis, scilicet, aëris & ignis, duobus amplissimis
elementis interpositis, nec sane supra vllum orbem cœlestem vllæ
sunt aut esse possunt veræ ac naturales aquæ, vt mox ostendemus.
Quid quòd Moses infra commemorans opus quinti diei ait, aues
volare in firmamenro, seu super firmamentum, quod nulli cœlo cõ-
gruit: nam quod eo loco habet Latina versio, *Producant aquæ reptile*
animæ viuentis, & volatile super terram sub firmamento cœli, Hebraicè
ad verbum est: *Et volatile volet in superficie, vel, super faciem firmamenti*
Cœli, vel potius extensionis cœli; LXX. autem interpretes habent, κ᾽ τὸ
στερέωμα τ᾽ οὐρανοῦ, hoc est Latinè, *Secundum firmamentum, vel in firma-*
mento Cœli. Legenda sunt quæ super hoc scribit Beda exponẽs opus
quinti diei, in iis Commentariis in Genesim, qui falsò nuper editi B
sunt sub nomine Iunilij Afri: sic enim ait. *Quod autem dictum est. Et*
volatile super terram sub firmamento Cœli; nil rationi veritatis obsistit, quia
nimirum etsi immenso interiacenti spatio, sub sydereo tamen Cœlo volant aues
quæ super terram volant: quomodo etiam nos homines in terra positi, sub Cœ-
lo ac Solè esse constituti veraciter & rectè dicimur, attestante Scriptura quæ
Actor 2. *ait*, Qui erant in Hierusalem habitantes Iudæi ex omni natione quę
sub Cœlo est. *Et quid habet amplius homo de vniuerso labore suo, quo labo-*
Ecclesia. 1. *rat sub sole? Sanè iuxta aliam translationem mouet nonnullos, quod dictũ est.*
Et volatilia volãtia secundum firmamentum, id est, iuxta firmamentũ Cœli.
Sed intelligendum est, quod ideo dictum sit volare aues secundum firmamen-
tum Cœli, quia hoc nomine etiam æthera indicetur, hoc est, superius illud C
aëris spatium, quod à turbulento hoc & caliginoso loco, in quo aues volant,
vsque ad astra pertingit, & esse tranquillum prorsus, ac luce plenum non im-
merito creditur. Nam & errantia sydera septem, quæ in hoc ætheris spatio
vaga ferri perhibentur, Scriptura in firmamento Cœli esse posteâ dixit: ideó-
que aues rectè dicuntur secus firmamentum Cœli volare, quia vicina sunt, vt
dixi, ætheri turbulenta hæc aëris spatia, quæ volatus auium sustinent. Nec mi-
randum, si æther firmamentum Cœli nominetur, cùm aër appelletur Cœlum, vt
supra docuimus. Sic BEDA.

Auctoris sententia, quid vocabulo firmamenti hoc loco significetur.

QVAE igitur est nostra de firmamento sententia? Arbitramur ve-
ram firmamenti significationem, & germanam propriámque horũ
verborum Mosis sententiam ex voce Hebræa, quę est hoc loco, esse
eruendam. Quod Latinus Interpres reddit, firmamentum, & LXX. D
interpretes Græcè verterunt στερέωμα, Hebraicè est רָקִיעַ *Rachiach*
quæ vox propriè significat extẽsionem, à verbo רָקַע *Rachah*, quod
est expandere, seu extendere: hac enim significatione sæpenumero
vsurpatur in Sacris litteris, vt animaduertere licet Isaiæ quadragesi-
mosecundo, & Psal. 135. & 136. & Hieremiæ. 10. aliisq; locis, in qui-
bus est verbum Hebraicum significans extendere, quod tamẽ Lati-
nus Interpres imitatus LXX. frequenter expressit verbo firmare.

Quadruplex modus extensionis.

Sciendum porrò est, extensionẽ quattuor modis fieri posse: vel per
dilatationẽ, sicut auri massa in tenuissimas & amplissimas laminas

dilata

A dilatata extenditur, vel per rarefactionem, quemadmodum aqua subiecto igne feruescens, in ampliorem molem extenditur, vel per naturalem accretionem, veluti animal ex paruo secundum omnes corporis dimensiones, in maiorem extenditur magnitudinem; vel denique per quamdam expansionem & explicationem, videlicet cùm quod erat conuolutum & complicatum, euoluitur, explicatur, & extenditur: quod in aulœis, cortinis, & tabernaculis fieri solet. Atque hoc vltimo modo sumitur in præsenti nomen Hebræum רקיע *Rachiach*, nempe pro quadam expansione & extensione, nam & Dauid Psalmo centesimotertio, ea significatione vsus est dicens, *Extendens Cœlum sicut pellem*, vel vt ad verbum sonant Hebræa, *Sicut cortinam, seu tabernaculum*. Et Isaias cap. 40. inquit, *Deum extendere Cœlum sicut cortinam, vel velam tenuissimam, & tamquam tabernaculum ad inhabitandum.*

B Lippomanus quidem in Catena in Genesim super hunc locum tradit, verbum רקע *Rachach*, vnde est ductum nomen רקיע *Rachiach*, præter frequentem & vulgatam significationem expandendi, seu extendendi, etiam significare interdum stabilire & firmare. Verùm nec ipse vllum eiusmodi significationis adfert exemplum, nec Hebraicè apprimè docti, talem huius verbi vsum agnoscunt. Qui Hebraicè tractant Mathematica, solida vocant nomine רקיע *Rachiach*, sed id faciunt illi quidem nõ tam propria vocis Hebrææ significatione seruata, quàm Septuaginta Interpretes, qui Hebræum vocabulum רקיע *Rachiach*, Græcè verterunt στερέωμα, imitati.

Aloysius Lippomanus.

C Nos igitur existimamus nomine firmamenti, hoc loco significari à Mose totum illud spatium, quod expansum & diffusum est circum terram vsque ad astra: scilicet quatenus oculorum acies vsquequaque porrigi potest. huius spatij supremam partem tenent cœli & astra: imam partem elementum ignis & aëris. Et Moses aliquando loquitur de firmamento ratione supremæ partis, vt cùm dicit sydera esse posita in firmamento: interdum ratione inferioris partis, vt cùm ait aues volare in firmamento, & firmamentum diuidere aquas superiores ab inferioribus. Similiter in Scriptura, nomen cœli ponitur nunc pro sydereo, aliàs pro aëreo. Intelligendum autem est, totum hoc spatium quod inter terram & Cœlum Lunæ interfusum est, fuisse plenum materia quadam aquea & nebulosa, qualis solet

Firmamenti nomine quid Moses significauerit.

D esse aër proximè superfusus terræ, cùm est multis densisque vaporibus, & crassis nubibus obductus atque confertus. Atque hoc ego non ex meo sensu depromo, aut id meo arbitratu fingo, sed ex manifestis Scripturæ locis elicio. in libro namque Ecclesiastici capite vicesimoquarto. Sapientia diuina commemorans, quid ipsa in mundi opificio egerit, *Ego*, inquit, *feci, in Cœlis vt oriretur lumen indeficiens, & sicut nebula texi omnem terram.* & apud Iob 38. sic ait Dominus. *Quis concluſit ostiis mare, quando erumpebat quasi de vulua procedens, cum ponerem nubem vestimentum eius, & caligine illud quasi pannis infantiæ obuolue*

uoluerem? Materiam antem nebulosam, & vt ita loquar, vaporosam, A cernimus facillimè & ocyssimè in aërem conuerti: sicut enim aër facilè densatur in nubem & vaporem, ita vicissim vapor magna facilitate, celeritatéque in aërem soluitur. Itaque pars illius matetiæ nebulosæ tenuior & leuior, hoc secundo die commutata est in aërem, & in eum qui supra aërem esse dicitur ignem, vel potentia, & efficacitate primæ lucis ardentissimæ, & ad agendum potentissimæ, vt opinatur EVGVBINVS: vel quod fit credibilius, Dei solius infinita vi & potestate: duorum enim elementorum, ignis & aëris, tam velox & subita procreatio, non videtur naturali lucis potentia fieri potuisse. Reliqua verò inferior pars illius materiæ nebulosæ, & crassior, frigidior & grauior, circum terram subsedit: quæ postea tertio die B magis etiam densata & ad propriam elementi aquæ conditionem redacta, separata est à terra, & ne eam rursus operiret, in præparatum sibi locum congregata.

Augustinus Eugubinus Cosmopaia.

Quod propriè secundo die factũ sit.

VERVMTAMEN quia supra diximus similius verò esse, omnia elementa simul cum omnibus Cœlis esse facta secundum substantiam: dicendum potius est hoc die factum esse aërem non, secundum substantiam, sed factum esse medium quemdam terminum distinguantem aquas pluuiales à terrestribus, & esse factum locum naturalem generationis eiusmodi aquarum sublimium: ita vt hoc die facta sit distinctio elementi aquæ in aquas aëreas & terrestres; tertio autem die facta est aliquatenus distinctio aquæ à terra. Ergo die secundo factus est aër non simpliciter, sed vt rationem haberet firmamenti, & munus diuidendi aquas ab aquis. Neque necesse est hoc die sublatos esse vapores & nubes in sublime, & in media regione aëris generatas fuisse aquas, cùm infra dicat Moses capite secundo quod condito iam paradiso, *nondum pluerat super terram*, sed hoc die designatus & destinatus est aër, vt esset locus naturalis aquarum & diuideret aquas ab aquis. C

Per firmamentum propriè intelligi spacium inter Cælum & terram.

SED vt ad propositum reuertar, per firmamentum in præsentia intelligi debere spacium expansum inter cœlum & terram, multis argumentis patet. Primum: eorum qui nomen firmamenti tribuebant corpori cœlesti confutatio, huius nostræ opinionis est confirmatio: Si enim firmamentum non significat corpus aliquod cœleste, proculdubio non aliud quàm quod nos dicimus significare potest. Deinde, mirificè congruit huic nostræ interpretationi nomen Hebræum רָקִיעַ *Rachiach*, quod vt diximus, *extensionem & expansionem* significat. Posteà firmamentum appellatum est à Deo Cœlum, Hebraicè שָׁמַיִם *Shammaim*, quasi dicas, ibi aquæ: שָׁם *Sham* enim, significat ibi, מַיִם *Maim* verò aquas: hoc autem pulchrè quadrat in aërem, in cuius regione superiori ingens est atque perennis aquarum, per imbres terram irrigantium atque fœcundantium generatio. Ad hoc, firmamentum esse in medio aquarum, diuidens aquas superiores D

A periores ab inferioribus, nulli corpori præterquam aëri potest verè aptéque accommodari. Præterea, quod Moses dixit exponendo opus quinti diei, aues volare in superficie firmamenti Cœli, secundum nostram firmamenti interpretationem, & veram habet sententiam & intellectu facillimam. Ad extremum, crebro in sacris litteris aër vocatur cœlum, hinc volucres cœli, & ad efficiendum diluuium cataractæ Cœli apertæ sunt, Geneseos septimo, & Dauid, *Qui operit cœlum nubibus*, Psalmo centesimo quadragesimosexto. Zacharias, *Cœli dabunt rorem suum.* Zachariæ octauo-Dominus noster in Euangelio dixit, Matthæi decimosexto, *Triste &, rubicundum cœlum*, Moses in Deuteronomio minatur Iudæis, si legem
B Dei violauerint, fore illis desuper Cœlum æneum. Deuteronomij vicesimooctauo Elias dicitur clausisse tribus annis Cœlum ne plueret, tertij Regum decimonono, denique Beatvs Petrvs in fine posterioris Epistolæ docet, eosdem Cœlos, qui perierunt olim diluuio, in die iudicij etiam incendio perituros.

Nec verò hæc, quam tradidimus de firmamento sententia, à nobis primo excogitata & inuenta est, eam namque tanto ante nos intellexit & docuit Sanctvs Hieronymvs in Epistola octuagesimatertia quam scripsit ad Oceanum: *Inter Cœlum*, inquit, *& terram medium extruitur firmamentum*; *& iuxta Hebraici sermonis Etymologiam*, *Cœlum, id est*, שמים *Shamaim, ex aquis sortitur vocabulum.*
C Eamdem quoque interpretationem innuit in libro de Genesi ad litteram imperfecto Avgvstinvs: in duodecimo enim capite ita scribit, explanans hunc ipsum, quem nunc tractamus locum Geneseos: *In hoc loco*, ait, *cum dicitur firmamentum cœlum, intelligendum est omnem istam æthæream machinam dici, quæ omnia substantia continet, sub qua puri & tranquilli aëris serenitas viget, sub qua item iste aër turbulentus & procellosus agitatur.*

Hanc etiam opinionem idem Avgvstinvs iam ante ipsum ab aliis proditam in libro secundo de Genesi ad litteram capite quarto valde probat & laudat. Eamdem inter maximè probabiles commendat Beatvs Thomas prima parte quæstione
D sexagesimaoctaua: quin si quis aduertat animum ad eius loquendi modum, ad hanc ipse propensior videtur. Dvrandvs autem in secundo Sententia. distinctione decimaquarta eam cæteris anteponit. Et Rvpertvs idem sensit in primo libro de Trinitate & eius operibus capite vicesimo secundo, sic scribens: *Firmamentum non solidum quid aut durum, vt vulgo putatur, sed aër est extensus, & adeo subtiliatus, vt licet videri queat, rectius tamen spiritus dici queat quàm corpus, testante Ecclesiaste*, Ecclesiast. primo, *cùm dicit de luminaribus quæ visibiliter in eo feruntur, Lustrans in circuitu pergit spiritus, & in circulos suos reuertitur. Hoc itaque cum solidum non sit, sed neque ita corpulentum vt hæc inferior pars aëris, aliunde tamen*

Scriptu

Scriptura illud nuncupauit firmamentum, videlicet eò quod diuidat aquas ab aquis. Sic Rupertus. Non attinet commemorare Auguſtinum Euguinum, qui vt palam eſt omnibus fuſe tractat hanc interpretationem in Coſmopœia, & pugnaciter præfractéque defendit. Caietanus etiã ſignificatione vocis Hebrææ, quam proximè expoſuimus, affirmat nomine firmamenti hoc loco ſignificari expanſionem, quæ eſt inter cœlum & terram, qua & aëris & ignis omniúmque cœlorum viſibilium extenſio comprehenditur.

Caietanus in Geneſ.

Duæ obiectiones.

VERVM huic ſententiæ duo videntur officere: nam & nomen Latinum firmamenti, quod eſt in Latina & vulgari tranſlatione, & vox Græca στερέωμα, qua vſi ſunt Septuaginta Interpretes, in aërem corpus admodum tenue & inſtabile perpetuáque iactatum agitatione minimè quadrant. Et Moſes paulò inferius, vbi opus quarti diei tradit, ſolem & lunam aſtráque omnia in firmamento eſſe poſita affirmat: non eſſe autem ſolem, & lunam, atque ſydera in eo ſpacio, quod aër obſidet, & implet nemo inficias ibit. Sed has obiectiones contra noſtram opinionem eſſe inualidas, facillima earum ſolutio declarabit. Prior ita ſoluitur: Non appellatur firmamentum, quia ſit corpus firmiſſimum, ſed quia eſt interſtitium & terminus interiectus inter aquas ſuperiores & inferiores: terminus, inquam firmiſſimus & immutabilis: ſemper enim id natura fert, vt ſuperiores aquæ generentur in ſublimiori aëre, indéque defluant in terram, inferiores autem aquæ ſub aëre locum habeant. Hanc ſignificationem firmamenti non eſſe commentitiam, ſed illi vocabulo bene congruentem, teſtem excitabo B. Auguſtinum, qui in libro ſecundo ſuper Geneſim ad litte. cap. 10. ad hunc modum ſcribit, *Nec nomen firmamenti cogit, vt ſtare cœlum putemus: Firmamentum enim non propter ſtationem, ſed propter firmitatem, aut propter intranſgreſſibilem terminum ſuperiorum & inferiorum aquarum, intelligere licet.* Idem tradit Rupertus eo quem paulo ſupra poſuimus loco. Poſterior obiectio multis modis refelli poteſt. Nec reſpondeo, vt quidam reſpondent, Moſem aliter vſum eſſe vocabulo firmamenti ſecundo die, & aliter in quarto, illic nimirum pro aëre, hic autem pro corpore cœleſti: vix enim fit credibile Moſem tam breui interuallo eadem voce adeo variè & ambiguè vſum eſſe, quod haud dubiè non paruam narrationi ſuæ obſcuritatem erat allaturum. Nec dicam quod à nonnullis eſt proditum, in ſecundo die appellari præcisè firmamentum in quarto autem cum adiunctione, hoc eſt, *In firmamento cœli*: vt hæc varietas, variari vtroque loco, huius vocis ſignificationem indicaret: hoc enim parum firmum eſt, dicitur enim, *In firmamento cœli*, more Hebraico pro eo quod eſt in firmamento quod eſt cœlum, vel quod ſupra in ſecundo die appellatum eſt à Deo cœlum. Nec deſunt, qui cùm dicitur ſydera poſita eſſe, *in firmamento cœli*, illud. *In firmamento cœli*, interpretentur pro *Supra firmamentum*. Certè qui per firmamentum

Solutio obiectionum.

A tum intelligunt octauum cœlum, coguntur etiam illud *In firmamento cœli*, exponere pro *Sub firmamento cœli*. Sol enim & luna cæteriq́ue planetæ non sunt positi in octauo cœlo, sed sub ipso cursus & circuitus suos peragunt. Illa igitur probabilior est solutio, vel quod dicantur posita in firmamento cœli, quia per ipsum firmamentum, id est aërem, sint hominum oculis expositæ & aspectabilia: nam prout spacium hoc aëreum magis minúsve serenum & purum fuerit, ita vel clarius vel obscurius splendorem illa suum, atque pulchritudinem mortalibus ostentant. Vel potiùs Moses Hebræa voce רקיע *Rachiach*, indiscretè significauit vniuersum spacium, & extensionem à terra vsque ad summa sydera, videlicet quatenus oculorum acies vsquequaque pertingere potest, nec enim iudicio sen-
B sus, nec vulgi existimatione, spacium in quo voluuntur sydera, ab eo in quo est aër & ignis separatum est. Itaque Moses narrationem demisit & accommodauit ad opinionem sensumq́ue vulgi existimantis, solem lunam & astra per hoc spacium, seu vt vulgo putatur inane vagari, & motus suos conficere: neque enim hoc non infra fecit Moses, cum enarrando opus quarti diei, secutus opinionem vulgi & iudicium sensus, lunam appellauit *luminare magnum*; ita vt post solem, syderum maximum facere videatur, cum reuera, vt certis argumentis docent Mathematici, plurimis astris sit magnitudine inferior. Ergo in firmamento secundum partem eius supremam po-
C sita sunt astra: in firmamento item secundum eius inferiorem, quam aër obsidet, sunt aquæ de quibus agitur hoc loco. Et ita soluit hanc ipsam obiectionem Sanctus Thomas prima parte quæstione trigesima articulo primo. Illud etiam nemini negotium facessat, quod in scriptura legitur, *Et aquæ, quæ super cœlos sunt*: tamquam quod pluraliter dicatur *Super cœlos*, propterea non possit de aëre intelligi: etenim ita dictum est secundum phrasim linguæ Hebrææ, in qua nomen cœli caret singulari, & tantum pluraliter dicitur שמים *Sammaim*, hoc est, cœli, sicut Athenæ, Syracusæ, Venetiæ. *Psalm* 148.

EXPEDITA priori quæstione de firmamento cœli, alteram magis etiam perplexam & litigiosam de aquis supra firmamentum
D positis, tractare aggredimur. Quales essent illæ aquę, difficillimum explicatu visum est iis, quibus nomine firmamenti cœlum sydereum hoc loco significari erat persuasum: quamobrem multas illi earum aquarum interpretationes, & alias alij non diuersas modô, sed aduersas etiam tradiderunt. Incipiam ab Origine, cui, quòd fortasse videretur incredibile supra cœlos sydereos esse veras aquas, placuit nomen illarum aquarum non propriè accipere, sed figuratè ac mistycè interpretari. Etenim is (quemadmodum refert Epiphanius in epistola ad Ioannem Hierosolimitanum, & Hieronymus in epistola ad Pammachium) in scriptis suis super Genesim enarrans hunc locum, per aquas superiores interpretatus est bea-

Quales sint aquæ supra firmamentum positæ.

Sententia Origenis per aquas supra cœlũ positas angelos intelligi.

tos angelos, quos etiam à Dauide nomine aquarum significari ait A
Psalm 148. cum dixit, *Et aquæ quæ supercœlos sunt, laudent nomen Domini* per aquas verò inferiores exposuit malos Angelos è cœlo in hunc turbulentum & caliginosum aërem deturbatos. Hanc interpretationem Epiphanius & Hieronymus supradictis locis damnant, quam etiam refellit Epiphanius eo argumento, quòd aquæ super firmamentum lo-

Origenes refellitur ab Epiphanio, Hieronymo, Basilio, & Auctore.

catæ, sint illæ, quas Moses infra capite septimo scribit apertis cœli cataractis, ad efficiendum diluuium fuisse delapsas. Basilius in homilia tertia super Genesim, hanc expositionem, tacito tamen Origenis nomine, memorat, & quasi somnium, anilemque fabulam reiicit: & sanè merito. Nam præterquam quod historicam Mosis narrationem de veris aquis corrumpit, ad intellectuales & spirituales aquas nimium violentè ac inepte detorquendo, duobus etiam Scripturæ te- B
stimoniis apertè confutatur: alterum est in Psalmo 103. vbi sic est, *Extendens cœlum sicut pellem, qui tegis aquis superiora eius*, vel vt ad verbum est in Hebræo, *Qui contiguas & contabulas superiora eius*, quod in Spiritus angelicos nequaquam conuenit: alterum est in Psalmo 148. & in Cantico trium puerorum, vbi cum omnia Dei opera prouo-
Dan. 3. centur ad laudandum Deum, primo loco memorantur Angeli & virtutes cœlestes, deinde verò *aquæ quæ super cœlos sunt*: quo licet intelligere, aquas illas supercœlestes ab Angelis esse diuersas. Atque hoc Scripturæ testimonio ad eam opinionem redarguendam vsus est Rupertus primo libro de operibus Sanctissimæ Trinitatis capite vigesimo tertio, Augustinus simile quippiam Origenis opinioni scri- C
ptum reliquit libro vigesimo tertio, Cõfessionum capite 32. ait enim *firmamentum esse positum inter superiores aquas spirituales, & inferiores corporales*. Verum, hoc ipsemet postea in libro secundo Retractationum capite sexto, vt in re tam obscura inconsideratè dictum, reuocauit, atque correxit.

Secũda opinio Iustini Martyris, Philonis, Iosephi, Basilij, Theodoreti, Gennadij, Ambrosij, esse veras aquas supra cœlum.

ALIA est sententia multorum, & antiquitatis & doctrinæ sanctitatisque laude præstantium virorum probata & nobilitata consensu, veras & naturales esse aquas supra cœlum sydereum: quas enim Moses proprio nomine, ac simpliciter appellauit aquas, proculdubio veras aquas esse intelligendas: Sed quibus hæc placuerit sententia, nominabo. Iustinus Martyr respondens ad 93. quæstioné D
orthodoxorum ait, *terga cœli esse aquis tecta secundum illud*, Qui tegis aquis *superiora eius: earum vero aquarum duplicem esse vsum, alterum, ad immensum tot tantorúmque syderum ardorem, ne penitus omnia consumantur, sua refrigeratione mitigandum atque temperandum: alterum, vt earum pondere dorsum cœli vrgeatur ac prematur deorsum, ne crebro ac violento ventorum impulsu concussum huc illuc agitetur.* Similia fere duo Iudæorum
Psalm. 103. doctissimi Philo & Iosephus prodiderunt. Basilius autem Homilia tertia super Genesim de hatum aquarum supercœlestium vsu ac necessitate, multa diligenti & accurata oratione disputat: *Nam cum Deus*, inquit, *infinitam prope vim ignei ardoris propter*

multiplices

A *multiplices & ad plurima necessarios eius vsus in cœlo, & infra cœlum multifariam sparsisset, esséque suapte natura ignis voracissimus, súique fœcundissimus, ac minimis mirè crescens initiis, ne ob eam causam vniuersi salus atque incolumitas periclitaretur, ex aduerso maximam ei infra supraque cœlum vim aquarum opposuit, vt earum refrigeratione tantus ignium ardor temperatus, non solum non obesset mundo sed, etiam prodesset plurimum.* Sic fere Basilius. Idem tradunt Theodoretus quæstione vndecima super Genesim, Gennadius item & Seuerianus, vti hoc loco citantur in Catena. Ambrosius verò libro secundo in Hexameron, capite secundo etiam huius rei duo ponit indicia & argumenta: alterum, quod nonnumquam ingens aquæ vis de cœlo repente magno impetu descendens in tantos imbres resoluitur, vt flumina & lacus repente compleantur, & vel ipsa exundent maria: alterum, quod frequenter Solem cernamus quasi madidum & rotantem, scilicet propter aquarum alimentum ad eius ardoris temperiem, attractum. Beda in libro de Natura rerum ait, quibusdam esse visum aquas supra cœlum esse à Deo positas, vt earum ingenti copia è cœlis præcipitata in terras, generale totius orbis diluuium, quod Dei voluntate ac decreto aliquando erat futurum, effici posset: verum sibi probabilius videri, eas aquas ad refrigerationem & temperationem ardoris syderum fuisse comparatas. Supradictam opinionem tribuit cuidam doctori solenni Tostatus super caput septimum Geneseos: sed eam falsam esse, duplici constat argumento: tum quia vt illæ defluerent in terram ad efficiendum diluuium, necessarium fuisset cœlos omnes disrumpi, vt illis aquis pateret descensus, & rursus eosdem cœlos occludi: tum quia vel tota illa aqua defluxisset, & sic totus locus, quem obsidebant remansisset vacuus: vel pars tantum defluxisset, & reliqua pars esset frustra, cum non futurum sit amplius diluuium generale, vt promisit Deus Genes. 9. Nec desunt, qui putent hunc quoque sensum esse Ecclesiæ, propterea quod in hymno qui ad vesperas feriæ secundæ publicè cantatur in templis sic est.

Aquas supra cœlestes non fuisse reseruatas ad generali diluuium.

B

C

Immense cœli conditor
Qui mista ne confunderent,
Aquæ fluenta dinidens,
Cœlum dedisti limitem.
Firmans locum cœlestibus,
Simulq́; terræ riuulis,
Vt vnda flammas temperet,
Terræ solum ne dissipent.

D

Ad idem persuadendum, adhibent quidam rationem hanc ex analogia petitam, quam tangit Augustinus libro vndecimo, de Ciuitate Dei cap. vlt. sicut in micro cosmo, id est, in homine, supra cor igneæ naturæ locatum est cerebrum frigidissimum; ita in magno mundo supra cœlestes ignes, aquas esse positas. Idem libro secũdo, super Genesim ad litteram cap. 5. & in libro de Genesi imperfecto capite octauo, refert quosdam fidelium conuincere voluisse, aquas esse supra cœlum, argumento Saturni, qui cum maiori cæteris planetis concitatione feratur motu primi mobilis (pari enim tempore longè maius

Neque ad temperandum syderum calorẽ ex motu eorũ excitatum.

circuit spacium) maiorem quoque calorem concipere, & ardentior A esse debebat; cum tamen Astronomi doceant Saturnum esse frigidissimum, huius tantæ frigiditatis non alia profectò causa, quàm supercœlestium aquarum vicinitas, esse potest. Sed hoc friuolum est: octauum enim cœlum vicinius est istis aquis, quàm orbi, Saturni,& inter hunc & illas intermedium: quare sydera inerrantia quæ in eo sunt,quò propriora illis aquis,eò pleniùs earum frigiditatem sentire ac participare deberent: quod falsum esse patet, vel vnius Syrij seu Caniculæ argumento,quæ ardoris excessu insignis est, & apud omnes gentes infamis. Beatus Augustinus loco proximè posito cùm de istiusmodi aquis,qua ratione supra cœlum esse queant, multum disputasset, hanc tandem velut clausulam disputationis adiicit, *Quo* B *quo modo autem,& qualeslibet aquæ ibi sint,eas esse ibi minimè dubitemus: maior est quippe Scripturæ huius auctoritas, quàm omnis humani ingenij capacitas.* Lege quæ in eandem sententiam lib. 11. de Ciuitate Dei cap. vlt. scribit Augustinus.

Quomodo aqua per se labilis & fluxa supra cælum consistere queat. Basilius Homilia 3 in Hexameron.

OBIICITVR aduersus istam opinionem,labilem & fluxam aquarum naturam super extimam cœli faciem, quæ perfectissimè rotunda & leuis est,non posse consistere. Soluit hoc Basilius, licet concaua Cœli superficies sit rotunda, non continuo tamen esse consequens & necessarium, vt conuexa Cœli superficies sit etiam rotunda,sicut videre est in fornicibus & locis concameratis. Beda verò in Hexameron ita respondet; *Non esse minus facile omnipotenti Deo tenere aquas super Cœlum sydereum, siue liquidas, siue modo Crystalli conglaciatas atque concretas, quàm (quod facit quotidie) tenere aquas in sublimi aëre suspensas, vnde tantus fit imbrium defluxus, quod loco miraculi prædicat Iob de Deo capite vigesimosexto. Qui ligat aquas in nubibus suis, vt non erumpant pariter deorsum. Ipse enim est, qui vndas rubri maris atque Iordanis,in sublime erectas & murorum similitudine firmatas, fecit consistere.* C Sed ex Beda quærendum esset,vtrum putaret aquas esse supra cœlum naturaliter, an miraculosè: Si diceret esse miraculum,facilè reiiceretur ex sententia Augustini,cui non placet in reddenda ratione eorum, quæ in prima rerum institutione & dispositione facta sunt ad omnipotentiam Dei & ad miracula confugere: sin autem diceret aquas ibi esse naturaliter, facilius confutari posset, cùm naturalis aquarum locus sit infra aërem terræque proximus. Nec iuuat eum argumentum vaporum, qui sunt in sublimi aëre; namque illi, vt sint aqua secundum substantiam,non habent tamen naturalis aquæ proprietates, frigiditatem dico, densitatem & grauitatem, sed propter calorem tenuati & facti leues, feruntur ad supera loca; cùm primùm tamen in veram aquam mutantur, non queunt sublimi loco consistere, sed naturali pondere ad ima deferuntur, ac licet vapores ad superiores regiones aëris,ob eas quas dixi causas,subuehi queant, vltra tamen nec ad supremam aëris regionem, neque ad locum ignis, quantò minus supra octauum Cœlum possunt attolli. Beatus AVGVSTINVS libro

secundo

A secundo de Genesi ad lit. capite quarto & in Dialogo sexagesimo quinto quæstionum, quæstione vigesimaseptima argumentatur non esse putandum incredibile aquam euehi & esse supra cœlum : *Videmus enim*, inquit, *quotidie aquam tenuatam in vaporem, tolli ad superiores partes aëris, quæ si magis etiam magisq; tenuaretur, celsiora quoque loca peteret. Cùm igitur Physiologi doceant, omne corpus in infinitum rarescere & diuidi posse, etiam poterit in infinitum fieri leuius, & ad quamcumque locorum sublimitatem sustolli: quocirca non videtur impossibile, aquam eatenus attenuari posse, quoad idonea sit etiam supra Cœlum promoueri.* Hæc Augustinus. Cuius nec opinatio probabilis est, & inualida est argumentatio. Non enim fieri potest, vt adeo extenuetur aqua, vt supra Cœlum efferri queat, primò propter soliditatem & continuitatem cœli, nulli transitum B præbentis, tum propter regionem ignis superfusam aëri, qui omnem istiusmodi vaporum vim prorsus absumeret, deinde, quia terminus naturalis eorum, quæ sursum feruntur, est citima orbis Lunæ extremitas : leuissimus enim omnium corporum ignis vlteriora non appetit loca, posteà, licet omne corpus ratione Mathematica, qua seiunctum ab omni materia naturali cogitatur, in infinitum rarefieri ac diuidi posse dicatur, id tamen reuera fieri nullo in corpore naturali possibile est, omnium enim rerum natura constantium, tam paruitatis & magnitudinis, quàm densitatis & raritatis certus à natura præfinitus est terminus : quamobrem aqua non potest constare quantalibet raritate, sed si plus quàm fert eius natura attenuetur, C continuo vertitur in aërem, & hic nimio plus tenuatus, in ignem mutatur.

Excutitur opinio, & argumẽtatio Augustini de aquis supercœlestibus.

Sed vt breui præcidam, vniuersè opinionem istam de aquis super sydera positis, confutabo. Nullo modo est credibile, veram & naturalem aquam esse supra Cœlum : etenim cùm sit aqua corpus grauius & crassius atque ignobilius aëre, esset profectò contra naturalem rerum ordinem, & contra bonam vniuersi dispositionem, tantam vim aquarum, certè longè maiorem omnibus aquis terrestribus, non modo super aërem, sed etiam super octo cœlestes orbes esse locatam. Nam & ratio docet, & confirmat experientia, naturalem aquæ locum esse infra aërem, & proximè supra terram: D cernimus enim aquam non quiescere in aëre, & quæ in sublimi aëre ex nubibus generatur, statim suopte nutu & pondere deorsum præcipitari, quare si aqua esset supra Cœlum, negari non posset eam illic esse contra naturam suam ac violentè : atqui nullum violentum est perpetuum : nec est credibile Deum, qui in exordio mundi res omnes quas potenter condidit, sapienter etiam & cuiusque rei naturæ conuenienter disposuit, tantam aquarum copiam contra naturalem earum propensionem atque impetum supra Cœlos collocasse. Si natura, vt sæpe vsurpat Aristoteles, nihil facit frustra, quanto minus Deus omnis naturæ sapientissimus opifex, frustra tantam aquarum vim posuisset super cœlum, & tot annorum millibus violentè

Probatur veras aquas non esse supra cœlum.

Deus & natura, nihil faciunt frustrà.

ibi tenuisset, præsertim cùm earum aquarum nullus satis idoneus & probabilis vsus excogitari possit? Nam quod aiunt quidam, opus fuisse earum refrigeratione ad mitigandum ac moderãdum ardorem syderum: Peripateticis nequaquam probaretur: Sydera enim non esse calida & ignea, demonstrauit Aristoteles libro secundo, de Cœlo, & 1. libro Meteororum, & nos ostendemus in alio libro, quem de cœlis & syderibus scripsimus, & huic subnectemus. Verum demus esse calida & ignea: at quantò satiùs fuisset à principio non plus caloris tribuere cuique syderi, quàm quantum vtile futurum erat ad mundi conseruationem: quàm immoderatum syderibus largiri calorem, ad quem postea corrigendum & temperandum, opus fuerit isto tam violento aquarum remedio. Et vero, si aqua illa refrigerando minuit ardorem syderum, id fieri non posset sine alteratione: remissio enim vnius contrarij, auctore Aristotele, non fit nisi propter contrarij admixtionem: quamobrem perpetuo sydera alterarentur, & quodammodo corrumperentur: certè in illis notabilis aliqua variatio euenisset, quæ tamen ne minima quidem post mundum conditum adhuc potuit deprehendi. Cùm autem sydera non calefaciant nisi per lucem; vt remittatur earum vis calefaciendi, necessum esset pariter etiam minui vim & copiam lucis, quam tamen eandem omni æuo & inuariabilem fuisse, concessu omnium constat. Porrò inter contraria, mutua est pugna, & vt Philosophi loquuntur, actio & reactio: quocirca & aqua illa reprimens vim caloris, vicissim syderum ardore calesceret, atque tabesceret, ac tandem interiret, cuius interitus & irritum faceret primum Dei consilium atque propositum, & locum aquę corruptæ inanem & vacuum relinqueret, vel aliquid in eius locum recens generatum sufficeretur: vel aquarum interitus proficeret ad incrementum syderum, & insignis aliqua syderibus fieret accessio. Hæc cùm sint, & rationi & sensibus & doctorum hominum obseruationibus planè contraria, sunt etiam omnino repudianda & reijcienda, è quibus hæc necessario conficiuntur.

Sydera nõ indigere refrigeratione ad temperiem sui caloris.

A

B

C

Non esse item comparatas ad retundendũ ignis elementaris ardorem.

Alii, his opinor conuicti rationibus opinantur, eas, aquas esse comparatas ad retundendum ardorem ignis elementaris sub orbem lunæ subiecti, qui cùm sit mole amplissimus, potentiaque efficacissimus, nisi esset ita repressus, omnia conficeret atque consumeret. Sed hoc futile est, nam neque ille ignis, cùm sit in rarissima ac tenuissima materia, magnam habet calefaciendi vim, & ei, quantacumque ipsa sit reprimendæ, tum media regio aëris frigidissima, tum immensa terrestrium aquarum copia abundè sufficit, ac ne illa quidem supercœlestis aqua posset ad elementum ignis frigus suum transmittere: impedita quippe esset octo cœlestium orbium interpositu, qui cum sint incorruptibiles, nec frigoris, neque cuiusquam aliarum qualitatum, quæ vim habent corrumpẽdi sunt capaces. Quidam verò sic argumentantur, cùm duæ sint in sublunari mundo principes qualitates vim agendi habentes, Calor & Frigus, harũ in cœlis causas

D

esse

A esse aliquas effectrices & conseruatrices necesse est. Quemadmodum igitur Cœli astriferi syderum lumine calorem generant ac tuentur, ita ratio suadet esse Cœlum aliquod aqueum, cuius potentia frigus effici & conseruari possit. Verum hæc infirma est argumentatio, nam neque cœlum illud per tot orbes intermedios vim frigoris transmittere posset ad res sublunares, & Astronomi vim frigefaciēdi etiā astris, vt Saturno tribuūt, multi præterea hoc referūt ad varias influentiarū facultates, quas cœlis assignāt. Denique sentētia est Peripateticorum, Cœlū per lumen facere tā calorē quàm frigus, diuersa tamen ratione, illum quidē per se, hoc autem per accidens, nā præsentia luminis facit calorem, absentia verò frigus: quò enim lumen Solis, aut nullo modo aut tenuiter pertingit, inibi frigus vigere ac roborari cernimus.

B Svnt alij, qui multo aliter aquas illas interpretantur: quarum interpretationes atque sententias, vt propositum & promissum meum impleam, & satisfaciam lectori, tacitas præterire non debeo. Beatus Augustinus prioris libri de Genesi cōtra Manichæos c. 11. per aquas, *Interpretatur materiam; per firmamentum, cœlum astriferum, quod diuidit inter materiam rerum inuisibilium, atque supercœlestium, & inter materiam inferiorum & sublunarium corporum: dici autem aquas illas inuisibiles esse supra Cœlum, non tam locorum spaciis, quàm naturæ dignitate.* Sic ille, Verùm, ne hoc affirmatè & pro certo dicere videretur, proximè subiicit. *Quamquam de hac re nihil temere affirmandum est: obscura est enim & remota a sensibus hominum.* Bene habet, quòd hoc Augustinus dubitanter sensit, non enim est probabile: nam præterquā quod facere Angelos ex materia concretos, abhorret multum à doctrina iampridem probata à Theologis, ipsa etiam interpretatio tota est figurata & mystica, nec verborum Mosis sententiæ inhærens, nimiumque violentè contorta.

Opinio multorum, aquas supra cœlestes esse nonū cœlū, vulgo appellatū Crystallinum.

C

Est multorum Theologorū alia quædam opinio, in primis hoc loco perpendenda & diiudicanda. Placet multis per aquas superiores intelligendum esse nonum Cœlū ab ipsis dictum Crystallinū, & putatum primum mobile: per firmamentum autem interpretatur, vel octauum orbem tantummodo, vel ipsum vna cum septem ei subiectis planetarum orbibus, hæc præter cæteras sententias probatur S. Bonauenturæ in 2. sent. dist. 14. & Ægidio in 2. p. operis quod scribit in

D Hexameron c. 14. & sequentib. nec paucis aliis scholasticis Theologis: quibus aggregare oportet Nicolaū de Lyra, Tostatū, Caietanum & Catharinum. Propterea verò nonū Cœlum putāt à Mose nomine aquarū appellatū, quod magnā cum aqua similitudinē & cōuenientiā habeat. Sed quæ sit ista conuenientia & similitudo, quoniam cæteris diligētius & enucleatius exponit Bonauent. ipsum audiamus in 2. lib. Sēt. d. 14. art. 1. ad hūc modū ipse Philosophatur; *In aqua elementari tres esse proprietates, perspicuitatē, frigiditatem & grauitatem: in perspicuitate nonum cœlum formaliter conuenit cum vera & naturali aqua, in grauitate nullo modo conuenit: in frigiditate partim conuenit, partim autem minime: formaliter quidem non conuenit quia, non est actu frigidum, at verò virtualiter & effectiuè maximè*

maxime conuenit: habet enim itidem refrigerandi vim vt aqua: qua propter cùm nonum cœlum duas habeat aquæ proprietates, non ineptè aquarum nomine appellatur. Sic ille. A

Confutatur supradicta opinio et nonum cœlum quod Crystallinum dicitur nõ esse aquas supra cœlum positas ostenditur.

CÆTERVM istam opinionem non est difficile multis & validis rationibus refellere: principio, secundum istos feteri oportet, Mosem in breuissima narratione tripliciter variasse significationem huius vocis *Aqua*: Etenim cum primo dixit, *Et spiritus Domini ferebatur super aquas*, isti per aquas exponunt materiam primam, vel corpulentam quamdam massam: cùm autem postea subiungit, *Fiat firmentum in medio aquarum, & diuidat aquas ab aquis*, per aquas superiores interpretantur nonum cœlum: cùm vero Moses tertio loco dixit, *Congregentur aquæ quæ sub cœlo sunt, in locum vnum*, isti nomine aquarum, verum aquæ elementum intelligendum esse censent. Quis igitur, etiamsi non nimis acutè videat, non videt eam interpretationem & procul esse à vero, & vitiosam facere ac reprehensioni obnoxiam narrationem Mosis, vt quem faciat perexiguo internallo eiusdem vocis ter variata significatione, in doctrina tam seria & graui, nimis ambiguè & obscure loqui? Verùm cominus istam de cœlo Crystalliano opinionem propriis argumentorum machinis oppugnemus. Ac primò, propositum & institutum Mosis, qui hanc historiam scripsit Hebræis rudibus, nec doctrinæ rerum inuisibilium capacibus, illud profecto fuit, (vt non semel antea meminimus) originem atque primordia mundi huius corporei & aspectabilis, & creationem rerum omnium quæ in hoc mundo humanis patent sensibus, enarrare: nonum autem cœlum est prorsus inaspectabile, nec modo non manifestum vulgo, sed etiam doctissimis Philosophorum & Astrologorum vsque ad Hyparchi vel Ptolemæi tempora incompertum. Deinde si nonum cœlum, quia perspicuum est, aut, vim habet refrigerandi, propterea dicitur aqua; pari ratione orbis Saturni appellari deberet aqua, quippe cùm totus præter astrum Saturni sit pellucidus, ipsum autem astrum frigidissimum esse censeatur ab Astrologis. Posteà perabsurda est locutio, & nimis remota à communi loquendi consuetudine, appellare aliquid simpliciter aquam, quod habeat vel perspicuitatem, vel refrigerandi potentiam aquæ similem: sic enim & vitrum, & oppium, & lactucam appellare aquam possemus. Illud quoque mirum est, qua ratione istis exploratum & perspectum fuerit, nonum cœlum esse diaphanum & Crystallo simile: cum ad eius rei notitiam, nec sensuum adminiculo, nec vllis ingenij opibus, nec cuiusquam nobilium Philosophorum testificatione aut monitu, peruenire potuerint. certè fuit proprium hoc eorum inuentum, qui cum persuasum haberent aquas illas esse super sydera, quo grauiora vitarent incommoda, cœlum illud Crystallinum ingeniosè commenti sunt. Sed quis obsecro scit mortalium, nonum illud cœlum sit, totum omnino pellucidum & perspicuum, nec ne? Quid? quod arbitrantur B C D

isti

A isti nonum illud cœlum esse primum mobile, repugnantibus ferè qui trecentos ab hinc annos fuere Mathematicis, qui se certis obseruationibus compertum habere dicunt, aliud esse cœlum nono superius, quod verè sit primum mobile; Quare duo sunt cęli supra firmamentum, ambo & mobiles & instellati: cur non etiam pellucidi, vt pariter ambo nomine aquarum appellari queant? Quod autem de suo addit Bonauentura, propterea nonum cęlum rite nominari aquam, licet actu non sit frigidum, quòd naturali potentia refrigerandi polleat: nullo id experimento, aut coniectura, nedum certa ratione probari potest. cùm enim refrigeratio noni Cęli nullo argumento ab ipso fuerit deprehensa, nec verò deprehendi possit à quopiam, satis apparet nullam mereri fidem & prorsus esse im-
B probabile. Nam quasnam res, aut qua ratione Cęlum illud refrigerat? an sydera? sed negat Bonauentura ea formaliter esse calida: cui consequens est, nec egere refrigeratione, nec ea posse affici. An illa refrigeratio non in Cęlis, sed in his quæ sunt infra cęlos exercetur? sed primò exponi debet per quam vim & qualitatem cęlum refrigeret, cùm non sit actu frigidum. Etenim Aristoteli & peripateticis stat, non aliter Cęlum agere in res sublunares, quàm per motum & lumen. illa porrò vis refrigerandi cùm transire debeat elemẽtum ignis, aut eam omnem corrumperet ignis, aut ab ea ipse corrumperetur. Oporteret etiam sublimiora loca esse omnia frigidiora, scilicet quò propius vim illam refrigerandi acciperent. Et cùm
C cęlum illud sit vniforme & simili modo totum moueatur, simili etiam pariqúe modo refrigeraret omnia, quod valde noxium esset: certè falsum esse demonstrat experientia. atque hæc quidem ab aliis de supercęlestibus aquis sunt prodita.

Auctoris sententia de aquis, quæ supra Cœlos sunt.

RESTAT vt paucis aperiamus, & expediamus (confutatis nãque aliorum opinionibus hoc vnum est reliquum) sententiam nostram, non quidem à nobis primo inuentam, sed nobis tamen præter cęteras probatam: cuius eò facilior atque promptior erit explicatio & probatio, quod paulò superius cum egimus de firmamento, satis perspicuè ostendimus, nomine firmamenti hoc loco Mosem nõ
D cęlum sydereum, sed spacium aëreum, quod circum terram vsquequaque diffusum est, & vsque ad sydera expãsum, significare voluisse. Nos igitur existimamus aquas, quæ sunt super firmamentum, non esse alias quàm, quæ in sublimi aëre, quam mediam regionem aëris vocant philosophi, generantur. Si enim firmamentum hoc loco, est spacium aëreum quod interpatet inter terram & sydera, proculdubio aquas quæ supra firmamentum sunt, non alias interpretari cõuenit, quàm quæ in superiori parte aëris gignuntur: illuc enim vapores ex terra & aquis, potentia solis elati, densantur & coguntur in nubes, ex quibus imbres generati, tam largè & commodè ad irrigandam & fęcundandam terram defluunt, tanta nonnunquam copia & impetu, vt videantur illic esse ingentes lacus & flumina, quin

etiam maria. Quocirca vt fieret diluuium. Scripura narrat reseratas A
esse cęli cataractas, quo significantur densissimi imbres maximo
impetu & fragore deorsum præcipitati. Ad hoc intelligendum per-
tinet, quod tradit Aristoteles primo libro Meteororum summa ter-
tia capite primo. Inter Cęlum & terram ferri per aëra ingens quod-
dã flumẽ sursum ascendens, & deorsum descendens perpetua vicis-
situdine Verba eius sic habent. *Oportet autem intelligere, hunc veluti flu-
uium fluere circulariter sursum & deorsum, communem aëris & aquæ, prope
enim existente sole, vaporis sursum fluit fluuius: cùm autem elongatur, aquæ
deorsum, Et hoc perenne vult fieri, secundum ordinem. Quare si obscurè di-
cebant Oceanum priores, forte vtique hunc fluuium dicebant circulariter
fluentem circa terram.* Hactenus Aristoteles. Similia sunt quæ docet
Salomon Prouerb. 8. cum ait, *Quando præparabat cœlos aderam, quando* B
æthera firmabat sursum, & liberabat fontes aquarum: pro illo vocabulo
Æthera, Hebraicè est שחקים *Shechachim*, quod propriè significat
nubes: quamobrem Septuaginta verterunt Græcè τὰ ἄνω νέφη, hoc
est, *supernas nebulas seu nubes*. Quare quod sequitur, *Et librabat fontes
aquarum*, non de fontibus, qui è terra scaturiunt accipiendum est, sed
potius de fontibus, cœlestibus, qui nimirum ex nubibus aquam in
terram profundunt. Dicitur autem Deus librasse fontes aquarum,
eo quod in excelso aëre suspendit nubes, è quibus quasi è fontibus
imbres effundit, non sine modo, sed quasi liberando & cum mensu-
ra, ne aut nimium parca aut nimium larga huiusmodi aquarum pro-
fusio terris noceat. Quò spectat illud apud Iob capite vicesimosexto. C
Qui ligat aquas in nubibus suis, vt non erumpant pariter deorsum.

Aristotelis notabile dictum.

Locus Salomonis in Proverbus cap. 8. explicatur.

Placet itaque nobis secundo die factum esse firmamentum,
hoc est, ex materia illa nebulosa & aquea, quæ interius spacium op-
plebat, magis tenuata factum esse aërem, &, si quis supra aërem
est, ignem. Sic enim multi censuerunt. Sed similius vero est quod su-
pra diximus, omnia quattuor elementa esse facta simul in principio
vna cum cœlis: & hoc secundo die, hoc spatium supra terram vsq;
quaque amplissimè diffusum, quod Hebraicè dicitur רקיע *Rachiah*,
Græce στερέωμα, Latinè firmamentum, secundum inferiorem sui par-
tem, quam tenet aër, factum esse naturalem locũ generationis aqua-
rũ pluuialium, & firmissimũ atq; immutabile interstitiũ inter aquas
cœlestes, id est aereas, & terrestres. Illud quoq; nobis fit verisimile, D
mediam aeris regionem, in qua perennis fit istiusmodi aquarum gene-
ratio, factam esse tunc actu frigidam, scilicet vt frigore suo iuua-
ret condensationem & concretionem nubium, & ex his procreatio-
nem imbrium. Nisi fortè putet quispiam, mediam illam aëris oram,
ob remotionem tam infernè quàm supernè ab omni calore, ex se
frigidam esse: quod vt Stoici vitro concederent, quibus aër suaptè
natura frigidus est, ita negandum esset Aristoteli, qui aërem facit
natura sua calidum & humidum. De his porrò aquis super cœlesti-
bus, quæ sunt super aerem sæpe dictum in Scriptura cœlum, per-

Media regio aëris facta est in exordio mũdi, actu frigida.

multi

A multi Scripturæ loci commodissime intelliguntur: veluti cùm dicitur Deus prohibere pluuias de Cælo, dare pluuiam de Cælo, vel continere eam in cælo, aut claudere cælum ne pluat, & rursus aperire, vt pluat; cùm vocatur cælum pluuiosum vel siccum; cum dicitur aquis tegere superiora cæli, vel operire cælum nubibus, & cum dicitur, quò diluuium fieret, aperuisse Deum cæli cataractas. Apud Malachiam capite tertio ait Dominus, *Si non aperuero vobis cataractas cœli, & effudero vobis benedictionem vsque ad abundantiam*: Apud Hieremiam capite decimo. *Ad vocem suam dat Deus multitudinem aquarum in cœlo, & eleuat nebulas ab extremitatibus terræ, fulgura in pluuiam facit, & educit ventum de thesauris suis*: Eadem sententia iterũ ponitur ab ipso B postea capite quinquagesimo primo. Non est ignorandum hoc loco, duo solere Scripturam prædicare instar magni miraculi, ad omnipotentiam Dei declarandam: alterũ est est, quod Deus immensam terræ molem, & pondus seu suspensum super nihilo teneat, sicut ait Iob vicesimo sexto. *Qui appendit terram super nihilum.* Et Isaias capite quadragesimo. *Appendit tribus digitis molem terræ*: alterũ est, quod supra cælum, hoc est, in sublimi aëre, infinitam vim aquarum cohibeat quarum nimia vel retentione vel profusione omnem terrarum orbem perdere facile posset. Huc spectauit Iob capite vicesimo sexto, cum dixit, *Qui ligat aquas in nubibus suis, vt non erumpant pariter deorsum.* & capite duodecimo. *Si continuerit aquas, omnia siccabuntur: & si emiserit eas, subuertent terram.* Et Plinius libro tricesimo primo, capi- C te primo. *Quid mirabilius*, inquit, *aquis in Cælo stantibus?* Has igitur aquas sublimes & cælestes, cùm sint vulgo manifestæ & admirabiles, per quam credibile est Mosem ex hoc loco denotare voluisse: & ob eandem causam tum Dauidem in Psalmo centesimo quadragesimo octauo, tum etiam tres illos iuuenes Hebræos in eo Hymno, quem per medios ignis Babylonici globos intacti Deo cantabant, hasce aquas inuitasse ad laudandum Deum; hoc est, eiusmodi aquarum contemplatione & admiratione excitasse homines ad Diuinæ potẽtiæ laudes prædicandas atque celebrandas. Hanc de aquis super cælestibus sententiam valdè commẽdat AVGVSTINVS libro vndeD cimo de Genesi ad litteram capite quarto ita scribens, *Hanc ego diligentiam considerationémque laude dignissimam iudico: quod enim dixi, neque contra fidem est, & in promptu posito documento credi potest.* In hac sententia fuisse Beatum EPIPHANIVM existimari potest, quòd is in Epistola quam scripsit ad Ioannem Hierosolymitanum Episcopum, & ab Hieronymo Latinè conuersa est, affirmat aquas quæ super cælos sunt, fuisse eas, quarum defluxu in terram apertis cæli cataractis, factum est Noeticum diluuium: illas verò aquas non ex nono Cælo, sed ex aëre descendisse constat. Denique magna huius nostræ sententiæ comprobatio est, eorum omnium confutatio, quam supra posuimus, qui hasce aquas, super cælestes orbes collocauerunt. Si enim non sunt supra sydera, nusquam aliubi quàm supra aerem esse in-

3. *Reg.* 18.

Psalm 103. *Psalm* 146. *Genes* 8.

Duo quæ scriptura ad omnipotentiam Dei declarãdam commemorare solet.

telligi potest. Ac licet aquæ aliquæ essent super sydera, tamen quod illæ remotissimæ essent ab hominum non modo sensu, sed etiam intelligentia, nec vllo signo aut effectu notabiles; equidem reor Mosem fuisse eas hoc loco tacitas præteriturum; quemadmodum etiam de Angelis multa quæ docere potuisset, ob eamdem causam silentio suppressit, suscepta tantum descriptione &, explicatione huius mundi corporati & aspectabilis, & earum rerum, quæ in sensus hominum incurrunt, vel ex iis quæ percepta sunt sensibus promptissimè facilliméque possunt cognosci. A

Diluuntur quatuor obiectiones. Cœli cœlorum qui dicantur.

CAETERVM, quatuor sunt quæ huic sententiæ possunt opponi. Primum est in psalmo 148. sic esse, *Laudate Deum cœli cœlorum, & aquæ quæ super cœlos sunt laudent nomen Domini*: per cœlos cœlorum haud dubiè secũdum phrasim Hebraicam intelliguntur nobilissimi & præstantissimi cœli, hoc est syderei, qui hoc nomine distinguũtur ab aëre; quem etsi nonnumquam Scriptura vocat cœlum, vocat tamen cœlum præcisè, numquam autẽ cœlum cęli, vel cęlos cęlorum. Quare cum proximè Dauid subiicit, *Et aquæ quæ super cœlos sunt laudent nomen Domini*, vtique accipiendum est de cęlis quos proximè ante dixerat cęlos cęlorum. Ex hoc igitur loco palam fit esse aquas super cęlos sydereos. Alterum est, in hymno trium puerorum commemorari omnia Dei opera, non inordinatè, sed eo ordine vt à supremis per media descendatur ad infima: primo autem loco ponuntur Angeli, secundo loco cęli, tertio aquæ quæ super cęlos sunt, quarto sol luna & stellæ: cùm igitur aquæ supercęlestes recenseantur statim post Angelos, & cęlos, & ante sydera omnia, manifestum fit eas aquas locatas esse super sydera. Tertium est, in eodem hymno distinctè ac separatim memorari aquas, quæ sunt super cęlum, & eas quæ in superiori aëre generantur: siquidem ante solem & lunam & stellas commemorat aquas quæ supra cęlos sunt, & aliquanto infrà enumerat rorem, niuem, grandinem, pruinam, denique nubes & imbres: quæ omnia pertinent ad aquas quæ in media regione aëris gignuntur. quis igitur non liquidò cernit diuinam Scripturam hoc loco alias facere aquas, quæ sunt supra cęlum, & alias, quæ in aëre generantur? Quartum est, Ecclesiam in eo hymno quem paulò superius pro confirmatione secundæ opinionis adduximus, non obscurè significare, esse positas aquas supra cęlum ad refrigerandum & temperandum ardorem syderum: quod indicant illa verba. B C D

Vt vnda flammas temperet.
Terræ solum ne dissipent.

SED his refellendis nec operosa, nec lõga opus est oratione. primum enim ita soluitur: Concedimus per cęlos cęlorum significari cęlos sydereos, aut potius cęlum empyreum, quòd sit singulari quadam ratione Dei sedes, certè est beatorum omnium, tam Angelorum quàm hominum domicilium: negamus tamen, cùm subiungitur

A gitur, *Et aquæ quæ ſuper cœlos ſunt*, Dauidem eſſe locutum de prædictis cœlis, ſed tantùm de aëreis: non enim dixit, *Et aquæ quæ ſuper Cœlos Cœlorum ſunt*, ſed præcisè dixit, *Quæ ſuper Cœlos ſunt*. Nec moueat quempiam, quod Scriptura dicat pluraliter aquas eſſe ſuper Cœlos, quaſi id non conueniret aëri: eſt enim hoc dictum conſuetudine linguæ Hebrææ, vt ante docuimus, in qua cœlum caret ſingulari, quemadmodum apud Latinos Athenæ, Syraculæ, Venetiæ.

Ad Secvndvm hoc modo reſpondendum eſt; futile eſſe argumentum illud ductum ex diſpoſitione & ordine, quo in illo hymno Dei opera numerantur: nam ſi ibi aquæ ſupercœleſtes ponuntur ante ſydera, in Pſalmo centeſimo quadrageſimo octauo, eędem aquæ commemorantur poſt ſydera. Quin eodem in hymno trium
B puerorum, prius recenſentur ros, pruina, nix, glacies & gelu, poſterius autem dies & nox, lux & tenebræ; cùm tamen hæc, ſi ordo ille ſeruatus eſſet, præponi debuiſſent. Euthymius certè illud Canticum explanans, monet, nullo ordine recenſeri in eo creaturas, ſiquidem terra, quæ ſimul cum cœlis ante alia omnia eſt facta, poſt alia multa memoratur.

Tertivm ſic eſt diluendum: voluit Scriptura prius vniuersè ac in commune nominare aquas, quæ in ſublimi aëre generantur, dicēs, *Et aquæ quæ ſuper cœlos ſunt*, deinde verò omnes quaſi ſpecies eiuſmodi aquarum, vt ſunt grando, nix, &c. ſigillatim enarrare voluit: quæ ratio narrandi & docendi, frequens eſt in ſacris litteris.

C Qvarti hæc ſit ſolutio: Eccleſia in illo hymno loquitur de aquis, quæ in cœlo aëreo fiunt; his verò ait temperari calorem & ardorem ſyderum, non quidem calorem, qui ſit in ipſis ſyderibus, ſed eum calorem qui ex ſyderibus accidit terræ: niſi enim terra frequenter imbribus, rore, pruina, niue, nubibúſque rigaretur, refrigeraretur, ac fœcundaretur, proculdubio ardore ſyderum, maximè verò ſolis, nimium exſiccata & exuſta omnino ſterileſceret, & hoc planè ſignificatur his verbis.

Vt vnda flammas temperet.
Terræ ſolum ne diſſipent.

Vervm iam tempus eſt, vt hanc de ſupercœleſtibus aquis
D diſputationem, quam propter eius magnam obſcuritatem ſententiarúmque varietatem, longius quàm voluiſſemus producere neceſſe fuit, tandem hoc loco terminemus.

***

OPVS TERTII DIEI.

VERS. 9. *Dixit Deus: Congregentur aquæ, quæ sub Cælo sunt, in locum vnum, & appareat arida: Et factum est ita. Et vocauit Deus aridam, terram, congregationésque aquarum appellauit Maria.*

Aqua an terra minor.

AVCTOR libri quarti Esdræ capite sexto docet hoc tertio die aquas in septimam terræ partem esse congregatas; reliquas autem sex terræ partes, aquis nudatas & siccatas, procreationi stirpium & vsibus animalium esse assignatas, hoc si verum esset, necessario concluderetur terram multo ampliorem esse quàm aquam. BASILIVS Homilia quarta in Hexameron tradit, Hoc Dei præcepto, inditam esse aquis naturalem vim & propensionem ad decliuia & ima loca defluendi, Basilium, vt assolet, secutus Ambrosius, in eamdem sententiam ita scribit. *Ex illo ergo tempore currit aqua, fontes labuntur in fluuios, lacus deriuantur in maria: ipsa se aqua præcedit, vrget & sequitur: vnus est ductus, vnum corpus.* sic AMBROSIVS. Verùm cùm eiusmodi vis deorsum propendendi, non minus sit naturalis, aquæ, quam eius frigiditas & grauitas, necesse est profectò eam simul atque creata est aqua, fuisse ei ingeneratam. Sed forte BASILIVS & AMBROSIVS non aliud significare voluerunt, quàm tertio die primùm aquam explicuisse & exeruisse vim, quam ab initio occultam habebat, ad humiliora & depressiora loca delabendi.

Tertio die qui condidam terram opinẽtur.

MVLTI, nec è vulgo, putant hoc tertio die creatam esse terram: nam per terram, quam in principio creatam dicit esse Moses, non elementum terræ, sed materiam quamdam informem interpretantur. Hæc sententia placuisse videtur Augustino li. 1. de Genesi ad litte. capite decimo tertio, & libro primo de Genesi contra Manichæos capite duodecimo & libro de Genesi imperfecto capite decimo placuit etiam Magistro sententiarum, & Hugoni de Sancto Victore in libro primo de Sacramentis, & Beato Bonauenturæ vbi etiam vult aquam esse hoc die creatam, & Tostatus hoc loco ait communem esse opinionem, hoc die creata esse quatuor elementa secundum proprias formas & affectiones. Sed hanc opinionem supra confutauimus. Et verò ipsa Mosis verba eam redarguunt, hoc enim tertio die non dixit Deus, *Fiat terra*, sicut antea dixerat de luce & firmamento, sed dixit tantummodo *Appareat arida*, hoc est, terra, quæ antea fuit

A tea fuit demersa & operta aquis, & quæ secundum naturalem elementorum dispositionem sub aquis esse debebat, animantium tamen causa nudetur aquis atque siccetur, & super aquas emineat. Basilius existimat omnem aquam quæ erat in terra siue exterius siue interius, penitus ab ea segregatam esse. *Non solùm*, inquit, *exundante: aquæ de terræ superficie tunc defluxerunt, sed quicquid etiam aquarum per omnem terræ profunditatem immistum erat, excessit, inexorabilibus Dei præceptis obtemperando.* Nemo autem putet Basilium loqui etiam de humore aqueo, quo veluti glutine compacta terra consistit, & sine quo in minutissimum puluerem dissolueretur. Philo ait, quicquid erat tunc aquæ salsum, futurum fertilitati terræ noxium, vnum in locum tertio die confluxisse, dulci humore in terra relicto, tum velut glutine ad

Philo in libro de Mundi opificio.

B terræ coagmentationem, ne in puluerem dissiparetur, tum ad vtilitatem plantarum & animalium. Verùm cùm ante diem tertium, totum illud corpus aquæ, vnius esset rationis & similibus omni ex parte qualitatibus præditum, non potuit habere alias partes salsas, & alias dulces.

Sed quæstio exoritur hoc loco: si ante diem tertium aqua omnem vndique terram operiebat, qua ratione potuit tertia die, tota vnum in terræ locum congregari? Soluitur hæc quæstio multis modis, quorum priores duos tradit Avgvstinvs primo libro de Genesi ad litteram capite duodecimo, & Beda in Hexameron, atque hos deinde plerique omnes secuti sunt. Primo dici potest, a-

Quæstio quo modo aquæ prius vniuersam operiens terram tertia die vnum in terræ locum redacta sit.

C quam priùs fuisse tariorem tenuioremque, ac modo nebulosæ materiæ operuisse terram: postea verò multum coactam densatámque, minori eguisse loco, & receptaculo. Deinde responderi potest, tunc multis partibus terram profundè subsediſſe, aliis item plurimis in sublime elatis extumuisse, factásque esse magnas concauitates terræ, profundásque valles, & excelsos montes: quæ loca fuerunt illarum aquarum receptacula. nam ante diem tertium terra æqualiter in orbem compacta & conglobata erat. Cogitare igitur oportet, cùm Deus dixit *Congregentur aquæ in locum vnum*, factas esse Dei potentia plurimas terræ partes admodum depressas atque concauas, in quas tanta illius aquæ moles confluere & recipi posset. Ad hanc intelligentiam conducit verbum Hebræum קְוֵה *Kaua*,

D quod est hoc loco pro Latino verbo *Congregentur*; namque id propriè significat voraginem, & locum profundum atque concauum; quò factum est fortasse, vt etiam Latini Hebræos imitati, eiusmodi loca, etiam caua appellarent. Ac mihi quidem videtur Dauid hoc quod docui, mirificè declarasse in Psalmo centesimotertio: nam aquam fuisse à principio vsquequaque superfusam terræ, demonstrauit his verbis. *Abyssus sicut vestimentum amictus eius, super mõtes stabunt aquæ*, hoc est, Initio terra fuit velut amicta & operta aquis tantæ altitudinis, vt montium quorumlibet sublimitatem excedere possent. Tum illius præcepti diuini, quo dictum est.

Locus Psalmi 103. explicatus.

Congregentur

Congregentur aquæ in locum vnum incredibilem vim & efficacitatem A exprimens, subdit, *Ab increpatione tua fugient, à voce tonitrui tui formidabunt.* Mox subiungit, qua ratione Deus tantæ molis aquæ capacem locum & receptaculum comparauerit, vbi velut quodam carcere incluſæ aquæ coërcerentur, ne iterum vniuerſam terram obruerent & operirent, *Aſcendunt*, inquit, *montes, & deſcendunt campi in locum quem fundaſti eis: Terminum poſuiſti, quem non tranſgredientur, neque conuertentur operire terram.* Simile eſt quod tradit Ariſtoteles primo libro Meteororum, vnum corpus globoſum conflari ex aqua & terra, & in ipſius terræ concauitatibus vniuerſum elementum aquæ contineri.

An diſtinctio montium & vallium in terra, fuerit ante diluuiũ.

Quo licet intelligere, falſam eſſe opinionem quorumdam exiſtimantium fuiſſe terram ante diluuium totam æquabiliter rotũdam, B nulla celſiorum humiliorúmque locorum inæqualitate; poſt diluuium autem hanc quam in terra cernimus montium & vallium diſtinctionem extitiſſe. Sed quomodo ante diluuium Oceanus tenebatur, ne terram effuſus inundaret? nonne huius ſententiæ manifeſta confutatio eſt, quod infrà ſeptimo capite huius libri ſcriptum eſt, *Pſal.75.* *Aquas diluuij quindecim cubitis omnes terræ montes ſupergreſſas?* Si ab initio mundi non fuere montes cur Scriptura appellat montes æternos? Cur apud Salomonem Prouer.8. diuina Sapientia, quo ſuam demonſtraret antiquitatem, dixit ſe fuiſſe *priuſquam montes graui mole conſiſterent?* Quid quod inæqualitas partium terræ, & montium atque vallium diſtinctio, mirè facit ad decorem, ornatum, & commoditatem C terræ, ea ratione, vt eſt parens ſtirpium & domicilium animantium? confert etiam ad ſalubritatem aëris, fertilitatem, maturitatem fructuum, ad frangendos maris impetus, & ad furorem ventorum refrœnandum. Denique conducit ad generationem fontium & fluminum, quæ ferè originem habent ex montibus, quapropter Dauid concinit. *Qui emittis fontes in conuallibus: inter medium montium pertranſibunt* *Pſalm.103.* *aquæ.* Si autem terra æquabiliter omni ex parte rotunda eſſet, non poſſent ex ipſa flumina erumpere, & ad varia & longinqua loca decurrere: non enim poteſt aqua defluere, niſi locus originis eius ſit vel ſuperior, vel ſaltem æqualis loco vnde erumpit: etenim aqua ſolum aſcendit ad altitudinem ſuæ originis. Si autem terra eſſet omni- D no ſphœrica, cum aqua erumpere debeat ex loco ſubterraneo, & indidem oriri, numquam profecto foras poſſet erumpere, quin locus originis, loco ſcaturiginis & eruptionis eius, ſemper eſſet inferior. Pulchrè declarat hoc ipſum RVPERTVS libro primo de Trinitate & eius operibus, capite triceſimo quarto. *Quid opus erat*, inquit, *eidem aridæ, id eſt terræ, vt aſcenderent montes & deſcenderent campi, in locum, quem fundaſti eis? Hic planè illud ſciendum eſt, quia ſi terra æqualis vbique iaceret, non leuior quàm in mari ventorum tempeſtas in ea regnaret. Nam ſolet & nunc in locis illis qui montibus carent, videlicet maximè in Libya, tempeſtas, non minus quàm in pelago, turbare foris deprehenſos quoſcumque,*

tam

A *tam pedites quàm equo sedentes. Etenim vbi per loca aqualia & nuda, ventus coortus arenam humo excitauit, magna vi agitata, ora oculósque implet, & ita progressum incessumque impedit, vt in nullo mari maius fiat naufragium. Quid si nulli vsquam montes ascendissent, si cuncta in planum terra descendisset? Si vbi paululum ventis currere licet, tantas vires breui colligunt, quid possent, si nullum in toto mundo haberent repagulum? Ergo nec istud magnifici Dei laudibus deesse debuit, quod ascendunt montes, & descendunt campi in locum quem ille fundauit eis: fundauit inquam, videlicet, vt neque montes semel ascendere iussi descendant, neque campi semel depressi consurgant. Cùm ita terræ fundator, abyssum quæ sicut vestimentum amictus eius erat, dispulit, eadem ipse potentia competens aquarum subsidium*

B *largè diffudit. Non enim sic ab increpatione eius aquæ fugerant, & congregatæ sunt in locum vnum, vt hæc apparens sic de vtero abyssi proijceretur tãquam abortiuum; Sed indesinenter trahens aquas in omnes venas, copiosam fugit abyssi mammam, & ascendentem per nubes, rursúsque labentem temporaneam & serotinam accipit de cœlo pluuiam. Alitur intrinsecus dulcescentibus aquis, rigatur extrinsecus de superioribus suis: item scatent fontes, fluunt amnes. Quod itidem laudans Psalmista,* Qui emittis, *inquit,* fontes in conuallibus, inter medium montium pertransibunt aquæ. *Proinde & Ecclesiastes aquarum fluentium originem considerans,* Omnia, inquit, flumina intrant mare, & mare non redundat. *Quare? videlicet quia non influit illuc, nisi quod exinde prædictis modis sumitur.* Sic RVPERTVS. Hugo quoque libro primo de Sacramentis primæ partis capite sexto & vi-

C gesimo primo cẽset ab initio factã esse terrã cum omnibus cauitatibus & alueis, quæ futura erant deinde aquarũ receptacula: sed probabilius est, à principio condita esse elementa secundum naturalem suam constitutionem conuenientem ipsis, vt sunt partes vniuersi, hoc est, vt essent sphœricæ figuræ, & vnum contineretur ab alio.

Psal.103. *Ecclesias.1.* *Hugo de S. Victore*

TERTIO modo responderi potest ad quæstionem supra positam, aquam ante circumfusam toti terræ, ita fuisse tertio die vnum in locum coactam, vt in maximam elata sublimitatem altissimè extumuerit. Hoc responsum traditur maximéque probatur à BASILIO, AMBROSIO, & CATHARINO super hunc locum, & à Beato Thoma in prima parte quæstione sexagesima nona & DI-

D NYSIO Carthusiano. Verumtamen tertium hoc responsum superiori quæstioni datum, grauem & arduam habet quæstionem, & inter viros doctos nostri temporis, non sine studio & cura tractatam, An mare, quæ est congregatio aquarum tertio die facta à Deo; sit altius quàm est terra: quam quæstionem visum est nobis nec si entio prætereundam esse, nec indiligenter & inaccuratè tractandam, præsertim cum ea bonam partem in diuinarum litterarũ tractatione & explicatione versetur. Fuere multi, & cùm primis graues atque nobiles Theologi, tam de veteribus quàm de recentioribus, qui admirandam de situ maris & aquæ præstituto illi à Deo, cùm dixit aquis *Congregentur aquæ in locum vnum, & appareat arida,* habuere opi-

An mare sit altius terra.

nationem : opinantur enim aquam maris esse multo altiorem quàm A
est terra, eámque solo Dei præcepto teneri, ne ad humiliora loca
quò naturaliter propendet defluens, terram vniuersam operiat
& obruat. Etenim isti persuasum sibi, certúmque habent, molem,
aquæ longè maiorem esse quàm est terra; cùm sit elementum su-
perius & nobilius, quod secundum naturalem ordinem, vni-
uersum terræ orbem complecti & continere debeat : & sit ra-
rius atque tenuius corpus, eóque mole grandius? & manifesto ex-
perimento sit compertum, ex pusilla terra multo ampliorem
aquam generari : quin existimarunt quidam, & Aristoteles libro se-
cundo de Generatione & corruptione indicauit, aquam esse ter-
ra deculpo ampliorem. Si igitur aqua est longè maior quàm B
terra, cùm ea intra cauas & profundas terræ partes contineatur,
necesse est, cùm non sit maior extensione, esse grandiorem altitu-
dine ac sublimitate. Sed huius sententiæ, & auctores & firmamen-
ta exponamus. BASILIVS homilia quarta in Hexameron, ma-
re altius esse terra confirmat argumento maris rubri, cum quo
Sesostres rex Aegypti & Darius Persatum rex, coniungere mare
Aegyptiacum conati sunt : *Quod sanè*, inquit, *non tentassent, nisi ma-
re rubrum altius esse terra Ægypti compertum habuissent.* Verùm in
huius historiæ commemoratione videtur BASILIVS memoria
lapsus, aut mendum eius scriptis aliunde obrepsisse : tradit enim
Plinius libro sexto capite vicesimo nono Reges illos non mare C
Aegyptiacum, sed Nilum fluuium cum mari rubro coniungere vo-
luisse, incepto autem destitisse metu exundationis, excelsiore tri-
bus cubitis rubro mari comperto, quàm terra Aegypti : vel potius
quia metuebant, ne immissa mari aqua Nili, quæ sola Aegyptiis
potum præbet, corrumperetur. Innuit etiam hoc Aristoteles ex-
tremo libro primo Meteororum. Strabo libro decimo septimo
eamdem narrans historiam, ait *id operis penè perfectum, derelictum
tamen fuisse à Dario primo, falsa opinione persuaso; persuasus est enim ru-
brum mare Ægypto sublimius, vnde si intermedius Isthmus intercide-
retur, Ægyptum à mari obrutum iri, Ptolemæi tamen reges eum inci-
dentes Euripum clausum fecerunt, vt cum vellent, in exterius mare naui-
garent, ac rursus sine periculo reuerterentur.* Hæc Strabo. Quare ma- D
re rubrum altius esse terra Aegypti, & Auctoritate Strabonis, &
experimento facto à regibus Aegypti, constat esse falsum, quam-
quam vt id demus : non tamen efficitur ab istis quod intendunt:
nam fieri poterat, vt mare rubrum non esset altius terra, quæ
erat ei proximè continens & adiacens, sed remotiori, quæ ma-
gis attingebat Aegyptum. Verumtamen BASILIO assentitur
Beatus Thomas in prima parte quæstione sexagesimanona ar-
ticulo primo, & Catharinus in Commentario super hunc locum
Geneseos.

CONFIRMATVR autem ea opinio nonnullis Scripturæ testi-
moniis,

A moniis. Primum testimonium est Dauidis Psalmo centesimotertio, *Super montes*, inquit, *stabunt aqua*, hoc est, Aqua erit superior & sublimior quibuslibet terræ montibus : alterum est eiusdem in Psalmo tricesimosecundo. *Congregans sicut in vtre aquas maris :* vel vt est in Hebræo *Congregans sicut tumulum seu acerum aquas Maris.* Cuius simile est illud in libro Ecclesiastici capite tricesimonono. *In verbo eius stetit aqua sicut congeries*; & illud quod est in Oratione Regis Manassis, *Tu ligasti mare verbo præcepti tui, & conclusisti abyssum, & signasti eam laudabili & terribili nomine tuo.* tertium est illud ex Psalmo sexagesimooctauo. *Veni in altitudinem maris*; ex quo intelligitur mare esse altius comparatione terræ. Hoc etiam maximè consentaneum esse sacris litteris, ad hunc modum argumentantur : Vbicumque Scriptura loquitur de situ maris, tamquam miraculum quoddam & clarissimum omnipotentiæ Dei argumentum magnificat ac prædicat, quod mare non se effundat in terras, eásque omnes operiat & obruat : quod sanè non foret mirum, si mare non esset altius terra. Atque hoc verbis ipsius Scripturæ appositis fit illustrius. Hieremias capite quinto. *Me ergo non timebitis?* ait Dominus. *Qui posui arenam terminum mari, præceptum sempiternum quod non præteribit : & commouebuntur & non poterunt; & intumescent fluctus eius, & non transibunt illud.* Prouerb. 8. *Legem*, inquit, *ponebat aquis, ne transirent fines suos.* In Psalmo centesimotertio. *Terminum posuisti, quem non transgredientur, neque conuertentur operire terram.* Sed luculentius Iob capite

C tricesimooctauo, *Quis*, ait Dominus, *concluſit ostiis mare, quando erumpebat quasi de vulua procedens? Circumdedi illud terminis meis, & posui vectem & ostia, & dixi, vsque huc venies, & non procedes amplius, hic confringe tumentes fluctus tuos.*

Testimoniis scripturæ quibus probari videtur aquã esse altiorem terra.

2. Paralipem. vltimo.

Ex aduerso autem Caietanus cum Philosophis & Astrologis cõsentiens (quis autem tam clara explorata & certa docentibus non consentiat?) super hunc locum Geneseos ridens hanc opinionem *Si quis*, inquit, *dubitat, terram quæ apparet extra aquas, esse superiorem aquis, non tam eget ratione, quàm applicatione ad sensum : cernimus enim motum aquæ semper fieri in decliuiorem locum, flumina autem per terram decurrunt in mare, quod si altius esset quàm terra, profectò in eam vt in locum decliuiorem & humiliorem necessario defluere. nam dicere, mare omnipotentia Dei teneri ne defluat in terram, ineptum est & puerilis insciti, ponere sine causa tantum & tam perpetuum miraculum.* Videtur etiam Scriptura eam opinionem coarguere, quippe eos qui ex terra petũt mare, dicit descendere, sicut in Psal. 106. *Qui descendunt mare in nauibus.* certè sine magno miraculo non potest aqua, quæ suapte natura grauior est aëre, estq; fluxa & labilis, ita consistere, vt partes eius sublimiores terra ad eã non delebãtur, sicut possunt partes terrę supra aëtrẽ eminentes cõsistere, videlicet propter partiũ eius firmitatẽ, & inter se solidã cõnexionẽ. Quid quòd aquã esse rotundã, & ex aqua & terra vnũ cõflari globũ, & physicis & Mathematicis argumentis euiD

Caietanus refellit, & merito, supradictam opinionem.

denter probatur? Hoc item demonstrat quotidiana experientia. Si enim mare altius esset terra, pari ventorum aut remigum vi & impulsu, eadem nauis multo velocius ferretur, ad portum seu littus tendens, quàm ex portu aut ex littore discedens, discedens enim ex littore ascenderet, & in arduum & accliue obnitens, difficiliorem haberet progressum: contrà verò accedens ad littus, tanquam per lubricam decliuitatem descendens, magna velocitate atque impetu deferretur. quin quò magis nauis ex portu discederet, eò melius ab iis qui sunt in portu vel littore cerneretur, vt potè quæ magis ac magis semper in altiorem locum ascenderet: quod tamen contra euenit. A

Absurda opinio Pauli Burgensis.

HAEC incommoda vt declinaret Paulus Burgensis, in alteram etiam magis absurdam opinionem incurrit. Ita enim in prima sua additione ad postillam Nicolai de Lyra super hunc locum Geneseos scribit, *In exordio mundi creatum esse à Deo elementum aquæ circumfusum & concentricum terræ: posteà tertio die propter vtilitatem vsumque stirpium atque animantium, ita separatam esse aquam à terra, vt faceret aqua proprium globum, diuersum à globo terræ, habentémque aliud centrum quàm est terræ & mundi centum: non quidem ita, vt globus aquæ omnino esset extra globum terræ, sed vt eum secundum aliquam partem intersecaret.* Quanto autem interuallo distent inter se centrum terræ & centrum aquæ ait non posse explorata certáque ratione comprehendi: posse tamen probabili coniectura existimari, esse idem centrum aquæ, atque est centrum orbis eccentrici lunæ: propterea quod aqua, vt multis constat argumentis & experimentis, sequitur motum lunæ, præsertim autem in fluxu & refluxu: addit Burgensis, aquam initio mundi factam, quia erat concentrica terræ, habuisse tum naturalem vim & propensionem tendendi ad centrum terræ & mundi: sed eamdem posteà tertio die segregatam à terra, depositâ priori propensione, accepisse aliam longè diuersam, qua naturaliter propendet non ad centrum terræ & mundi, sed ad centrum eius globi, quem aqua proprium confecit à terris separata, ad quod centrum omnes aquæ vbicumque sint, ab eo tempore vsque adhuc, naturalem habent propensionem & motum. B C D

Refellitur Burgensis.

HANC suam commentationem valde laudat & magnificat Burgensis; quam tamen, si quis eam attentè consideret, agnoscet esse inane ac futile commentum. Principiò, potissimum & huius opinionis & eius, quam proximè ante tractauimus, fundamentum atque firmamentum est, aquam esse longè maiorem quàm est terra: quod falsum esse, & contra potius, terram esse multò maiorem aqua, manifestis firmísque rationibus ostendit Alexander Piccolomineus in libro quem sermone Italico edidit, de Quantitate terræ & aquæ: idémque breuiter, sed acutè ac docte demonstrauit Iulius Scaliger in opere exotericarum exercitationum, quod scripsit

Terram maiorē aqua qui tradiderint.

A sit aduersus Cardanum, exercitatione XXXIIX. quibus auctoribus indicatis, ne tractandis rebus instituto nostro alienis longiores simus quàm esse volumus, eorum argumenta commemorare supersedebimus. Sed isti nec philosophiam magnopere curare, & Mathematicos paruipendere videntur: à quibus tamen non dubiis rationibus concluditur, ex aqua & terra vnum effici globum, cuius centrum grauitatis & magnitudinis, idem sit atque centrum terræ & mundi, in quod omnia tam terræ quàm aquæ pondera è sublimi lapsa directo feruntur. Verùm satis argumenti est ad confutandas istas opiniones, earum auctores non aliter eas tueri ac seipsos expedire posse, quàm confugiendo ad miracula, quæ non concessissent

Ad miracula non temere cõfugiendum.

B Philosophi, nec Theologi sine magna ratione ac necessitate, inducenda & admittenda censent, præsertim verò in creatione mundi, primáque omnium rerum institutione atque dispositione, in qua maximè consentaneum rationi est, credere Deum res omnes conuenientes suis quasque naturis condidisse, disposuisse, atque collocasse. Aduersus istos etiam multum valet illa B. Augustini in libro septimo capit. 30. de Ciuit. Dei sententia, *Sic Deus*, inquit Augustinus, *administrat omnia quæ creauit, vt etiam ipsa proprios motus exercere & agere sinat.* Iam verò, quale est illud quod Burgensis dixit, aquam ante diem tertium aliam habuisse naturalem propensionem motúmque, & aliud centrum, quàm post tertium diem habuit, cùm à terra est separata? hinc enim necessario efficeretur, aliam fuisse se-

C cundum speciem aquam ante diem tertium, & aliam post diem tertium. Si enim centrum est aliud, alius motus, aliáque propensio naturalis, necesse quoque est aliam vtriusque aquæ fuisse grauitatem, aliámque naturam. Sed quid hoc rationibus superuacuè argumentamur, quod certo sensuum iudicio & manifestis patet experimentis? constat enim, vt terræ pondera, itidem etiam aquæ, superne delapsa, directo & ad perpendiculum in terram & in mundi centrum deferri.

Locus Psalmi 103. explicatur.

VERVM deinceps testimonia Scripturæ pro confirmatione istius sententiæ superius posita, quemadmodum interpretanda & accipienda sint doceamus. Primum testimonium erat illud. *Super montes stabunt aquæ:* quod sanè istorum causam non adiuuat: variis enim

D modis exponitur. Quidam putant Dauidem loqui de situ aquæ cùm in exordio mundi terram vndique tegebat altius quàm est montium altitudo. Nec obstat in futuro dici *Stabunt*, sic enim dictum est, pro *Steterunt*, vel *Stabant*, more Hebræorum, qui futurum pro præterito perfecto vel imperfecto, vsurpare solent. Alij, describi putant illis verbis procellosos maris fluctus, qui obortæ ingenti aliqua tempestate supra montium altitudinem extumescere & efferri videntur, sicut ait Dauid in psalmo 106. *Ascendunt vsque ad cœlos, & descendunt vsque ad abyssos.* Nec desunt, qui ea verba spectare existiment ad ori-

ginem & scaturiginem multorum fontium atque lacuum, qui in su- A
premis celsissimorum montium iugis inueniuntur. Posset item sententia illa Dauidis intelligi de aquis pluuialibus, quæ supra montes
Locus Psalmi 32. & Ecclesiastici 39. in media regione aëris generantur. Alterum testimonium ductum ex Psalmo 32. & ex cap. 39. Ecclesiastici, & ex Oratione regis Manassis; nihil istorum causæ prodest. Etenim Scriptura illis locis non designat naturalem maris & aquarum situm, sed describit duo celebratissima miracula, quorum alterum prius in mari rubro, alterum posterius, annis scilicet quadraginta, in fluuio Iordane contigerunt, aquis in sublime elatis, atque consistentibus, vt Hebræis tutus & facilis interpateret transitus. Similia enim canit Dauid illis miraculis in Psalmo 77. Potest etiam intelligi de aqua maris, quæ sic à Deo in illis suis receptaculis inclusa coërcetur, vt quis paulum aquæ in vtrem B
Locus Psalmi 68. concludit. Nec illa verba Dauidis in psalmo 68. *Veni in altitudinem maris*, contra nos faciunt: nam per altitudinem maris eo loco significari profunditatem eius, antecedentia & consequentia verba demonstrant. Sic enim est inibi, *Infixus sum in limo profundi, & non est substantia. Veni in altitudinem maris, & tempestas demersit me, Eripe me de luto vt non infigar, Libera me de profundis aquarum. Non me demergat*
Explicatur supradictus locus Hieremiæ cap. 5. & Iob. 38. *tempestas aquæ, neque absorbeat me profundum.* Porro quod Scriptura inquit, præcepto Dei coërceri aquas, & teneri ne terram exundent; non arguit eas sublimiores esse terra, & miraculosè cohiberi, ne defluant ad obruendam terram, sed indicat aquas sic fuisse à Deo creatas, & in talibus locis collocatas, vt non queant exire ad operien- C
dam terram. Ergo quia Deus indidit aquis vim & propensionem manendi in locis humilioribus, quia Deus fecit in terra loca depressa & concaua, eáque comparauit vt essent aquarum receptacula: quia Deus tertio die aquam segregauit à terra, & in prædicta loca coëgit: quia Deus opposuit & obiecit aquis magna scopulorum, montium, & littorum impedimenta: & quasi aggere quodam ita concluſit eas, vt ex suo loco ad inundandam terram non possint, effluere: ob has omnes causas dicitur Deus præceptum dedisse aquis ne loco suo exirent. Naturales verò vires & facultates rerum, per quas singulæ conuenienter naturæ suæ operantur, quoniam à Deo omnis naturæ auctore sunt eis insitæ, vt secundum illas ope- D
rentur, vocari solent in Scriptura leges & præcepta Dei, quapropter
Iob. 9 Iob inquit, *Deum præcipere soli vt oriatur & occidat, & luci præscripsisse viam qua procedat.* verùm de hac quæstione, quæ sunt hactenus disputata, satis esse possunt.

Quomodo aqua prius omnem terram operiens, post ea tertia die in vnã terræ partem coacta sit.

REDEAMVS ad primam quæstionem supra positam, quomodo aqua prius operiens vndique terram, eóque multo maior ipsa terra, potuerit vnum in locum terræ cogi. Expositimus tres modos respondendi, sed tertium abiudicauimus & reiecimus. Sunt etiamnum alij duo modi valde probabiles, quorum vetuis iunctus

cum

A cum secundo superius expositio, rem planam, & intellectu creditúque facilem reddit. Dici enim potest, aquam prius habuisse densitatem naturaliter sibi conuenientem, sicut habuit & situm & figuram: hoc autem tertio die fuisse magis densatam maxima ex parte, & sic minori loco contineri potuisse, facit huic opinioni fidem ipsum mare, quod est elementum aquæ, quod densius & crassius est quàm alia quælibet aqua: itaque densitas quam habet aqua naturaliter nunc generata, vt fontium, fluminum, imbrium, est ea quæ naturaliter conuenit aquæ, quæ minor est densitate maris. Illud quoque responderi posset: licet aqua prius maior fuerit quàm terra secundum extensionem & circumferentiam, quia ipsam circumplectebatur, erat tamen multo minor secundum altitudinem vel profunditatem: nam altitudo terræ à centro ad superficiem, erat multo maior quàm altitudo aquæ à superficie terræ vsque ad extimam eius superficiem. Verisimile enim est Deum tantùm aquæ creasse & extendisse super terram, quantùm postea in terræ receptaculis commodè posset contineri. Coniecturam capere licet ex aëre, qui eodem modo mansit, vt fuerat creatus; cuius tamen altitudo à terra ad extremum tertiæ regionis, non implet sexaginta milliaria, vt probant Mathematici, tum ex ratione crepusculorum, tum ex altitudine apparentium in suprema regione aëris: cùm tamen altitudo terræ à centro ad circumferentiam, qui ei est semidiameter eius, contineat 3500. milliaria.

Crassitudo terræ maior quàm aquæ, vel aeris.

C Illvd etiam in dubio vertitur, quemadmodum verum sit, quod ait Moses hoc loco, omnes aquas in vnum locum esse congregatas: cùm videamus tam diuersa & tam longe dissita esse aquarum loca in tot maribus, fluminibus, lacubus & paludibus, vt quædam nulla inter se communione iungi videantur, Ad hoc breue & in promptu est responsum: illud *In locum vnum*, non significare aliud quàm locum separatum à terra habitabili, hoc est, aquas in suum quamque locum confluxisse. Basilius, illud quod dicitur, *Aquas esse congregatas in locum vnum, non putat de qualibet aquarum congregatione esse intelligendum, sed tantum de maxima quo appellatur mare: constat autem maria omnia esse coniuncta cum Oceano, ideóque habere vnum locum.* Sicut enim aliorum elementorum est suus cuique locus, sic aquæ: & hunc esse in quo est mare vel Oceanus. Et quemadmodum propter vsus & commoditates hominum, multæ partes & aëris & ignis à suo elemento separatæ, extra locum eius in variis terræ locis continentur: nec hoc tamen obstat, quo minus hæc elementa vnum habere proprium & naturalem locum verissime dicantur: ita quoque de aquis sentire conuenit, quæ sententia ante Basilium, fuit etiam Aristotelis li. 2. Meteororum. Atque omnia quidem maria cum Oceano continuari extra controuersiam est, præter mare Caspium: de quo non satis cõuenit inter scriptores, etenim Strabo, Plini. Diony. de situ orbis

Quomodo vnum in locum congregatæ fuerint omnes aquæ.

Basilius quomodo locum hunc explicet.

An mare Caspium continuetur cum Oceano Arctico.

orbis & Basilius, hoc loco arbitrantur, mare Caspium communes habere aquas cum Oceano Arctico; ex aduerso autem Herodotus in Clio, Aristoteles in 2. Meteororum, Prolemæus in sua Geographia, aliique cum primis graues scriptores existimant mare Caspium vndequaque circumclusum esse littoribus, nec aquam accipere ex Oceano, sed ex plurimis & ingentissimis amnibus in ipsum influentibus: deonerare autem se aqua per occultos sub terra alueos in Euxinum pontum emissa. Nec officit huic sententiæ salcedo maris Caspij, vt qnam habet etiam lacus Genesareth in Palæstina, nullam habens manifestam cum mari Syriaco aquarum communicationem. Sed lector eiusmodi rerum curiosus, si lubet, legat quæ scripsit Iulius Scaliger de mari Caspio aduersus Cardanum, exercitatione 51. At enim Beda, dictum Mosis de aquis vnum in locum congregatis, pertinere ait ad omnes aquas vbicumque locorum sint, licet diuersos alueos atque origines habere videantur: quippe vel sunt maria, quorum ex Oceano manifesta est origo, vel per occultos terræ meatus primam ex mari ducunt originem, & in ipsum tandem reuertuntur, veluti apertè docet Salomon initio libri Ecclesiastæ, verùm hæc Bedæ sententia grauem habet aduersarium Aristotelem, qui libro secundo Meteororum ei obnixè contradicit. Iulius Scaliger Salomonis sententiam in exercitatione 46. acerrimè defendit contra Cardanum. Titelmannus autem explanans locum illum Ecclesiastæ, dictum Salomonis cum Aristotelis doctrina conciliare & concordare, non ineruditè conatur. Sed huius quæstionis cognitionem & iudicium, Christianis philosophis permittamus.

An ex Oceano aquæ omnes prosiciscantur.

Notabilis Eugubini opinio.

IAM verò circa id quod sequitur in narratione Mosis *Et appareat arida*, quid Augustinus Eugubinus in sua Cosmopœia prodiderit, non est in præteritis relinquendum. Opinatur Eugubinus non fuisse vniuersam terram simul aquis detectam & nudatam, sed paulatim & particulatim: prius autem extra aquas apparuisse & siccatã esse partem terræ Aquilonarem, eam dico quæ inter Arcticum & Æquinoctialem circulum interiacet: tum quòd ea sit potior & nobilior pars terræ habitabilis, vt in qua fuerit Paradisus, primúsque homo conditus & locatus, & genus humanum propagatum, & ab eo tempore vsque ad hoc, semper maximè floruerit: in hoc enim terrarum tractu, potentissima imperia, clarissimáque hominum ingenia, & rerum gestarum monumenta fuisse constat: tum etiam quod hæc pars terræ aquilonaris multo altior est Australi, ob idque prior ex aquis emersit & extitit: quod eleganter poëta ille cecinit.

Virgilius 1. li. Georgicorũ.

Mundus vt ad Scythiam, Riphæasque arduus arces
Consurgit, premitur Lybiæ deuexus in Austros.

ID etiam confirmat Aristoteles initio libri 2. Meteororum, cuius hæc inibi sunt verba: *Sicut & secundum partem ex altis fluuios apparent*

fluere

A *fluere, sic & totius terræ ex altioribus, quæ ad Vrsam, fluxus sit plurimus. De eo autem quod est, ea quæ ad Vrsam sunt esse terræ alta, signum quoddam est & hoc, multos persuasos esse antiquorum Meteorologicorum, Solem non ferri sub terra, sed circa terram, & locum hunc: obscurari autem & facere noctem, propterea quod alta sit ad Vrsam terra.* Hactenus Aristoteles. Plinius verò aliud eiusdem rei ponit argumentum, aquam ex Ponto meare in alia maria, in Pontum autem nunquam refluere: sic enim scribit nonagesimo septimo, capite libri secundi. *Pontus semper extra meat in Propontidem: introrsus in Pontum nunquam refluo mari*, & libro quarto capite decimo tertio. *Non est*, inquit, *Omittenda multorum opinio priusquam digrediamur à Ponto, qui maria omnia interiora illo capite nasci non Gaditano freto existimauere, haud improbabili argumento: quoniam æstus semper è Ponto profluens,*
B *nunquam reciprocetur.* Sed redeo ad Eugubinum: is propterea ductus est in eam sententiam, quod sibi ipse persuaserat, segregationem illam aquarum & exsiccationem terræ, non singulari omnipotentia Dei subito esse factam, sed naturali potestate Solis tunc ardentissimi, & ad attenuandum siccandumque potentissimi: quod tamen omnium Theologorum viritim respuit fides. Hæc enim sex dierum prima Dei opera, & proximè à Deo, & puncto temporis suo quæque die esse facta, nullus Theologorum abnuit. Fuisse autem Solem in exordio mundi ardentiorem & valentiorem ad operandum, quàm posteâ fuit, vt putat Eugubinus risum profectò moueret Philosophis, quibus in confesso est, vim & facultatem Solis, quod ipse sit
C incorruptibilis & impassibilis, nulla ex parte remitti ac minui, vel contendi & augeri posse. Tostatus opinatur terram exsiccatam esse à vento quodam vehementer vrenti, quem tunc Deus immisit, & Moses indicauit supra cum dixit, *Spiritus Domini ferebatur super aquas.* Simili enim ratione desiccata est terra post diluuium, vt traditur infra capite octauo & itidem fundum maris rubri, quà transitus erat futurus Hebræis, desiccatum esse scriptum est in Exodo, capite decimo quarto illis verbis, *Cum extendisset Moses manum super mare, abstulit illud Dominus flante vento vehementi, & vrente tota nocte, & vertit in siccum diuisaq; est aqua.* Verùm hanc opinationem suam paucis, ni fallor, probabit Testatus: incredibile enim videtur, esse posse ventum
D aliquem talem tantumque, vt omnem terræ faciem altissimè madefactam oblimatamque tam breui tempore, vel vt verius dicam, puncto temporis adeo queat exsiccare, vt potens fiat plantas & animalia procreandi. Quod autem ait hoc loco Procopius Gazæus, nec abnuit AVGVSTINVS libro decimo sexto de Ciuitate Dei capite nono alteram partem terræ huic nostræ oppositam, quam habitare dicuntur Antipodes, esse totam aquis obrutam, ob idque inhabitabilem quasi illuc aqua prius omnem terram operiens coacta & congregata sit, falsum esse, hoc tempore nauigationibus Hispanorum planè compertum est: illa enim terra

Procopius & Augustinus de Antipodibus quid sentiant.

& antea fuerat ab indigenis habitata, & nunc variis locis ab Hiſpa- A
niis habitatur.

VERS. 11. *Germinet terra herbam virentem, & facientem ſemen & lignum pomiferum, faciens fructum iuxta genus ſuum cuius ſemen in ſemetipſo ſit ſuper terram, &c.*

An tertio die ſint actu productæ plantæ.

BEATVS Auguſtinus libro quinto de Geneſi ad litteram capite quarto arbitratur, hoc præcepto Dei non eſſe plantas actu productas ex terra, ſed tantummodo cauſaliter: Deum enim tunc inſeruiſſe B terris naturalem vim & poteſtatem generandi efferendiq́ue omnes plantarum ſpecies. Huic ſententiæ fidem eo argumento firmat, quod infra capite ſecundo Moſes ait, Deum hoc tertio die produxiſſe omne virgultum agri antequam oriretur in terra, omnemq́ue herbam regionis priuſquam germinaret quare priuſquam plantæ actu orirentur ex terra Moſes teſtificatur eas in terra eſſe factas, nempe cauſaliter tantum atque virtualiter: hoc enim tertio die terra naturalem potentiam ex ſe proferendi omnia ſtirpium genera à Deo accepit. Sed valde dura eſt hæc interpretatio Auguſtini, & diſtorquet verba Moſis, qui diſertè aperteq́ue narrat, hoc tertio die, & iuſſiſſe Deum vt terra proferret omnia herba- C
rum & arborum genera, & ea ſtatim protuliſſe terram diuinis iuſſis obtemperando. *Protulit*, inquit, *terra herbam virentem, & facientem ſemen iuxta genus ſuum, lignumq́; faciens fructum & habens vnumquodque ſementem ſecundum ſpeciem ſuam.* Et ſanè Moſes de creatione plantarum ſimiliter loquitur, vt de creatione lucis, firmamenti, aſtrorum, & animalium: nec poteſt negari fuiſſe in Paradiſo perfectas arbores: cùm id apertè capite ſecundo tradat Moſes. Et verò ad victum hominis & animalium, opus erat herbis & herbarum fructibus. Illa autem verba: quæ citat Auguſtinus ex ſecundo capite, *Antequam oriretur in terra*, ſignificant, primam illam productionem plantarum non fuiſſe naturalem, nec vſitato ordine modoq́ue aliarum productionum factam. D
Senſus igitur eſt, Antequam in terra oriretur herba, videlicet modo naturali, vt nunc oritur, in illa prima productione producta eſt ſingulari quodammodo à Deo. Ex illis autem verbis, *Producat* ſeu *germinet terra herbam virentem, & facientem ſemen, & lignum pomiferum faciens fructum iuxta genus ſuum, &c.* apparet, omnes herbarum & arborum ſpecies factas eſſe in ſtatu perfecto, habentes nempe, ſemen vnde poſſent aliæ generari: tunc enim vnumquodque perfectum eſt, cùm poteſt generare ſibi ſimile, vt eſt apud Ariſtotelẽ in 4. lib. Meteororũ atque hac ratione conſuluit Deus mortali plantarum conditioni, vt quæ

Res omnes in ſtatu perfecto creatæ ſunt.

per ſe

A per se non poterant, per generationem & propagationem aliarum ex aliis, speciei immortalitatem & quandam æternitatem, singulis individuis negatam, consequerentur. Nec refert, vbi semen habeant plantæ, hoc est, vel in radice, vel in stipite, vel in fructu. Nec in dubio esse potest, primas illas herbas & arbores, suo quamque in genere fuisse perfectissimas & suauissimas ad gustum, victumque hominis accommodatissimas: tum propter summam nascentis terræ bonitatem, tum quod proximè à Deo creatæ, cuius quæ sic fiunt perfecta sunt opera, non poterant non esse optimæ, certè longè meliores quibus suis posteâ naturali potestate modoque procreatis. Hæc prima generatio arborum citra hominum laborem & cultum facta, non videtur latuisse poëtas, eorum enim quidam dixit.

Primas mũdi plantas fuisse omnes perfectissimas.

B *Ipsa quoque immunis, rastroque intacta, nec vllis*
Saucia vomeribus, per se dabat omnia, tellus.

Sic Ouidius 1. lib. Metamor. cuius similem sententiam libr. 5. persequitur Lucretius.

QVÆSTIO est, an ad primam illam herbarum & arborum generationem, concurrerit terra tantùm passiuè an etiam actiuè, virtute tamen à Deo supernaturaliter accepta: atque hoc posterius Caietano videtur probabilius: *nam hoc*, inquit, *denotant verba illa Mosis, Producat terra.* Itaque terra per naturalẽ virtutem sibi inditam, plãtas illas produxit, attamen auxilio Dei supernaturali est adiuta, vt eas & in statu perfecto, & in instanti producere posset, quæ naturaliter non nisi per

An terra passiuè tantũ & materialiter an efficienter etiã concurrerit ad primã plãtarum generationem.

C partes, & per certa temporum spacia generare potuisset, verba Caietani sunt hæc, *Non solum significatur terræ plenitudo exterior; sed etiam modus plenitudinis, dicendo, Et protulit terra: manifestè enim per hoc significatur, quod ipsa terra genauit vegetabilia, vt intelligamus quod Deus non produxit immediatè vegetabilia, sed mediante terra: non tamen in tempore, sed virtute diuina in eodem instanti susceptit terra virtutem productiuam, & productionem cum effectu producto, ita quod qnicquid vegetabilium produxisset naturaliter terra in spacio vnius anni seu multorum annorum (vt diuersa vegetabilia exigunt ad sui perfectionem) produxit tunc terra virtute diuina in instanti: credimus enim omnia producta esse in statu perfecto, sicut constat hominem productum, non infantem, sed perfectum: & in Paradiso terrestri constat fuisse arbores cum fructibus à*

D *principio, in cuius signum non scribitur, herbauit terra, sed protulit terra.* Sic ille, Sed hoc pernegat Tostatus hoc loco, & Sanctus Thomas prima parte quæstione septuagesima articulo primo. Sic scribens, *In prima rerum institutione fuit principium actiuum verbum Dei, quod ex materia elementari produxit animalia vel in actu secundum alios sanctos, vel virtute secundum* AVGVSTINVM: *non quod aqua aut terra habeat in se virtutem producendi omnia animalia, vt Auicenna posuit, sed quia hoc ipsum quod ex materia elementari virtute seminis, vel stellarum possunt animalia produci, est ex virtute primitus elementis data.* Hactenus Sanctus Thomas. Et verò incredibile videtur, terram tantæ virtutis esse capacem vt per virtutem vllam sibi inhærentem, subito queat ex se proferre

Augustinus libr. 5 de Genesi ad litterã.

omnis generis arbores perfectas, omneſque terreſtrium animalium A
ſpecies, quas ex terra ſexto die generatas eſſe Scriptura confirmat:
quamquam hoc fortaſſe non adeo impoſſibile, vel etiam improbabile
videretur Theologis exiſtimantibus quamlibet creaturam vt inſtru-
mentum à Deo aſſumptum, actiuè concurrere poſſe ad creationem
cuiuſcumque rei etiam ſpiritualis, etiam ſupernaturalis: ſed id tamen
non poteſt fieri ſine maximo Dei miraculo, quod in prima rerum
creatione non eſſet ſine maxima cauſa & neceſſitate admittendum.
Illud autem. *Proferat terra*, vel *Protulit terra*, non aliud ſignificat, quàm
materialem, terræ cauſalitatem & concurſum ad generationem plan-
tarum, nam infra capite ſecundo dicitur Deus produxiſſe ex humo
omne lignum: nam & fœmina quæ ſecundum Ariſtotelem tantùm
paſſiuè ac materialiter concurrit ad generationem hominis, dicitur B
tamen hominem generare & procreare. Et nunc etiam dicitur terra
proferre, ac gignere plantas, cùm vis earum generatrix propriè non
terra ſit, ſed in ſuo cuiuſque ſtirpis ſemine, ergo illud *Proferat terra*
herbam, eandem vim habet, atque Proferatur ex terra, & in terra her-
ba virens.

Baſilius hom. 5. in Hexameron putat roſam ante peccatũ hominis ſine ſpinis generatam.

BASILIVS tradit hoc loco, eſſe tunc factam roſam ſine vllis
ſpinis, eas namque poſt peccatum hominis in eius pœnam eſſe ro-
ſæ adnatas, multo autem magis diceret id Baſilius de herbis homi-
ni noxiis atque letalibus, nec à Baſilio diſſentit Auguſtinus: in 1. enim
libro de Geneſi contra Manichæos, capite decimo tertio ſic ait, *Per* C
peccatum hominis, terra maledicta eſt, vt ſpinas pareret non vt ipſa ſpinas, vel
vt alij legunt pœnas ſentiret, quæ ſine ſenſu eſt, ſed vt peccati humani crimen ſem-
per hominibus ante oculos poneret, quo admonerentur aliquando auerti à peccatis,
& ad Dei præcepta conuerti. Herbæ autem venenoſæ ad pœnam, vel ad exerci-
tationem mortalium creatæ ſunt, & hoc totum propter peccatum, quia mortales
poſt peccatum facti ſumus. Sic Auguſtinus. Sed quis credat, roſam ante
peccatum, factam eſſe abſque ſpinis? Deus enim tales condidit res,
quales ſunt ſecundum naturam ſuam: nec peccatum Adæ mutauit
proprietates rerum atque conditiones, cùm ne ea quidem, quæ ve-
ræ ſunt ſecundum naturam hominis peccatum eius quicquam varia-
uerit. Roſam verò naſci inter ſpinas, naturalem roſæ conſtitutionem
atque generationem conſequitur. Quare ante peccatum Adæ erant D
ſpinæ & tribuli, & herbæ homini noxiæ & letales: verùm non fuiſ-
ſent in pœnam ei ſi non peccaſſet: & terra quam ipſe victus cauſa
coluiſſet, nihil infructuoſum, nedum pernicioſum ei protuliſſet, ſic
enim homo animo corporeque fuiſſet affectus, vt huiuſmodi res om-
nes ſibi exitioſas facillime internoſcere & cauere poſſet.

Cur multa creata ſint, quæ non ſolũ inutilia homini videtur, ſed etiam noxia. Baſil. hom. 6. in Geneſ. Ambr. libr. 3. Hexameró Theodor. in Geneſim.

SED quæret aliquis: Si omnia in vſum hominis ſunt condita,
fruſtra igitur tot herbarum & arborum genera mortifera homini
ſunt creata? Reſpondent Baſilius, Ambroſius & Theodoretus, licet
iſtiuſmodi res eſu quidem ſint noxiæ homini, eſſe tamen vtiliſſimas
multis animalium, quæ ſunt propter hominem.

Quippe

A *Quippe videre licet pingueſcere ſæpe cicuta*
Barbigeras pecudes, homini quæ eſt acre venenum.

vt ait Lucretius libro quinto. Deinde licet iſta non conferant homini ad cibum, proſunt tamen plurimum medicinæ cauſa: variis enim generibus morborum, qui humanam vitam obſident, depellendis mirabiliter auxiliantur: id quod Baſilius & Ambroſius hoc loco, & Plinius multifariam clariſſimis exemplis confirmant. Quare Auguſtinus, quod primo libro aduerſus Manichæos ſenſerat, poſteà maturius & accuratius perſcrutatus, retractauit & emendauit, in libro tertio de Geneſi ad litteram capite decimo octauo vbi quam nos tradimus ſententiam, cenſet probabiliorem. Ad quam comprobandam adiici poteſt, iſtiuſmodi rerum ſpecies facere ad mundi conſummaB tionem & abſolutionem: ſunt enim, teſte Ariſtotele ſpecies rerum ſicut numeri, quapropter ſine iſtis, ſeries ſpecierum atque contextus, eſſet admodum interruptus & interciſus: quod ſanè nō minus quàm eſſe vacuum in mundo, videri debet abſurdum. Quid plura? vt alia deeſſent, multum tamen iſta conducerent homini ad Phyſiologiæ, præſertim autem ſcientiæ planetarum, perceptionem. Eorum porrò inſcitiam, vel vt dicam propriè, inſaniam, qui quarum rerum ipſi vſum ignorant, eas prorſus inutiliter & ſuperuacuè conditas cenſent, Auguſtinus libro primo de Geneſi contra Manichæos capite decimo ſexto eleganti quadam ſimilitudine confutat.

VERVMTAMEN quærat ex nobis quiſpiam, cur Moſes non aperuit hoc loco generationem metallorum, & vt vocant, mineraC lium, quæ multò veriùs originem habent ex terra quàm plantæ? Is reſponſum hoc à nobis accipiat, multas ob cauſas iſtarum rerum generationem eſſe prætermiſſam. Primò, quia iſtarum rerum generatio, cùm intra terræ viſcera fiat, eſt vulgo occulta & ignota: nec differentia earum rerum à terra & lapidibus, eſt cuilibet manifeſta. Deinde quia non efficiunt diuerſum genus & gradum ipſius Eſſe naturalis, diuerſum inquam ab elementis: quattuor enim ſunt gradus ipſius Eſſe naturalis, videlicet Eſſe corporeum, Eſſe viuens, Eſſe ſentiens, & Eſſe intelligens, ſed enim ciuſmodi corporum effectionem ſimiliter vt cæterorum omnium à Deo eſſe, cùm alibi, tum D in libro Iob apertè docet Scriptura. Illud igitur admonendus eſt lector, quod hoc loco ſemel dictum, in aliis quamplurimis ſimiliter intelligi debet, Moſem non omnia, ſed manifeſta omnibus, maximeque illuſtria & nobilia Dei opera, hoc loco enarranda ſuſcepiſſe: quapropter vt tacuit generationem fontium, fluminum, lacuum, montium, vallium, camporum, & collium, ita de metallorum rerumque foſſilium effectione verbum nullum fecit.

Cur Moſes non expoſuit generationem metallorū & mineralium.

Quattuor gradus Eſſe naturalis.

ILLVD quoque in quæſtionem vocari ſolet, cur Deus vt benedixit animalibus à ſe creatis dicens. *Creſcite & multiplicamini*, non item benedixit plantis. Theodoretus ponit hanc dubitationem in quæſtione decima ſeptima, in Geneſim, eamque ſoluit ad hunc modum:

Cur Deus vt benedixit animalibus, non itidem benedixerit plãtis.

dum : *Deus pro nutu suo statim vniuersam terram repleuit pratis, segetibus, & aliis omnis generis herbis & arboribus, cætera verò animalia bina creauit. Vnde merito benedictionem eis largitus est, vt per multiplicationem, quædam replerent maria, paludes & fluuios, quædam aërem, nonnulla verò terram.* Si cui forsitan hæc Theodoreti solutio propterea non satisfacit, quod pro certo sumat, bina tantum cuiusque speciei animalia primo facta esse à Deo, quod vel incertum est, vel etiam falsum : hoc à nobis habeat responsum, Deum ideo propriè animantibus benedixisse, dedisseque multiplicationis præceptum, quod eorum generatio sit quodammodo cum cognitione & appetitu, & per commixtionem atque coniunctionem diuersi sexus animantium, quod in plantis nequaquam euenit. Itaque illud *benedixit Deus*, significat, inseruisse illis vim & facultatem generandi sibi similia, & propagandi speciem : Illud autem *Crescite*, significat, Deum statuisse certa tempora certasque leges & modos naturales, quibus animalia naturali instinctu & impulsu, ad generationem multiplicationemque sui similium incitata conueniunt. Verùm rationem quam nimium restrictè pressèque dixi, volo vt lector ore Ruperti enucleatius & elegantius expressam cognoscat. Etenim Rupertus libro primo de Trinitate & operibus eius capite quinquagesimo secundo, cùm hanc ipsam quæstionem, Cur Deus sicut animalibus, non ita plantis benedixit, crescendi ac multiplicandi præceptum posuit, multis verbis in medium protulisset, ad hunc modum eam posteà soluit. *Herbas*, inquit, *virentes, siue lignum pomiferum, eadem terra quæ germinat vel producit, multiplicat, & semen illis ipsa importat, & cadentia recipit, etiamsi serentis manus forte desit, & ideo multiplicandæ posteritati, solum in quo sunt ipsa sufficit. Verum reptilibus siue volatilibus, si nullus fuisset appetitus, non ipsa crescerent, aut multiplicarentur, & non stetisset eorum genus. Cùm ergo initium existendi accepissent, oportuit eiusdem Creatoris imperio naturalem illis medullitus inseri amorem vel appetitum, vt masculus ardens ad semen ingerendum, fœmina nihilominus auida foret ad recipiendum, hoc illis benedictio contulit, & ob hoc necessaria fuit : nam inde reptilia creuerunt & multiplicata sunt, & repleuerunt aquas maris auésque multiplicatæ sunt ex eis. Ad hoc, tenet hæc animantia vinculo amoris magna huius benedictionis vis.* Hactenus ex Ruperto.

***

DISPV

A

DISPVTATIO AN MVNDVS VERNO tempore fuerit conditus.

MVLTI existimant, mundum verno tempore esse factum: coniecturam cùm ex aliis, tum ex eo facientes, quod Moses narrat hoc loco terram die tertio iussu Dei germinasse herbam virentem: est autem verni temporis herbarum virentium & florentium germinatio. Hanc quæstionem, quod sit ad cognitionem pulcherrima, valdeque controuersa & in contrarias distracta
B sententias, nec aliena proposito nostro, in præsens pertractandam censuimus. Quidam memoria nostra, non indiligens Annalium conditor tradit, sibi probabilissimum videri, mundum mense Iulio esse factum: Hoc autem ex sacra Scriptura ad hunc modum argumentatur, Initium anni fuit tempore Noë circa mensem Iulium Sole Leonis signum peragrante, eo igitur tempore fuit etiam initium mundi. Est enim admodum credibile, priscos illos homines vsque ad Noë, solitos inchoare annum ab eo tempore, quo per traditionem maiorum suorum ab Adamo vsque ductam, nouerant mundum fuisse conditum, valde enim congruebat vt idem tempus, anni esset principium, quod mundi fuerat exordium. Tempore autem Noë initium
C anni fuisse mense Iulio, coniectat hic auctor ex eo quod infra capite octauo, Geneseos traditur, columbam vigesimo quarto die mensis vndecimi reuersam ad Noë tulisse ramusculum oliuæ virentibus foliis: hinc enim intelligitur fuisse tunc tempus vernum, quo nimirum solent arbores germinare ac virere: quo etiam cessare diluuium conueniebat, scilicet vt noua æstas, nouas fruges fructusque hominibus, cæterisque animantibus sustentandis suppeditaret. Atqui Sole Geminorum signum perambulante, eam oleæ germinationem in diluuio esse factam, naturali ratione ostenditur. Etenim Plinius libro vigesimo sexto capite vigesimo quinto. Oleam pariter cum vite ait, germinare & concipere Virgiliarum exortu, hoc est, sex diebus ante
D Idus Maias vigesimam quintam, vel vti verè legendum est, decimamquintam Tauri partem occupante Sole, florere autem Solstitio. Atque hæc Plinius inquit respectu sui climatis Romani, quod habet etiam Gordieus Armeniæ mons in quo arca confidentibus aquis insedisse dicitur. Idem igitur tempus conueniebat germinationi oleæ in monte Gordieo, nisi aquarum inundatio tam diu omnem terram altissimè obrutam tenens obstitisset: quæ vt non suo tempore, sed aliquando tardius eueniret arborum germinatio effecit. Nec tamen ea germinatio differri potuit vsque ad Solstitium propter fructus & alimenta vitæ animalium necessaria, quæ nulla eo anno fuerant condita & seruata. Quare signo Geminorum, quod

Gerardus Mercator initio suæ Chronologiæ, opinatur mundũ esse conditum mense Iulio.

rum,quod inter Taurum intereſt & Cancrum, menſem illum vnde- A
cimum reſpondiſſe neceſſe eſt,duodecimum autem Cancro,ideoque
primum ſequentis anni menſem fuiſſe, ſignum Leonis Sole perme-
ante, hoc eſt, circa menſem Iulium.Sic ille argumentatur. Aſtruit
etiam fidem ſuæ opinioni argumento Ægyptiorum, qui vt capite 35.
refert Solinus,cenſuerunt natale mundi tempus eſſe, cùm Sol prin-
cipium Leonis ingreditur:quod vnde acceperint Ægyptij, non docet
Solinus:veriſimile autem eſt didiciſſe ab Hebræis, qui ſæpe diuque
ſunt apud Ægyptios commorati.

Refellitur, Mercator. VERVMTAMEN hanc ſententiam credo equidem paucis pro-
batum iri:neminem enim memini fuiſſe adhuc,qui primordia mundi
non ad Æquinoctium vel Vernum vel Autumnale retulerit.Quid au-
tem de natali die mundi,tempore Solini exiſtimauerint Ægyptij,non B
eſt valde curandum: certè vetuſtiſſimos Ægyptios tempore Moſis
initium anni à menſe Septembri ducere ſolitos, grauis auctor. in 1.
libro Iudaicarum antiquitatum dixit Ioſephus: quinetiam Cicero
libro ſecundo,de Natura deorum,& Lactantius libro primo,diuina-
rum Inſtitutionum cap.6.prodidêre, Mercurium, qui Ægypto leges
ac litteras tradit, appellatum ab Ægyptiis lingua ſua Thoth, à quo
apud eos primus anni menſis noſtro reſpondens Septembri, nomen
accepit.Porro lib.decimo ſexto,c.20. tradit Plinius, Oleæ folia nun-
quam decidere,& colorem ſuum nunquam amittere:quid igitur pro-
hibet,quin olea,cuius ramuſculum tulit columba, ſub aquis tempo- C
re diluuij & frondium virorem retinuerit? nam cùm ſeptem dies an-
te columba nihil,reperiſſet,vbi conquieſceret,qui fit credibile ſpatio
non amplius ſeptem dierum,oleam frondeſcere ac vireſcere potuiſſe?
non enim ſub profundiſſimis aquis demerſa, vim germinãdi & fron-
deſceudi exerere poterat. Ad extremum, auctor iſtius ſententiæ ſu-
mit vt certum,quod eſt valde dubium,vel etiam falſum: ponit enim,
vt omnium conſenſu indubitatum menſes quos capite octauo Ge-
neſeos recenſet Moſes,primum,ſecundum,ſeptimum, decimum,vn-
decimum,fuiſſe anni menſes,cùm eos non pauci,non ab exordio an-
ni,ſed ab initio diluuij numerandos putent: alij verò, quorum nos
in ſententiam ituri ſumus, eos non ab initio anni vel diluuij, ſed
ab exordio ſexcenteſimi anni vitæ Noë computandos cenſeant: D
Verùm reiecta hac opinione cæteras magis probabiles perpen-
damus.

Communis opinio, mũdũ eſſe conditum verno tẽpore. ALTERA eſt opinio,non Aſtrologis modo & poëtis accepta ſed
omnium etiam ſcriptorum Eccleſiaſticorum atque Theologorum
firmata conſenſu,mundum verno tempore eſſe conditum. Hoc libro
1.Georgicorum cecinit Virgilius:

Non alios prima naſcentis origine mundi
Illuxiſſe dies,aliúmve habuiſſe tenorem
Crediderim:Ver illud erat,ver magnus agebat
Orbis,& hybernis parcebant flatibus Euri.

Hæc

A HAEC etiam vna est, nec postrema de multis causis, propter quas Astrologi signum Arietis esse initium & caput cæterorum Zodiaci signorum, principatúmque obtinere arbitrantur.

Christianique tempore mũdum esse conditum arbitrentur.

SED venio ad nostros, hoc est, Ecclesiasticos scriptores & Theologos. Eusebius in Omnimoda historia, quod opus inter cætera eius recenset Hieronymus in lib. de Ecclesiasticis scriptoribus, cuius hodiéque nonnulla extant fragmenta, affirmat die vigesimoquinto Martij, quo Christus dominus noster resurrexit, mundum esse conditum. Athanasius respondens ad quæstionem decimam septimam Antiochi, idem quod Eusebius tradit, idémque confirmant complures alij, velut Cyrillus Hierosolymitanus Catechesi 14. Leo Papa sermone nono de passione Domini, Gregorius Nazianzenus in
B oratione in nouam Dominicam, Isidorus libro 5. Etymologiarum, capite de Temporibus, Damascenus libro 2. de fide Orthodoxa capite septimo, Strabus & Rabanus super 12. caput Exodi, aiunt mũdum esse creatum decimo quinto Kalendas Aprilis, hoc est, decimo octauo die Martij: hoc etiam habet Glossa interlinearis super caput 35. Geneseos: denique multis locis idem Beda prodidit, veluti in lib. de Ratione temporum, cap. 28. & in commentariolo in Hexameron ait, solem quarto die creatum, æquinoctium vernale suo exortu consecrasse, & in Synodo Palæstina ex mandato Victoris Papæ congregata à Theophilo Episcopo Cæsariensi, consensu omnium
C declaratum est, mundum factum esse verno tempore, quinetiam 10. Kalendas Aprilis, quo die Dominus noster fuit crucifixus, Adamum fuisse à Deo creatum. atque huius synodi & decreti meminit Beda initio libri de Sex ætatibus mundi, fusius autem eius Synodi decreta commemorat in Epistola quam scripsit de Paschatis celebratione seu de verno æquinoctio. Idem Beda libr. de Ratione temporum, capite 40. docet Solem creatum esse 12. Kalend. Aprilis, hoc est, 21. Martij, primúmque diem quo facta est lux fuisse 15. Kalendas Aprilis, hoc est, decimũ octauum Martij diem. Beatus Ambrosius capite quarto libri primi in Hexameron. ea ratione persuadere nititur, Mundi exordium fuisse verno tempore quod terra iussu Dei germi-
D nauit herbam virentem, quod non alio quàm veris tempore solet euenire. Sed quia hoc argumentum disertissimè tractat Ambrosius pauca de verbis eius haud dubie lectori non iniucunda futura, hic apponam: *In hoc principio*, inquit, *mensium, quo pascha iussu Dei celebrabant Iudæi cœlum & tarram fecit Deus, quod inde mundi capi oportebat exordium: vbi erat opportuna omnibus verna temperies. Vnde & annus, mundi imaginem nascentis expressit, vt post hybernas glacies atque hyemales caligines, serenior solito verni temporis splendor eluceat. Dedit ergo formam fructus, annorum curriculis mundi primus exortus, vt ea lege annorum vices surgerent, atque initio cuiusque anni produceret terra noua seminum germina, quo primum Dominus Deus dixerat:* Germinet terra herbã fœni, *seminans semen secundum genus, & secundum similitudinem, & lignum fructifé*

Ambrosij de mundi conditi tẽpore sententia. Exod. 12.

Genes. 1.

fructiferum faciens fructum, &c. In quo nobis & moderationis perpetuæ di- A
uina prouidentia, & celeritas terræ germinantis, ad æstimationem vernæ
suffragatur ætatis. Nam etsi quocunque tempore & Deo iubere promptum
fuit, & terræ obedire naturæ, vt inter hybernas glacies & hyemales pruinas,
cœlestis imperij fotu germinans terra fœtum produceret, non erat tamen di-
spositionis æternæ, rigido stricta gelu, in virides subitò fructus laxari arua,
Exod 12. *atque horrentibus pruinis florulenta misceri. Ergo vt ostenderet Scriptura*
veris tempora in constitutione mundi ait, Mensis hic vobis initium men-
sium: *primus est vobis in mensibus anni, primum mensem, vernum tem-*
pus appellans. Decebat enim principium anni, principium esse generatio-
nis, & ipsam generationem mollioribus auris foueri, neque enim possunt te-
nera rerum exordia, aut asperioris laborem tolerare frigoris, aut torrentis B
æstus iniuriam sustinere. Hæc Ambrosius. Similia, nec tamen pre-
Exod.40. menda silentio in quæstione septuagesima secunda, super Exodum
scribit Theodoretus: cùm enim præposuisset hanc dubitationem:
Cur prima die mensis Deus iussit erigi tabernaculum, eam sol-
uit his verbis: *Propterea quod eodem fere tempore Deus creaturas con-*
didit, cuius rei fidem facit arborum germinatio. Germinet, *inquit*, terra
Exod. 12. Luc. 1. herbam virentem, &c. *Incipiente enim verè, prata florere solent, segetes*
Quæ quanta sit veris suitio facta sint. *semina concipiunt, arbores fructum emittunt. Ea de causa Deus etiam sub*
idem tempus liberauit populum Israël à seruitute Aegyptiorum, & Gabriel
Archangelus sanctæ Virgini Mariæ latum nuncium admirandi partus attu-
lit. Eodem quoque tempore Christus Dominus salutarem pertulit passionem.
Non immerito ergo Dominus omnium, prima die primi mensis taberna- C
culum erigere iussit, tum quod totius mundi figuram referebat, tum vt po-
pulus se præpararet ad festum Paschæ, quod primum celebrare lex præcipie-
bat Iudæis: Sic ille. Magister historiæ scholasticæ in Historia libri
Geneseos affirmat dogma esse Ecclesiæ, Mundum esse creatum in
Martio. Addunt præterea, quibus hæc sententia placuit, hæc argu-
mẽta, vernum tempus esse totius anni pulcherrimum: amœnissimũ,
retúmque omnium, præsertim autem viuentium generationi, accre-
Veris cõmoda. tioni & conseruationi aptissimum. Est enim temperatè calidum &
humidum, quæ sunt duæ qualitates generationi, ac vitæ tam stir-
pium, quàm animantium valde congruentes, tum viget signum
Arietis quod appellant Astrologi masculinum, fœcundum, propi- D
tium, atque benesicum, maximéque rerum primordiis opportunũ,
tunc germinante terra, virescentibus herbis, florescentibus arbo-
ribus, & quasi reuiuiscentibus animantibus, mundus quodammo-
do reuascens, eodem se tempore primum à Deo esse conditum non
obscurè declarat. Contrà verò autumnus cum sit frigidus & siccus,
magis corruptioni, quàm generationi rerum est conueniens:
idcóque tum decidunt folia, cunctáque virore vigoréque suo pri-
uata, paulatim flaccescunt & ad interitum feruntur. Illud quoque
fidem huic opinioni addit, quod sit admodum credibile, primum
Adam, & secundum, qui est Christus Dominus, eodem tempore

esse

A esse formatos, eodémque & conditum mundum & à Christo reparatum. Constat autem secundum Adam, hoc est, Christum, verno tempore conceptum esse, eodémque per mortem suam mundum restaurasse.

Opinio aliorũ mundum esse conditum autumni tempore.

Tertia sententia est, mudi exordium fuisse in autumno, vt primus mensis ab orbe condito fuerit prima luna Aequinoctio autumnali propior. qui mensis ab Hebræis Chaldaico vocabulo dictus est Thisri. quæ vox Chaldaicè significat initium, vt vel ipso nomine, mensis hic se initium anni existimari debere, satis probare videatur. Hanc sententiam, Hebræorum plurimi & doctissimi veram, certamq; habent, eamque maximè approbat Nicolaus de Lyra

Hebræi fere omnes, putant mundũ in autumno conditum.

B super caput 7. libri Geneseos, & Tostatus super eiusdem libri caput primum quæstione vicesima prima, in qua fuisse Iosephum, ex iis quæ scribit primo libro Antiquitatum satis apparet. Facit etiam pro ea, quod ait Hieronymus in commentario super primum caput Ezechielis, apud omnes Orientales primum anni mensem fuisse Octobrem: nam Thisri, licet incipiat in Septembre, sæpenumero tamen excurrit in Octobrem. Ioannes Picus Mirandulanus, & si capite sexto libri septimi aduersus Astrologos, scribit incompertum esse adhuc, nec satis explicari posse, quo anni tempore factus sit mundus: ipse tamen ad eos, qui autumno factum credunt, suam inclinat sententiam. Tostatus in priori parte sui Defensorij capite decimo quarto scriptum reliquit, peritos Hebræorum cen-

C suisse mundum esse creatum 25. die Septembris: & Adam vltimo die Septembris esse formatum: primo autem die Octobris, qui fuit dies sabbati, fuisse primi anni primique mensis exordium. Nam priores sex dies ad præcedentem annum, quem ex illis sex diebus conficiunt, referendos arbitrantur.

Argumenta quæ hanc sententiam confirmant.

Porro: sicut hæc tertia opinio tam multitudine, quàm grauitate dignitatéque auctorum, inferior est quàm secunda, ita numero & pondere argumentorum videtur firmior, atque præstantior. Principio, satis hoc indicauit Deus, cùm noua lege sanxit, vt propter memoriam singularis eius beneficij, quo seruitute Aegyptiorum Hebræos liberauerat, Nisan qui cadit in vernum

D tempus, primus deinceps anni mensis apud Hebræos haberetur, vt traditur Exodi duodecimo, quo licet intelligere ante illud tempus, Nisan non fuisse Hebræis primum anni mensem: quid enim attinebat nouo præcepto tam sanctè Iudæis imperare, quod illi suaptè sponte perpetuo antea seruauerant: Certè quemadmodum sabbatum seruari iussit, propterea quod die septimo requieuerat à molitione & fabricatione mundi, ita si mense Nisan mundus fuisset conditus, eum in memoriam orbis conditi seruari iussisset. Ponam hic verba Iosephi, quæ ad hoc illustrandum probandúmque multum valent, ex primo Iudaicarum antiquitatum, libro transcripta: *Contigit*, inquit, *vastitas diluuij*

anno ætatis Noë sexcentesimo, mense secundo, qui Dius à Macedonibus vocatur, ab Hebræis Marsonane, qui partim Octobri respondet & partim Nouembri, sic enim Aegyptij distinxerunt annum, Moses autem Nisan, qui est Xanthicus Macedonibus, mensem primum in suis Fastis ordinauit, quod per hunc Hebræos ex Aegypto eduxisset: eumdem & omnium quæ ad rem diuinam pertinerent exordium fecit: alioqui quod ad nundinationes rerum venalium, reliquámque dispensationem anni attinet, nihil de pristino ritu innouauit. Hæc Iosephus. Ex cuius verbis duo nobis quæ ad præsentem quæstionem faciunt, notatu digna pernotescunt. alterum est, Hebræos priusquam Aegypto excederent, annum ab autumno inchoare consueuisse, cuius consuetudinis ab Adamo vsque ad Mosem perpetuo conseruaræ, non aliam fuisse originem & causſam existimandum est, quàm quod tempore autumni mundum incepisse priscis illis hominibus persuasum esset. alterum vero, diluuium incepisse mense secundo anni, hoc est, medio autumno: quis autem non inducat in animum credere, ab Adamo vsque ad Noë principium anni, idem fuisse tempus, quod mundi fuerat exordium? quamquam non desint, qui ad id, quod priori loco diximus ex Iosepho respondeant, Hebræos ante descensum Iacob in Aegyptum annum à verno tempore, quo nimirum mundus fuerat conditus, inchoare solitos: postea tamen mixtos, & per quindecim atque ducētos annos conuersatos cum Aegyptiis, vt alia eorum instituta, sic etiam hoc de principio anni & dispositione mensiū esse amplexatos: quapropter egressi ex Aegypto, Dei præcepto iussi sunt primam cōsuetudinem circa initium anni & dispositionem mensium repetere, & deinceps perpetuò retinere.

Argumentum à Scriptura pro hac sententia sumptum soluitur.

VERVM mundi primordia fuisse in autumno, & inde anni principium ritè sumi, videtur ex Scriptura euidenter ostendi posse. Etenim Exodi vicesimo tertio capite iubentur Hebræi solemnitatē tabernaculorum, quę agebatur mense septimo, hoc est, in autumno, celebrari in exitu anni. Sic enim ibi legimus: *Solemnitatem quoque, ages, in exitu anni, quando congregaueris omnes fruges tuas de agro.* Et capite tricesimo quarto eiusdem libri iubet Deus eandem solemnitatem agi, quando redeunte anni tempore cuncta conduntur. Ex quibus duobus Scripturæ locis, satis liquet, in autumno fuisse anni exitum ac reditum: quare eo potissimum tempore factus est mundus. Ad hoc, Autumnum esse finem anni præcedentis, si spectemus ordinem naturę & generationis rerum naturalium, patet vel iudicio sensuum, tunc enim decerpuntur fructus ex arboribus, decidunt folia, demessæ segetes, frugésque conduntur: colliguntur vuæ: vinúmque ex iis expressum conficitur. Esse autem Autumnum etiam sequentis anni principium, manifestum est, cùm eo tempore sementis fiat, & terra mandata sibi semina cōcipiens, hísque grauida procreet radices, quod sanè ratione quadam respondet conceptioni & generationi animalium in vtero, quocirca Autumni

Autumnus quo modo anni exitus dicendus sit & principium.

tempus

A tempus conceptioni & generationi rerum conuenit, ob idque primordiis mundi magis est idoneum. Tempus autem veris magis respondet adolescentiæ & iuuentuti ipsius mundi. Præterea, licet in tractatione rerum sacrarum & celebratione festiuitatum, Moses initium anni, veris tempore statuisset, non in omnibus tamen id obseruabatur: nam in celebratione septimi anni, quo dabatur terræ requies, & quinquagesimi anni, qui erat Iobilæi, exordium anni necessario sumendum & computandum erat ab Autumno, alioquin si à verno tempore sumptum esset, necessarium vtique fuisset vt fruges, & prouentus terræ sexti anni, quæ mense Nisan in Palæstina maturæ non erant ad messem, prorsus perirent, quod est contra diuinam Scripturam, in qua Deus pollicetur propter requiem septimi B anni daturum se triplicatum prouentum frugum, videlicet pro sexto, septimo, & octauo anno. *Leuit. 25.*

Exordiũ anni ante diluuium fuisse in autumno, & tunc creatũ fuisse mũdum.

His accedit, quod certum sit ante diluuium tẽpora numerata esse ab exordio mundi, & quod initium anni cœptum fuerit ab eo tempore, quo fuerat mundi primordium. Est quoque simillimum vero, diluuium cœpisse vel medio vel extremo Autumno: quoniam autem durauit centum quinquaginta diebus, hoc est, quinque mensibus, totam hyemem occupasse. Nam etsi diluuium. Noëticum solius naturæ viribus non potuerit effici, Deum tamen ad id efficiendum, conuenienti tempestate & opportunitate anni vsum esse, credendum est. Legimus autem capite 7. libri Geneseos cœpisse fieri C diluuium die decima septima mensis secundi, hoc est, circa Nouembrem: ergo ante diluuium primus mensis & initium anni fuerat in Autumno, scilicet, eo tempore quo mundus à Deo fuerat creatus: nam si tunc annus verno tempore habuisset initium, cœpisset diluuium circa mensem Maium, & tota æstate durasset: tempore videlicet pluuiis & inundationibus aquarum, maximè alieno & contrario.

Ante diluuiũ homines carne vesci non solebant. Genes. 1.

Ad extremum, quorum animis hæc insedit opinio, vel vno eo argumento concludi posse existimant, mundum in Autumno esse factum, quod in exordio mundi, vt alia, sic etiam arbores in statu perfecto productæ sunt, hoc est, cùm fructibus iam maturis perfectísque & ad comedendum idoneis: talibus enim in cibum animantium & hominum protinus opus erat, non enim hominibus D ante diluuium ex esu carnium, sed herbarum dumtaxat & fructuum victus fuit. Hoc etiam apertè docet sacra Scriptura, non solùm quia tradit tertio die iubente Deo terram produxisse *lignum pomiferum faciens fructum iuxta genus suum*, sed etiam quia docet Deum primis hominibus recens creatis dixisse, *Ecce dedi vobis omnem herbam afferentem semen super terram & vniuersa ligna, quæ habent in semetipsis sementem generis sui, vt sint vobis in escam; & cunctis animantibus terræ*: Et rursus præcepit homini, dicens. *Ex omni ligno paradisi comede, de li-* *Genes. 2.*

gno autem scientiæ boni & mali ne comedas. Eua quoque serpenti insi- A
diosè ac malignè interroganti: *Cur præcepit vobis Deus, vt non comederetis ex omni ligno Paradisi?* respondit: *De fructu lignorum, quæ sunt in Paradiso vescimur, de fructu verò ligni, quod est in medio Paradisi, præcepit nobis Deus ne comederemus.* Et paulo infra subdit Moses: *Vidit igitur mulier, quod bonum esset lignum ad vescendum, & pulchrum oculis, aspectúque delectabile, & tulit de fructu illius, & comedit.* De Paradiso quoque cùm loqueretur Moses, dixit, *Produxit Dominus Deus de humo omne lignum pulchrum visu, & ad vescendum suaue.* Quid plura? Dei perfecta sunt opera, præsertim autem, quæ ab eo immediatè & miraculosè fiunt, arbores autem tum demum perfectæ censentur, cùm fructus maturos & ad esum idoneos habent. Quod si in exordio mundi arbores maturos B
habebant fructus, profecto non veris, sed Autumni tempore mundum factum esse credendum est, maturatio enim fructuum non verè fit, sed in Autumno, nam etsi quibusdam in regionibus nempe calidioribus, ocyus matureſcunt fructus, attamen in paradiso terrestri, cuius erat temperatissimum cœlum, tam properè, hoc est, verno tempore, matureſcere non poterant.

Ibid.

Genes. 2.

Responsio ad præcedens argumentum & illius responsionis confutatio.

SED hoc telum, etsi videtur perquam validum, qui tamen pugnacissimè secundam opinionem tutantur, variis modis repellere conantur: quidam enim respondent. In Paradiso terrestri binas quoque anno fuisse arborum fructificationes, binósque frugum prouentus, nimirùm vere & autumno: quemadmodum de India Plinius, & de Taprobane insula Solinus, & de terris subiectis æquatori, atque C
inter duos Tropicos interiacentibus alij prodiderunt. Verùm hoc facilè refellitur, Paradisum enim terrestrem non fuisse inter duos Tropicos, sed citra Tropicum Cancri, hoc est, in Mesopotamia, vel non procul ab ea regione: infrà libro tertio, qui est de Paradiso, multis nec dubiis argumentis probaturi sumus. Quamquam ad confutandum istud responsum, satis argumenti est, non solas Paradisi arbores productas esse cum fructibus maturis, sed etiam quæ erant extra Paradisum: de omni enim terra intelligendum est, quod dixit Deus: *Germinet terra herbam virentem, & facientem semen, & lignum pomiferum.* Extra Paradisum etiam erant animalia, quorum permulta fructibus D
arborum vescuntur & aluntur: homo quoque breuissimo tempore commoraturus in Paradiso, nisi arbores extra Paradisum fructus maturos tulissent, vitam sustinere non potuisset.

Genes. 1.

Alia responsio & eiusdē confutatio.

ALII respondent, fuisse verno tempore creatas arbores in exordio mundi cum fructibus maturis, non facultate naturæ, sed supernaturali potētia Dei: decerptis autem sublatisque illis fructibus, alios proximo autumno secundum ordinem naturalem, & per naturalem vim & potestatem arborum fuisse productos. Sed hoc nequaquam est probabile, non enim fructus decidunt, aut decerpuntur nisi post maturitatem: cadunt enim ob frigus exsiccans & adurens humorem

glutinosum

A glutinosum & tenacem quo frondes & fructus cohæresçunt arbori & ab ea dependent: hoc autem verno tempore non contingit. Adiice præterea, fructus maturandos in autumno per totum ferme annum præparari in arboribus: nam per hyemem arbores implentur humore genitali & fructifero, vere præmittunt frondes & flores, quasi prænuncios & sponsores prouenturi fructus, æstiuo autem tempore fructus pullulant, viresçunt, & augeścunt, quod in autumno maturitatem, atque perfectionem adipiscantur. Quocirca si tempore veris simul cum mundo productæ essent arbores maturis fructibus onustæ, necessarium sanè fuisset statim ex arboribus fructus decidere, vt locum darent fructibus in autumno maturandis: quod rationi alienum, atque dissentaneum est.

B

Alia item responsio cum ipsius confutatione.

Respondent alij, fuisse productas arbores cum fructibus maturis verno tempore, videlicet miraculosè & per supernaturalem Dei potentiam; proximo autem autumno nullos fuisse fructus in arboribus, nec inde vsque ad sequentem autumnum. At hoc maximè inordinatum est, & primordiis mundi ac potestati naturæ tunc ad agendum potissimæ & fœcundissimæ minimè congruit: Vt omittam, toto illo vno anno & dimidio, nec animalia, nec homines sine fructibus commodè vitam ducere & tueri potuisse. Non tacebo aliud quorumdam responsum. Nonnulli aiunt in Paradiso diuersa fuisse fructuum genera, & quædam in vere, alia in Autumno prouentura fuisse: quinetiam quouis anni tempore fructus in Paradiso futuros.

C

Verùm suprà docuimus, non solas Paradisi arbores, sed etiam quæ extra paradisum erant, scilicet ad esum cunctorum animantium, & victum hominis mox è Paradiso exterminandi, cum maturis fructibus produci debuisse.

Alia responsio auctori maximè probata.

Extremvm responsum est, prioribus fortasse probabilius: in prima rerum omnium molitione, quia voluit Deus, itáque fieri par erat, factas esse arbores verno tempore cum fructibus maturis, eósque conseruasse Deum in arboribus vsque ad proximum Autumnum: exinde autem factam esse eorum generationem atque propagationem potestate, ordine, modóque naturali, similiter nempe vt nunc fit, vel non conseruasse tanto tempore fructus in arboribus, sed proximo autumno miraculosè, similiter vt primum fecerat, eos produxisse. Videtur igitur, qui mundum faciunt veris tempore conditum, præter miraculum primæ conditionis arborum cum fructibus maturis, his etiam alterum miraculum necessario esse admittendum, hoc est, vel in producendo alios fructus proximo autumno, vel in conseruando primos illos fructus in arboribus vsque ad proximum autumnũ. Nisi dicamus, extra Paradisum arbores, quæ non ferunt naturaliter fructus maturos ante autumnum, non fuisse tunc creatas cum fructibus maturis, ne sit necesse multiplicare miracula. Vnde igitur extra Paradisum tunc vsque ad autumnum per

D

quinque

quinque menſes homini & animantibus victus? partim ex herbis, A
quarum ante diluuium mira fuit vis ad alendum, mitáque ſalubritas
& ſuauitas: partim ex fructibus arborum, qui verè fructificant, præ-
ſertim locis calidis & humidis, vt in Meſopotamia, vbi primum ho-
mo creditur habitaſſe.

Non in omnibus terræ partibus in mũdi initio fuiſſe idem anni tẽpus.

ILLVD autem hoc loco lectorem admonere lubet, etſi in eo tra-
ctu terræ, in cuius vna quadam parte conditus eſt Paradiſus, & fu-
tura erat prima hominis habitatio, ſint productæ arbores cum fru-
ctibus maturis, quia tempus ibi erat idoneum: & conueniẽs maturi-
tati fructuum, non tamen in omnibus terrarum locis eſſe factas ar-
bores cum fructibus maturis: quia illud ipſum tempus reſpectu ha-
bito ad quaſdam terræ partes fuit media hyems, vel initium æſtatis, I
quo tempore fructus nec produci naturaliter, nec conſeruari poſ- B
ſunt. Deus autem ſic produxit res, vt ipſæ deinceps per cauſas natu-
rales, & ſeipſas conſeruare, & alias ſui ſimiles ſuo tempore, modóque
generare poſſent. Nam ſi vbi fructus maturi ſunt in autumno, ibi in
vere, vel media hyeme producti eſſent maturi, haud dubiè creati
fuiſſent extra tempus naturaliter conueniens maturitati fructuum:
ideóque nec potuiſſent conſeruari naturaliter, nec proximo autum-
no, quo ſecundum ordinem naturalem generari debebant, potuiſ-
ſent naturaliter generari. Nam, vt ſuprà indicauimus, maturitas fru-
ctuum futura in autumno, per totum annum præparari debet: ſiqui-
dem in hyeme præparatur in radicibus, & intra ipſam arborem, tra-
hendo & colligendo ſuccum, & materiam futuræ prolis, quaſi in C
vtero comparando, in vere præparatur in frondibus & floribus: in
æſtate generatur fructus & paulatim maturatur, quoad in autumno
perfectè maturus & ad eſum animantium idoneus exiſtat.

Deus nõ omnes arbores ſimul cũ fructibus vbique creauit.

EXISTIMANDVM igitur eſt, Deum hoc tertio die feciſſe arbo-
res vbique terrarum perfectas ſecundum ſubſtantiam & magnitudi-
nem, quæ naturalis eſt terminus accretionis, & item ſecundum ſuas
facultates, vbi verò tunc erat tempus conueniens fructibus, ibi fe-
ciſſe eas cum fructibus, alibi cum frondibus tantum vel floribus:
nonnullis locis, quibus tunc hyems erat, nudas fructibus,
floribus & frondibus: nimirum productæ ſunt à
Deo tunc arbores, prout cuiuſque D
regionis tempus exi-
gebat.

OPVS

A

OPVS QVARTI DIEI.

Dixit autem Deus, Fiant luminaria in firmamento Cœli, &c. Fecitque Deus duo luminaria magna. VERS. 14.

Quarto die creata esse astra omnia probatur contra Catharinum, & Eugubinũ.

CATHARINVM Eugubinum, atque alios, qui putarunt astra esse à Deo creata ante hunc quartum diem, manifestè redarguit hoc loco narratio Mosis: sic enim air, *Dixit Deus, Fiant luminaria in firmamento Cœli, & factũ est ita: Fecitque Deus duo luminaria magna, & factum est vespere, & mane dies quartus.* Sanè cùm similiter loquatur Moses de creatione syderũ: vt de effectione aliorum operum, quæ reliquis quinque diebus facta narrantur, si creatio syderum ante diem quartum facta est, eo autem die quasi per recapitulationẽ vt isti dicunt, memoratur, similiter existimari posset opera aliorum dierum ante illos dies esse facta, & illis diebus tantum per recapitulationem commemorari. Et verò si ante creata sunt astra, cur non ante suo videlicet loco & tempore, eorum creatio descripta est à Mose? Denique istis contradicunt omnes Patres, quos secuta est Ecclesia, quæ in hymno, qui canitur in vesperis feriæ quartę Deum laudat ob creationem syderum quarto die ab eo factam:

Cœli Deus sanctissime,
Qui lucidum centrum poli
Candore pingis igneo,
Augens decoro lumine.
Quarto die qui flammeam
Solis rotam constituens,
Lunæ ministras ordinem,
Vagósque cursus syderum.
Vt noctibus vel limini
Diremptionis terminum,
Primordiis & mensium
Signum dares notissimum. Hęc ibi.

Astra quid sint.

VIDEAMVS igitur quemadmodum hoc quarto die facta sint astra. Quoniam non sunt aliud astra, quàm partes Cœli densiores quæ lucem habent & transmittunt Cœli autem in principio creati sunt, vt supra docuimus, perfecti secundum substantiam, numerum orbium, magnitudinem, figuram, & aliarum partium dẽsitatem, aliarúmque raritatem: necessario efficitur, astra secundum materiam suam, quæ non est alia, quam substantia Cœli, & secundum figuram magnitudinem & densitatem à principio esse facta. Quid ergo his deerat? forma nempe, quæ principaliter dat rei, & esse & nomen. Est autem astri forma ipsa lux, quæ hoc quarto die illis data est, Deo partes illas Cœli densiores spissa luce complente, datus est illis præterea proprius motus, nam alio motu cietur Luna, & alio Mercurius, itémque alio sydera: siquidem ante hunc quat-

Quomodo sint astra cõdita luminis ratione & motus.

tum diem, Cœli non alio quàm vno primi Cœli motu communiter A
mouebantur, tertio loco data est astris vis & potentia varios &
mirabiles effectus producendi, ex motu proprio & luce cuiusque
Vielmius refellitur. astri proueniens. Censet Hieronymus Vielmius lectione vicesima
in Hexameron, hoc die partes Cœli euasuras in astra, fuisse à Deo
densatas, cum antea æquabiliter omnes essent raræ. Sed non ani-
maduertit, vir alioqui Theologiæ ac Philosophiæ doctus, cùm
Cœlum sit incorruptibile, eius materiam secundum magnitudinem
figuram densitatem ac raritatem, nullo modo posse variari. Dicit id
esse factum per Dei omnipotentiam. Sed superuacuè accersit mira-
cula, cùm sine his res non modo æquè bene, sed commodius etiam
explicari possit, quamquam non potest effugere illud incommodum
densato multis partibus Cœlo præsertim octauo, necessario factum B
esse minus quàm ante fuerat: quare inter ipsum & nonum Cœ-
lum, plurimum vacui esse relictum, quo interiecto fieri non pos-
se, vt octauum Cœlum cæteríque inferiores, motus noni Cœli &
primi mobilis sint participes, nisi fingat, quàtum aliquæ partes Cœ-
li sunt densatæ, tantumdem alias fuisse simul rarefactas, quod est si-
ne causa multiplicare miracula.

Obiectio & ad eam responsio. Sed dicet aliquis, primo die creata est lux Solis, vt nos supra
docuimus, & iam tunc Cœli habebant partes quasdam densiores:
quomodo igitur non eas tunc Sol luce sua illustrauit, atque ita fe-
cit, vt essent astra? Huic respondendum est, lucem illam primi diei
fuisse admodum tenuem, &, vt inquit Beda, similem luci aurora, C
ideóque non potuisse densas illas Cœli partes luce implendo, fa-
cere astra, quamquam non est certũ, quinetiam doctissimis viris fal-
sum videtur, reliqua astra non sua & propria luce, sed aliena tantum
& à Sole mutuata lucere, qualis verò & quam multiplex hoc die
quarto lucis Solis facta sit accessio, propterquam verè dicatur hoc
die Sol creatus, supra ostẽdimus, cũ opus primi diei explanaremus.

Cur astra sint creata post plãtas. Caeterum, cùm sydera, & quia sunt naturæ incorrupti-
bilis, & quia caussæ sunt rerum omnium sublunarium, sint tum
ordine naturæ, tum præstantia dignitatis priora plantis: cur ea
Deus post plentas condidit? Philo, Basilius, Ambrosius, Chrysosto-
mus, Theodoretus & hic & libro tertio Græcarum affectionum,
qui est de Dæmonibus, denique Beda in Hexameron ita respon- D
dent, *Ante Solem & sydera, & creatam fuisse lucem & stirpes, ne puta-
rent homines Solem esse primam, totámque causam lucis atque stirpium,
quod videant nunc & lucem manare ex Sole, & generationem ac perfectio-
nem stirpium ex eius luce motúque pendere, indeque ansam arriperent ido-
lolatriæ. Prouidebat enim Deus futuros qui visa pulchritudine Solis Lu-
næ & reliquorum astrorum, æstimatisque tot & tantis commoditatibus, quas
ex illis perpetuo & affatim capit humanum genus, eas stellas quasi deos
colerent & venerarentur.* Quocirca in molitione mundi ea prima
omnium creare noluit, vt cùm homines memoria repeterent &

cùm

A cùm animo suo reputarent mundi primordia, in quibus & lux & stirpes fuerunt ante sydera, intelligerent, quæ nunc ab illis pendere videntur, ea multo maximè pendere à Deo: nec stellis propter commoda, quæ ab illis accipiunt, sed Deo & honorem cultúmque adhibendum, & gratias esse agendas. Etenim nõ Gentiles modo sed Iudæos etiam prolapsos esse in eiusmodi errorem, satis indicant crebræ & admodum graues, quæ sunt apud Prophetas, reprehensiones Iudæorum adorantium Solem Orientem, & Lunæ tanquam reginæ Cœli sacrificantium, omnémque militiam Cœli venerantium & Moses aduersus hunc errorem prædocens ac præmuniens Hebræos monet eos Deuteronomij quarto, ne ob Solis, Lunæ,

Iudæos sæpe quondã in errorem colendi astra vt Deos esse prolapsos.

B astrorúmque omnium pulchritudinem, errore decepti, adorent & colant ea quæ Deus creauit in ministerium cunctis gentibus, quæ sub Cœlo sunt. Iob autem se ab hoc impietatis scelere purum semper, ac liberum fuisse gaudens, & quasi glorians in capite triceſimo primo sic ait, *Si vidi Solem cum fulgeret, & Lunam incedentem clarè, & lætatum est in abscondito cor meum, & osculatus sum manum meam ore meo: Quæ est iniquitas maxima, & negatio contra Deum altissimum.* Plato etiam in Cratylo docet, astra fuisse primos deos à priscis existimatos & cultos. Iuuat adscribere verba Sancti Leonis Papæ ad eamdem sententiam pertinentia ex homiliis eius de Natiuitate, quæ sic habent, *Absit*, inquit in secunda homilia, *ab animis Christianis impia superstitio, prodigiosúmque mendacium. vltra omnem modum distant à sempiterno temporalia, ab incorporeo incorporea, à dominatore subiecta, quæ etsi mirandam habent pulchritudinem, adorandam tamen non habent deitatem. Illa ergo virtus, illa est sapientia, illa est colenda maiestas, quæ vniuersitatem mundi creauit ex nihilo, & in quas voluit formas atque mensuras terrenam cœlestémque substantiam omnipotenti ratione produxit. Sol & Luna & sydera sint commoda vtentibus, sint speciosa cernentibus: sed ita, vt de illis gratiæ referantur auctori, & adoretur Deus, qui condidit, non creatura quæ seruit.* In 7. verò homil. sic ait Leo. *Adduntur & illi, qui totam humanæ vitæ conditionem de stellarum pendere effectibus mentiuntur, & quod est aut diuinæ voluntatis aut nostræ, indeclinabilium dicunt esse deorum: quæ tamẽ vt cumulatius noceant, sponden posse mutari, si illis quæ aduersantur sy-*

Astra sunt omnis diuinitatis expertia.

C

D *deribus supplicetur. Vnde commentum ipsum suâ ratione destruitur quia si prædicta non permanent, non sunt fata metuenda: si permanent, nũ sunt astra veneranda. De talibus institutis etiam illa generatur impietas, vt Sol inchoatione diurnæ lucis exurgens, à quibusdam insipientioribus de locis eminentioribus adoretur: quod nonnulli etiã Christiani adeo se religiosé facere putant, vt priusquam ad beati Petri apostoli basilicam, quæ vni Deo viuo & vero est dedicata perueniant, superatis gradibus quibus ad suggestũ areæ superioris ascẽditur conuerso corpore ad nascentẽ se Solem reflectant, & curuatis cernicibus in honorem se splendidi orbis inclinent, quod fieri partim ignorãtiæ vitio, partim paganitatis spiritu, multũ tabescimus & dolemus. Quia etsi quidam forte Creatorem potius pulchri luminis, quàm ipsum lumen quod est creaturæ venerantur:*

rantur abstinendum tamen est ab ipsâ huiusmodi specie officij, quam cùm in A
nostris inuenerit, qui Deorum cultum reliquit nónne hanc secum partem opi-
nionis vetustæ tanquam probabilem retentabit, quam Christianis & impiis
viderit esse communem? Hæc Leo.

Cur sydera creata sint ante animalia secundũ Theodoretum.

SED cur Deus sydera creauit ante animalia? Theodoretus quæstione 16. in Genesim respondet, animalia sensum habentia oculorum, excellentiam & exuperantiam illius primæ lucis sustinere non potuisse: postquam autem illa lux dispertita est in tot astra quarto die facta tolerabilem oculis animantium splendorem reddidisse: genus autem stirpium prorsus omnis sensus expers est. Respondent alij tres posteriores dies pertinuisse ad ornatum & complementum mundi, quare par fuisse, vt primum omnium corporum B
Philo in libro de mundi opificio. mundi, quod est Cœlum, ante alia quarto hoc die compleretur & ornaretur sydetibus. Sed cur potissimum Deus quarto die astra omnia creare voluit? *Ad declarandum*, inquit Philo, *huius operis singularem præstantiam & dignitatem Symbolo numeri quaternarij*: Cuius virtutes & laudes, & alij subtiliter tractant, & Philo bene longa oratione prosequitur.

Secũdum Bedã, Sol creatus est 21 die Martij.

QVID autem factum sit de ea luce, quæ primo die creata est, an euanuerit creato Sole: an Soli fuerit impressa, vt sentit Basilius & Damascenus, an in omnia sydera, quæ quarto die facta sunt distributa & dispertita sit vt placet Theodoreto, an lux illa fuerit nubes quædam lucens, ex qua postmodum die quarto formatus fit Sol, vt C
visum est Bedæ, Hugoni, Magistro sententiarum, aliisque permultis an auctore Dionysio Areopagita, lux illa non fuerit alia, quàm lux Solis, sed prius informis tamen & imperfecta, quæ hoc die quarto perfectius formata consummatáque sit, nos superius explanando primi diei opere, satis diligenter & enucleatè tractauimus.

An luna creata sit in plenilunio, an in nouilunio.

TRADIT Beda in Hexameron, & fusius in lib. de Ratione temporum hoc, quarto die, qui fuit Mercurij & duodecimus Kalendas Aprilis, hoc est, vigesimus primus Martij, Solem exortu suo quartam Arietis partem ingressum, primum æquinoctium vernum consecrasse: quocirca primum mundi diem fuisse decimumquintum Kalendas Aprilis, hoc est, decimumoctauum diem Martij. His addit D
Beda, Lunam creatam esse in plenilunio, quod sit admodum credibile factam esse à Deo in statu perfecto qui est plenilunij neque enim conueniebat imperfectam creari primam Lunam, præsertim cùm Moses dicat. *Deum fecisse Lunam vt præesset nocti*, hoc est, ad illuminandam noctem: nisi autem plenilunij tempore, Luna noctem plenè & perfectè non illuminat, Ex aduerso contendunt alij, Lunæ primo exorientis lumen fuisse imperfectum, tale nimirum quale habere solet in nouilunio: nam cum Luna menses cursu suo definiat, congruum fuit à prima Lunaprimi mensis initium fieri: Si autem creata esset in plenilunio, non primus, sed decimus quintus primi mensis dies ille fuisset. Augustinus libro secundo de

Genesi

A Genesi ad litteram capite decimoquinto neutrum horum asseueranter probare, aut reprobare audet, quod neutra opinio vel necessariis rationibus, vel manifestis Scripturę testimoniis nitatur. Iustinus Martyr in respondēdo ad quæstionem 60. Orthodoxorum, cur post creatam primo die lucem, quarto die astra sint condita? ita respondet, vt vel sententia eius falsa sit, vel necesse sit locum illum esse insigniter vitiatum atque deprauatum.

Quanta sit solis magnitudo variæ Philosophorū sententiæ.

CAETERVM quoniam hoc loco Scriptura docet, fecisse Deum duo luminaria magna, Solem dico & Lunam: de eorum syderum magnitudine, quatenus ad locum hunc illustrandum sit satis, disserere, non erit proposito nostro alienum. De Solis magnitudine va-
B riæ fuerunt olim Philosophorum sententiæ, quas refert Plutarchus libri vndecimi de placitis Philosophorum capite vigesimo primo, Anaximander astrum Solis æquale fecit terræ, orbem autem in quo circumuehitur, septies & vicies terra maiorē: Anaxagoras maiorem dixit esse Poloponesso: Heraclitus, latitudine pedali: Epicurus, aut esse tantum quantus apparet (quam opinionem etiam Heraclito affingit Laërtius) aut paulò maiorem minorémve. Sed eius ingens magnitudo necessariis Mathematicorum rationibus exploratè percepta, in confesso est apud omnes, tantùm non doctrinæ rudes & expertes. Principio: magnitudo eius intelligitur ex comparatione eius cum terra, cuius simul & aquæ vniuersum globum centies sexagies
C sexies excedit. Tum, idem palam fit contētione eius facta cum aliis syderibus: nam stellarum quas vocant Astrologi primæ magnitudinis, & quindecim tantùm in octauo Cœlo numerant, quælibet terræ magnitudinem continet non amplius quàm centies & septies. Quanto autem amplior sit quàm Luna, vix credi potest: nam esse maiorem ipsa sexies millies & quingenties supérque tricies nouies, demonstrationibus nihil dubij relinquentibus, compertum habere se Mathematici profitentur. Illud quoque indicium facit quantam Sol habeat lucis copiam, quod solus ipse præsentia sua clarissimum diem facit, omnibus nocturnis tenebris penitus discussis atque sublatis: id quod ne omnium quidem cæterorum syderum simul præsentium coniuncta lux præstare potest, vt quæ non ex toto, sed ex aliqua
D tantùm parte noctis obscuritatem diluere valeant. Adiice etiam, Solem præsentia sua reliquorum astrorum præstringere & occultare claritatem.

Vtrum à Sole astra omnia lucē accipiāt.

AMBIGVNT viri docti, vtrum Sol sit fons omnis lucis cœlestis cunctáque astra lucem, quam habent omnem, ei ferant acceptam. ita enim visum est Auicennæ, Alberto Magno, Bedæ, & Astrologorum ac Theologorum non paucis. Plinius certè libri secundi capite sexto, *Solem* ait *lumen cæteris syderibus fœnerari.* nam cùm astrorum omnium similem esse naturam, parémque rationem conueniat manifestum autem sit Lunam accipere lumen à Sole, itidem facere reliquas stellas existimandum est ad hunc enim modum ex rotun-

ditate lunæ omnia sydera esse rotunda, in secundo libro de Cœlo, A
text.59.argumentatur Aristoteles. Hugo in libro Annotationum in Genesim cap.6. *Solum*, inquit, *solem propriam habere lucem, & ipsum ex igne esse factum: reliquas verò stellas omnes ex aëria materia factas relucere potius quam lucere.* Verùm hoc limatioris iudicij Philosophis nequaquam probatur: nec sanè vllo satis probabili argumento persuaderi potest. Non enim par est ratio lunæ cæterorúmque syderum, nec rotunditatis astri atque receptionis luminis eius: nec fit verisimile immensam illam choream cœlestium ignium in octauo cœlo, videlicet multò nobiliori, quàm est orbis solis, mirabili pulchritudine micantium à sole lumen omne suum mutuari & emendicare. Præsertim autem cùm videatur rationi consentaneum, astra illa, quæ longè diuersas vires & effectus habere videntur, dissimilem quoque lucis B
rationem obtinere. B. Augustinus libro secundo de Genesi ad litteram,cap.16.ait: *ex diuina Scriptura manifesto cognosci disparem esse syderum claritatem, dicente Apostolo prioris Epistolæ ad Corinthios capite 15. Aliam esse claritatem solis,aliam lunæ, & aliam stellarum,& stellam differre à stella in claritate.* Vtrum autem stellæ lumen à sole accipiant necne, ex sacris litteris colligi & constitui non potest. Mox subdit Augustinus: *quibusdam visum esse, quasdam in cœlo stellas maiores esse quàm solem; quod tamen falsum esse, non rationibus tantùm Mathematicis patet, sed etiam in libro Ecclesiastici arguit sacra Scriptura. Quid,* inquit, *lucidius sole? Constat porrò ea ratione maximum Astrorum esse solem, quod huius nostratis mundi conseruationem, moderationem, & omnimodam mutationem plus ab vno sole, C
quam à cæteris omnibus astris pendere experimur.* Verùm de solis præstantia, eiúsque lucis per quam multiplici & admiranda vi & potentia, in libro de diuinis uominibus, cap.1.parte 4.diuinè philosophatur Dionysius.

Vtrum luna post solem sit omnium syderũ maxima

Sed quia Moses hoc loco Solem & Lunam vocat duo luminaria magna, posset fortassis quispiam existimare, secundum Solem, esse Lunam reliquorum syderum maximam. Basilius quidẽ certè in enarrando hunc locum Genes. apertis verbis docet, post solem maximum cœli Astrum esse Lunam. Idémque lib.2. de Genesi ad litteram cap.16. Augustinus colligit ex ipsa Scriptura, quæ hoc loco solem & Lunam appellat luminaria magna. *Certè*, inquit, *vel hoc concedant* D
oculis nostris, vt ea duo sydera, manifestum sit amplius cæteris lucere super terram, nec diem clarescere nisi luce Solis, nec noctem tot stellis fulgentibus ita lucere, si Luna desit: quemadmodum præsentia illius illustratur. Verum secus esse docent Mathematici, apud quos omnes stellas inerrantes visu insignes & notabiles, quæ duæ, ac viginti milléque numerantur longe maiores esse constat, quàm Lunam: quippe quæ tricies nonies minor est quàm terra, cuius tamen molem supradictæ stellæ octies ac decies superant: ex planetis autem, præter vnum Mercurium, reliqui maiores sunt Luna: Itaque vt Sol maximus est omnium syderum ita minimus est Mercurius, & post eum Luna. Cur igitur Luna &

cæteris

A cæteris Astris maior, & soli propemodũ par videtur nobis? nimirum, quod citima & vicinissima terræ sit: quamobrem & ingens cæterorum à terris distantia, & proxima nobis Lunæ vicinitas, tantam facit apparentiæ dissimilitudinem. At enim si Luna, vno excepto Mercurio, re vera syderum omnium est minima, quæret aliquis cur eam diuina Scriptura luminare magnum appellet? An quia maior cæteris oculorum iudicio & vulgi existimatione censetur? An dicitur magnum luminare propter id, cuius causa Deus eam instituit? scilicet, vt illuminaret noctem, in hoc enim cæteris astris antecedit. An quia vires & effectus eius in elementis, metallis, stirpibus, animantibus, & humano corpore insigniores & illustriores sunt, quàm cæterorum (vnum excipio Solem) syderum? An denique in eo quod est esse in tempora, signa, dies, menses & annos, post solem præcellit Luna reliquis Astris? præsertim apud Iudæos, qui distinctionem temporum non mensium modo, sed annorum etiam & rationem dierum festorum, quos agebant variis anni temporibus, ex Luna petebant: sicut exponitur in libro Ecclesiastici cap. 43. illis verbis: *Luna in omnibus in tempore suo, ostensio temporis, & signum æui. A luna signum diei festi luminare quod minuitur in consummatione.*

Cur luna cũ re vera sit fere syderũ omniũ minima, vno tamẽ excepto sole, videatur maxima, & luminare magnum à Mose appellatur.

B

C

Sed cur Moses, vt solis, & Lunæ, non itidem aliorum quinque planetarum hoc loco meminit? An quia in commemoratione Solis & Lunæ eos intelligi voluit? An quod eos vno stellarum generali vocabulo comprehendit? An potiùs, quia non nisi doctis hominibus eorum proprius motus, effectus, vsus, & differentia à cæteris Astris nota est, propterea eos hic recensere supersedit? Certè illorum quinque solius Luciferi, quod est sydus Veneris, in Scriptura mentio fit apud Isaiam & Iob. Multa hic de Astris disputari possent præclara sanè cognitúque, ac memoratu dignissima, multa item de diuinatione quæ petitur ex Astris, quam voluere quidam fulcire & ornare auctoritate Mosis, qui tradit hoc loco: *Deum fecisse Astra vt essent in tempora, dies atque annos, & in signa*, videlicet ad prænoscenda & prænuncianda futura. Verùm hæc, quia nec in angustum coarctari, nec in transcursu dici, sed cum subtilitate & cura tractari debent, commodius alio libro, qui proximè hunc sequetur, in quo nos de cœlis & syderibus latissimè agemus, separatim explicabuntur.

Cur de septem planetis duorum tantum, id est: solis ac lunæ, hoc loco meminerit Moses.
Esaiæ 14.
Iob 38.

D

***

OPVS

OPVS QVINTI DIEI.

VERS. 20. *Dixit etiam Deus, producant aquæ reptile animæ viuentis, & volatile super terram sub firmamento Cœli. Creauitque Deus cete grandia, & cætera.*

Primis tribus diebus tria prima corpora creata, tribus sequentibus ornata fuerunt.

PRIMIS tribus diebus distinxit Deus mundum hoc est, tria prima corpora, cœlum, aquã, & terram. Nam primo die facta luce, distinxit diem à nocte, & lumẽ à tenebris: in secundo die per firmamentum separauit aquas cœlestes ab aquis terrestribus: in tertia die aquam segregauit à terra, nam stirpes tũc productæ, velut partes terræ censentur, quippe cùm terræ radicibus suis infixæ, ex ea oriantur, alantur & augescant. Reliquis autem tribus diebus eadem tria corpora, eorum conditor Deus, & ornauit, & variis rerum generibus repleuit, eumdem prorsus ordinem seruans: quarto enim die cœlum syderibus, quinto aquam piscibus, sexto die terram animantibus terrestribus condecorauit atque compleuit. Ob hanc autem causam creata prius sunt aquatilia, quàm terrestria, quãuis etiam ordine generationis, quæ sunt imperfectiora, præmittere soleat natura. Sunt autem pisces ex toto genere imperfectiores, quàm terrestres animantes: non sanè quia pisces memoria careant, vt dicit Basilius homilia in Genesim octaua, hoc enim merito refellit Augustinus libro tertio, de Genesi ad litteram capite octauo, contrarium docente experientia, & ratione qua probatur, quibuscumque animantibus est datus motus localis, quo necessaria degendæ vitæ quærerentur, atque compararentur, his necessariam fuisse memoriam, ne motus eorum vagus & incertus ageretur. Sunt igitur pisces imperfectiores, vt multis argumentis patet: etenim temperamentum corporis eorum multò imperfectius esse, indicium est exiguum alimentum, quod præbent pisces: quamobrem etiam ieiunantibus & macerationi corporis intentis, quibus esus animalium terrestrium interdicitur, esus tamen piscium conceditur. In piscibus quoque obscurior est figuratio & digestio membrorum. Deinde omnes sensus tam interiores, quàm exteriores, imbecilles & imperfectos habẽt pisces, cùm degant in aqua, quæ crassius est corpus quàm aër. Ad hoc, numquã possunt pisces ab homine mansue fieri, nec se ab eo contrectare sinũt, nec possũt quicquã cõdocefieri, nec humanę cõsuetudinis & societatis sunt capaces: excipio paucos quosdã, velut Delphinũ, de cuius

Basilium dicentem pisces carere memoria: refellit S. Augustinus.

Pisces cur ieiunãtibus cõcedantur.

A cuius docilitate & amore erga homines, & cum hominibus societate ac consuetudine, mira narrant cùm alij, tum Plinius libro nono, capite octauo, & Plutarchus in libro in quo disputat, vtrum ratio sit in brutis, & vtrum plus rationis sit in aquatilibus quàm in terrestribus.

CAIETANVS, pisces imperfectiores esse terrestribus animalibus, eo probat argumento, quod totum genus piscium est ouiparum, nec vlla ex parte viuiparum, terrestrium autem permulta sunt viuipara. Sed hoc esse falsum, demonstrat Basilius homilia septima duo faciens genera piscium viuiparorum, videlicet Cartilaginata & cetaria, vti sunt delphini & vitulus marinus. Plinius libro nono capite decimo tertio, de piscibus loquens. *Quæ*, inquit, *pilo vestiuntur, animal pariunt, vt pristis, balæna, vitulus.* Et capite 51. eiusdem libri. *Torpedo*, ait, *octogenos fœtus habens inuenitur: eaq; intra se parit oua præmollia, in alium locum vteri transferens, atque ibi excludens.* Simili modo omnia, quæ cartilaginea appellauimus. Ita fit, vt sola piscium, & animal pariant, & oua concipiant. Philo tradit, propterea quinto die cœpisse creationem animalium, quod animal sit animal propter sensum: quinque autem esse sensus, qui numerus congruit cum die quinto, quo creari animalia cœperunt. Verùm friuola est ratio, nam nec animal, vt sit animal, opus habet quinque sensibus, sed solo tactu, quo vno cùm prædita sint quædam animalia, cæteris sensibus carent & præter quinque sensus externos, sunt alij sensus interiores in perfectis animalibus. Sanctus Augustinus libro tertio de Genesi ad litteram capite quarto, existimat hoc quinto die non esse creatos pisces actu, sed tantummodo causaliter & potentialiter, data nimirum tunc aquis potestate pisces suo tempore procreandi. Verùm hoc minimè concordat cum narratione Mosis, qui ait aquam produxisse die quinto omnia piscium genera, nec aliter hic loquitur quàm supra de productione lucis firmamenti & stellarum. Adde, quod si nunc non sunt actu creati à Deo pisces, præsertim perfecti, nunquam posteà generati à natura potuissent, quippe qui nō nisi à suis similibus naturaliter generari possunt. Deus autem post hos sex dies, siuit naturam cuiusque rei ab ipso conditæ, naturaliter seipsam conseruare atque propagare, nam â modo D productionis rerum immediatè à Deo per ipsius omnipotentiam, Deus requieuit die septimo.

Caietanus in Genesim.

Philo in libr. de Mūdi opificio.

Secundū Augustin. quinto die non sunt actu creati pisces.

QVOD autem hoc loco secundum Latinam lectionem legitur: *Producant aquæ reptile*, maiorem emphasim habet in Hebræo. Est enim verbum שרץ *Saras*, significans non quamlibet productionem sed in maxima copia, vbertate & abundantia, ceu scaturiginem & ebullitionem quandam: Vt vel hinc probetur vulgo iactata opinio, & à sapientibus confirmata, multo vberiorem & copiosiorem esse piscium quàm cæterorum animalium generationem: cuius satis manifestum signum est, ingens copia ouorum quæ in piscibus in-

Numerosiorē & multiformiorem esse aquatilium quàm terrestriū animantium generationem.

uenitur, quo licet intelligere piscium quàm aliorum animalium, & A multitudinem & varietatem esse maiorem. Quod etiam testatur Aristoteles lib.3.de Generatione animalium, cap.11.his verbis. *Hinc etiam fit, vt multiformiora sint quæ in humore gignuntur quàm quæ in terra, humor enim naturam habet ad effingendum efformandumq; habiliorem quàm terra.* His consentanea c.2.libri noni scribit Plinius: nam cùm dixisset quæ sunt in aquis, & plura & maiora esse terrestribus, subdit: *Causa*, inquit, *euidens est, humoris luxuria: pleraq; etiam monstrifica reperiuntur, perplexis, & in semet aliter atque aliter nunc flatu, nunc fluctu conuolutis seminibus atque principiis: vt vera fiat vulgi opinio, quicquid nascatur in parte naturæ vlla, & in mari esse, præterque multa, quæ nusquam alibi.* Hæc Plinius, quibus consona sunt quæ Dauid cecinit in Psalmo 103. *Hoc mare magnum & spatiosum manibus, illic reptilia, quorum non est numerus.* B

Cur pisces nominentur reptilia.

Sed cur Latinus Interpres pisces appellauit rēptilia, cum id solis terrestribus conuenire videatur? haud dubiè secutus est Septuaginta Interpretes, qui Græcè verterunt τὰ ἑρπετα, hoc est, Latinè *Reptilia.* Sed Bonauentura in 2.sent. distinctione decimaquinta, ita distinguit reptile. *Animal omne*, inquit, *quod mouetur, aut mouetur impellendo se in anteriora, idq; facit vel pedibus & est gressile, vel alis & est volatile: aut mouetur se ipsum trahendo antrorsum, idq; fieri potest quattuor modis: vel vt trahat se vi oris sicut vermes: vel vi costarum & ventris sicut serpentes: vel vi pinnularum vt pisces: vel denique dicuntur repere non propriè, sicut lacertæ & stelliones, qui licet pedes habeant, exiguos tamen habent, & parum se attollunt humo, magnamq; partem corporis dum mouentur applicant terræ: quocirca etiam ista repere dicuntur.* C Vide Hugonem in libro annotationum in Genesim capite 7. vbi tria facit reptilium genera. Pisces igitur quia similiter quodammodo mouentur in aquis, vt quæ verè reptilia sunt in terris, propterea Latinus Interpres & LXX. appellarunt reptilia, quamuis Hebræum vocabulum non hoc propriè significet.

Circa illud autem: *Creauit Deus cete grandia*, sciendum est, pro *Cete*, Hebraicè esse תנינים *Hataninim*, quæ vox significat dracones: eodem autem nomine dracones terrestres, atque marini appellantur neque cete ac maximi pisces aliud videntur esse in aquis, quàm dracones ac serpentes in terra. Inuenimus alibi in Scriptura ingentes pisces nominari dracones, sicut Psalmo centesimo quadragesimo octauo; *Dracones & omnes abyssi*, & Isaiæ vigesimoseptimo, dicitur: *Interficiet cetum qui in mari est*, quo significatur is qui latè maris imperium tenebat, & Ezechielis trigesimo secundo de Pharaone rege Ægypti loquens: *Draconi*, inquit, *qui est in mari, assimilatus es:* & capite vigesimo nono. *Ecce ego ad te Pharao rex Ægypti draco magne: qui cubas in medio fluminum tuorum, &c.* Non igitur per Cete vna aliqua species piscium intelligitur, sed omnes grandioris formæ & vastioris corporis pisces. Meminit autem potissimum draconum seu cetorum Moses vt tolleret errorem existimantium (sic placet Caietano) eiusmodi anima

Quod genus piscium sint cete.

Caietanus in Genesim.

A animalia non esse facta ex consilio & proposito Dei, sed per accidens tanquam ex necessitate materiæ: aut, vt si scias Deum ingentium maris bestiarum creatorem esse, multo facilius creditu sit idem in cæteris minoribus.

At enim quæret aliquis, cur non vt in aquatilibus, itidem quoque in plantis & animalibus terrestribus propriè & nominatim aliquarum specierum mentionem fecerit Moses? Respondent quidam, quod non ita in aliis vt in piscibus inueniantur quę tam prodigiosam & vix credibilem corporis molem habeant. Balænæ namque, vt Basilius & Theodoretus aiunt, cum super aquas dorsum efferunt, ingentis insulæ speciem exhibent. Plinius libro nono, capite trigesimo scribit: Balænas maris Indici quaternum iugerum esse: Pristes ducenum
B cubitorum: anguillas verò in Gange trecenum pedum. Et libro trigesimo secũdo, capite primo citat Iubam regem Mauritaniæ, qui in voluminibus ad Caium Cæsarem Augusti filium scriptis tradit, cetos sexcentorum pedum longitudinis, & trecentorum sexaginta latitudinis in Arabicum flumen intrare. Verùm non minoris proceritatis arbores inueniri, patet ex his quæ scribit Plinius libro decimosexto, capite 40. & ex his quæ de Indicis arboribus tam Strabo quàm Plinius prodiderunt. Certè libro nono capite 12. 13. 14. mira scribit Plinius de magnitudine draconum & serpentium: ait dracones Indicos tantæ magnitudinis esse, vt maximos elephantos circumplexu facilè ambiant, nexuque nodi perstringant: Æthiopicos autem vicenum
C esse cubitorum: Serpentes autem Indicos in tantam magnitudinem adolescere, solidos vt hauriant ceruos, tantosque, Megasthenis testimonio confirmat. Nota est ad flumen Bagradam à Regulo imperatore balistis tormentisque, vt oppidum aliquod, expugnata serpens centum viginti pedum longitudinis. Mirum sanè videtur quod refert Ælianus libro decimo quinto Historiæ animalium, capire vigesimo primo. *Alexander*, inquit, *cùm alia pleraque animalia apud Indos inuenit, tum draconem, quem quia sacrum in antro quodam Indi existimarent & summa religione colerent, idcirco precibus Alexandrum obsecrarunt, ne in illum ipsum inuaderet: quod quidem ipsum ille annuit. At enim draco cum exercitus strepitum sensit (quod sit animal, tum audiendi tum videndi acerrimo atque acutissimo sensu*
D *præditum) maximo sibilo & summo afflatu edito, omnes exterruit & perturbauit, septuaginta cubita longus esse existimabatur: neque enim eis totus apparuit, sed illius solum caput ex antro eminuit: eius oculi ad magni clypei Macedonici magnitudinem accessisse dicuntur.* Hæc ibi Ælianus.

Enormis quorũdam piscium magnitudo.

Quibus haud dissimilia, libri vigesimi primi suæ Historiæ Septentrionalis capite quadragesimo quarto Olaus Magnus commemorat. Nihilominus tamen, maiora esse in aquis quàm in terra animalia, & veterum testantur historię, hodieque confirmat experientia, & vbertas materiæ aqueæ habilitasque ad quantumuis extensionem ita esse suadet.

Quid significet Deũ benedixisse piscibus.

AD declarandam autem tantam piscium molem & multiplicationem, peculiariter dicitur Deus benedixisse piscibus, dicens, *Crescite & multiplicamini*, benedictio autem Hebraicè dicitur ברך *Barach*, qua voce copia & affluentia designatur, videlicet ad indicandam propè infinitam piscium multitudinem ac varietatem. Hebræi tamen dicunt propterea non terrestribus sed aquatilibus benedixisse Deum, quod in illis esset serpens mox maledicendus. Origenes putat illud: *Crescite*, pertinere ad incrementum corporis: illud autem. *Multiplicamini*, ad multitudinis amplificationem, quæ fit per propagationem. Sed non rectè: nam pro *Crescite*, est, פרו *Peru*, id est, fructificate: talis enim est proles animalis, qualis est fructus arboris. De variis generibus piscium, & de miraculis quæ in hoc genere animalium reperiuntur, consulat lector Plinium libr. 9. & 32. necnon Isidorum libro 12. Etymologiarum cap. 6. quo loco cunctorum aquatilium species, centum quadraginta quattuor secundum Plinium tradũtur, quamquam ipse Plinius libro 9. capite 14. piscium species esse inquit 74. præter crustis intecta quorum triginta sunt species. Sed isti loquuntur de piscibus & suo tempore & sibi tantum notis. Auctor libri 4. Esdræ c. 6. nescio quam fabulam tradit de duobus piscibus à Deo creatis, alterum appellat Enoch, alterum Leuiathan, Certè scriptura tam apud Isaiam quam apud Iob ingentis molis & admirandæ magnitudinis piscem appellat Leuiathan, nam & LXX. Interpretes illis in locis Græcè verterunt *cete*.

Quomodo dicãtur pisces producti ex aqua.

ILLVD porrò quod Moses air, pisces esse productos ex aquis, quæri potest quemadmodum sit intelligendum. An vt significetur pisces esse productos ex aquis tãquam ex materia, an tanquam à causa efficiẽte? neutro autem modo videtur id esse verum. Etenim pisces cum sint mista perfecta non ex sola aqua constant, sed ex quattuor elementis, nec in illis aqua, sed terra præcellit cæteris, sicut Aristoteles tradit libro secundo de Generatione & corruptione textu quinquagesimo primo. Nec verò aqua verè dicetur effectrix & procreatrix piscium: quippe multa sunt genera piscium qui tantum ex semine, nec nisi ab aliis sui similibus secundum speciem generantur. Verùm, ad hoc respondendum est, pisces dici à Mose productos ex aquis tanquam ex materia: non quod ex aqua sola soleant aut etiam possint naturali via & ratione generari, sed quod in illis præpolleat aqua, non quidem quantum ad grauitatem, sed quantum ad humiditatem & frigiditatem & ratione temperamenti piscium quod est plane Aqueum: & quod aqua sit naturalis eorum locus habitationis, generationis, & conseruationis, extra quem nec gigni, nec bene habere, nec naturales actiones suas exercere, nec vitam tueri queant. Primi autem illi pisces proximè à Deo ex sola materia aquæ generati sunt, additis tamen ei materiæ reliquorum elementorum formis & qualitatibus.

CÆTE

A CÆTERVM, ingentem nec facile explicabilem difficultatem continet, quod Latinus interpres hoc loco secutus proculdubio Septuaginta Interpretes, sic habet: *Producant aquæ reptile animæ viuentis & volatile super terram sub firmamento cœli*, quibus verbis significari videtur hoc quinto die vt pisces, ita quoque volucres ex eodem aquæ elemento esse factas. Atque ita propemodum omnes Ecclesiastici scriptores tam antiqui quàm recentiores sentiunt, itaque locum hunc interpretantur. Sed Rupertus in primo libro de Operibus Trinitatis capite quinquagesimo, aduersus hunc sensum verborum Mosis, quem ipse probat, obiicit hoc: Si aues similiter vt pisces productæ fuissent ex aquis, similiter quoque vt illi degere deberent in aquis, cùm tamen omnes vel in aëre vel in terra degant. Ad hoc ita B respondet: non esse productas aues ex densa materia aquæ qualis est eius quæ propriè appellatur aqua, sed ex aqua tenuiori ac velut nebulosa: ita vt per aquam hoc loco, intelligenda sit non modo quæ vulgò & propriè dicitur aqua, hoc est, corpus liquidum & fluidum, sed etiam tenuior aqua qualis est vapor vel nubes. Idem tradit Augustinus libro tertio de Genesi ad litteram, capite tertio, ait enim, vocabulo aquæ intelligi debere aërem proximum terræ in quo volant aues qui totus aqueus est, tum propter vapores ex terra & aquis per aërem elatos in sublime, tum propter tam frequentem imbrium delapsum in terras. *Quicquid ergo aquarum*, inquit Augustinus, *siue labiliter vndosum & fluidum est, siue vaporabiliter tenuatum atque suspensum, vt illud reptilibus animarum viuarum, hoc volatilibus appareat distributum, vtrumque tamen humidæ naturæ deputatur.* Hæc Augustinus. Idem C significat Beatus Thomas prima parte, quæstione septuagesima prima, articulo primo. Eugubinus in Cosmopœia censet, tam aues quàm pisces primam habuisse originem ex aqua elementari, ex qua putat etiam aërem primo esse productum. Quamuis autem prima effectio auium ex aquis prouenerit, quæ tamen deinceps consecuta est earum generatio & propagatio, non ex aquis fit, sed ex propriis quæque seminibus atque principiis. Quod tamen etiam nunc permultas aues in aquis degere, & propter aquas generari constet, primæ auium originis & productionis ex aquis argumentum est. D Hoc etiam innuit Hieronymus in Epistola octuagesimatertia, quam scripsit ad Oceanum, illis verbis: *Primum de aquis quod viuit egreditur, & pennatos fideles de terra ad cœlum leuat.* In hac quoque sententia videtur fuisse Sanctus Ambrosius auctor eius hymni, qui feria quinta in Vesperis canitur:

Disputatio vtrum aues creatæ sint ex aqua.

Magnæ Deus potentiæ,
Qui ex aquis ortum genus,
Partim remittis gurgiti,
Partim leuas in aëra:

Demersa lymphis imprimens,
Subuecta cœlis irrogans,
Vti stirpe vna prodita,
Diuersa rapiant loca.

AB hac tamen communi doctrina & sententia, Caietanus & Catharinus atque Hieronymus Vielmius lectione vigesima secunda in Hexameron discesserunt: nec sanè inscienter aut temere, siquidem tum in textu Hebraico, tum in paraphrasi Chaldaica multo secus est hoc loco, quàm in Latina versione, & longè diuersa redditur sententia: Hebræa quidem si Latinè reddantur ad verbum, hoc sonant: *Repere faciant aquæ reptile animæ viuentis, & volatile volet super terram super faciem extensionis cœli.* Paraphrasis Chaldaica sic habet: *Mouere faciant aquæ reptile animæ viuentis, & auis volitet super terram iuxta faciem expãsi cœlorum.* Hinc apparet, Mosem hoc loco non tradere, aues ex aquis esse productas: quinimo eas ex terra esse factas, apertissimis verbis docet ipse c. 2. huius libri in quo tam Habraicè quàm Chaldaicè, Græcè ac Latinè ita legitur: *Formatis igitur Dominus Deus de humo cunctis animantibus terræ, & vniuersis volatilibus cœli, adduxit ea ad Adam*, & quæ sequuntur: ex quo perspicitur, aues similiter vt terrestres animantes è terra esse generatas. Sanctus Augustinus capite primo, libri noni, de Genesi ad litteram dupliciter conatur respondere ad hoc Scripturæ testimonium. Primo ait, illud: *Ex humo*, pertinere ad terrestres animantes tantùm, non autem ad volucres. Sed obstat coniunctio: *Et*, ostendens illud: *Ex humo*, coniunctè intelligendum esse de terrestribus & volatilibus. Deinde inquit nomine terræ nonnunquam in Scriptura significari cum terra etiam ipsam aquam, verùm nec hoc ipse benè probat, vt patet consideranti testimonia quæ affert: nec vt ita esset, iuuaret eius sententiam. Quippe vult ipse aues generatas esse ex aëre nebuloso & vaporoso, qui vocabulo terræ nusquam significatur, vt aqua quæ labitur per terram & in ipsa continetur, vnum cum ipsa corpus efficientes. Et verò, in cæteris Dei operibus, videlicet in astris, piscibus, terrenis animalibus, atque in ipso homine, cernitur magna quædam conuenientia inter rem productam & elementum ex quo vel in quo producta esse dicitur: velut inter sydera & cœlum, inter pisces & aquam, inter animantes terrestres & terram, inter aues autem & aquam, nulla est conuenientia: nã nec in aquis generantur aut viuunt aues, nec earum temperamentum corporis est aqueum, sed terreum vel potius aërium. Atque hoc etiam fidem habet ex eo quod vt Moses hoc loco refert, iussit Deus aues multiplicari non in aquis sicut pisces, sed super terram: Scriptura item aues non aquæ, sed cœli, id est, aëris, volucres appellat. Præterea sententia est Theologorum, tribus his posterioribus diebus in vno quoque elemento creata esse à Deo ea quibus illud elementum ornatur & impletur: at volucres seu aues, non aquam sed aërem ornant & implent, vt potius ex aëre quàm ex aqua creari debuerint. Quare vt hanc sententiam quæ verissima est, etiam Latina translatio exprimat, cùm dicit hoc loco: *Producant aquæ reptile animæ viuentis, & volatile super terram*: in illo: *Et volatile*, non est intelligendum repeti illud, *Producant aquæ*, quemadmodum plerique

Aues non ex aquis, sed ex terra esse creatas.

Conuenientia magna inter rẽ productam & elementum ex quo producitur.

Sententia Theologorũ de his quæ tribus vltimis diebus creata sunt.

A plerique existimarunt, sed supplendum est verbum *Volet*, sicut habet Hebræa & Chaldaica lectio. Nam si repeteretur & intelligeretur verbum illud *Producat*, inepta profecto redderetur sententia: quomodo enim produceret aqua aues super terram, quæ aquis supereminet? & quorsum producant aquæ aues sub firmamento cœli? annon etiam pisces & cæteræ animantes sunt sub firmamento cœli? Si autem intelligatur verbum *Volet*, quod est in Hebræo, rectissima & planissima est sententia.

Duæ obiectiones.

VERVMTAMEN, ex his duæ existunt dubitationes: Vna est, si aues non sunt productę ex aquis sicut pisces, cur Moses narrans productionem aquatilium, mentionem fecit volatilium? altera est, cur hic non expressit Moses aues esse productas ex terra: sicut pisces ex aquis?

B Sed prior dubitatio ad hunc modum explicatur. Aues eodem die quo pisces sunt factæ, vt perspicuè docet Moses, cum ait: *Creauit Deus cete grandia, & omnem animam viuentem atque motabilem, quam produxerant aquæ in species suas, & omne volatile secundum genus suum.* Nam si quinto die non essent factæ aues, sed die sexto, nulla erat ratio, quare die quinto Moses mentionem faceret auium ante earum creationem: præsertim cùm die sexto nullũ fiat verbum de creatione auium, nec fuerit conueniens eam omninô prætermitti à Mose. Deinde, magna est similitudo, magnaque cognatio inter aues & pisces. Siue spectes vtrorumque locum naturalem, hoc est, aquam & aërem: ambo enim sunt corpora diaphana, humida, agitabilia, quæ facile cedunt: aër item plenus

Multiplex similitudo & analogia inter pisces & aues.

C est humore aqueo, & in aquam promptissimè mutabilis. Siue consideres vtriusque generis animantium conformationem corporis, vtrique inest leuitas & agilitas: magna est similitudo inter pinnas piscium & alas auium, inter squamas illorum & harum pennas: vtraque carent auribus, & per meatus quosdam aurium officio funguntur: non habent vesicam, ne volatum impediret, nec mammas, nec lac, sicut tradit Aristoteles libro 2. de partibus animalium cap. 12. & lib. 3. c. 8. & libro tertio, de historia animalium capite vigesimo, & multa genera auium sunt aquatilia, vt cygni, anseres, fulicæ, mergi, grues, anates, halcyones, vel secundum Varronem alcedones quæ fere in aquis versantur. Denique siue spectes rationem motus vtrorumque: qualis est

D enim natatus piscium in aquis, talis est in aëre volatus auium, vt non inscitè liceat dicere, pisces esse aues aquatiles, aues esse pisces aërios: vtrumque item animal cauda, iter & cursum suum dirigit, & ab eo nauigandi artem homines didicisse creditur. Certè Plinius libri decimi capite decimo ait, miluos artem gubernandi docuisse caudæ flexibus, in cœlo monstrante natura, quid opus esset in profundo. Ob has igitur causas Moses productionem piscium & auium in sua narratione coniunxit.

POSTERIORI autem dubitationi sic occurritur: Tacuit quidem Moses hoc loco aues è terra esse factas: verum id apertè

apertè docuit infrà capite secundo, cur hic tacuerit vix coniectura vlla ne diuinando quidem attingi potest. Fortè noluit productionis animalium ex terra mentionem facere ante diem sextum, quo videlicet principalis animalium è terra productio est facta: eo namque die creatæ sunt terrestres animantes, & aquaticis & volatilibus longè præstantiores; eodemque die cunctorum animalium princeps factus est homo. Scio equidem non defuisse graues auctores quibus visum est in genere auium reperiri quasdam cunctis animalibus terrestribus nobiliores atque perfectiores, cuiusmodi sunt quæ voces humanas, atque adeo orationem ipsam humanam tam expresè, distinctè, & ad verum reddunt, vt more hominum loqui videantur, vti sunt meruli, picæ, & omnium maximè psittaci. Verùm ne his assentiar multa faciunt: & sane magis admiranda & prodigiosa, maioriſque ingenij, solertiæ ac docilitatis argumenta, de canibus, vulpibus, equis, simiis, & elephantibus, scriptis prodita sunt, hodieque certis experimentis comprobata. Vel Moses voluit aperire originem & materiam eorum animalium quæ ornant, implent, & incolunt illud elementum, ex quo vel in quo sunt facta (cum tribus hisce posterioribus diebus Moses, vt ferè tradunt Theologi, de elementorum exornatione ac plenitudine seu complemento agat) velut Astra Cœlum, pisces, aquam, terrestres animantes, ipsam terram: at volatilia, licet in terra & ex terra sint procreata, & inibi cibum capiant & requiescant, cum tamen in aëre versari & motus suos agere gaudeant, ad aëris potius, quàm ad terræ ornatum & complementum pertinere videntur.

An aues quæ vocem & sermonẽ humanũ exprimũt, dignitate naturæ præstent cũctis animãtibus terrestribus.

Auctor defendit communẽ sententiam & interpretationem Patrum de generatione auium ex aquis.

SED iuuat defendere priorem sententiam, propter auctoritatem Patrum & omnium fermè Theologorum consensum, minime contemnendam. Dicamus igitur propterea factas esse aues ex aqua similiter vt pisces. quia magna est inter aues & pisces cognatio & similitudo, sicut paulò supra ostendimus, & quia animalia cætera in eo elemento versari videntur, ex quo sunt primo à Deo producta, quemadmodum pisces in aqua, in cœlo sydera, & in terra terrestres animantes: aues autem fere in aëre versantur, idcirco existimandum est, sicut ex Augustino, Ruperto, & B. Thoma superius docuimus, aues nõ esse factas ex aqua densa, quæ per terram labitur, & in ipsa terra continetur, sed ex aqua in vapores tenuata, & in nubes conformata, quæ inferiorem aëris regionem in qua volitant aues, ascendit & obsidet. Ad illud autem Scripturæ testimonium ex 2. c. Gen. productum: *Formatis igitur Dominus Deus de humo cunctis animantibus terræ & vniuersis volatilibus cœli, adduxit ea ad Adam*, respondendum est, illam coniunctionem *Et*, non repetere particulam illam *Ex humo*, vt sit sensus: *Formatis ex humo tam animantibus terrestribus, quàm volatilibus*, sed repetere illud participium passiuum *Formatis*, vt sit hæc Mosis sententia. Formatis ex humo animantibus terrestribus, & formatis etiam volucribus, id est,

postquam

A postquam hæc duo genera animantium Deus creauerat, adduxit ea ad Adam.

OPVS SEXTI DIEI.

Dixit quoque Deus, Producat terra animam viuentem in genere suo, iumenta & reptilia & bestias terræ secundum species suas. VERS. 24.

B HOc sexto & vltimo die duo narrat Moses opera à Deo facta, animalia videlicet terrestria & hominem. Verum de creatione hominis, eiúsque felici statu ante peccatum, quoniam ea res apprimè nobilem ac memorabilem doctrinam habet aliis duobus libris, id est, quarto & quinto, propriè ac separatim agemus. Nunc quæ Moses tradit de creatione terrestrium animantium, quia longam non desiderant explanationem, breuiter exponamus. Principio, annotarunt quidam Interpretes non temerè C esse quod Moses ita distinxit aquatilia à terrestribus, vt illa quidem appellarit reptilia animæ viuentis, hæc autem præcisè & simpliciter dixerit animam viuentem: scilicet ostendere voluit longè perfectiorem animam & vitam esse in terrestribus quàm in piscibus. Nec non verisimile est quod inquit Caietanus, eò quòd Moses ait, Deum dixisse: *Producat terra animam viuentem*, satis indicasse omnem animam sentientem quãtumuis perfecti animalis (hominem semper excipio) ex mixtione elementari, in qua primas tenet terra, produci. Porphyrium autem & Pythagoricos qui animas cunctorum animalium secundum substantiam, nec mortales esse, nec animis nostris dissimiles tradiderunt, liquet in magno errore esse versatos. Illud autem: *Producat terra*, non denotat vim actiuam & effectricem animalium, vel D fuisse in terra in prima productione animalium, vel postea in eorũdem propagatione futuram: non enim credibile est terram capacem esse tantæ virtutis, vt per se animalia cuiuslibet generis generare queat. Denotat igitur tantum materiam è qua postea per omnipotẽtem Dei vim, facta sunt animalia: denotat etiam, terram esse locum naturalem eiusmodi animalium, in quo nimirum ea generantur alũtur atque conseruantur. Itaque nonnulli Hebraicè scientes existimant illud: *Producat terra*, positum esse Phrasi Hebraica, pro eo quod est Producantur ex terra, vel Producantur in terra. Si enim producta sunt ex terra vt ex materia, non potuerunt, vt ab efficienti produci ab eadem, nam materia & efficiens causa in idem

Caietanus in Genesim.

numero conuenire non possunt. Nec designatur quælibet terra, sed A
ea modo quæ tertio die segregatis aquis, supra eas extare propter
stirpium & animantium vtilitatem iussa est. Nec sanè omnia terra,
cuiuscumque generis animalia, aut tunc produxit, aut tunc potest
producere, sed alia aliis terræ locis tantum generari & conseruari
possunt.

Tria genera terrestrium animalium.

DISTINGVIT autem hoc loco Moses tria animantium terrestrium genera, hoc est, iumēta, quo nomine comprehenduntur omnia magis domestica & familiaria homini, vt canes, equi, boues: deinde bestias, quod vocabulum significat agrestes & feras animantes, nec ferè humani imperij patientes, vt Leones, Pantheræ, Tigres: denique reptilia, in quibus continentur tam ea quæ nullos habent pedes, vt serpentes, quàm quæ habent, sed admodū breues & exiguos B
quibus parum ex terra elato corpore mouentur, vt formicæ & lacertæ. Sed quia in nullo istorum generum comprehendi vidētur cerui, lepores, capri, propterea Septuaginta Interpretes prēter supradicta posuerunt quadrupedia. Plato in Politico duo tantum facit genera animalium terrestrium, ferum & mansuerum: Aristoteles autem libro primo de Historia animalium, tripartito distinguit animantes; alias enim esse perpetuo cicures, alias perpetuo feras, quosdam vero ad vtrumque horum ita flexibili ingenio, vt & cicurari & efferari facilè possint. Sed cur non itidem terrestribus, vt aquaticis tributa est benedictio illa Dei *Crescite & multiplicamini*? Respondent Hebræi, C

Cur Deus nō benedixerit terrestribus animalibus.

propterea non esse datam terrestribus benedictionem, quod inter eas esset serpens paulò post seducturus hominem, ob idque à Deo maledicendus. Verùm probabilius est aliorum responsum; Mosen voluisse, quod de benedictione piscium dixerat, intelligi etiam in terrestribus, nec solum in hoc, sed in aliis quoque ex his quæ in vno aliquo genere prodita sunt à Mose, similia etiam in aliis, quæ breuitatis causa non sunt tradita. intelligi debent. Homini verò propriè ac separatim tribuenda erat benedictio, quod in homine propria quædam & singularis ratio sit generationis & multiplicationis; nēpe non ad conseruandam modò speciem, sed potissimè ad complēdum numerum electorum, & ne quisquam putaret in officio gignendi, D
nullum hominis posse esse peccatum. Licet enim munus generandi sit omnino naturale in cæteris animantibus, in homine tamen partim est naturale, & partim volūtarium, & quod in aliis nec vitij nec virtutis capax est, in homine vel laudi vel crimini verti potest. Plantis autem non congruebat benedictio, quia nullum habent sensum nullúmque propagandæ prolis affectum. Lege quæ in hanc sententiam & Augustinus libro tertio de Genesi ad litteram capite decimo tertio & Beda in Hexameron scripserunt.

Variæ opiniones Philosopherū de causa efficiēte pri

PORRO Philosophi quicumque arbitrati sunt mundum esse ab aliquo principio temporis factum, causam efficientem primorum animalium variè tradiderunt. Plato quidem in Timæo, animalium

opificium

A opificium à primo & ſummo Deo demandatum eſſe ait diis ſecundis, per quos videtur intelligere ſydera, vel dæmones qui verſantur in aëre, & imperium habent in res caducas atque mortales. Epicurus putauit animalia omnia in exordio mũdi facta eſſe ex terra, ob eximiam terræ naſcentis bonitatem, nouorúmque ſyderum efficaciam, Deo nihil ad eorum molitionem conferente: quam opinionem elegantiſſimis verſibus libro quinto tractat Lucretius. Nec hoc videri debet mirum cuiquam, vt aiunt iſti, cum etiam nũc ex terra imbribus madefacta, caloréque ſolis tepefacta varias animantes gigni ſciamus, ſicut in locis Ægypti vbi ſtagnantes Nili aquæ remanſexunt. lege quæ in hanc ſententiam copioſè ſcribit
B Diodorus Siculus libri primi capite primo. Auicenna opinatus eſt omnia animalia, cuiuſcumque ſint generis, non ſolum in principio potuiſſe, ſed etiam nunc poſſe generari ex terra: in quam ſententiam fortè inductus eſt verba Moſis quæ ſunt hoc loco *Producat terra animam viuentem*, non ſatis intelligens. Sed conſtat inter melioris notæ Philoſophos, falſam eſſe opinionem Auicennæ, aduerſus quam nos etiam libro noſtro de Philoſophia octauo copioſè diſputauimus.

mæ generationis animalium.

BEATVS AVGVSTINVS libro terio de Geneſi ad litteram capite decimoquarto ponit hanc quæſtionem, Vtrum in exordio mundi, cum Deus creauit terreſtres animantes, etiam fecerit eas quæ generantur ex putreſcente materia vel terræ, vel aquæ vel ſtir-
C pium vel fructuum vel ex tabe cadauerum & corruptione mortuorum animalium. Ad quam reſpondet, Quæ ex mortuis animalibus generantur, ea videri abſurdum facta eſſe in prima creatione animalium: tunc enim nullum fuit mortuum aut corruptum animal: quæ autem ex vitio & corruptione aliarum rerum generantur, ea ſi tunc facta dicantur, nihil eſſe abſurdi. Idem ſentit & tradit Beatus Thomas prima parte quæſtione ſeptuageſimaſecunda. Sed hoc Auguſtini reſponſum duplici nomine poſſet improbari, tum quod eſt vna ratio corruptionis plantarum atque animalium, quare æquè ac ſimiliter vel vtraque, vel neutra in illa prima mundi origine eſſe potuerunt, tum etiam quod iſtiuſmodi animalia prima
D non ſunt facta ex putri vel corrupta materia, ſed proxime à Deo, modo cæterorum animalium terreſtrium producta ſunt ex terra, deinceps per cauſas ſecundas & ex propriis materiis, ſicut eorum natura poſcit, progeneranda atque propaganda. Quemadmodum enim animalia perfecta quæ non niſi ex ſemine, & à ſui ſimilibus animantibus procreantur, in illa prima effectione rerum, & proximè à Deo & ex terra ſunt producta, ſic quæ ſecundum naturam non aliter quàm ex putri materia fiunt, tunc immenſa
- Dei poteſtate ex terra ſunt condita. Certè BASILIVS Homilia ſeptima in Geneſim perſpicuè docet eiuſmodi animalia imperfecta, quæque originem habent ex putreſcente materia,

Quæſtio vtrũ in exordio mũdi creata ſint animalia quæ generantur ex putri materia.

Refutatur ſententia Auguſtini duplici nomine.

in exordio mundi esse à Deo edita, his ferè verbis. *Non enim tantùm in mari vel fluuiis pisces perfectiores Dei iussu generabuntur, sed etiam in limosis & palustribus locis. etenim ranæ, muliones, culices ipsi ex ipso nimirum lacustri emergebant cœno.* Sic Basilius. Quamquam dici etiam potest, species istas animalium tunc non esse actu productas, sed tantum causaliter & potentialiter: fecit enim Deus perfectiores species animantium, videlicet eas quæ non nisi ab aliis animalibus generari possunt, ex quibus deinde, vel viuis vel mortuis, cætera imperfectiora naturalium causarum potentia procrearentur. Nec obstat, quod Deus mundum perfectum & consummatum fecisse dicitur, ob idq; nullis carentem animalium speciebus: non enim mundus appellatur perfectus, vel vocatur vniuersum, quod nulla de sit ei species rerum quoquo modo possibilis, alioqui ne nunc quidem perfectus esset, quinimo numquam esse posset: quippe longè plures quàm nũc sunt rerum species, & quibuscumque productis plures alias, & deinceps alias sine vllo termino posse à Deo produci, Theologiæ institutis atque decretis eruditus nemo negabit. Multas item diuersis seculis species, vel stirpium, vel animalium, vel metallorum, vel liquorum, vel condimentorum, atque medicamentorum, seu naturali diuersorum animalium, aliarúmve rerum commistione, seu solertia & artificio hominum extitisse, hodiéque exoriri, in confesso est apud omnes. Illud tamen videtur posse dici affirmatè, animalia quæ ex humani corporis aliqua corruptione vel intemperie in ipso gignuntur, & in eo non sine molestia & offensione hominis semper inhærent, tũc non fuisse: eorum namque generationẽ felicissimo illi hominis statui valde alienam & indecoram fore arbitramur.

Quomodo mundus dicatur perfectus, vel appelletur vniuersum.

Expenditur opinio Ruperti, animalia quæ generantur ex diuersorum specie animaliũ cõmixtione, esse præter naturam.

RVPERTVS libro primo de Trinitate & operibus eius, capite quinquagesimoseptimo, tradit animalia quæ generantur ex coitione diuersarum specierum, veluti mulus ex equa & asino, ex hirco & oue Tityrus, ex Leæna & Pardo Leopardus, ex Lupo & Cerua lynx, fieri præter naturam, eorúmque generationem esse adulterinam; quamobrem eiusmodi animalia in primordiis mũdi non esse à Deo facta. cuius rei argumentum adducit, quod Deus in leuitico cap. 19. vetat eiusmodi animalium generationem ab hominibus procurari, tamquam rem abominandam: sic enim præcipit. *Iumenta tua non facies coire alterius generis animantibus. Agrum tuum non seres diuerso semine.* Idémque confirmat Deuteronomij capit. 22. & inibi additur, *Non arabis in boue simul & asino: Non indueris vestimento quod ex lana linoq; contextum est.* Non esse autem in principio mundi hæc animalia producta à Deo, nec nisi multis post sæculis extitisse, indicio est, quod primus mortalium Ana (vt traditur tricesimosexto, capite Geneseos) auctor fuit generationis muli ex equa & asino: nam cum pasceret in deserto greges equarum & asinorum, fecit vt equæ cum asinis miscerentur, indéque generarentur muli. Nam vbi Latinus interpres vertit. *Iste est Ana qui inuenit aquas calidas in solitudine*, Hebraicè Periti

Animalia ex diuersis seminibus procreata non fuisse à principio mũdi producta.

A cè Periti aiunt verbum Hebræum יעמים *Iemim*, quod illic est, non maria vel aquas, sed mulos significare, nostrúmque Interpretem fortasse legisse pro *Iemim, Iamim*, quod maria significat. Suffragatur huic interpretationi Paraphrasis Chaldaica, quæ eo ipso in loco sic habet, *Ipse est Ana qui inuenit fortes in deserto*, per fortes significans mulos, animal robustissimum & ferendis oneribus validissimum. Scribunt Hebræi, Ana fuisse manserem, id est, spurium ex damnato coitu natum, filium videlicet fratris sui Sebeonis, qui commistus matri suæ hunc genuit, Ana filium simul & fratrem suum: vt mirum nõ sit, eum qui tam degenere & vitiosa generatione sit editus, adulterinam quoque animantium generationem procurasse. At enim vero mea lon-

Auctoris sententia de generatione animaliũ ex cõmistione diuersarum specierum. Explicatur locus Leuitici cap. 19. & Deutero. 22.

B gè diuersa est sententia: censeo equidem istiusmodi generationem animalium naturalem esse, cum ferme omnia quæ ad eam proficiendam conueniunt sint naturalia, hoc est, materia vnde generantur, efficiens causa, locus, tempus, appetitus, conuenientia naturalis inter mares & fœminas, denique nobilitas eiusmodi animalium quæ perfectissimis vel paria vel proxima sunt. Sed obiiciunt, eorum generationem lege Diuina esse prohibitam atque damnatam: Verùm germanam & propriam Diuini illius præcepti sententiam & intellectum tradit Beatus Thomas in prima secundæ quæstione 102. articulo sexto, & his fere verbis exponit, *Circa coitionem animalium diuersæ speciei, ratio litteralis triplex reddi potest. Vna quidem ad detestationem idololatriæ Aegyptiorum, qui diuersis commistionibus animalium & plantarum*

C *aliarúmque rerum vtebantur in seruitium planetarum, qui secundum diuersas coniunctiones habent diuersos effectus, & super diuersas species rerum. Altera ratio est ad excludendum concubitum contra naturam. tertia ratio est, ad tollendam vniuersaliter occasionem concupiscentiæ: animalia enim diuersarum specierum non facile commiscentur inuicem, nisi hoc per homines procuretur; in aspectu autem coitus animalium, excitatur homini concupiscentiæ motus: vnde & in traditionibus Iudæorum, vt refert Rabbi Moyses, præcipitur, vt homines auertant oculos ab animalibus coëuntibus. Figuralis etiam ratio eius præcepti fuit, ne iumenta, id est, populares homines, coëant, id est, societatem & com-*

D *mercium habeant cum alterius generis animantibus, hoc est, cum Iudæis, Hæreticis, Paganis, ne videlicet eorum commercio & consuetudine, ad eorum quoque vitia & errores pertrahantur.* Hæc S. Thomas. Caietanus autem in commentario super illum locum Leuitici ad hunc modum scribit, *Perspicuum est, isto Dei præcepto non prohiberi generationem mulorum & equarum: tum quia huiusmodi animalium vsus legitur apud Hebræos, sicut patet secundi Regum decimotertio & decimooctauo, & tertij Regum capite primo & decimooctauo & primi Esdræ, capite secundo, & apud Isaiam capite sexagesimosexto, tum præcipuè quia Beatus Paulus absurdum reputat quod* 1. Corint. 9. *Deus legem statuat bobus. Ideo hoc præceptum altero duorum sensuum intelligendum est, vel superstitiosè vel parabolicè. Superstitiosè quidem, vt intelligatur prohiberi imitatio superstitionum gentilium vt quemadmodum in Euangelio dicitur*, Orantes nolite multum loqui, sicut Ethnici faciunt, *ita* Matth. 6.

hic intelligatur prohiberi commistio animalium diuersæ speciei, non absolutè, sed more Ethnicorum. Si verò parabolicus est sermo sicut & ille, non alligabis os boui trituranti, in promptu est ratio huiusmodi parabolæ: prohibetur enim ea similitudine, vt homo abstineat penitus à nouitatibus præter rationem: mistio enim animalium nouum parit animal præter naturam, & neutrius speciei. Hactenus Caietanus. A

Enodatur locus libri Geneseos. cap 36.

PORRO argumentum illud ex triceſimoſexto capite Geneſeos, quo ſignificatur Anam auctorem fuiſſe generationis mulorum, facillimè diſſoluitur: tum quia, vt eam lectionem & interpretationem admittamus, non continuò tamen efficitur, mulos non fuiſſe productos à Deo in mundi exordio, aut ante Anam nuſquam fuiſſe, ſed illum fuiſſe inuētorem eiuſmodi commiſtionis & generationis animalium in illa regione, & apud illam gentem. Quamquam de vera illius loci B ſententia & interpretatione, iam olim etiam ante Hieronymum varias fuiſſe opiniones, liquet ex his quæ ſcribit Hieronymus in libro ſuo de traditionibus Hebraicis ſuper Geneſim: tractans enim hunc locum ita ſcribit, *Multa & varia apud Hebræos de hoc capitulo diſputantur: apud Græcos quippe & noſtros, ſuper hoc ſilentium eſt, alij putant, Iamim maria appellata: iiſdem enim litteris ſcribuntur maria, quibus & nunc hic ſermo deſcriptus eſt. Et volunt illum, dum paſcit aſinos patris ſui in deſerto, aquarum congregationes reperiſſe, quæ iuxta idioma linguæ Hebraicæ maria nuncupentur; quod ſcilicet ſtagnum repererit, cuius rei inuentio in eremo difficilis eſt. Nonnulli putant, aquas calidas, iuxta Punicæ linguæ viciniam quæ Hebræa contermina eſt, hoc vocabulo ſignari. Sunt qui arbitrentur, onagros ad hoc admiſſos eſſe ad aſinas, & ipſum iſtiuſmodi reperiſſe concubitum, vt velociſſimi ex his aſini naſcerentur qui vocantur Iamim. Plerique putant, quod equarum greges ab aſinis in deſerto ipſe fecerit primus aſcendi; vt mulorum inde noua contra naturam animalia naſcerentur.* Sic Hieronymus. C

Cur eodem die creata ſunt animalia terreſtria, & homo.

AT HIERONYMVS OLEASTER magnam linguæ Hebrææ ſcientiam profeſſus, contendit per vocem illam ימים *Iemim*, denotari venam aquæ ſalſæ, quæ ibi more ſacrarum litterarum appellatur mare, vt quia tale inuētum vſque ad illam ætatem nouum erat, præſertim in deſerto, propterea à eo nomine memorabilis fuerit auctor eius Ana. Affirmat autem Oleaſter, vocabulum ימים *Iemim*, nuſquam in Scriptura ſignificare mulos. Manifeſtum igitur eſt ex illo D Scripturæ loco, inualidè probari generationem eiuſmodi animalium aut eſſe contra naturam, aut in prima illa mundi origine non fuiſſe. Sed cur eodem die & homo, & animantes terreſtres conditæ ſunt? An quia vtraque pertinent ad terræ complementum & ornamentum? vtrorumque enim ſedes & domicilium eſt in terra. An quia terreſtres animantes ſunt ſimiliores homini, præſtantioreſque cæteris? An quia magis ſunt domeſticæ & familiares nobis, magiſque capaces & participes humanæ conſuetudinis & diſciplinæ? An denique quia magis ſunt in vſu & vtilitate hominum? illis enim vtimur ad cibum, ad veſtitum, ad vectationes, ad cuſtodiam noſtri noſtrarúmque

A que rerum, ad venationes, ad gerenda bella, ad medicinam & remedia morborum, denique ad multiplicem oblectationem atque voluptatem.

Quæstio, vtrum in elemento ignis generetur, & viuat aliquod genus animalium.

POSTREMO, vetus quæstio est non prorsus intacta hoc loco relinquenda, vtrum facta sint aliqua animalia in elemento ignis sicut in terra & in aqua : nam esse genus aliquod animalium in igne sicut multa sunt in terra in aquis & aëre, & ratio ipsa suadet, & ordo naturæ perfectaque omnium partium eius dispositio deposcit, & probat experientia. Etenim cùm ignis multis rebus præstantior sit cæteris elementis, consentaneum videtur, vt si hæc plena sunt animalium, ille ab omni genere animantium non sit vacuus. Atque hoc innuere videtur Aristoteles cum libro tertio, de Gene-
B ratione animalium capite 11. ita scribat, *Vnum quodque elementum sedes & domicilium est aliquorum quæ in ipso nascuntur & degunt. plantas enim terræ incolas quispiam esse statuerit ; aquæ aquatile animalium genus ; aëris pedestre. Quartum genus non his locis quærendum est, quamquam aliquid esse exigit ordine ignis, id enim quartum corpus enumeratur. Verùm ignis semper formam non propriam habere videtur, sed in alio corpore : aut enim aër, aut fumus, aut terra esse videtur quod ignitum est. Sed enim genus hoc apud Lunam quærendum est, hæc enim quartam illam distantiam adipisci videtur, sed de his alias.* Sic Aristoteles. Proditum est ab antiquis, vulgóque iactatum, quædam esse animalia quæ gignantur in igne, & ab eo paulo longius remota continuò intereant: quam historiam & pro-
C bauit Aristoteles, & libro quinto, de Historia animalium capite decimonono, his verbis retulit, *In Cypro insula æraríis fornacibus, vbi chalcites lapis ingestus compluribus diebus crematur, bestiolæ in medio igne nascuntur pennatæ, paulo muscis grandibus maiores, quæ per ignem saliant atque ambulent, emoritur & hoc genus cum ab igne remotum est.* nonnulla corpora esse animalium quæ ab ipso non absumantur, Salamandra claro documento est ; quæ, vt aiunt, per ignem inambulans eum extinguit. Similia narrat Plinius libro duodecimo, capite trigesimosexto. Balbus apud Ciceronem libro secundo, de Natura deorum esse animalia in igne, confirmat. ARISTOTELIS testimonio : Sic autem ait, *Cum igitur aliorum animantium ortus in terra sit, aliorum in*
D *aqua, in aëre aliorum ; absurdum esse Aristoteli videtur, in ea parte quæ sit ad gignenda animalia aptissima, animal gigni nullum putare. Sydera autem æthereum locum obtinent : qui quoniam tenuissimus est & semper agitatur & viget ; necesse est quod animal in eo gignatur, idem & sensu acerrimo, & mobilitate celerrima esse, quare cùm in æthere astra gignantur ; consentaneum est in iis sensum ineesse, & intelligentiam.* Verùm BALBVS eo loco amplissimè sumit nomen ignis, vt videlicet comprehendit etiam astra, quæ Stoici quorum Balbus inibi causam agit ignea esse censebant. Nec diuersa scribit Ouidius libro primo Metamorphoseos:

Neu

Neu regio foret vlla suis animalibus orba,
Astra tenent Cœleste solum, formæque deorum,
Cesserunt nitidis habitandæ piscibus undæ:
Terra feras cepit, volucres agitabilis aër.

CAETERVM, vt in igne gignatur & viuat vllũ animal, qui paulò attentiori animo & vim ignis, & naturam animalis æstimauerit, fieri non posse comperiet. Etenim tanta est vis & efficacitas ignis, vt quodcumque animal comprehenderit, vel ilico vel paulatim totum conficiat atque consumat, necesse sit: præsertim verò quia non potest constare animal sine tactu, qui cùm in primarum qualitatum temperatione consistat, necesse est vt ab exuperante quacumque qualitate, maximè verò calore corrumpatur atque dissoluatur. Certè Aristoteles libro secundo de Generatione animalium capite tertio, libro item quarto Meteororum in capite primo summæ secundæ, & in libro secundo de Generatione & corruptione text. vicesimo primo, affirmatissimè tradit, nullum animal ex igne generari aut in igne viuere posse. nam quæ in igne dicuntur esse, ea quidem propter frigidissimam corporis constitutionem in locis calidissimis & propter ignes procreantur, nec inde longius sine interitu recedunt. Quantum autem in eiusmodi animalibus insit frigoris, vel vnius Salamandræ patet indicio, non nisi magnis imbribus prouenientis & serenitate deficientis; cui tantus rigor est, vt ignem tactu extinguat, non alio modo quàm glacies: eiusdem sanie quæ lactea ore vomitur, quacumque parte corporis humani contacta, toti defluunt pili, idque quod contactum est, colorem in vitiliginem mutat, ita scribit Plinius libro decimo capite sexagesimoseptimo. Opinionem namque veterum in vulgus probatam, in mediis ignibus viuere Salamandram, refellit Galenus libro tertio de Temperamentis, & Dioscorides lib. 2. capite quinquagesimosexto, quem locum explanans Matthiolus in Commentariis suis super Dioscoridem, affirmat se eamdem opinionem, multis Salamandris periclitandi experiendique causa in ignem coniectis breuique consumptis, falsam comperisse. Quod autem Aristoteles dixit, in elemento ignis etiam versari animalia; id sane dixit secundum opinionem veterum, qui cœlum natura ignea constare, & quæ in ea versantur astra, viuentia & intelligentia esse existimarunt.

Salamandræ natura describitur.

***

MORA

A

MORALIS EXPLANATIO
diuinorum operum, quæ sex primis diebus à Deo facta sunt.

HAc de re satis acutè doctéque disputat Hugo de S. Victore libro primo de Sacramentis parte prima capite decimotertio & sequentibus: nos, quæ magis ad rem videntur facere magisque notabilia sunt, hic strictim attingemus. Principio igitur, quemadmodum primus mundi status incompositus, inordinatus & tenebrosus, significabat B statum hominis in peccato permanentis, ita status mundi pulcherrimis illis operibus sex dierum dispositus ornatus & decoratus, significauit statum hominis iusti ex peccato ad Dei gratiam translati. Primo die creata est lux & distincta dies à nocte: & primum etiam, quod in iustificatione hominis in eo creatur, est lumen intellectuale vel fidei si fuerit infidelis, vel si fidelis est, singularis quædam illuminatio mentis, qua verè cognoscit & æstimat status sui turpitudinem, miseriam, & periculum, & quodnam sit summum bonum sibi sequẽdum, quod item verum malum sibi fugiendum, ne sit de numero eorum quibus minatur Deus per Isaiam capite 5. *Væ qui dicitis malum bonum & bonum malũ: potentes tenebras lucem & lucẽ tenebras.* Annotauit C Hugo, lucem primo die creatã, significare rectam mentis intentionem, quam habere debet quicumque vult benè operari: & hæc prægredi debet omne opus omnémque actionem nostram, eamque Dominus in Euangelio appellauit oculum & lumen, *Si oculus tuus,* inquit, *fuerit simplex, totum corpus tuum lucidum erit,* & paulo post, *Si ergo lumen quod in te est tenebræ sunt, ipsæ tenebræ quantæ erunt?* Nec tantùm dixit Deus lucem esse bonam, sed etiam singula opera quæ fecit in luce, iudicauit esse bona, Siquidem ad benè operandum, vt inquit Hugo, duplici opus est bonitate & rectitudine: vna quidem ipsius lucis, id est, intentionis; altera ipsius operis, vt ipsum per se bonum sit. Potest enim quispiam bona intentione malum opus D facere, vt si quis furetur vt det eleemosinam: & contra bonum opus facere, sed mala intentione, vt largiri eleemosynam inanis gloriæ causa. Matthæi 6.

SECVNDO die perficitur iustus secundum affectum sicut primo die secundum intellectum. Namque secundo die aqua quæ prius circumquaque operiebat & obruebat terram, diuisa est in aquam cœlestem & terrestrem interposito firmamento. Et aqua quidem secundum tropologiam significat cupiditatem, amorem, & appetitum hominis: in peccatore autem omnis appetitus tam rationalis quàm sensitiuus, circum terram versatur, id est, in amore &

cupiditate rerum terrenarum planè defixus est. Verùm, cum peccator iustificatur, fit diuisio amoris: nam iustus vt sensu concupiscit terrena, ita spiritus cœlestia, vnde oritur intestinum illud & perpetuum dissidium & certamen inter carnem & spiritum, de quo Paulus ad Galatas 5. *Caro concupiscit aduersus spiritum. &c. vt non quæcumque vultis, illa faciatis.* & ad Romanos 7. *Condelector legi Dei secundum interiorem hominem*, hæc est aqua cœlestis: *Video autem aliam legem in membris meis repugnantem legi mentis meæ, & captiuantem me in lege peccati*, hæc est aqua terrestris, & subdit, *Mente igitur seruio legi Dei, carne autem legi peccati.* Firmamentum verò inter duas istas aquas interpositum, est vigor rationis à Deo illuminatę, timor diuinæ legis, diuiníque iudicij, quę non sinũt illas duas aquas, id est, illos duos amores inuicem permisceri atque confundi.

TERTIO die duæ res perfectæ sunt. Etenim aqua obruens terram, ita vnum in locum segregata est, vt remanserit terra partim aquis subiacens, partim illis supereminens. Similiter etiam in homine iustificato, concupiscentia carnalis quæ antea eum obruebat & dominatu suo tenebat oppressum, sic per Dei gratiam separatur, vt iustus partim subiaceat concupiscentiis, scilicet quantum ad earum sensum & primos motus atque titillationes, quas vix quisquam mortalem vitam agens effugere potest, partim ei supereminеat, videlicet quantum ad consensum & deliberatam oblectationem, nec tantùm resistit concupiscentiis, sed carnem etiam cogit seruire spiritui, seruans illud Pauli præceptum, *Non regnet peccatum in vestro mortali corpore, vt obediatis concupiscentiis eius*, ad Romanos sexto: & illud eiusdem ad Galatas quinto: *Qui sunt Christi, carnem suam crucifixerunt cum vitiis & concupiscentiis.* Nec verò terra, aquis duntaxat tertio illa die detecta & siccata est, sed ex se protulit omnia stirpium & herbarum genera. Similiter quoque animus viri iusti à vitiis & cupiditatibus terrenis segregatus atque purgatus, procreat bona & sancta opera, etiam corporalia quę per corporis membra perficiuntur, vti sunt opera misericordiæ corporalis & officia virtutum, quæ in regendo moderandóque appetitu tã concupiscibili quàm irascibili versantur: velut est Temperantia & Fortitudo. Itaque cõpletur in viro iusto, id quod Paulus scrĩpsit ad Romanos capite sexto dicens: *Sicut exhibuistis membra vestra seruire immunditiæ & iniquitati ad iniquitatem; ita nunc exhibete membra vestra seruire iustitiæ in sanctificationem.*

QVARTO die in cœlo creantur & locantur astra: & in homine iusto sicut per gratiam iustificationis purgatur animus à concupiscentiis, sic per eandem gratiam pars hominis suprema, mens videlicet atque voluntas illuminatur, exornatur, ac decoratur per dona Dei supernaturalia, quæ spiritualiter id præstãt animo nostro, quod astra corporaliter ipsi cœlo, & Solem quidem dixerim animæ

nostræ,

A nostræ, caritatem : quemadmodum enim sol est maximum omnium syderum, cæterisque lucé impertitur, ita caritas effecta est ad omnes alias virtutes: Luna quę condita est in solatium noctis & remedium tenebrarum, significat spem, quæ in rebus arduis & aduersis hominem firmat atque sustentat. Fides significatur astro Veneris, quod Luciferum seu Hesperum appellamus : sicut enim Lucifer, solis ortum pręcurrit & post eius occasum remanet, sic fides, & ante ortum caritatis & post eius occasum manere potest. Quatuor alij Planetæ denotant quatuor virtutes morales, nó humanas, sed diuinitus infusas: nec eas quæ sunt in parte sensitiua, sed quæ sunt in parte rationali. Stella Saturni temperantiam, Iouis iustitiam, Martis fortitudinem, Mercurij prudentiam: Innumerabiles aliæ quæ in octauo
B cœlo sunt stellæ, denotant innumerabilia Dei dona & auxilia singularia, crebráque illuminationes & inspirationes, quibus hominem Deus subinde mouet ac promouet, à malo liberat, & in bono confirmat. Reliquis tribus diebus generata sunt tria genera animalium, pisces, aues, & terrestres animantes : quibus figurantur tria genera, seu tres gradus iustorum qui in Ecclesia Christi versantur. Quidam sun imperfectissimi, vitam agentes sæcularem, negociis curisque sæcularibus implicati, similes nempe piscium qui in aquas demersi vitam degunt. Hi tamen quia sensum, motum, & vitam habent, id est, rectam fidem, syncerā caritatem, & bona opera, sunt Dei animalia. Alij sunt velut terrestres animantes, qui licet in sæculo vi-
C uant, vitam tamen agunt non sæcularem sed spiritualē, virtutū præstantia & excellentium operum copia cæteris præcellentes, quemadmodum terrestres animantes perfectione sensus, vitæ ac motus, piscibus antecellunt. Denique sunt nonnulli absolutissimæ virtutis ac sanctitatis viri, qui contemptis rebus terrenis, omnibúsque mundanarum rerum curis atque cogitationibus abiectis, totos se Dei cultui obsequio & seruitio dicarunt, tanquam aues ad sublimia euolantes ? quorum scilicet conuersatio in cœlis est, & mens animúsque in diuinarum rerum meditatione perpetuo versatur. Post cæteras animantes, vltimo loco creatus est homo ad imaginem Dei, Oportet enim virum iustum tandiu in frangendis cupiditaD tibus, sedandis perturbationibus, frœnandísque appetitionibus denique in omnium virtutum officiis colendis tractandísque perseueranter verfari, quo ad totus euadat rationalis & intellectualis; & imago Dei quam flagitiis deformauerat atque obscurauerat, ad similitudinem eius, cũ qua Deus ab initio eum creauerat, reformetur atque renouetur.

VERS. 31. *Vidit Deus cuncta quæ fecerat, & erant valde bona.* A

Duplex consideratio rerum à Deo conditarum.

VERBA hęc Mosis ad duas quęstiones, quas ipsa pariũt ex se, tractandas nos vocant. Primo disquirendum est, cur factis operibus superiorum sex dierum, de vnoquoque separatim dictum est, *Vidit Deus quod esset bonũ:* consummata verò omnium rerum fabrica, de vniuersis dicitur, *Vidit Deus cuncta quæ fecerat, & erant valde bona?* hæc enim variationis locutionis, & hoc orationis incrementum, indicat subesse aliquid hisce verbis cognitu obseruatuque dignum. Sciendum igitur est, res à Deo conditas duobus modis considerari posse: vel vnam quamlibet per se ac propriè, vel communiter & coniunctè cum reliquis, prout videlicet omnes mundum integrant & consummant, vel B prout ad vsus & commoditates hominum pertinent, vel prout ad immensam Dei cunctorum opificis potentiam, bonitatem, & sapiẽtiam exprimendam, & quodammodo representandam mortalibus referuntur. Vtramque considerationem breuibus explicemus: In

Duplex cuiuslibet rei bonitas.

qualibet re, si ipsa per se consideretur, duplex cernitur bonitas, altera substantialis, altera accidentalis: Illa, salua rei natura & specie, nec augeri nec minui quicquam potest: etenim quidditates rerum omnium, auctore Aristotele, similes sunt numerorum, quorum, adiecta detractaue quacumque vnitate, continuò species commutatur. Altera est bonitas accidentalis, quæ salua integráque rei natura, aliquatenus variari potest. Hanc autem, triplicem posſumus distinguere: prima vocetur bonitas status: quęlibet enim res, generabilis & corruptibilis præsertim, quæ sunt de numero viuentium, initio sunt in statu imperfecto, paulatim verò & quasi per gradus quosdam ad perfectiorem statum procedunt. Indicia perfecti status duo sunt, finis scilicet & terminus naturalis incremẽti: accretio namque naturalis paulatim rem promouet & perducit ad mensuram corporis perfectam statui viuentis perfecto congruẽtem, quo adepto, viuentium cessat accretio. Illud quoque indicium est perfecti status, si res sui similem rem aliam possit efficere. Sic enim placuit Aristoteli in libro quarto Meteororum definire ac dererminare rationem perfecti viuentis, cùm est videlicet idoneum potẽnsque sui mile generare. Altera bonitas accidentalis D in proprietatibus & accidentibus rei versatur, si quæ cuique rei naturaliter conueniunt, suo quodque in genere perfectum fuerit. Tertia bonitas posita est in propria cuiuslibet rei operatione, per quam vnumquodque finem suum vltimum adipiscitur: quæ si perfecta fuerit, rem quoque cuius operatio est perfectam esse, & arguit & facit. Secundum has tres bonitates, Deus in exordio mundi res

Qualiter in exordio mũdi, res omnes creatæ sunt

omnes fecit non bonas modò, sed etiam optimas: quippe condidit eas in statu perfecto, & in omnibus accidentibus & proprietatibus perfectis: denique tales, vt essent perquam idoneæ ad omnes

suas

A suas actiones & munera perfectè obeunda & explenda. *à Deo valdè bonæ.*

ALTERO modo, vt diximus, res omnes considerari possunt in commune, ea nimirum ratione vt ex illarum complexione contextúque hæc rerum omnium vniuersitas, quam mundum appellamus, efficitur. Hæc autem vniuersitas rerum, vsque adeo insignem & eximiam bonitatem & decorem accepit à Deo, vt eius comparatione, propria cuiusuis rei bonitas per exigua & nullius propemodum momenti existimari possit. Sed quænam sunt quæ eiusmodi vniuersitatis rerum bonitatem declarant? multa sane, eaque præclara. Principio, id ostendit tanta rerum quæ in mundo continentur varietas, quantam non sensibus modo, sed nec animo quidem & cogitatione perlustrare & comprehendere possumus. Si enim aduertas animum ad ea quæ in mundo sunt, alia reperies incorporea, vti Angelos, alias res corporatas, & tertium inter hæc, hominum genus interiectum. Rursus Angelorum varietas nouem in ordines distinguitur, &, si est vera Beati Thomæ opinio, cum fere innumerabiles sint Angeli, ne duo quidem vnius speciei esse possunt. Corpora, sunt alia quidem extra generationem & interitum, vt cœli & sydera, quorum varietatem & pulchritudinem sine vlla satietate miramur, quæ autem Lunæ gyro coërcentur corpora generationis & interitus capacia, tripartita sunt, hoc est, inamina, & viuentia, præter quæ, sensu motúque prædita. Porro quis colligere possit omnem quæ in hominibus est varietatem, in forma & vultu, in ingressu, in voce, ingenio, lingua, studiis, moribus, legibus, institutis & religionibus? Huic varietati adiuncta est quasi comes principalis mundi decor & ornamentum, ordo, & aptissima pulcherrimáque rerum omnium dispositio: qua si careret mundus, næ ille quò vastior mole esset, pleniórque atque multiformior, eò sane deformior esset ad speciem, ad motum impeditior, impotentior ad effectum, ad sui tutelam inualidior, & ad diuturnitatem infirmior. Ordo autem mundi in eo cernitur, quod omnes eius partes aptum sibi congruentemque locum tenent & seruant, quod pro ratione nobilitatis & dignitatis rerum, aliæ res sunt inferiores, aliæ superiores, quædam inter has mediæ, & aliæ per alias aguntur, seruantur ac reguntur. Hunc ordinem tanti æstimauit ARISTOTELES, vt extremo Metaphysicæ libro duodecimo, maximum & supremum Vniuersi bonum, in ordine & dispositione collocauerit.

Multis de causis mirabilem esse hãc mundi rerum vniuersitatẽ.

S. Thomas 1. parte q. 50. art. 4.

Pulchritudo ordinis mũdi.

TERTIVM mundi bonum, est plenitudo eius & vniuersitas rerum, Omnia enim mundus amplexu suo continet, ob idque appellatur Vniuersum, verùm oportet hoc loco animaduertere, quinque modis posse intelligi omnia esse in mundo: Primo, secundum generales gradus rerum, qui quatuor sunt: esse, viuere, sentire, & intelligere: tum secundum cuiuslibet horum graduum genera omnia, & species subalternas: deinde quod nihil sit vspiam, nihilque factum

Quinque modis intelli. posse omnia esse in mũdo.

sit à Deo quod non in mundo contineatur, & ad mundum aliquo A
modo pertineat, ad hoc secundum species infimas rerum: denique
secundum indiuidua cuiusque speciei. Primis tribus modis intelli-
gendum est omnia esse in mundo, non autem duobus vltimis: com-
plures namque species infimæ processu ac decursu temporis, quæ
non fuerant in exordio mundi, posterius aut ex diuersarum specie-
rum commistione, aut per solertiam & industriam hominum exti-
terunt, hodiéq; atq; consequentibus sæculis cõplures aliæ quæ antea
non fuerant exorientur. Vniuersitas autem indiuiduorum cuiusque
speciei, vt simul in mundo sit, fieri non potest, erit tamen per in-
terualla temporum: alia enim nascentur ex aliis, & prioribus per
interitum abeuntibus, per nouam generationem posteriora succe-
dent. Quartum Vniuersi bonum est, omnium partium eius inter B
se miranda commissio atque connexio, tam arcta non modo secun-
dum quantitatem, vt nihil sit vsquam inane & vacuum: sed etiam
in serie contextuque naturalium specierum, videlicet vt nulla sit in-
terruptio: id enim fœdius esset & alienius à mundi præstantia, quàm
interiecto vacuo, ipsorum corporum interpolatio & disiunctio.
Quintum bonum est, naturalis conuenientia aliarum rerum cum
aliis, itemque naturalis discordia & repugnantia inter alias, quas
Græci vocant συμπαθείας, & ἀντιπαθείας: quarum rerum, sapientibus
summæ admirationis & insatiabilis voluptatis est contemplatio: Cur
nimirum magnes ferrum trahat, non itidem lapidem aut lignum:
vnde tanta inter vitem, & brassicam inimicitia extitit? qui fieri pos-
sit, vt sexquipedalis modo piscis Remora, adhærescens carinæ naui- C
gij quantumuis magni & incitatissimo cursu acti, cohibeat omnem
eius vim & impetum, ac immobile reddat; & mille alia rerum prodi-
gia & naturæ miracula. Sextum bonum est, pulchritudo mundi ex
mirabili proportione rerum omnium tum inter se, tum cum ipso
mundo efflorescens, nec aliter inter se habens quàm pulchritudo hu-
mani corporis, quæ ex concinna decentique membrorum omnium
compositionis & ratione existit.

Diuina mũdi gubernationis præstantia, quibus ex rebus liquidò cognoscatur.

Septimvm bonum est, optima mundi administratio mode-
ratio & rectio, qua nihil est, ad contemplandum mirabilius atque
iucundius, huius autem gubernationis præstantia multis ex rebus D
liquidò cernitur. Primo quidem, quod Deus non minùs largè &
abundanter minimis ac viliſſimis quibusque rebus, quàm maximis
& nobiliſſimis consuluit, & quęcumque vel necessaria vel opportuna
erant ad vitam cuiusque tuendam finémque consequendum, sapien-
tissimè ac liberalissimè comparauit. Deinde, omnia summi opificis
prouidentia teneri & agi, indicio sunt quæcumque nullo sensu co-
gnitionéve prædita, per certas vias directò tendunt & sine errore
vllo, nisi perquam raro, ad finem suum perueniunt, perinde atque
& actiones suas & fines perfectè cognoscerent. Hoc etiam demon-

strat

A strat æquabilitas rerum quæ cernitur in vniuerso : constat enim mundus ex rebus contrariis & inter se pugnantibus, ex æquo tamen ita temperatis, vt vires suas vicissim frangendo & sese aliquatenus corrumpendo, ea rerum inter se repugnantia non solum exitio non sit mundo, sed etiam saluti & ornamento. Etenim ingeniis & viribus inter se discordantia & dimicantia, supremi Opificis moderatione ad bonum vniuersi tuendum concordi fœdere conspirant & congruunt. Quam rem Boëtius libro quarto de Consolatione philosophiæ, metro sexto elegantissimis versibus exposuit. *Præclara Boëtij sententia.*

Hæc concordia temperat æquis
Elementa modis, vt pugnantia,
Vicibus cedant humida siccis,
Iungántque fidem frigora flammis,
Pendulus ignis surgat in altum.
Terræque graues pondere sidant.
Hisdem causis vere tepenti
Spirat florifer annus odores,
Aestas Cererem feruida siccat,
Remeat pomis grauis autumnus,
Hyemem defluus irrigat imber.
Hæc temperies alit ac profert
Quicquid vitam spirat in orbe:
Eadem rapiens condit, & aufert,
Obitu mergens orta supremo.

Ac licet cœlestes, & dignitate naturæ & immortalitate multum præstant rebus sublunaribus : sunt tamen & pauci numero, & infœcundi atque impotentes procreandi alios sui similes : quibus duabus rebus sublunarium corporum ignobilitas & mortalitas satis compensatur, Animalium quoque imbecilliora & prædam cæterorum, natura fecit longè numerosiora, fœcundioráque ; cùm & pauca sint minúsque fœcunda nobiliora, & quæ aliorum interitu vitam suam agunt & sustentant. Quid quòd potior in mundo habetur ratio boni communis quàm priuati & particularis, sicut in quauis optimè constituta republica & communitate fieri solet, certè debet. Hanc ob causam vsu venit, vt quod graue est contra naturæ suæ vim & impetum ascendat sursum, videlicet ne quid in mundo vacet & inane sit : Vt quædam animalia vitæ suæ detrimento nobilioribus alimenta præbeant, ne illorum species occidant : vt aqua, quæ secundum naturæ ordinem & amplior & superior quàm terra esse debebat, propter vtilitatem stirpium & animantium, & minorem habeat molem, & inferiorem humilioremque locum obtineat.

Qvinetiam quæ videntur mala, & verò naturæ sunt vitia & defectus,

De triplici malorum genere quæ sunt in mundo, & ad perfectionem eius faciunt.

defectus, ad ornatum & decorem mundi ea pertinent. Sunt autem A tria malorum genera, quædam omnino naturalia, quæ videlicet contingũt, rebus cognitione carentibus, vti sunt defectus naturales & monstra: quæ non solum proueniunt ex necessitate materiæ, sed in id ordinata sunt, vt apertè demonstrent quantum inter res incorruptibiles & corruptibiles, inter cœlestes & terrenas inter diuinas & humanas interfit: & per huiusmodi vitia & defectus cœlestiũ rerum indeficiens bonitas, inuiolabilis ordo, & illibata omni æuo pulchritudo clarius appareat. Facit etiam ad mundi absolutionem & complementum, vt non solum in eo sint res incorruptibiles, sed etiam corruptibiles; quæ si deessent, cum earum plurima sint genera, non esset profecto mundus perfectus & omnibus numeris absolutus, nec B Vniuersi appellationem ei iure asserere possemus. Alia sunt mala humana, quæ nimirum solis hominibus inter ea quæ sub cœlo versantur, euenire possunt. Rursus hæc bipertitò diuiduntur, in mala pœnæ & mala culpæ. illa duplici nomine censentur bona: nam per ea satisfit iustitiæ Dei, qua vindicantur hominum scelera: & sæpenumero conducunt ad emendationem & correctionem hominum: sunt enim velut amaræ quædam medicinæ profligandis vitiis, conseruandisque virtutibus admodum efficaces atque salutares. Mala culpæ, verè ac simpliciter mala sunt, nec in se quicquam habent boni, hæc sunt peccata: tanta est tamen Dei bonitas sapientia & potentia, vt ea quoque ad bonum aliquod ordinentur & proficiant. Deus enim tam bonus est vt velit; tam potens vt possit; tam sapiens vt sciat eiusmodi omnia mala conuertere in bonum, vt etiam quæ nec facit ipse nec vult fieri, ad id tamen quod facturus est, mirabiliter applicet & adaptet. Aut enim peccata condonat, quò eximiam clementiam & misericordiam suam ostendit: aut vindicat & suppliciis æternis castigat, & in eo rectitudinem & rigorem iustitiæ suæ demonstrat, facitque vt electis suis etiam peccata proficiant in bonum; scilicet vt ex lapsu surgant humiliores & cautiores, & ad bona opera alacriores atque feruentiores. Illustre huius rei argumentum simul & exemplum, Adami peccatum nobis exhibet: quod quàm graue fuerit, quàm longè latéque virus & exitium diffuderit, quàm seuerè vindicatum fuerit, in confesso est apud omnes, hoc tamen D tantum malum, quæ Dei est bonitas & potentia, ad maximum bonum & præclarissimum Dei operum mirabiliter conuersum est, ad incarnationem videlicet, passionem, & mortem Filij Dei. Vt non inconsultè aut temerè quodam loco exclamet Gregorius. *O felix culpa, quæ talem ac tantum meruit habere Redemptorem.* Ad extremum, vel ipsa rerum humanarum inæqualitas quæ omni seculo multos offendit & transuersos egit, ob id existimantes aut certè ambigentes, nulla Dei cura & respectu humanas res geri & euenire, quòd cernerent fere bonis malè esse, malis autem benè; hæc, in-

Quomodo Deus etiam peccata hominum conuertat in bonum.

In Benedictione Cerei Paschalis.

quam

A quam, rerum inæqualitas optimam esse mundi gubernationem arguit: propterea enim sic Deus agit cum hominibus, ne odium vitiorum & studium cultusque virtutum essent mercenaria sed gratuita, nec alio quàm ad Deum referrentur. Prodest item eiusmodi inæqualitas cordato, & prudenti viro, vt intelligat extincto corpore superesse animum, alteramque vitam post obitum expectandam esse, in qua conuenienter hominum factis, ab omnium arbitro & iudice Deo, & præmia & supplicia dispensentur. Sed hoc argumentum doctè & copiosè ex sensu Philonis Iudæi tractauit Eusebius libro tertio, de præparatione Euangelica, capite vltimo, & Beatus Augustinus libro primo, de Ciuitate Dei, capite octauo, & proximè sequentibus: verũ disertissimè inter Philosophos Seneca in eo libro quem
B inscripsit. Cur bonis mala & malis bona eueniant si est prouidentia. Pulchrè autem docet Augustinus libro vndecimo, de Ciuitate Dei, capite 18. commistionem bonorum & malorum in mundo, ad eius ornatum & pulchritudinem pertinere. *Neque enim*, inquit, *Deus vllum, non dico Angelorum, sed vel hominum crearet, quem malum futurum esse præsciisset, nisi pariter nosset quibus eos bonorum vsibus commodaret, atque ita ordinem sæculorum tanquam pulcherrimum carmen etiam ex quibusdam quasi antithetis honestaret. Antitheta enim quæ appellantur in ornamentis elocutionis sunt decentissima, quæ Latinè appellantur oppositá, vel quod expressius dicitur, contraposita. His antithetis etiam Paulus Apostolus in secunda ad Corinthios* Caput 6.
Epistola illum locum suauiter explicat, vbi dicit, Per arma iustitiæ à dextris
C & à sinistris, per gloriam & ignobilitatem, per infamiam & bonam famam, vt seductores & veraces, &c. *Sicut ergo ista contraria contrariis opposita sermonibus pulchritudinem reddunt: ita quadam non verborum sed rerum eloquentia, contrariorum oppositione sæculi pulchritudo componitur. Apertissimè hoc positum est in libro Ecclesiastici hoc modo.* Cõtra malum bonum Eccles. 33.
est, & contra mortem vita: *sic contra pium peccator. Et sic intuere in omnia opera Altissimi bina & bina, vnum contra vnum.* Hæc Augustinũs.

PORRO vniuersitas rerum duas ob causas condita est: præcipuè *Duplex creationis mundi finis.*
quidem propter Dei gloriam, deinde vero etiam propter vsum hominis. Conditus enim est mundus, vt per eum Dei potentia bonitas & sapientia pernotesceret homini, & tam mirabili spectaculo incitaretur & erudiretur ad cognoscendum, amandum, & colen-
D dum Deum. Quod egregiè præstat mundus dicente Paulo. *Inuisibilia* Rom. 1.
Dei per ea quæ facta sunt intellecta, conspiciuntur: sempiterna quoque eius virtus & diuinitas: & Dauid inquit: *Cœli enarrant gloriam Dei:* & in cap. decimo tertio libri Sapientiæ scriptum est: *A magnitudine speciei & creaturæ, cognoscibiliter poterit creator horum videri.* Fabrica enim huius mundi manifestè ostendit omnipotentiam Dei, qua ex nihilo cuncta puncto temporis solo iussu perfecit: & sapientiam qua res à se conditas summa ratione designauit & disposuit, atque incredibili prudentia gubernat: bonitatem quoque per quam non modo

quæ non erant ex nihilo producta sunt ad esse, sed etiam postquam A
facta sunt, quasi manu sua sustentat, sicut ait Paulus ad Hebræos primo. *Portans omnia verbo virtutis suæ.* Esse autem res omnes corporatas & quæ sub sensum cadunt, ad hominum vsus & commoditates à Deo ordinatas, & Philosophia docet, & traditur in sacris litteris, & res ipsa confirmat: sicut longa oratione probat Balbus apud Ciceronem libro secundo de Natura deorum. Perlustret lector animo omnia quæ in hoc mundo aspectabili & corporato continentur, nullam profecto rem inueniet, quæ non quodammodo ad vsum aliquem hominum conferat: videre est aliquas pertinere ad humanæ vitæ necessitates & commoditates: alias referri ad varias hominum delectationes & voluptates, alias esse in remedia morborum & sanitatis præsidia, multas ad exemplum & imitationem esse pro- B
positas; omnes conducere ad scientiam rerum percipiendam, præsertim vero ad concipiendam animo Dei notitiam, amorem atque religionem. Status quoque mundi mirè congruit cum statu hominis qui duplex est, alter præsentis vitæ obiectus vanitati & corruptioni; huius persimilis est mundi status in volubilitate & instabilitate positus: alter post diem iudicij & resurrectionem, plenus incorruptionis & gloriæ: ad cuius similitudinem etiam mundus hic reformabitur atque renouabitur, vt Paulus docet in Epist. ad Rom. capite octauo.

A D extremum, quæ Deus operatur in mundo præter eius ordi- C
nem & visitatum cursum, & supra omnem vim & potestatem naturę creatæ, perspicuè declarant Deum esse immẽsæ potentiæ, nec mundum esse opus Dei, virtuti eius par & æquale: non agere Deum ex necessitate naturæ, nec in agendo alligatum esse causis secundis, atque in omnibus rebus esse illam quam Theologi appellant potentiam obedientialem erga Deum, per quam ita sunt omnia imperio Dei voluntatiq́ue subiecta, vt in illis & per illa quicquid Deo collibuerit, siue sit præter eorum naturam, siue supra, siue etiam contra nulla repugnantia, nullaq́ue difficultate ac mora continuo efficiatur. Confirmat hæc omnia mirificè Beatus Bernardus Sermone tertio in die Pentecostes, vbi hunc in modum scribit, *Tria in magno huius mundi opere cogitare debemus, videlicet quid sit, quomodo sit, ad quid* D
sit constitutus. Et in esse quidem, rerum inæstimabilis potentia commendatur, quod tam multa, tam magna, tam multipliciter, tam magnificè sunt creata. Sane in modo ipso sapientia singularis elucet, quod hæc quidem sursum, hæc vero deorsum, hæc in medio ordinatissime sint locata. Si verò ad quid factus sit mediteris, occurrit tam vtilis benignitas, tam benigna vtilitas, quæ etiam ingratissimos quosque multitudine & magnitudine beneficiorum possit obruere. Potentissimè siquidem ex nihilo omnia sapientissimè pulchra, benignissimè vtilia sunt creata. Verumtamen & fuisse nouimus ab initio, & adhuc multos esse videmus in filiis hominum, qui in bonis inferioribus sensibilis mundi huius totâ sensualitate de-

Tria esse consideranda in structura huius mũdi tradit Bernardus, quid sit, quomodo sit, & cur sit factus.

pressi,

A *preſſi,totos ſe dederunt his quæ facta ſunt,quonam modo vel ad quid facta negligentes.Quid iſtos niſi carnales dicamus?Pauciſſimos eſſe iam arbitror, legimus tamen nonnullos quandoque fuiſſe,quibus ſummum ſtudium fuit atque vnica ſolicitudo modum & ordinem inueſtigare factorum, adeo vt plerique non modo vtilitatem rerum perquirere diſſimulauerint,ſed & ipſas magnanimiter ſpreuerint,cibo pauciſſimo viliſſimoq; contenti.Ipſi quidem ſeſe Philoſophos vocant:ſed à nobis curioſi & vani rectius appellantur. Vtriſque igitur ſucceſſerunt, viri prudentiores vtriſque qui nimirum & quæ facta ſunt, & quomodo facta ſunt tranſilientes,intenderunt aciem mentis vt ad quid facta ſint viderent. Nec latuit eos, quoniam* omnia propter ſemetipſum fecit Deus, *omnia propter ſuos. Aliter tamen propter ſe,aliter propter ſuos:in eo quippe quod dicitur. Omnia propter ſe præueniens commendatur origo: in eo autem quod dicitur, Omnia propter ſuos magis exprimitur fructus ſequens. Omnia fecit propter ſemetipſum gratuita videlicet bonitate:Omnia propter electos ſuos,pro eorum ſcilicet vtilitate,vt illa quidem efficiens cauſa ſit, hæc finis. Hi ſunt ſpirituales viri ſic vtentes hoc mũdo tanquam non vtentes, ſed in ſimplicitate cordis ſui quærentes Deum,ne illud quidem magnopere veſtigante quonam modo mundialis hæc machina volueretur:primi voluptate,ſecundi vanitate, tertij veritate impleti.* Hæc Bernardus.

B

ALTERA quæſtio quæ ex iiſdem iſtis verbis oritur, duas habet difficultates: An mundus melior potuerit fieri quàm eſt factus: & cur non ante creatum hominem,ſed ſtatim poſt eius creationem dictum eſt, *Vidit Deus cuncta quæ fecerat, & erant valde bona*;quaſi ſolius

An mundus melior quàm eſt eſſici potuerit à Deo.

C hominis expectaretur creatio, vt id verè dici poſſet. Priorem difficultatem attingit Beatus Thomas prima parte quæſt. 24.art.4. Subtiliter autem & enucleatè tractat Bonauentura in 1. Sentent.diſtin. 44.eodemque loco alij complures ſcholaſtici:nos paucis verbis expediemus.Arbitramur potuiſſe mundum hũc fieri meliorem quàm eſt factus quattuor modis.Primo ſecundum quantitatem, hoc tam ſecundum magnitudinem quàm ſecundum numerum:nam & Cœli elementaque potuerunt fieri maiora quàm ſunt: & potuit Deus facere multo plures Cœlos,& in his plura grandiora & ſplendidiora ſydera.Deinde,ſecundum plenitudinem & vniuerſitatem rerum: etenim infimæ rerum ſpecies longè plures quàm ſunt, creari potue-

D runt. Ad hoc, ſecundum durationem, potuit enim ita fieri mundus vt antiquior eſſet quàm hic eſt,& futurus eſſet diuturnior. Poſtremo,ſecundum perfectionem accidentalem rerũ naturalium;quę perfectio magis magiſque poteſt amplificari. Ex aduerſo autem negamus,mundũ potuiſſe fieri meliorem aliis quinque modis. Primo, ſecundum ſubſtantialem rerum perfectionem, quæ nullatenus augeri poteſt.Poſteà ſecũdum ordinem & diſpoſitionẽ partium mundi & aliorum quæ in eo ſunt: quem ordinem vſque adeo bonum exiſtimamus, vt meliorem eſſe poſſe, atque huic mundo conuenientiorem & decentiorem non putemus. Deinde, in regimine

& gubernatione mundi, quæ optima & præstantissima est. Præterea, A
secundum proportionem & conuenientiam, atque aptitudinem
partium mundi inter se & cum ipso mundo. Ad extremum, respectu
eius finis propter quem mundus est à Deo factus: eius enim compa-
ratione aliter mundus fieri melius, nec debuit nec potuit.

Cur non ante creatū hominē vidit Deus cūcta quæ fecerat esse valde bona.

ALTERAM difficultatem breuiter ad hunc modum explicare possumus. Vera & propria ratio cur non ante creatum hominem, sed statim post dictum est: *Vidit Deus cuncta quæ fecerat, & erant valde bona*, illa est, quod id dici non debuit, nec verò potuit nisi consummatis iam omnibus mundi operibus: extremus autem cunctorum Dei operum factus est homo, quare non debuit illud dici nisi ante creato homine. Adiici possunt aliæ causæ nec ineptæ nec contemnendæ. Prima, homo est quodammodo finis omnium, & in omnia B
potestatem & imperium à Deo accepit. Secunda, quæcumque à Deo sunt facta, inueniuntur in homine dupliciter, vel secundum esse reale, pro vt in vno homine omnes gradus aliarum rerum continentur: habet enim homo esse cum inanimis commune vitam cum stirpibus, sensum motumque cum animantibus, mentem atque intelligentiam cum Angelis, vel secundum esse intelligibile, est enim anima rationalis, vt Aristoteles tradit in tertio libro de anima quodammodo omnia, habet enim in se imagines & similitudines rerum omnium quas intelligit, & intelligens fit quodammodo similis rebus intellectis. Tertia, homo est ligamen & vinculum & nexus Vniuersi, in eo enim consociantur inter se atque coniunguntur res incorporeæ cum corporeis, & immortales cum mortalibus. C
Quarta status mundi tam nunc quàm post diem iudicij conformatur ad statum hominis, sicut paulò superius ostendimus. Quinta propter hominem simul & Deum Christum Iesum, creaturæ omnes per hominem erant deificandæ: nam propter vnionem hypostaticam verbi cum humana natura, deificata Christi humanitate, vna quoque omnes creaturæ quæ in ea continentur, mirabiliter sunt deificatæ. Liquet igitur ex his, quemadmodum creato homine, ingens quædam multiplicis bonitatis & excellentiæ accessio ad cæteras omnes res facta sit.

D

CAP. 2. VERS. 2. *Compleuit Deus die septimo opus suum quod fecerat, & requieuit die septimo ab vniuerso opere quod patrarat.*

SEPTVAGINTA Interpretes habent hoc loco, Deum compleuisse opus suum die sexto: at Hebraicè est die septimo, idemque habet Chaldaica paraphrasis & vulgata translatio Latina: Sanctus Hieronymus in libro de Traditio

A Traditionibus Hebraicis ita scribit citans hunc locum secundum LXX. *Et consummauit Deus in die sexta opera sua quæ fecit. Pro die sexta in Hebræo diem septimam habet, Arctabimus igitur Iudæos, qui de otio Sabbathi gloriantur, quod iam tunc in principio Sabbathum dissolutum sit, dum Deus operatur in Sabbatho, complens opera sua in eo, & benedicens ipsi diei quia in illo vniuersa compleuerit.* Sic Hieronymus. Verùm hæc discrepantia est verborum magis quàm sententiarũ: vtrumque enim verũ est, vtrumque eandem habet sententiam. Etenim mundus absolutus est die 6. videlicet inclusiuè, die autẽ septimo exclusiuè. Sexto namque die vltimum opus mundi factũ est, quo perfecto mundus est consummatus, die autem septimo vacauit Deus à fabricatione mundi. Nam quod ait Catharinus, die septimo creatam esse mulierem, id videtur sacris

Catharinus refellitur dicens Euã die sexta esse formatam.

B litteris alienum: quippe sub finem primi capitis Moses describens hominis creationẽ, docet Deum sexto die creasse hominẽ, & masculum, & fœminam fecisse. Absolutis item cunctis mundi operibus, tradit Deum vidisse cuncta quæ fecerat, & erant valde bona. Et mox subdit, *Et factum est vespere & mane dies sextus.* In Exodo quoque capite vigesimo & trigesimo primo manifestè scriptũ est Deum sex diebus condidisse omnia quæ sunt in mundo: in die autem septimo vacasse ab operando: Initio etiam secundi capitis libri Geneseos Moses inquit Deum cõpleuisse opus suum die septimo, quia in eo cessauit ab omni opere quod patrauerat. Quod autem Septuaginta Interpretes sic intelligendi sint vt nos exposuimus, patet considerando verba eorum quæ sunt in principio secundi capitis: Sic autem se

C habent, *Perfecit Deus in die sexta opera sua quæ fecit: & requieuit Deus in die septima ab omnibus operibus suis quæ fecit.* Quo intelligere licet secũdum ipsos, Deum sexto die compleuisse opera sua, faciẽdo tunc vltimum opus, die autem septimo compleuisse, scilicet tunc primum vacando ab effectione & molitione mundi. Ponderauit Caietanus illa verba, *Compleuit Deus die septima opus suum quod fecerat.* Non enim inquit Deum compleuisse opus suum simpliciter & præcisè, ne videlicet putaret quispiam Deum fecisse quicquid poterat & quantumcumque poterat: cùm enim Deus infinitæ sit potentiæ ad agendum, nunquam facit tantum quantum potest facere, sed quocumque fa-

Caietanus in Genesim.

D cto aliud & aliud in infinitum potest facere. Dicitur igitur complere opus, quia facit quantum intenderat & statuerat facere, & quantum ratio operis postulat, & quia vacat ab agendo.

Q v o d autem dicitur. Deum requieuisse die septimo ab vniuerso opere quod patrauerat: non est sic accipiendum, vt intelligamus Deum more nostro ex fabricatione mundi quasi lassum & defatigatum cepisse requiem à labore: Siquidem in Scriptura, *Requiescere* sæpe non aliud significat quàm cessationem & vacationem ab agendo. Exempla in diuinis litteris passim sunt obuia. Illustre est illud in Apocalypsi capite quarto de sanctis animalibus,

Quid significet in Scriptura quies seu Quiescere.

Et requiem non habebant, ait Ioannes, *die ac nocte dicentia, Sanctus, Sanctus, Sanctus Dominus Deus omnipotens*, pro eo quod est, nunquam cessabant aut intermittebant dicere illa verba, alioqui maxima & vnica requies est beatorum, perpetuo Deum laudare. Similem habet intellectum illud Isaiæ capite primo. *Quiescite agere peruersè, discite benefacere.* Et capite secundo. *Quiescite ab homine, cuius spiritus in naribus eius est*, hoc est desistite eum offendere. Et in libro Iosue capite 5. pro eo quod Latinè legimus, *Defecit manna, postquam comederunt de frugibus terræ*, Hebraicè est, *Quieuit manna.* Et in libro Ecclesiastici capite decimo octauo. *Cum consummauerit homo, tunc incipiet; & cum quieuerit, operabitur.* Sic hoc loco sumi nomen quietis declarat Moses mox subiungens, Deum benedixisse diei septimo, quod in ipso cessauerat ab omni opere quod creauerat. Aristobulus, vt libri decimitertij de Præparatione Euangelica cap. 6. refert Eusebius, prodidit, propterea dictum esse septimo die quieuisse Deum, quod conditis à se rebus quietem indidit, hoc est, stabilitatem, permanentiam, perpetuitatem, ordinemque ratum, fixum & immutabilem: vel quod quæcumque facere decreuerat, prorsus ita vt destinauerat perfecta fuerint. Sicut dixit Dauid, *Omnia quæcumque voluit Dominus, fecit in Cœlo, & in terra, in mari, & in omnibus abyssis:* & alio loco, *Magna opera Domini, exquisita in omnes voluntates eius.* Ne quisquam verò suspicaretur ita cessasse Deum ab operando, vt nihil amplius in posterum operaretur, signatè dixit Moses cessasse illum ab omni opere quod patrauerat, hoc est, à fabrica & molitione mundi, quam sex diebus absoluit, vt nihil quod ad integritatem & ornatum mundi pertineret, vltra sex illos dies factum sit. Hoc autem propterea Moses addidit, vt manifestum esset cuiuis, fabricam mundi sex illis diebus fuisse omnino completam: alioqui Deus non amouisset manum ab opere, quoad ei quasi fastigium imposuisset: non enim decebat tantum opus inchoatum & imperfectum dimittere.

Noua interpretatio quietis Dei ab operibus suis, quã tulit Eusebio, tradidit Aristobulus.

Psalm. 134.

Psalm. 110.

Quomodo Moses dicat, Deũ septimo die quieuisse ab operando, cum Dominus noster dixerit. Pater meus vsque modo operatur

Ex his palam est, alienam esse huic loco quæstionem illam quam Theologi quidam tractare solent, quomodo tradat Moses Deum septimo die requieuisse ab omni opere, Cum Dominus noster dixerit Iudæis, vt memorat Ioannes c. 5. *Pater meus vsque modo operatur, & ego operor?* Quam quæstionem ita enodauit Augustinus libro 4. de Genesi ad litteram cap. 12. *Potest*, inquit, *intelligi, Deum requieuisse a condendis generibus creaturæ, quia vltra iam non condidit aliqua genera noua: deinceps autem vsque nunc & vltra operatur eorumdem generum administrationem quæ tunc instituta sunt: non enim die septimo potentia eius à Cœli & terræ omniumq; rerum quas condiderat gubernatione cessauit, alioquin continuò dilaberentur. Creatoris namque potentia, & omnipotentis atque omnitenentis virtus causa subsistendi est omni creaturæ. Quæ virtus ab eis quæ creata sunt regendis, si aliquando cessaret, simul & illorum cessaret species, omnisque natura concideret. Neque enim, sicut structura ædium cum fabricauerit*

quis, &

A *quis,& abscedit,atque illo cessante atque abscedente stat opus eius:ita mundus vel ictu oculi stare poterit,si ei Deus regimen sui subtraxerit. Proinde & quod Dominus ait.* Pater meus vsque nunc operatur:*continuationem quandam operis eius,qua vniuersam creaturam continet atque administrat ostendit.* Sic Augustinus quæstionem soluit. Subtilius autem & distinctius eandem explicant alij Theologi. Aiunt Deum post sex illos primos dies, quibus mundus fabricatus & absolutus est, nihil fecisse omnino nouum,& quod non in operibus illorum sex dierum aliquo modo contineretur,scilicet aut materialiter,vt Eua in costa Adę(siquidem putant quidem vt supra retuli, Euam die septimo esse creatam) aut causaliter & effectiuè, sicut omnia indiuidua cuiusque speciei in
B primis illis indiuiduis secundum quamlibet speciem in exordio mundi productis:aut potentialiter,velut animalia quæ generantur ex commistione diuersarum specierum, in illis speciebus vnde generantur:aut virtualiter,vt ea quæ fiunt ex putri materia;continebantur enim in virtutibus stellarum & elementorum aliorumque corporum quibus eas virtutes Deus indidit cum mundum est architectatus:aut secundum similitudinem speciei, quemadmodum omnes animæ rationales deinceps creatæ seu creandæ, quodammodo erant in prima anima Adæ,omnes namque sunt eiusdem speciei:gloria item beatorum hominum præfulsit in gloria sanctorum Angelorum:& gloria humanorum corporum futura post resurrectionem,quodammodo præluxit in claritate & gloria Cœli empy-
C rei.Hæc isti docent,verè quidem & doctè, quis negat ? at, quantum ad hunc locum attinet,supernacaneè nec satis aptè.Non enim Moses ait, Deum septimo die requieuisse ab omni opere simpliciter, sed cum hac adiunctione. *Ab omni opere quod patrauerat,* videlicet sex primis diebus : vt sensus sit, Deum fabricam mundi absoluisse sex diebus : quapropter die septimo destitisse fabricare amplius mundum.

Sententia Theologorum.

VERVM de hac Dei quiete, multa piè eruditeque philoso-
D phantur Patres,Beatus AVGVSTINVS libro quarto de Genesi ad litteram, capite decimoquinto, & BEDA in Hexameron, propterea, inquiunt, dictum esse Deum quieuisse die septimo ab operibus suis, non autem in operibus suis : vt intelligeremus, Deum non esse adductum ad res creandas vlla necessitate vel indigentia, sed sua duntaxat bonitate ac munificentia, scilicet vt bona sua etiam cum aliis communicaret. Non igitur requieuit in opere suo ex illo vtilitatem vllam aut voluptatem capiens, sed requieuit ab opere, hoc est, perfecto opere requieuit, nempe in seipso, sicut ante creationem mundi, & ex omni æternitate in seipso requiescebat, se solo fruens & se solo contentus ac beatus. Sic habent supradicto loco Augustini verba: *Nimirum ergo quia vitium est & infirmitas animæ, ita suis operibus delectari,vt*

Qualis fuerit quies Dei in die septima.

ctari, vt potius in ipsis quàm in se requiescat ab eis : cum proculdubio melius A
aliquid in illa sit quo ea facta sunt, quàm quæ facta sunt.. Insinuatur nobis per
hanc Scripturam qua dicitur requieuisse Deus ab omnibus operibus suis quæ
fecit, nullo opere suo sic delectatus, quasi faciendi eius eguerit, vel minor futurus
nisi fecisset, vel beatior cùm fecisset. Quia enim ex illo ita est quicquid ex illo est,
vt ei debeat quod est, ipse autem nulli quod ex ipso est, debeat quod beatus est, se
rebus quas fecit diligendo præposuit : non sanctificans diem quo ea facienda
inchoauit, nec illum quo ea perfecit, ne illis vel faciendis vel factis au-
ctum eius gaudium, videretur, sed eum quo ab ipsis in seipso requieuit. Et ipse
quidem nunquam ista requie caruit, sed nobis eam per diem septimum osten-
dit: hinc etiam significans non percipi requiem suam nisi à perfectis, cum ad
eam imitandam non deputauit diem nisi qui perfectionem rerum omnium se-
quebatur. Hæc Augustinus. Alij tradunt quietem hanc Dei in septimo B
die post effectionem mundi, fuisse figuram quietis Christi in sepul-
chro die Sabbathi, postquam die sexto opus nostræ redemptionis
per passionem & mortem suam consummasset. Nos quoque post
laborem sex dierum præsentis vitæ requiescemus septimo die in
altera vita, sicut ait Ioannes in Apocalypsi capite decimoquarto,
Amodo iam dicit Spiritus, vt requiescant à laboribus suis. Nobis quo-
que non est feriandum ab opere & labore tota hac vita, quoad per-
ueniamus ad Sabbathum, nec opera nostra completa erunt, aut
gratia consummata, quoad illuc fuerit peruentum. Vetabat Deus
olim die Sabbathi ignem accendi in domibus Iudæorum ad paran-
dum cibum, quinetiam colligi manna eo die prohibebat : illud, ne- C
cessitates præsentis vitæ, hoc laboriosam & solicitam diuinæ gratiæ
acquisitionem adumbrat: quorum neutrum opus erit in altera vita.
Verum de cœlesti sabbathismo sanctorum, multa Paulus in Epis-
tola ad Hebræos diuinè disputat.

CAP. 2. VERS. 3.

Et benedixit Deus diei septimo, & sanctificauit il-
lum: quia in ipso cessauerat ab omni opere suo
quod creauit Deus vt
faceret. D

QVILIBET priorum sex dierum habuit opus aliquod à Deo factum, quare ne ob id septimus dies existimaretur ociosus & ignobilis, singularem illi Deus benedictionem impertiuit : videlicet vt ostenderet diem hunc Indicem esse perfectionis & absolutionis Vniuersi. Voluit autem Deus hoc die desistere & vacare ab operando, quo indicaret omnia quæ ad perficiendum mũdi opificium pertinebant, sex superioribus diebus esse

A facta & completa: & quia opus perficere & absoluere, melius ac nobilius est quàm inchoare & facere, propterea maiori honore diem septimum quàm superiores sex dies dignatus est Deus, atque ad hūc modum supradicta Mosis verba Theodoretus quæstione vicesima prima in Genesim interpretatur. Quoniam autem Deum benedicere alicui, non aliud est quàm benefacere, & quidem largè & abundanter: Deum benedixisse diei septimo arguit diem hunc multis & egregiis Dei beneficiis & præclarissimis factis esse honestatum atque decoratum. Certè diem hunc septimum exemit Deus ab omni labore & seruili opere, ita vt cæteri dies in operando & laborando consumerentur hic autem dies esset vacationis & requietis. *Dignitas diei septimi.*

Hunc diem applicuit Deus ad cultum suum, vt in hoc nimirum
B homines à laboribus & curis terrenis feriati, meditationi rerum diuinarum, sacratúmque rerum tractationi, vacuo & libero animo studere & vacare possent. Hoc die per omnes Synagogas exponebatur lex Mosis, & verbum Dei explicabatur, vt traditur in Actis Apostolorum capite decimo quinto, Ab hoc die cæteri omnes hebdomadæ dies numerabantur & nominabantur. apud Iudæos enim, prima Sabbathi dicebatur dies Dominicus, secunda Sabbathi dies Lunæ, tertia Sabbathi dies Martis, & itidem deinceps. Erat dies hic optatissimus seruis, ancillis, mercenariis, & aliis qui laborando & seruiendo duriter vitam agebant: in eo namque requies ab omni labore dabatur omnibus. Ad huius diei similitu-
C dinem quilibet septimus annus erat annus quietis terræ: & transactis septem hebdomadibus annorum, vltimus septimæ hebdomadis annus initium dabat Iobilæo, quo nihil erat apud Iudæos optatius, lætius, & dulcius. Danieli quoque per septuaginta annorum septimanas tempus Messiæ aduentus definitum fuit. Denique multis ac præclaris rebus in Scriptura septenarium numerum consecratum & nobilitatum reperimus: de cuius numeri virtutibus & laudibus cum alij copiosè disseruerunt, tum multa subtiliter & accuratè in libro de mundi opificio tradit Philo. lege item quæ de eo scripsit Eusebius libro decimotertio de Præparatione Euan-
D gelica, capite septimo, & ante eum Clemens Alexandrinus libro sexto, Stromatum. Beda in Hexameron, & ante Bedam Augustinus libro primo de Genesi contra Manichæos capite decimotertio sex dies quibus mundus est conditus, adaptant ad sex mundi ætates, conuenientiam quæ est inter quemlibet illorum dierum & quamcumque ætatem mundi, nec ineptè nec inscitè declarantes. Sed qua ratione Deus sanctificauit diem Sabbathi? In diuina Scriptura, sanctificare idem significat quod separare à pollutione, immunditia, & profano vsu, & ad Dei cultum applicare: sic sanctificabantur primogenita, vasa templi, vestes sacerdotales, ipsique Leuitæ, Sanctificauit igitur diem Sabbathi, quia cum re-

Leuit. 25. Numer. 36.

Daniel 9. Septenarij dignitas.

Quid significet in Scriptura sanctificare.

liquos dies destinasset labori, hunc assignauit otio & quieti, suóque A
cultui addixit: itaque aliis diebus quodlibet opus facere, & quantumlibet, & quomodolibet laborare & operari licebat, tāquam dies illi essent profani & ignobiles: septimo autem die vt sacro, religioso, venerabili, rerúmque diuinarum tractationi dicato non opus seruile facere, non ciuilia negocia expedire, non durum aut grauem laborē susciperē licebat.

An iam inde ab hoc tempore impositæ sit hominibus lex à Deo obseruationis Sabbathi. Catharinus in Genesim.

SED quęstio est, an ex his verbis Mosis intelligendum sit, Deum iam tunc in exordio mundi obseruationem Sabbathi præcepisse, qualem videlicet post multa sæcula sanxit lex Mosaica. Catharinus hoc ait, idque argumētatur ex hoc loco, neque enim aliud esse Sabbathum sanctificare, quàm ab omni labore & seruili opere diem illū vacuum facere & cultui diuino consecrare: eodem enim modo po- B
steà per legem Mosis diem Sabbathi sanctificatum esse legimus. Tostatus autem hoc negat, nam quæ hic traduntur de Sanctificatione Sabbathi, dicta esse putat per anticipationem: nec referenda ad primum illum mundi nascentis Sabbathū, aut ad primæuos homines, sed ad statum & tempus legis Mosaicæ: quo nimirum tēpore hunc librū Moses Iudæis scripsit. Non fuisse autem in exordio mundi indictam obseruationem Sabbathi, multa probant argumenta. Principio in statu innocentiæ superuacaneum fuisset præscribere homini vnum aliquem diem ad vacandum Deo & rebus diuinis: tunc enim nihil futurum erat quod hominem auocaret à contemplatione & cultu Dei: quin ad hoc sponte sua propensissimus fuisset homo, nec C
septimo duntaxat die, sed quotidie, & quidem non semel sese ad meditandas tractandásque res diuinas dedidisset. Deinde præceptum de vacando à labore & opere seruili superuacuum fuisset in statu illo hominis fœliciſſimo, in quo nihil erat quod homini laborem, molestiam aut pęnam aliquam afferret. Posteà si tū datum esset præceptum obseruandi Sabbathum, profectò cunctos mortales obstrinxisset: datum enim esset primo homini, & in eo omnibus eius posteris: constat autem nunquam fuisse apud Gentiles in more & instituto obseruationem Sabbathi: nec legimus sanctos Patriarchas diem Sabbathi obseruasse. Et verò, si ab Adamo vsque perpetua fuisset huius præcepti traditio, & saltem apud pios viros obseruatio, cum Moses promulgando legem, præceptum hoc in- D
dixit Iudæis, haud dubiè antiquitatem eius & religiosam obseruationem apud eorum maiores commemorasset, quo facilius Iudæorum animos inclinaret ad hoc præceptum promptè, studiosè, sanctéque custodiendum. Prætereà, tradunt ferè Patres ac Theologi, Deum non aliud imposuisse Adæ præceptum omnino positiuum, nisi illud de non edendo fructu arboris scientiæ boni & mali. Adiice, Theologos docere, ante aduentum Christi Gentiles per solam obseruationem præceptorum moralium, & legis

natura

A naturalis cum lumine aliquo Fidei diuinæ, & supernaturali auxilio Dei, potuisse æternam salutem consequi: non igitur obligabat eos præceptum Sabbathi: obligasset autem, si homini in exordio mundi fuisset impositum. Tostato suffragatur Beda: Nam sanctificationem Sabbathi quæ hic describitur, refert ad eam quæ per legem Mosis postea tradita est Iudæis. Ego quoque assentior Tostato potius quàm Catharino: hanc enim sententiam Eusebio in primo libro, Historiæ Ecclesiasticæ capite quarto, & Iustino in Dialogo quem cum Tryphone habuit, necnon & Tertulliano atque Cypriano in iis libris quos scripserunt aduersus Iudæos placuisse reperio. *Beda in Hexameron.*

B Sed quid sibi vult Moses illis verbis, *Quod creauit Deus vt faceret*, seu, vt Hebræa sonant, *Quod creauerat Deus vt faceret*, quamquam Septuaginta Interpretes sic habent, *Quæ incepit Deus facere*: quid inquam, est illud *Creauit vt faceret?* Rupertus libro secundo, de Trinitate & operibus eius capite decimo octauo ad hunc modum interpretatur. *Creauit Deus prius in Verbo æterno, quod posterius fecit in opere externo. Creauit Deus æternaliter in sua essentia, quæ temporaliter creauit in propria quodque natura, secundum illud quod est in libro Ecclesiastici capite decimo octauo. Qui viuit in æternum, creauit omnia simul.* Sed dictum hoc Ruperti non impune præteriret Theologorum censuram. Res enim prout sunt in Deo, non fiunt vel creantur à Deo, sed sunt coæternæ Deo, quinimo reapse prorsus idem sunt quod Deus: Neque enim, vt exempli causa hoc dicam hominis ideam quæ est in Deo, creauit Deus, non sane magis quam suammet essentiam. Catharinus triplicem distinguit operationem Dei generalem atque principalem: prima est creatio, qua res quæ nihil erant, primum incipiunt esse: altera est restauratio principalis creaturæ huius mundi, hoc est, hominis: tertia erit & hominis & mundi renouatio & glorificatio, quoniam igitur creatio terminata est ad effectionem mundi: ideo dixit Moses quod creauit Deus vt faceret, Hebraicè ad verbum sic est, *Quod creauit Deus producendo, seu ad producendum:* quibus in verbis quidam Hebraicè scientes nolunt latere vllum mysterium, sed esse purum Hebraismum, sicut alias dicit Scriptura, *Iurando iurauit, percutiendo percussit, ita faciendo fecit.* Alij sic interpretantur, *Creauit vt faceret:* quia non solum perfecit vt opus existeret quod erat, sed etiam indidit ei vim & potestatem faciendi aliud simile sui, & illud itidem aliud, & ita deinceps, quoad mundus perduraret, ne videlicet necesse esset semper Deum noua opera facere, & ex nihilo creare. Ergo & fecit res, & fecit vt illæ alias sui similes facere possent eáque ratione & perpetuitati rerum, mundique diuturnitati consuluit, & res ipsas hac dignitate nobilitauit, vt non solum essent, sed etiam alias res facerent. Atque his verbis, inquit Caietanus, denotatur finis cuiusque rei creatæ, qui non est rem esse, sed est propria *Animaduersio in dictum quoddam Ruperti.* *Triplex Dei operatio generalis & principalis secundum Catharinum.* *Caietanus in Genesim.*

propria & perfecta eius operatio: nam vt ait Aristoteles libro secundo de Cœlo textu 17. Cuiuscumque rei est aliquod opus, ea res est gratia illius operis. Sic Paulus ad Ephesios 2. de Christianis & sanctis loquens: *Ipsius*, inquit, *sumus factura, creati in Christo Iesu, in operibus bonis quæ præparauit Deus, vt in illis ambulemus.* Nec desunt non pessimi auctores, qui illud *Vt faceret*, accipiunt pro eo quod est, vt disponeret & ad certum vsum & finem destinaret, quasi eo verbo declaretur, res omnes Deum non modo creasse & absoluisse, sed suum cuique finem præstituisse, & suis quasque res vsibus destinasse: aiunt enim verbum Hebræum, quod Latinus Interpres vertit, *Vt faceret*, propriè significare ordinationem, dispositionem, & ad aliquid certum destinationē & adaptationem. Non faciam longius: illud tantum velut clausulam adiiciam: In hoc die septimo apparuisse integritatem, absolutionem, & consummationem tam præclari & admirandi operis à Deo perfecti: tunc simillimum vero est, omnes spiritus cœlestes vnanimi sensu, pari iubilo & concordi voce, laudasse Deum tantorum operum architectum & molitorem, secundum illud quod scriptum est apud Iob capite 38. *Vbi eras, cum me laudarent astra matutina, & iubilarent omnes filij Dei*, vel sicut eo loci habent Septuaginta Interpretes, *Cum me magna voce laudarent omnes Angeli mei.* Huius diei septimi singularem quandam excellentiam, præcipuámque religionem & sanctificationē, quasi per nubem vidisse Gentilium priscos illos Theologos, Linum, Homerum & Hesiodum, productis in medium eorum versibus in lib. 13. de Præparatione Euangelica cap. 7. confirmat Eusebius.

A

B

Auctoris cōiectura non contemnenda.

Priscos poëtas non ignorasse dignitatem Sabbathi.

C

CAP. 2. VERS. 4. 5. & 6.

In die quo fecit Dominus Deus omnem herbam regionis, priusquam germinaret: nō enim pluerat Dominus Deus super terram, & homo non erat qui operaretur eam, sed fons, ascendebat è terra irrigans vniuersam superficiem terræ.

D

PRIMIS verbis docet Moses hoc loco, generationem plantarum quam supra tertio die factam commemorauerat, fuisse primam ante quam nulla vnquam fuerat, eámque esse à Deo proximè factam immensa eius potentia, non autem vi ac potestate naturæ: cuius rei illud ponit argumentum quod generatio illa plantarum facta est ante generationem pluuiæ & effectionem hominis: natura verò sine imbribus, hominísque cultura præstãtiores plantas non procreat, nec ad perfectionem adducit. Illud igitur. *Fecit Dominus Deus herbam regionis priusquam germinaret*, significat, illam Dei procreationem plantarum fuisse primam omnium, non vi naturæ, sed potentia Dei perfectam.

A fectam. Illorum autem verborum, *Fons aſcendebat è terra, irrigans vniuerſam ſuperficiem terræ*, quoniam Latinus & Græcus Interpres vocabulum Hebræum *Ed*, expoſuerunt vocabulo fontis, per obſcura eſt ſententia quis enim fuerit fons ille vniuerſam irrigans terram difficilem habet explicatum. Auguſtinus exponit hoc dupliciter: *Vel enim*, inquit, *fons dictus eſt pro fontes, ſingulari videlicet poſito pro plurali, ſicut fit in diuina Scriptura frequenter, & ſignificatur in exordio mundi aliquandiu, id eſt, ante generationem pluuiæ, terram aquis fontium eſſe irrigatam: vel ſi vnus fuit fons qui omnia terræ ſata irrigabat, intelligendum eſt eum ſtatis temporum interuallis excreſcentem & exundantem omnes terræ partes quæ propter plantas aquis indigebant, irrigare conſueuiſſe: Similiter vt Nilus altiſſimè latiſſiméque ſupereffluens, omnem irrigat & fœcundat Aegyptum, alternis quoque Oceani æſtibus littora quibuſdam locis ampliſſimè operiri fluctibus eademque viciſſim nudari notiſſimum eſt, quinetiam perhibent miram quorumdam fontium viciſſitudinem certo annorum interuallo eatenus inundantium, vt totam regionem adiacentem rigent, cum alio tempore vix ad potandum ſufficientem ex altis puteis aquam præbeant.* Sic Auguſtinus, libro quinto de Geneſi ad litteram capite nono, & decimo. Auguſtinum autem fere ſequuntur Latini huius libri Interpretes: & ante Auguſtinum Philo ſimiliter hunc locum interpretatus eſt.

Diſputatio, quis fuerit ille fons aſcendens è terra, à quo tradit Moſes irrigatam fuiſſe in exordio mundi vniuerſam terram.

Auguſtini duplex expoſitio.

B

Sed vtramque Auguſtini reſponſionem doctorum hominum reſpuet fides. Neque enim fontium aqua ad omnes terræ plantas
C permanare, vel quantum opus eſſet, id eſt, nec plus nec magis quàm cuiuſque ſtirpis natura poſceret, eas irrigare poſſet, ſine induſtria & artificio hominis, qui, quocumque opus eſt, aquas terreſtres deriuare, & irrigationem arbitrio ſuo temperare ac modificare poteſt. Fuiſſe autem vnum fontem qui omnes terræ ſtirpes & herbas ſuis aquis perfunderet planè excedit fidem: nam vt taceam immenſam vim aquarum iſtius fontis eſſe debuiſſe, vt quærere ſuperſedeam quid factum ſit eo fonte, poſtquam terra imbribus perfundi & fœcundari cœpta eſt: illud vrgeo, quemadmodum ab iſto fonte tot tantæque maris inſulæ irrigari potuerint, aut quomodo illius aquæ celſiſſima montium iuga & cacumina viridanti-
D bus ſyluis denſiſſima, & variis plantarum generibus conſita tranſcendere potuerint. Si dicant, infinita Dei poteſtate id eſſe factum, confugiantque ad miracula, ſatis indicabunt ſuæ infirmitatem & improbabilitatem ſententiæ, quæ niſi miraculorum adminiculis fulciſque ſubnixa & ſuſtentata, non poſſit conſiſtere. In operibus enim Dei, præſertim quæ ad mundi fabricam & abſolutionem pertinent, explicandis, non eſt conſiderandum quid Deus immenſa ſua potentia facere potuerit, ſed quid fecerit, aut quid facere eum maximè decuerit: nec quid omnipotentiæ eius factu ſit facilè, ſed quid conueniens ſit naturis rerum & ſapientiæ Dei, qui mundum à

Refutatio opinionis D. Auguſtini.

se solo conditum, sicut ait Augustinus deinceps agere naturales motus, suúmque seruare ordinem finit. Quo licet intelligere, sicut nunc generatio plantarum fit per causas naturales, ita quoque factam esse statim post illam primam, cum non sit opus miraculo illius fontis per omnem terram permanentis, & altissimos montes ad irrigandas quæ in eis sunt stirpes conscendentis. Albinus inquit, terram quam dicit Moses irrigatam esse vno fonte, non omnẽ terrarum orbem esse intelligendum, sed terram dũtaxat Paradisi, quam paulo post Moses ait irrigatam esse ab vno fluuio qui extra Paradisum in quatuor flumina diducebatur. Verum nusquam ante hunc locum Moses mentionem vllam fecit Paradisi, sed proximè post hunc locum, Paradisi historiam & narrationem orditur, cùm autem præcisè dicat omnem terram fuisse illo fonte irrigatam, extra sententiã eius est, verba ipsius ad Paradisi terram restringere. Glossa interlinearis negat ante diluuium vllas fuisse pluuias, sed terrestribus aquis toto eo tempore irrigatam esse terram. Atqui per totos mille sexcentos quinquaginta sex annos, ab exordio mundi ad diluuium vsque transactos, nullam esse generatam pluuiam, cum sit contra naturalem rerum cursum & ordinem, est omnino incredibile. Naturale enim est Soli, ex aquis & & terra vapores extrahere & in mediam aëris regionem extollere: naturale est vapores illuc perlatos frigore loci in nubes cogi & densari: naturale est ex densatis nubibus imbres gigni & in terras delabi: hic igitur tam naturalis ordo rerum, nisi Deo, summo|quodam miraculo inhibente atque impediente, tamdiu intermitti & impediri non potuit.

Tertia expositio, quæ est Albini.

Mirabile dictum Glossæ interlinearis.

A

B

C

PROBABILIOR igitur loci huius interpretatio ex propria notione vocabuli Hebræi eruenda est. Vocem אד *Ed*, Hebræi, & de Christianis, eius linguæ scientissimi affirmant significare vaporem, talem scilicet qualis est ex quo vi Solis è terra in sublime attracto pluuia generatur, cuius interpretationis affinis est ea quam secutus est Chaldæus Paraphrastes, *nubem* interpretatus: nubes enim non aliud est quàm vapor terræ vel aquæ in sublimi coactus & densatus. Pro hac significatione est illud Eusebij fatentis se audisse de quodam Hebræo vocabulum *Ed*, non fontem, sed vaporem significare. Theodoretus quoque citat Aquilam interpretem qui similiter eam vocem Hebræam transtulerit, quam significationem ipse etiam sequens putat terram à principio non esse irrigatam imbribus, sed humore seu vapore qui post generalem illam aquarum à terra segregationem tertio die factam, aliquamdiu in ipsa remansit, & vicem pluuiæ ad eam perfundendam & fœcundandam impleuit. At enim verò, in istum vaporem seu humorem Theodoreti verba Mosis minimè quadrant, ait enim vaporem ascendisse de terra & omnem superficiem eius irrigasse: verbum enim ascendendi & irrigandi, humori ex aquis in terra: relicto nequaquam congruit.

Quarta expositio, præter cæteras placet Auctori.

D

A congruit. Tostatus inquit, sed reclamantibus tamen Hebræis, vocem Hebraicam *Ed*, esse ambiguam, & tam pro fonte quàm pro vapore interdum poni & vsurpari, quamquam si per ascensum vaporis è terra, intelligamus describi à Mose generationem pluuiæ, qua terra post primam illam plantarum procreationem perfundi & fœcundari cœpit ad generandas plantas. non erit alienum huic significationi vaporis vocabulum fontis à Græco & Latino Interprete positum, perennis enim exhalatio vaporum ex terra in sublime, vnde fit imbrium generatio, quasi fons quidam rite nominari potest. Aristoteles quidem certè primo libro Meteororum summæ tertiæ capite primo circularem & perennem quendam fluuium eam appellauit, cuius verba supra commemorauimus, cum de aquis super Cœlos à Deo positis
B disputaremus. Germana igitur huius loci explanatio & sententia ea videtur esse, primam quidem generationem plantarum à solo Deo immensa eius potentia, non autem per causas naturales esse factam, cæteras verò quæ deinceps consecutæ sunt stirpium generationes, factas esse modo & ratione naturali, videlicet per culturam hominis & vim pluuiæ, cuius materiam generationis, locum item finemque atque vsum eius, his paucis verbis Moses aperuit: materiam, cum dixit *Vapor*: ex vaporibus enim gignitur pluuia: locum, cum inquit, *Ascendebat è terra*, ex vaporibus enim sublatis ex terra in superas aëris regiones pluuiæ generatio existit: finem autem & vsum eius, cùm
C adiicit, *Et irrigabas vniuersam superficiem terræ*. Eiusdem pluuiæ generationem & vsum, pulchrè Dauid exposuit Psalmo centesimo quadragesimo sexto, pulcherrimè autem Iob capite trigesimo sexto, Ille inquit, *Qui operit Cœlum nubibus, & parat terræ pluuiam. Qui producit in montibus fœnum, & herbam seruituti hominum. Qui dat iumentis escam ipsorum, &c.* Hic autem ait, *Qui aufert stillas pluuiæ, & effundit imbres ad instar gurgitum, qui de nubibus fluunt quæ prætexunt cuncta desuper. Si voluerit extendere nubes quasi tentorium suum, & fulgurare lumine suo desuper, cardines quoque maris operiet. Per hæc enim iudicat populos, & dat escas multis mortalibus.*

DISPVTATIO.

D

Vtrum mundus per sex dierum interualla, an simul totus vno temporis puncto sit conditus.

SED absoluta diuinorum operum (excepto homine de cuius creatione separatim libro quarto disputabimus) quæ sex primis diebus effecta sunt explanatione. restat vt duas perquam graues ac uobiles disputationes pertractemus, alteram, an mundus per sex dierum interualla sit factus, an vno temporis momẽto simul totus sit conditus: alteram vero

ram verò,cur de creatione Angelorum nullum hoc loco Moſes ver- A
bum fecerit. Vetus & perquam grauis quæſtio eſt apud Patres &
doctos viros,an opificium mundi,vniuerſum ſimul eodemque pun-
cto temporis factum & conſummatum fuerit, an verò paulatim &
particulatim per ſex dies, id quod narratio Moſis præ ſe fert, ſit ab-
ſolutum. Philo Iudæus in libro de Allegoriis legis Moſaicæ,ruſtica-
næ inquit eſſe ſimplicitatis, exiſtimare mũdum decurſu ac mora ſex
dierum eſſe conditum:cum diſtinctio & ſucceſſio dierum atque no-
ctium & ratio ipſius temporis conſtare nequeat ante mũdum con-
ditum, ſed motum Cœli maximè vero Solis & Lunæ conſequatur.
Cum igitur Moſes ait Deum ſex diebus abſoluiſſe mundi fabricam,
non eſt id,auctore Philone,ad interualla ſex dierum referendum,ſed B
intelligendum eſt illo dierum numero ſignificari mundi perfectio-
nem quæ per numeri ſenarij perfectionem deſignatur. Idem cenſet
hoc loco Procopius Gazæus: Moſen enim inquit, in deſcribendo
mundi opificium, ſex dierum diſtinctione vſum eſſe docendi gratia
ob tarditatem videlicet, ruditatémque Iudæorum quibus hæc ſcri-
bebat? qui quę Deus ſimul fecerat, ob tantam eorum multitudinem
atque varietatem ſimul & indiſcretè capere & comprehendere, vt
erant anguſtiſſimis ingeniis, nequaquam potuiſſent. Accedit huic
ſententiæ Caietanus in Comment. ſuper 1.cap.Geneſeos, & diſtin-
ctionem ſex dierum putat in id poſitam à Moſe, quo facilius decla-
raret naturalem rerum ordinem, conſequentiam & dependentiam.
Sic enim res ſuapte natura inter ſe aptæ & connexæ ſunt, vt ſi mun- C
dum ſucceſſiuè voluiſſet Deus facere, nõ alio ordine vel ſucceſſione,
quàm vt hic narratur, facturus eum fuiſſet.

An mundus ſit totus in inſtanti factus, necne.

Auguſtinus putauit mundum ſimul totum vno tẽporis puncto eſſe factum.

VERVM enim verò inter Theologos, huius opinionis princeps
& auctor fuit Auguſtinus:qui cùm aliis locis, tum diſertiſſimè lib.4.
de Geneſi ad litteram cap. 21. & ſequentibus aliquot capitibus vſ-
que ad finem eius libri, ſimilius verò ac multo probabilius, & tam
rationi quàm diuinę Scripturę congruentius, omnes mundi partes
ſimul eſſe perfectas,quàm per ſucceſſionem aliarum poſt alias,& per
interualla temporum,arbitratur. Is porro nomine diei interpretatur
cognitionem rerum quam habent Angeli à Deo mentibus ipſorum
impreſſam. nam quæcumque Deus fecit in mundo,ea prius aut cer- D
tè ſimul expreſſit in Angelorum intelligentia. Mane eſt cognitio re-
rum in Verbo:veſpere eſt earumdem rerum in ipſiſmet rebus.Angeli
namque dupliciter res nouerunt, & in Verbo cognitione clariſſima
& in ipſiſmet rebus per infuſas ſibi à Deo ſpecies intelligibiles. Sex
dierum diſtinctio, eſt cognitio rerum ſexies in Angelo ſecundum
ſex genera rerum à Deo conditarum multiplicata. Atque hæc eſt
Auguſtini ſententia: quæ partim nonnullis Scripturę teſtimoniis,
partim etiam quibuſdam rationibus confirmatur. In libro Eccleſia-
ſtici capite 18. ſic eſt, *Qui viuit in æternum creauit omnia ſimul.* Ecce
ſimul ait Scriptura eſſe omnia facta, quid potuit pro opinione

Auguſtini

A Augustini vel explicatius, vel illustrius, vel fortius dici? Deinde in c.2.lib.Geneseos ita legitur, *In die quo fecit Dominus Deus cœlum & terram, & omne virgultum agri:* in eodem igitur die cœlum, terra & plantæ sunt creatæ: atqui creatio plantarum exposita est à Mose in tertia die; quare distinctio illa dierum reuera ad vnum & eundem diem pertinet. Ad hoc Dominus apud Iob cap.40. *Ecce,* inquit, *Behemoth, quem feci tecum:* Per Behemoth ferè Patres exponunt diabolum: sunt igitur diabolus & homo simul creati: sed ille creatus dicitur ante primum diem; hominem autem narrat Moses factum sexto die; ergo enumeratio illa sex dierum, veram distinctionem & successionem temporum minimè denotat. Accedit his, cum Deus sit infinitæ potentiæ ad agendum, & omnia producta sint ex nihilo quod nullam
B prorsus habet vim resistendi aut retardandi actionem opificis; videtur profecto consentaneum, Deum non creasse res ex nihilo paulatim & per moras temporum, sed, quod magis congruit eius omnipotentiæ, fecisse eas simul omnes & vnico temporis momento.

VERVMTAMEN contrariã Augustino sententiam, equidẽ non modo probabiliorem iudico, sed etiã terræ ac indubitatæ veritatis censeo. Hæc enim fuit sententia ferè omniũ Patrum & Doctorum Ecclesiæ, quotquot fuerũt ante Augustinum, quinetiam complures Theologorum, cæteroqui doctrinæ Augustinianæ studiosissimi & acerrimi defensores, veluti Beda in Hexameron, Hugo de S. Victo-
C re in 1. libro de Sacramentis, Rupertus in libro 1. de Operibus Trinitatis cap.37.& libr.2.cap.18. Magister sententiarum in libr.2. dist.12.& ibidem Bonauentura, aliique permulti in hoc desciuerũt ab Augustino: & ante omnes S. Gregorius lib.32.Moraliũ, cap.10. his verbis, *Rursum quærendum est, quomodo Deus cuncta simul condidit, dum Moyses sex dierum mutatione variante distinctè creata describat, quod tamen citius agnoscimus, si ipsas causas originum subtiliter indagamus. Rerum quippe substantia simul creata est, sed simul species formata non est: & quod simul extitit per substantiam materiæ, non simul apparuit per speciem formæ. Cum enim simul factum cœlum terráque describitur, simul spiritalia atque corporalia, simul quicquid de cœlo oritur, simul factum quicquid de ter-*
D *ra producitur, indicatur. Sol quippe, luna, & sydera quarto die in cœlo facta perhibentur: sed quod quarto die processit in specie, primo die in cœli substantia extitit per conditionem. Primo die creata terra dicitur, & tertio arbusta condita, & cuncta terræ virentia describuntur, & hoc quod die tertio se in specie protulit, nimirum primo die, in ipsa de qua ortum est terræ substantia conditum fuit. Hinc est, quod Moyses & distinctè per dies singulos condita omnia retulit, & tamen simul omnia creata subiunxit, dicẽs, Ista sunt generationes cæli & terræ, quando creatæ sunt in die quo fecit Dominus cælum & terram & omne virgultum agri antequam oriretur in terra, omnémque herbam regionis. Qui enim diuersis diebus creatum cælum & terram virgultum herbámque narrauerat, nunc vno die facta manifestat; vt liquido*

Veriorem esse sententiã mũdum esse particulatim, & per sex dierũ interuallacreatum.

Notab. sententia Gregorij arbitrantis, omnia simul esse facta secundum substantiam materiæ, sed non secundum rationẽ & proprietatẽ formæ.

ostenderet quod creatura omnis simul per substantiam extitit, quamuis non A
simul per speciem processit. Hæc Magnus Gregorius. At licet B. Thom. in 2. par. q. 74. art. 2. exposita vtraque opinione noluerit suffragio & iudicio suo vtra sit probabilior decernere; attamen si quis benè perpendat disputationis eius progressũ, ad hãc nostrã potius, quàm ad illam Augustini sententiam propendere eum animaduertet. Idem S. Thomas quarta quæstione de potentia Dei articu. 2. dicit, opinionem Augustini esse subtiliorem & commodiorem ad liberandam Scripturam ab irrisione infidelium, licet contraria sit planior & litteræ Mosis conueniẽtior. Certè, Dionysius Areopagita in lib. de diuinis nominibus parte prima capitis 4. de luce solis verba faciens, sic ait, *Hac quoque mensura & numerus est horarum, dierum, totiúsque la-* B
bentis temporis lux. Ipsa est enim ea lux (etsi tunc erat informis, quod & diuinus Moses ait) quæ primam distinxit & diffiniuit dierũ nostrorum trinitatẽ. Vult igitur Dionysius tres primos dies à luce solis tunc informi esse diffinitos & peractos: quare sententiæ eius repugnat quisquis sex illorum dierum temporalẽ distinctionẽ & successionẽ è medio tollit.

VERVM quanta sit huius sententiæ probabilitas, multis atque validis rationibus demonstrabo. Primo, hęc doctrina Mosis de creatione mundi, est quædam historica narratio tradita rudi populo Iudæorum, simplici ratione docens quæ à Deo facta sunt in opificio mundi; quare quæ in ea traduntur, sic accipienda sunt vt verba ipsa sonant: & illa existimanda est melior interpretatio, quæ ver- C
bis Mosi secundum propriam & vsitatam significationem eorum sumptis, magis congruere & consonare reperietur. Moses autem, explicatissimè ac distinctissimè per censet sex dies in fabricãdo mũdo transactos; quin particulatim edocet, quid quoque illorum dierum factum fuerit. Nec si cogitatè Moses & ex professo ostendere voluisset, mundũ non simul sed per sex dies esse creatum, id, quàm nunc docet, apertius & enucleatius docere potuisset. quod si voluit significare mundum esse factũ simul, non potuit vti oratione & verbis proposito suo magis alienis, dissentaneis atque contrariis. Nec illud probandum est quod respondẽt quidam, Mosen ita esse locutum, vt scriptionem suam attemperaret & accõmodaret ad captum D
rudium Iudæorum, quorũ intelligentia & memoria confusa & perturbata fuisset, si eis Moses simul esse omnia à Deo facta proposuisset: nec potuisse Mosen simul dicere quæ potuit Deus simul facere: hoc inquam minimè probandum est. Potuit enim Moses distinctè ac separatim tradere genera omnium rerum quas Deus condidit, sine vlla distinctione aut commemoratione dierum: potuit docere, licet partes huius mundi multæ ac diuersæ essent, simul tamen omnes ex nihilo à Deo esse conditas: potuit, immo verò debuit occasionem omnem erroris præcidere Iudæis, qui verba Mosis ita vt per se sonant intelligentes, haud dubiè crediturí erant non simul sed per diuersa dierum interualla mundum esse à Deo fabricatum.

DEIN

A DEINDE, potentissimum aduersus istos argumentum est, quod Moses in Exodo cap. 20. & 31. cum daret Iudæis præceptum obseruandi diem Sabbathi, causam cur eum Iudæi tam sanctè ac religiosè colere deberent, hanc vnam reddat: quòd sicut Deus mundum & omnia quæ sunt in mundo sex diebus creauit, septimo autem die vacauit & requieuit ab omni opere quod patrarat; ita quoq; Iudæos debere per sex dies hebdomadæ in operando & laborando versari, die autem septimo ad exemplum & imitationem Dei ab omni opere seruili laboréque feriari. Hæc autem ratio Mosis, quis non videt quàm sit infirma futilis & friuola, si Deus non per sex dies, sed simul & vno temporis momento res omnes fecisset? Posteà, nec fidem nec
B rationem habet vllam, voluisse Mosen opificium mundi quod exponebat Hebræis, tam obscurè & ænigmaticè describere, per cognitiones videlicet Angelorum matutinas & vespertinas, vix Theologis ipsis hodiéque liquido perspectas & cognitas. Sanè, si figuratè ac mysticè hos sex dies interpretamur, cur non itidem cætera huius narrationis Mosaicæ allegoricè cum Origene intelligamus? cum reliqua melius deflecti & applicari possint ad sensum mysticum: quo fiet, vt nihil in hac doctrina Mosis ratũ & certum habere queamus.

Validissimum argumentum aduersus opinionem Augustini.

AD HOC, opinio Augustini cum probata omnium Theologorũ consensu doctrina minimè congruit. qui enim dicit, omnia quæ per sex dies facta narrantur, simul esse facta; necessariò etiam dicere debet, simul creatum esse cœlum, hoc est, naturã Angelicam, vt exponit Augustinus; simul esse creatam lucem, hoc est, Angelos bonos
C per conuersionem suæ voluntatis ad Deum fuisse in gratia confirmatos atq; consummatos; denique simul diuisas esse tenebras à luce, hoc est, malos Angelos à bonorum consortio esse segregatos: si autem hæc omnia simul facta sunt, necessariò cõcluditur inter creationem Angelorum, eorúmque vel merita & glorificationẽ, vel peccatum & damnationem nullam prorsus interfuisse moram, sed eodem momento omnes esse creatos, & alios quidem meruisse gloriã eámque accepisse, alios verò peccasse & in æterna inferni supplicia esse detrusos. hoc autem doctrinæ omnium Theologorum, necnon & ipsius Augustini, Scripturæ item atque rationi aduersatur. Adde,
D quod Augustinus sumit, Angelos, simul vt creati sunt, habuisse cognitionem omnium rerum in Verbo perfectissimam, quam ipse vocat matutinam: atqui cognitio rerum in Verbo est beatifica, quam Angeli in primo instanti suæ creationis nõ habuerũt. Verũ quid isti dicere habẽt de homine, quẽ Moses sub finem primi capitis perspicuis verbis narrat marem & fœminã die sexto à Deo esse creatum? at quomodo potuit eodem puncto temporis formari homo extra paradisum, & posteà introduci in paradisũ, ibiq; graui somno corripi, tũ ex costa eius dormiẽtis produci Eua? quin, adiiciũt nõnulli, eodem die sexto imposuisse Adamũ nomina cunctis animantibus, & tentatum esse à serpente, lapsúmque in peccatum, & ex paradiso eiectum.

SEDENIM, aduersus opinionẽ Augustini, extremo vtar hoc argumento. Enumeratio & distinctio sex dierum à Mose tradita, vel denotat ordinem temporis, quo res aliæ prius, aliæ posterius sunt conditæ: aut ordinem dignitatis, quo aliæ præstantiores sunt aliis: vel ordinem naturæ, quo secundum naturam aliæ sunt priores aliis, quoniam aliæ sunt causæ aliarum, aliæque dependent ab aliis; vel denique denotat ordinem rerum, prout ipsæ res cognoscuntur ab Angelo, ita vt numerus illorum dierum indicet multitudinem aut successionem cognitionum Angeli circa eiusmodi res: atqui nihil eorum probabiliter dici potest prẹter primum: ergo fatendũ est vniuersum mundi opificium non simul, sed per interualla temporis esse conditum. Etenim, si distinctio illorum dierum denotaret ordinem dignitatis rerum conditarum, proculdubio ante alia omnia homo, mundi huius princeps, creari debuisset; quem tamen in sexto die vltimum Dei operum esse factum narrat Moses. Sin autem enumeratio dierum demonstraret ordinem naturæ, quem res creatæ habent inter se, profecto solis & astrorum creatio, prius fuerat commemoranda quam stirpium, quibus illa sunt ordine naturę priora, namq; incorruptibilem habent naturã, & plantarũ sunt causę. Quod si per numerum illorum dierum insinuatur ordo earum rerum prout cognoscuntur ab Angelis, non esset vtique talis distinctio dierũ vel rationi congruens, vel etiam cum modo cognitionis angelicæ concordans. Cognitio siquidem angelica duplex est, vt diximus, matutina & vespertina; matutina, vt quæ non est aliud re ipsa quàm visio Dei beatifica, nullam habet in se cogitationum multitudinem aut successionem, sed est vnica mentis actio perpetua & omnino inuariabilis: vespertina autem cognitio, qua res cognoscuntur in seipsis, non multiplicatur secundum multitudinem & varietatem rerum; possunt enim Angeli, præsertim qui superiores ac nobiliores sunt, vnica mentis agitatione, & quasi prospectu multa rerum genera simul comprehendere. Adiice, quod si res naturales ordinem aliquem haberent in cognitione angelica, non alium habere possent, quàm vel temporis, vel dignitatis, vel naturę seu causalitatis; cũ quo tamẽ, vt ante dixi, ordo dierum quem designat Moses, nullo modo consentit. Iam verò si mundus in die solis qui nunc dominicus est fuit conditus, quod Augustinus ipse cum plurimis Patribus affirmat, & si omnia simul & vno temporis puncto sunt facta, quo modo verũ erit, Deum requieuisse ab omni opere quod patrarat die septimo qui est sabbathi? cum inter diem dominicum, quo mundus est conditus, & diem sabbathi quinque dies intercedant. Adde, quod Ecclesia videtur, posthabita opinione Augustini, hanc nostram secuta. Siquidem in hymnis, quos canit in vespertinis precibus singulorum dierum hebdomadis, laudat Deum de singulis operibus, quæ particulatim ipse per singulos dies perfecit.

RESTAT, vt rationes pro confirmatione opinionis Augustini superius

A perius adductas, breuissimè dissoluamus. Primo, locum illum ex ca' 18. Ecclesiastici, *Qui viuit in æternum, creauit omnia simul*, quo maximè permotus est Augustinus, eum Bonauentura & S.Thomas, sic interpretantur: Triplicem fuisse Dei operationem in opificio mundi: Prima fuit creatio, hoc est, productio ex nihilo illius massæ corporalis, quam Moses cœli, terræ & aquæ nomine describit: & quia ex his, vel creata memorantur in his tribus corporibus, facta sunt quæcumque postea per sex dies ideo dicuntur creata omnia simul, hoc est, secundum illam primæuam materiam, & massam totius mūdi: altera operatio Dei fuit trium prædictorum corporum distinctio & digestio per tres priores dies facta: tertia fuit eorundem corporū ornatus & consummatio, in quo tres posteriores dies cōsumpti sunt. Atque hæc ipsa
B est sententia B.Gregorij in lib. 32. Moralium c.9. & Bedæ super Hexameron, vt suprà diximus. Rupertus lib.2.de Trinitate & operibus eius, c.18. noua & admirabili, sed parum probabili interpretatione, quam superius tetigi, locum hunc Ecclesiastici exponit. Alij dicunt, propterea dici omnia creata simul, quia creatio omnium breuissimo temporis interuallo, id est, sex tantum dierū diuisa est, & toto illo tractu tēporis quodammodo continuata: vt quæ illo sexiduo facta sunt, quasi facta simul memorentur. nā & Dominus Mar.c.10.dixit, fecisse Deum ab initio creaturę hominem marem & fœminam: & Io.c.8. inquit, diabolum fuisse homicidam ab initio; cum hæc tamen non ante sextum diem euenerint. Alij locum illum Ecclesiastici sic interpretā-
C tur: Omnia creata sunt simul, ea nempe quæ sunt, propriè loquendo, creata, id est, ex nihilo facta; hęc autem simul omnia vno instanti sunt condita, cœlos dico Angelos & quatuor Elementa. Sed verum & germanum illorum verborum Ecclesiastici intellectū reddit verbū Græcum ibi positum κοινῶ, quod noster Interpres vertit Latinè *Simul*: significat enim idem quod pariter, seu communiter, vel vniuersaliter: vt proprius eius loci sensus sit, Deum omnia pariter, vel sine vllius rei exceptione creasse. Similiter vt dicit Ioannes de verbo diuino, *Omnia per ipsum facta sunt & sine ipso factū est nihil.* Quare Latina illa vox, *Simul*, non denotat eo loco simultatem temporis, vt putauit Augustinus, sed
D simultatem collectionis seu vniuersalitatis, qua significatione alias non raro ponitur in Scriptura, velut Leuit. 25. *Numerabis*, inquit, *septem hebdomadas annorum*, id est, septies septem, quæ simul faciūt annos quadraginta nouē: & in libro Num.c.25. vox *Simul*, eadē significatione sumpta ter quatérue legitur: necnon in psal.13. *Omnes declinauerūt, simul inutiles facti sunt: non est qui faciat bonum, non est vsque ad vnū:* & Psal. 48. *Simul insipiens, & stultus peribunt.* Illud autē ex 2.c.Gen. *In die, in quo fecit Deus cœlum & terram, & omne virgultum agri*, facilem habet explicatum. Illud namque *In die*, dictum est singulariter pro plurali *in diebus*: numerum enim pluralem pro singulari, & contra singularem pro plurali sæpè vsurpat Scriptura: vel illud, *In die*, dictū est pro eo quod est *in tempore*, sic enim frequentissimè est apud Prophetas, qui nomen

Explicatur locus Eccles. cap.18.

Triplex fuit Dei operatio in opificio mundi.

Ioan.1.

diei vel horæ, vsurpant pro tempore. Bonauent. censet illud *In die,* A
supponere confusè pro diuersis diebus ita vt sigillatim applicari debeat cuique diei.

Exponitur locus Iob 40.

NIHILOMINVS facile est ad explicandum illud Iob, *Ecce Behemoth, quem feci tecum*: nam esto per Behemoth significetur diabolus, vt multis visum est: non tamē continuò efficitur, vt illud *Tecum*, idem valeat, quod eodem tempore quo te; quin longè aliud significat, videlicet, vel pariter creaui illum ac te, ambo estis opera mea: vel feci similem tui, hoc est, mentis compotem, liberi arbitrij, ad mei similitudinem & imaginem, capacem boni & mali, æternæque felicitatis: denique sicut, sicut te non creaui malum, sed bonum & rectum, sic & illum, quamquam Hebræi, & Christianorum professi linguæ Hebrææ notitiam & studium atque in his Eugubinus & Franciscus B
Titelmanus, per *Behemoth* significari putant secundum sensum litteralem, animal omnium terrestrium mole corporis maximum, & robore valentissimum, ipsum, inquam, Elephantem, quem propterea Scriptura vocat Behemoth, id est, bestias, quod propter ingentem corporis proceritatem atque firmitatem, instar sit multarum bestiarum, quo fit vt eo loco pro voce Hebræa *Behemoth*, posuerit Chaldæus Paraphrastes Beiraià, id est, Bestias, seu pecudes, LXX. verò Interpretes verterint Θηρία, id est, feras: Dicitur autem *Quem feci tecum*, quoniam eodem die sexto videlicet, & vltimo, tam homo quàm cunctæ terrestres animantes creatæ sunt à Deo: vel, vt esset apud te tuis vsibus, obsequiis & oblectamentis inseruiens: vel omnium animantium feci eum tui simillimum: plus enim rationis, consilij, solertiæ, & docilitatis apparet in Elephante quàm in cæteris. Quod verò sequitur, *Ipse est principium viarum Dei*, propter quod & Caietanus, & quidam alij existimarunt non posse intelligi per Behemoth aliud aliquid quàm diabolum, perbellè congruit elephanti. Etenim videtur ipse inter animalia præcipuum ac principale Dei opus, vt quo non sit aliud vel mole maius, vel robore valentius, vel docilitate præstantius. appellat autem Scriptura vias Dei opera eius & creaturas corporales, cuiusmodi sunt animalia terrestria, vtpote per quæ quasi per vias quasdam videtur Deus quodammodo extra se ire, suam bonitatem communicando cum aliis, suámque potentiam & sapien- D
tiam in his quæ facit extra substantiam suam apertissimè declarando. Sed locum hunc Iob, nos in quarto libro Commentariorum nostrorum in Danielem, quos superioribus annis edidimus, tractantes illum versiculum Cantici trium puerorum, *Benedicite omnes bestiæ & pecora Domino*, copiose & diligenter explanauimus.

Cur Deus non simul & vno temporis puncto, sed per interualla & moras sex dierum mundum condiderit.

VERVM expediamus postremum argumentum. Aiunt non fuisse conueniens Dei omnipotentiæ, mundum tam lentè, per sex nimirum dies fabricari. Sed respondemus, moram illam in creando mundo positam, non arguere impotentiam Dei tanquam indigentis tempore ad agendum, sed propterea esse factam vt liquido cerneretur

ordo

A ordo & connexio quæ est inter res à Deo productas, & dependentia omnium à Deo, & cognosceretur triplex status mundi: primus creationis, secundus distinctionis, tertius exornationis & expletionis; in quorum primo elucet Dei omnipotentia, in altero sapientia, in tertio bonitas. Porro diuersis mundi statibus diuersi dies respondent: semper enim per subsequens opus, vel nouus mundo status, vel nouæ perfectionis in eodem statu facta est accessio. Adde quod cuiusque diei opus puncto temporis perfectum est: qua ex re omnipotentia Dei clarissimè pernotuit. mora igitur in creando, nec accidit ex materiæ resistentia, nec ex agentis imbecillitate, sed ex summa ratione & consilio & sapientia opificis omnia liberè prouidè ac sa-
B pienter agentis. Hinc enim luce clarius fit, Deum summa suæ voluntatis libertate mundum fecisse: nam & quando voluit eum fecit cum ante potuisset facere: & fecit quo modo & quo voluit ordine: quin præter ordinem, quem ipsa rerum natura poscere videbatur. Siquidem cœlos fecit sine vlla luce, & lucem cœli prius fecit imperfectam, & posterius eam perfecit creatis quarto die in cœlo astris: plantas item creauit ante sydera; vt perspicuum sit, Deum sine causis secundis, res sublunares efficere & conseruare posse, & illas multo magis à Deo quàm à cœlis, & astris pendere. Maneat igitur, mundum non simul totum sed particulatim per sex dies esse factum.

Cvr autem nec pluribus nec paucioribus quàm sex diebus factus fuerit, quis mortalium, nisi cui forte sit à Deo patefactum, expli- *Cur sex diebus factus sit mundus.*
C care queat? Equidem reor, sicut à sapientissimo opifice qui nihil non summo consilio & ratione agit, temere factum id esse, fas non est credere; sic cur factum sit veram ac propriam rationem iniri à nobis non posse. Non me fugit, Augustinum & Bedam & ante hos Philonem prodidisse, numerum senarium esse perfectum, quippe qui primus suis partibus conficitur & completur, sexta videlicet parte, quæ *Senarij perfectio.* est vnum, & tertia parte quæ sunt duo, & dimidia parte quæ sunt tria: vnum enim & duo atque tria, sex efficiunt. Sex igitur diebus perfecit Deus mundum, vt qui omnia facit in mensura & numero & pondere, (vt Scriptura docet) ipso numero quo mundum fabricabat, eum declararet opus esse perfectum atque consummatum. Plu-
D ribus verbis hoc persequitur Philo in libro de Opificio mundi. Augustinus certè in primis septem capitibus libri quarti de Genesi ad litteram copiosissimè de senarij numeri perfectione disputat, & in lib. 11. de Ciuitate Dei cap. 30. Eusebius verò libro 11. de Præpara. Euangelica cap. 12. Clementem producit ex libro 6. Stromatum testem, qui testificatur duplicem à Græcis & Barbaris tradi mundum, alterum intelligibilem, alterum sensibilem: illum archetypum, hunc diuini exemplaris imaginem; illum attribui vnitati, hunc hexadi, quem Pythagorei quod sit fœcundissimus numerus, Connubium appellarunt. Porro sicut senarius vno, duobus & tribus, quæ sunt eius partes, conficitur: ita mundus tria, continet rerum genera,

videlicet

videlicet naturam incorpoream quæ est in Angelis, & corpoream, A
& vtriusque participem quæ est in homine: prima denotatur per v-
nitatem, secunda per binarium, tertia per ternarium. Verùm hæc vt
sunt ingeniosè inuenta & argutè tradita, curiosi tamen & docti le-
ctoris animum fortasse non explebunt.

An mundus sex duntaxat annorũ millibus sit duraturus.

Non est silentio prætereundum, sed prodendum est hoc loco quia
est à multis proditum, fuisse olim non paucos nec ignobiles auctо-
res, qui, sicut mundus sex diebus est factus, ita eum duntaxat sex an-
norum millibus duraturum existimauerint. Vetus est traditio, vt
prænotauit Genebrardus in sua Chronologia, à quodam Helia, non
illo Thesbite propheta, sed à quodam alio nobili Iudæorum Rab-
bino profecta, quemadmodum traditur in Talmudicis voluminі- B
bus ordine 4. tractatu 4. cui titulus est, *Sanedrim*, hoc est, Iudicium,
vbi sic est scriptum, *Sex millibus annorum erit mundus, & iterum destrue-
tur: duo millia fuerunt inanitatis & vanitatis: duo millia legis Mosaicæ, &
duo millia erunt dierum Messiæ.* Quam opinationem, quibusdam cõiec-
turis fulcire voluit Rabbi Isaac super primum caput Geneseos,
aut primum versum libri Geneseos, qui continet summam totius
mundi, sexies habere literam Aleph, quæ Hebræis denotat mille-
narium numerum: tum inquit Deum sex diebus fecisse mundum,
& septimo die requieuisse, apud Deum autem mille anni comput-
tantur dies vnus, sic enim dixit Dauid Psalmo 89. *Mille anni ante ocu-
los tuos, tanquam dies hesterna quæ præterijt.* (Simile est apud Petrum in
cap. 3. posterioris epistolæ: *Vnus dies*, inquit, *apud Dominum, sicut mille* C
anni, & mille anni sicut dies vnus.) Addit etiam, primos sex homines in
generatione Adam, vnde genus omne hominum propagatum est,
scilicet Adam, Seth, Enos, Cainan, Malaleel, Iared, fuisse mortuos,
septimum autem Henoch viuum esse translatum; quasi per hoc insi-
nuetur, post sex millenarios annorum quibus labor & mors in mun-
do regnauerint, in septimo millenario initium futurum quietæ &
immortalis vitæ. Verùm isti Hebræis sua illa sex mille annorum di-
stributio & computatio non bene constat. Namque ante legem tran-
sierunt ab origine mundi bis mille quadringẽti octoginta tres anni:
tempus autem legis Mosaicæ vsque ad mortem Christi, per quam lex
Mosaica est abolita, non pluribus constat annis quàm mille quingen- D
tis septuaginta.

Verum, non miror placuisse hoc commentum Hebræis quos
non nisi fabularum & mendaciorum portenta delectant: illud equi-
dem demiror, placuisse etiam viris in Christiana disciplina propter
vetustatis auctoritatem, & doctrinæ ac sanctimoniæ laudem nobilis-
simis. Hoc enim censuit & tradidit Iustinus Martyr, respondens ad
quæstionem orthodoxorum septuagesimam secundam, & Irenæus
libro quinto aduersus hæreses, capite vltimo, Lactãtius quoque libro
7. Diuinarum institutionum cap. 14. Hilarius itẽ canone 17. in Mat-
thæum, necnon & Hieronymus in Epistolari expositione Psalmi

octogesi

A octogesimi noni ad Cyprianum, & in commentariis suis super Michæam, quartū caput explicans: eamdemq; traditionē commemorat Augustinus libro 20. de Ciuitate Dei cap. 7. Germanus vero Episcopus Constantinopolitanus in libro de Theoria rerū ecclesiasticarū, testimonio Hippolyti & Cyrilli, ex libris quos isti scripserunt de Antichristo, confirmat, mundum sex millibus annorū superq; quingentis duraturū: Et hoc significari ait, cū Pontifex populum benedicens, digitos artollit, ad demonstrationē numeri sex milliū quingentorum annorū compositos & aptatos. Sed sua istos coniectura & computatione annorum falsos esse, euentus declarauit: affirmant enim Christum venisse in mundum initio sexti millenarij, eóq; cōpleto fore mundi huius consummationē & finē: atqui post aduen-

B tum Christi ad præsentē annū millesimum quingentesimum octogesimumoctauum, annos mille ac propè sexcentos præteriisse cernimus. S. Ambrosius libro 7. suorum Commentariorum in Lucam, propterea sibi probari negat eiusmodi traditionem, quòd suo tempore iam exacta essent ab exordio mundi plusquam sex annorum millia, falsa, vt opinor, Chronologia persuasus. Beda in libro de Ratione temporum capite 65. eandem traditionem liberè contemnit, candémque reiicit Augustinus in enarrando Psalmum octogesimum nonum, ceu minime congruentē Scripturæ, quæ negat tēpus consummationis mundi posse sciri ab Angelis, nedū à mortalibus.

C Si autē certum esset mundum sex annorū millibus duntaxat duraturum, sciri etiā posset quantū tēporis ad eius cōsummationē esset reliquum: Cōputatis enim ab origine mundi ad præsentem annū annis iam transactis circiter quinquies mille sexcentis, profecto ad finem vsque mundi non plures supereſſent anni quàm quadringenti. Quanquā autē traditū est a Patribus, in sex ætates distinctū esse mūdum sextā atq; vltimā ætatem à Christi aduentu incepisse, & ad consummationem vsq; mundi protrahendā, non ob id tamen cognitum esse potest quàm longa futura sit hæc sexta ætas, cū priores quinque omnes disparis fuerint durationis. Prima siquidē ab Adamo ad diluuium, consumpsit annos mille sexcentos quinquaginta sex: secun-

D da, à diluuio ad ortum Abrahæ, ducentos nonaginta duos, vel comprehensa generatione Cainam trecentos vigintiduos: tertia, ad Abraham vsque ad Dauid, nongentos quadraginta duos: quarta, à Dauid vsque ad captiuitatem Babylonicam, quadringentos septuaginta tres: quinta, à captiuitate vsque ad Christi domini aduentum secundū Bedā in libro de sex ætatibus mūdi, quingentos octoginta nouem: at secundū veriorem certioremq; Chronologiam, sexcentos triginta: sexta, ab ortu Domini nostri vsque ad finem mūdi incertæ & incompertæ mortalibus durationis est. Nam coniectura illa quorundam, argumentantium extremam hanc ætatem sicut aliis multis rebus, sic etiam duratione parem & æqualē fore primę ætati futilis est & infirmo subnixa fundamento, quæ profecto si vera esset,

Distinctio sex ætatum mundi, & cuiusq; earum durationis determinatio.

Refutatur quorundā inanis coniectura de duratione mundi.

non longe abesset consummatio mundi: nõ enim plures quàm octo & sexaginta anni superarent. At enimuerò cum tam graui oratione Christus reprehenderit curiosam Apostolorum scisitationem de futuris temporibus, dicens eis, *Non est vestrum nosse tempora vel momenta, quæ Pater posuit in sua potestate*, & alio loco inquit, *De die autem illa & hora nemo scit, neque Angeli cœlorum, nisi solus Pater*: profecto valde temerarium & perquam absurdum est, de futura mundi duratione quicquam explorati certique velle describere.

Actorum 1.

Matthæi 24.

DISPVTATIO.

Cur Moses hoc loco, creationem Angelorum non exposuerit.

EXplicanda est vltimo loco, quæ hunc librum claudat, minimè prætermittenda quæstio, cur Moses qui describens mundi opificium, ceterarum rerum primordia & effectionem edocuit, solam Angelorum creationem tacitus præteriuit? nam fas non est ambigere, creatos esse à Deo Angelos, id enim clarissimè docuit Dauid in Psalmo 148. in quo cum Dei opera, in quibus etiam Angelos numerat, ad prædicandas opificis sui laudes prouocet, de illis ait, *Ipse dixit & facta sunt, ipse mandauit & creata sunt. Statuit ea in æternum & in sæculũ sæculi.* Simile ponitur in Cantico triũ puerorũ Danielis c. 3. & Ioan. in Apocalypsi c. 4. & 10. Deum inquit creasse cœlum & quęcunq; sunt in Cœlo, terram & maria & quæcunque in eis sunt. Paulus item ad Colosſ. 1. apertis verbis docet omnia esse condita in Christo, siue visibilia, siue inuisibilia, principatus, thronos, potestates, & dominationes, omnia per ipsum & in ipso esse condita: idémq; traditur in symbolo Fidei Catholicæ, & cõfirmatum est in Cõcilio Lateranensi magno, canone 1. Nec sanè existimari potest, Angelos fuisse quidem à Deo creatos, sed ab æterno tamen: id enim omniũ Patrum cõsensu & Ecclesiæ auctoritate reprobatur. Ac licet nusquã Scriptura docere videatur Angelos ab aliquo temporis initio esse factos? id tamen ex quibusdã eius sententiis, nec obscura nec infirma ratione colligitur. Etenim Prouerbiorum 8. dicitur Sapiẽtia fuisse ex omni ęternitate, & antequã Deus quicquã faceret, fuit ergo quãdo nihil à Deo factũ erat, Et 1. ca. Ecclesiastici, Prior omnibus creata dicitur esse Sapientia. Huc facit & illud, *Primogenita ante omnem creaturam.* Huic quoque rei illud etiam fidem facit, quod solet Scriptura æternitatem tanquã quicquam proprium Dei, eique soli cõueniens prædicare. Cum igitur Angeli & creati sint à Deo, & ab aliquo tẽporis principio, & sint principes huius mundi partes, non temerè in dubium vocatur, cur Moses describẽdo mundi molitionem eorum effectionem tacuerit.

Angelos esse factos à Deo.

Primum quorumdam responsum, quod maximè probatur auctori.

QVIDAM respõdẽt, Mosen, quod videret Hebręos esse perquam rudes, nec spiritualium rerũ doctrinæ capaces, ad eorum captum & intelligẽtiã attẽperata & accõmodata scriptione sua, huius dũtaxat mundi

A mundi corporati & aspectabilis originem & procreationem explicare voluisse. Hæc responsio mihi plenissimè satisfacit: Mosen nanq; rerum modo corporalium & quæ sub sensus cadunt, effectionem docere, mihi persuasum & certũ est, idemq; existimasse B. Hieronymum colligo ex iis, quæ scripsit ipse in 139. Epist. ad Cyprianum ad hunc modum, *Mosis ore creationem mundi, & eorum dũtaxat quæ visibilia sunt, conditionem hominis, & omnis retro historiæ didicimus veritatem.* Per multis tamen probata est ea ratio, quam Athanasius respondens ad 4. quæstionem Antiochi (si tamen Athanasium eius libri auctorem fuisse credimus) & Chrysostomus atque Theodoretus tradunt, Iudæos ingenio fuisse ad idololatriam admodum lubrico & procliui,

Alterum responsum Athanasij, Chrysostomi, & Theodoreti.

B quod patet argumento vituli aurei, qué recentes ab egressu ex Ægypto, post tot tantáque prodigia à Deo facta, tanquam Deum in deserto adorauerunt: quare Mosen veritũ ne si cœlestium mentiũ dignitatem & præstantiam Hebræis aperiret, hinc illi occasionem caperent existimãdi Angelos esse Deos, & diuinis honoribus colẽdos, cõsultò eorũ creationem in enarrãdo mundi opificio, cõmemorare supersedisse: Verùm hanc rationem, vt peruulgatã, ita minimè firmã & probabilẽ esse probat Tostatus hoc argumento. Ante huius libri scriptionem & egressum ex Ægypto, Angelorum notitiã habebant Iudæi ex traditione maiorũ, quibus sępenumero eos apparuisse acceperant, velut Agar, Loth, Abrahę, & Iacob, quas apparitiones etiã hoc in libro narrat Moses, quinetiam statim vt Adam eiectus est de

Tostatus refellit secundum responsum.

C Paradiso, scribit Moses, in eius loci custodiam positum esse Cherubim, vt ab ingressu homines arceret, quinimò ob eam ipsam causã quam isti afferunt, cur Moses nullum hoc loco verbũ de Angelis fecerit, conuenire maximè videbatur vt eorum creationem exponeret, scilicet vt ita omnem Iudæis idololatriæ occasionem pręcideret: nihil enim periculi fuisset, vt quisquam Iudæorum Angelos crederet esse Deos, & vt Deos colere vellet, quos ex Mose cognouisset, nec fuisse semper, & ab alio esse factos ex nihilo, & in numerum atque ordinem craturarum coactos.

B. AVGVSTINVS lib. 12. Confessionum, & lib. 11. de Ciuitate Dei, & 1. lib. de Genesi ad literam, censet non fuisse à Mose prætermissos Angelos, sed eum per creationem cœli & lucis, figuratè insinuasse Angelorum creationem: idẽ sentit Beda in Hexameron, quod mihi tamen non fit verisimile. Est enim narratio hæc Mosis historica, non aliam sententiam propriè reddens, nisi quã exprimunt verba eius secundũ propriã vsitatamq; eorum notionem & vsum accepta. Seuerianus, vt citatur in Catena, Mosen ait eo cõsilio scripsisse Hebræis hanc Cosmopœiã, vt (quia illi Ægyptiorũ quibuscum diutina cõmemoratione ac cõsuetudine versati fuerãt, impiis erroribus atq; superstitionibus imbuti & infecti erant: Aegyptij autem moderabãt & astra omnia quæ in cœlo sunt, & multa de animalibus terrestribus aquatilibus, & volatilibus, necnon & homines quosdam di-

Tertium responsum Augustini, quod non probatur Auctori.

uinis honoribus colebant) eos ab istiusmodi superstitione & impietate aduerteret. Omisit igitur incorporearum rerum opificium, & ea ad quæ sensibus patent, scriptionem applicuit, vt hæc omnia quæ cum voluptate cernerent & admirentur nõ Deos esse, sed Dei opera, & ab initio temporis & ex nihilo facta intelligerent. Basilius, Ambrosius, Damascenus, propterea putant omissam esse à Mose creationem Angelorum, quod is voluerit tantummodo describere originem huius mundi corporei, earúmque rerum omnium, quæ simul cum mundo sunt conditæ: Angelos verò multis ante hunc mũdum sæculis esse factos. hoc si verum esset, omnem propositæ quæstionis difficultatem exauriret.

Quartũ responsum.

Disputatio vtrum Angeli creati sint ante hunc mundum corporeum.

VERVM ea de re magna lis est inter Patres. Etenim ferè Græci scriptores, & de Latinis quicumque fuere ante Augustinum, censuerunt multis ante hunc mundum sæculis Angelos esse à Deo conditos, hoc tradit Origenes in opere suo περὶ ἀρχῶν, & homilia 4. in Isaiam, Basilius 1. & 2. homil. in Hexameron, Gregorius Nazianzenus in oratione de Natali Domini, Seuerianus & Diodorus eiusdem sententiæ fuisse, prohibentur in Catena: idem reliquit scriptũ 2. lib. de fide, capite 3. Damascenus: ex Latinis autẽ, hoc etiam probat Hilarius libro. 12. de Trinitate, in libello contra Auxentium, & Ambrosius libro 1. in Hexameron, capite 5. & in Præfatione in primum psalmum, Hieronymus item super 1. caput epistolæ ad Titũ, Isidorus etiam libro 1. de Summo bono, cap. 12. quin Cassianus in collatione 7. ca. 8. neminem fidelium inquit ea de re posse dubitare. Pro hac opinione duplex affertur ratio: tum quod Angelus sicut dignitate præcellit mundum corporeum, ita conueniens erat vt eundem etiam antiquitate antecederet: tum etiam quod in 1. capite Ecclesiastici sic est scriptum, *Prior omnibus creata est Sapientia*, existimant autem per sapientiam significari naturam Angelicam, quam Deus statim ab initio scientiæ & sapientiæ plenissimam condidit. Verùm neutra ratio cogit: non prior, nam homo post stirpes & cunctas animantes creatus est, quibus tamen dignitate multum antecellit: nec sanè posterior, quod eo loco per sapientiam non Angelus, sed Verbum diuinum quod est sapientia Patris intelligi debet, vt ex aliis eiusdem loci circumstantiis liquido constat. Dicitur enim ibi, Sapientiam esse inuestigabilem, & effudisse illam Deum in omnia opera sua, eámque semper fuisse cum Deo, & ante omne æuum: quæ in Angelorum naturam minimè conueniunt. Dicitur autem Dei Sapientia, qui est Filius, creata, pro eo quod est producta seu genita. Solet enim Scriptura, teste Hilario, Filium Dei dicere genitũ, nonnunquam etiam creatum, propterea quod productio Filij Dei habet in se quicquid est perfectionis in generatione & in creatione. Ex generatione quidem habet, quod Filius non est productus ex nihilo, sed ex substantia Patris eique consubstantialis ex cap. ratione verò habet quod sit productus sine vlla Patris mutatione, variatione aut

Prima opinio, fuisse creatos ante mũdum.

Explicatur locus Ecclesiastici cap. 1.

A B C D

A ne aut inuocatione. Vel certè non aliud significatur illis verbis, *Prior omnium creata est Sapientia*, quam Sapientiam non cœpisse simul esse cũ creaturis, sed ante rerũ omniũ creationẽ, fuisse ipsam apud Deum.

Secunda opinio Angelos fuisse creatos post mundum corporeum. 1.Cor.15.

Gennadius profecto & Achacius, vt traditur in Catena, deridet & damnant supradictam opinionem tanquam fabulam è Platonis Timæo sumptã, quo in dialogo fingit Plato Angelos, quos ipse vocat Deos iuniores, fuisse antiquiores mundi opificio: quin animos hominum vetustiores corporibus facit. Sibi verò aiunt isti verisimilius videri, conditos esse Angelos post mundum corporeum, similiter vt prius formatum est corpus hominis, posterius autem ipsius animus est creatus. nam & Paulus docet, prius esse quod est animale, quàm quod est spirituale. Nec defuere qui existimarunt Angelum
B esse creatum simul cum homine: quod apud Iob capite 40. Deus dixit Iob, *Ecce Behemoth quem feci tecum*, hoc est, eodem tempore quo creaui te. per Behemoth autem multi de sanctis Patribus interpretantur diabolum. Sed huic opinioni maximè obstat, quòd ante creationem hominis facti sunt Cœli, qui motu suo sex dies illos primos definierunt, peregerunt atque distinxerunt: motus autem Cœli ab Angelo efficitur. apud Iob etiam cap. 38. dixit Deus ipsi Iob, *Vbi eras, cum me laudarent simul astra matutina, & iubilarent omnes filij Dei?* vel vt habent Septuaginta Interpretes, *Cum me magna voce laudarent omnes Angeli mei.* Quo perspicuè intelligitur ante quartum diem quo creata sunt astra, fuisse iam Angelos: id quod bene colligit ex eo loco Iob,
C Augustinus lib. 11. de Ciuitate Dei, cap. 9.

Tertia sententia, Angelos simul cũ mũdo corporeo esse creatos. Non esse Augustini illum libellũ de Incarnatione Verbi.

Altera est sententia Augustini, & fere omnium Theologorum qui post Augustinum Latinè scripserunt, Angelos simul cum hoc mundo corporato esse creatos. Nam licet Augustinus 1. libro de Incarnatione Verbi, cap. 6. incertum esse tradat, quando Angeli fuerint creati: tamen nec Augustinus eius libri auctor creditur, & ipse libro 11. de Ciuitate Dei, lib. 12. Confessionum, lib. 1. & 4. de Genesi ad litteram aliisque compluribus locis apertissimè & affirmatiuè docet, Angelos simul cum hoc mũdo esse factos: idemque sentit B. Gregorius, Beda, Rupertus, Hugo, Magister lib. 1. Sententiarum, omnisque schola Theologorum. Probatur hæc sententia duabus rationibus: altera est, Mosen dixisse, Deum creasse cœlum & terram in prin-
D cipio, hoc est ante alia omnia: non igitur creati sunt Angeli ante cœlum, parum firma ratio est: responderi enim potest, illud *In principio*, significare principatum ordinis, non vniuersè tamen & simpliciter, sed tantummodo comparatione rerum corporalium quas conditas esse deinde narrat Moses. Altera ratio nititur illa sententia Scripturæ quæ in capite 18. Ecclesiastici, *Qui viuit in æternum creauit omnia simul.* Verum nos supra luculentè ostendimus, *Simul* eo loco non significare simultatem temporis, sed simultatem collectionis & vniuersalitatis: Significare enim Deum pariter, communiter, nulloque excepto, creasse omnia. Theodoretus quæst. 3. super Genesim confir-

mat eandem opinionem duobus argumentis. Tum quod cum An- A
geli sint finitæ ac determinatæ naturæ, non nisi loco aliquo definiti
ac determinati constare possunt, quare ante mundum corporeum es-
se non potuerunt: cui rationi fortasse assentirer, si quod plerisque Pa-
trum est visum, Angelos esse corporeos crederem. Tum etiam quod
Paulus docet in epistola ad Hebræos, cap. 1. omnes Angelos esse ad-
ministratorios spiritus in vtilitatem hominum: ante mundum au-
tem Angeli nullo ministerio in vsum hominis fungi potuerunt. quod
argumentum quàm sit infirmum, per se quiuis etiam non admonitus
à nobis, facilè intelliget. S. Thomas 1. parte quæst. 61. art. 3. ad hunc
B. Thomæ argumentatio, quod Angeli non fuerint ante mundum corporeum.
modum argumentatur, Angelos non esse factos ante mundum. Primo
sumit, Angelum esse partem vniuersi, tum partem extra suum totum B
non esse perfectam: ad hoc, non fuisse conueniens vt naturam Ange-
licam Deus conderet imperfectam: ex his colligit ante mundum non
esse creatos Angelos: quæ argumentatio fortasse apud doctos viros
non multum haberet ponderis. Mitto cætera excutere, illud tantum
dico, fore vt valeret conclusio B. Thomæ, siquidem Angelus pars es-
set mũdi vel integralis, vel essentialis, (sic enim hoc tempore in scho-
lis loquuntur Philosophi:) huiusmodi enim partes quia non sunt per
se completæ naturæ, sed in id institutæ sunt vt aliam rem cuius par-
tes sunt, componant & consument, propterea extra totum imperfe-
ctas esse necesse est. Angelus verò non sic est pars mundi, sed ratione
duntaxat ordinis seu coordinationis omnium rerum: nec est pars
mundi tanquam pendens à mundo, sed quæ ipsum mouet & regit, si- C
militer vt consules, tribuni, prætores, & censores partes erant reipu-
blicæ Romanæ: huiusmodi autem pars extra totum, naturam suam
retinet, sicut extra nauem gubernator, extra exercitum centuriones
ac duces, quid quod nõ ob aliam causam existimatur pars mundi esse
Angelus, quam quia cum eo cohæret quodammodo & coniunctio-
nem habet? at quàm? non aliam certè, quàm quia mouet, administrat
& quodammodo gubernat mundum: huius autem muneris functio
non est Angelo naturalis, sed voluntariè suscepta & ad tempus impo-
sita ei à Deo, nempe cessura post diem iudicij.

Auctoris de hac quæstione iudicium, & sententia.

QVAENAM igitur est nostra sententia? equidem iudico, senten- D
tiam Augustini, vt ea maximè probetur, non esse tamen habendam
quasi indubitatum & certum Fidei Catholicæ dogma: Angelos enim
esse creatos simul cum mundo, nec vsquam tradit Scriptura, nec
euidenter ex ea colligitur, nec multum intererat Fidei Catholicæ
vt id ab Ecclesia decerneretur. Nec verô tot Patres antiquitate, do-
ctrina sanctitatéque præstantes, contraria fidei Catholicæ docuisse
& scripsisse fas est credere. Augustinus quidem certè huius princeps
& auctor sententiæ, lib. 11. de Ciuitate Dei. c. 32. ita suam probat opi-
ninem, vt contrariam non damnet, sed permittat cuiq; vtrã voluerit
liberè sequi, dũmodo spirituales substantias, nec à Deo creatas neget,
nec Deo faciat coæternas. Huius vestigia persequens Theodoretus in

tertia

A tertia quæst. super Genesim, cum opinionem quæ est Augustini aliquot argumentis comprobasset, subdit, *Illud porro scire necesse est, omnia quæcunque extant, excepta sancta Trinitate, naturâ habere creationi obnoxiam. Hoc autem concesso, si quis Angelorum turbas ante cœlum & terram conditas esse dixerit, non offendet verbum pietatis.* Verumtamen vt Angelos simul esse cum mũdo factos libentissimè credam & prope certum habeam, moueor plurimum auctoritate Innocentij tertij, & Patrum Concilij magni Lateranensis, qui hanc sententiam aliis præferendã conceptis verbis iudicarunt. Moueor itẽ hac ratione, si Angeli multo ante mundum fuerunt, vel toto illo spatio fuerunt omnes in gratia, quare omnes essent confirmati nec vllus cecidisset: vel statim vt sunt creati, in
B secunda vel tertia morula (quemadmodũ loquuntur Theologi scholastici) aliqui eorum peccauerunt: hoc si concedatur: nec video tamen cur id concedi non debeat, quærendum est, illi peccatores Angeli tot sæculis ante mundum conditum, simul ne fuerint cum Angelis bonis ab eorum societate & consortio non segregati? Sed hoc credere & pietas respuit & ipsa ratio: an verò statim atque peccauerunt, à bonorum societate excluſi, aliò sunt allegati? Sed quonam? ante mũdum enim nulla locorum discluſio & discretio esse potuit. quin Dominus noster in Euangelio Matthæi cap. 25. dixit, Ignem inferni diabolo & angelis eius fuisse comparatum: Ioannes quoque in Apocalypsi capite 12. non obscurè indicat, Angelos malos & in cœlo peccasse, &
C de cœlo fuisse deturbatos, cum ait, *Factum est prælium magnum in cœlo: Michaël & Angeli eius præliabantur cum Dracone, & Draco pugnabat & Angeli eius: & non valuerunt, neque locus inuentus est eorum amplius in cœlo.* Sic enim hunc locũ multi de sanctis Patribus & antiquis scriptoribus interpretantur. Auctoritas vero quam paulo suprà memoraui Innocentij tertij affirmantis, spirituales & incorporeas substantias simul esse ab initio temporis creatas à Deo, quomodo non hoc faciat omnino certum & indubitatum, & quasi dogma fidei, planè intelliget lector, si legat quæ scribit B. Thomas in expositione illius decretalis Innocentij, quod est inter opuscula eius vigesimum tertium opusculum, vbi intentionem & sententiam Innocentij exponit. Legendus quoque est Caietanus in 1. Parte S. Thomæ super art. 3. quæst.
D 61. quo loco hac de re diligenter & accuratè disputat.

Sed finem ponamus huic libro: & Doctrinam de Astris secundum sacram Scripturam, & de diuinatione astrologica, quam supra, cum exponeremus quarti diei opus, in proximè sequentem librum reseruauimus, deinceps pertractemus.

FINIS PRIMI LIBRI.

BENE

BENEDICTI PERERII, COMMENTARIORVM IN GENESIM,

LIBER SECVNDVS.

Qui est de Cœlis & astris secundum sacram Scripturam, & de Diuinatione astrologica.

PRAEFATIO.

Cur sacri scriptoris de rebus physicis & mathematicis perpauca scripserint.

QVAERIT B. Augustinus capite 9. libri 2. de Genesi ad litteram, cur Auctores sacrarum litterarum non apertè & enucleatè docuerunt, quænam esset cœli natura, qualis figura, quanta magnitudo & numerus orbium cœlestium, qui motus, quæ cœlestis motus efficiens causa, quàm ingens & varia syderum potentia efficacitas, aliáque huius generis multa, quæ tam Philosophi quàm Mathematici solerter inuestigando argutéque tractando, immortalem ingenij laudem & nominis memoriam promeruerunt. Ad hanc quæstionem breuissimè respondet Augustinus, Spiritum sanctum cuius illi afflatu & impulsu ad scribendum incitabantur, & à quo in scribendo regebantur atque moderabantur, noluisse huiusmodi res inseri & immisceri Sacris litteris, quòd haberent curiosam magis quàm vtilem cognitionẽ, & futurũ esset vt homines (quæ est humani ingenij ad deteriora procliuitas) in earum rerũ tractatione posthabitis vtilioribus, toti versarentur atque occuparentur. nisi enim hoc secutus esset Moses, quàm multa ille hoc loco de rebus cœlestibus, vniuersáq; natura mirabiliter disputare ac philosophari potuisset! cũ ex ea concione B. Stephani quam in cap. 7. Historiæ Apostolicæ refert Lucas, satis cõstet eũ in omni sapientia Ægyptiorũ fuisse eruditũ & excellenter versatũ. Nonne Salomon, vt in 3. lib. Regum c. 4. & in lib. Sapientiæ, c. 7. scriptũ est, omniũ rerũ naturaliũ tam cœlestiũ quàm quæ sub cœlo sunt, cognitionẽ habuit, quàm vllus sapientũ huius sæculi, & amplioré & multo certioré? hanc tamen eius tantã doctrinã & sapientiã, litteris commendari & ad nostram notitiam peruenire noluit Deus, nẽ scilicet homines, quorum satis per se pronum est ad res vanas ac futiles ingeniũ, supernacanea nec quicquã ad præsentẽ vitã bene informandam æternamque

A que adipiſcendam collatura, plus æquo conſectarentur? vtiliora vero, & emendationi vitiorum bonorumque morum inſtitutioni atque immortalis gloriæ conſecutioni maximè profutura, minori ſtudio curaque complecterentur. Multa tamen eaque præclara paſſim in Sacris libris ex ſcientia rerum cœleſtium, plurimis ante Philoſophos & Mathematicos ſæculis, quaſi quædam præiacta ſemina reperiuntur. Nec eſt profecto quicquam in ſyderali diſciplina, aut neceſſariis rationibus concluſum, aut manifeſtis exploratum & compertum experimentis, quod diuinæ Scripturæ contrarium vel diſſonum ſit: quin pleraque doctrinæ aſtrologicæ decreta cum ea mirè congruunt atque conſentiunt. Quapropter inſtitui ſcribere librum hunc de Cœlis & aſtris; & in eo quæ difficiliores & nobiliores ſunt de cœlo & ſyderibus quæſtiones, eas non indiligenter ſecundum ſacram Scripturam, & doctrinam ac ſententiam Patrum, adiunctis præterea Theologicis ac Philoſophicis rationibus explicare. Hæ autem ſunt quæſtiones, quas hoc volumine tractandas ſuſcepimus: prima, An cœli & aſtra ſint incorruptibilis naturæ: ſecunda, Qualis futura ſit poſt diem iudicij cœlorum commutatio & renouatio: tertia, De figura cœli: quarta, De numero orbium cœleſtium: quinta, An cœli ſe ipſi ſua vi naturali moueant, an moueantur ab Angelis: ſexta, An poſt diem iudicij omnino ceſſaturus ſit cœli motus: ſeptima, An cœli & aſtra ſint verè animata: octaua, An ſydera ſint actu calida: nona, An ſtellæ ſint infixæ in orbibus, eorumque tantum motu voluãtur; an cœlo immoto per ſe ipſæ propriis agantur motibus, ſimiliter vt piſces in aqua & aues per aërem motus ſuos peragunt: decima, An multitudo ſyderum inerrãtium quæ ſunt in octauo orbe, ſit mortalibus innumerabilis. Atque hæc in priori parte huius libri tractabuntur. Poſterior autem pars, bene longam de Diuinatione quæ ducitur ex aſtris aduerſus Aſtrologos diſputationem continebit.

Decem quæſtiones in priori parte huius libri explicãda.

B

C

QVAESTIO I.

D

An ſecundum ſacram Scripturam ſtellæ & cœli natura conſtent incorruptibili.

Auctores qui putauerũt mũdum aliquando interituru.

EGENTI Sacras litteras veraſque credenti, & ſanctorum Patrum ſcripta peruolutanti, non poteſt eſſe dubium quin Cœli aliquo modo interituri ſint, & in meliorem ſtatum commutandi. Hoc enim concordi ſententia tradunt omnes Patres: Iuſtinus reſpondens ad quæſtiones orthodoxorum 93. 94. & 95. Baſilius homilia 1. & 3. in Geneſim, Ambroſius lib. 1. in Hexameron c. 6. Gregorius Nyſſenus in libr. de Creatione hominis capit. 24. Philaſtrius in Catalogo hæ-

reseon, Chrysostomus homil. 10. ad populum Antiochenum, & homil. 14. super 8. caput epistolę ad Romanos, & in eiusdem loci Commentario Theodoretus. Sed quid attinet recensere singulos, cum fere omnium hæc sit sententia? Nec mirum sane id fuisse omnibus persuasum; quippe hoc multis in locis sacrarũ litterarum scriptum & inculcatum legebant. Iob cap. 14. ait, *Homo cum dormierit, non resurget, donec atteratur cœlum, non euigilabit, nec consurget de somno suo*: sed homo aliquando resurget, ergo cœlum etiam aliquando est atterendum. Isaias capite 24. *Tabescet omnis militia cœlorum, & complicabuntur sicut liber Cœli, & omnis militia eorum defluet:* & c. 51. *Cœli sicut fumus liquescent, & terra sicut vestimentum atteretur*: & c. 65. *Ego creo cœlos nouos & terram nouam.* Dauid etiam Psalmo 101. *Opera*, inquit, *manuum tuarum sunt cœli; ipsi peribunt & omnes sicut vestimentum veterascent: & sicut operto- B rium mutabis eos & mutabuntur.* Et in libro Ecclesiastici cap. 17. sic est, *Quid lucidius sole? & hic deficiet.* Dominus quoque noster in Euangelio Matth. c. 24. ait, *Cœlum & terra transibunt*, & rursus Luc. 21. *Stellæ cadent de cœlo, & virtutes cœlorum mouebuntur.* Paulus etiam in cap. 8. epistolæ ad Romanos, *Vanitati*, ait, *creatura subiecta est non volens, sed liberabitur à seruitute corruptionis in libertatem gloriæ filiorum Dei*: & 1. ad Corinthios cap. 7. *Præterit*, inquit, *figura huius mundi.* Et Ioannes cap. 2. prioris epistolæ, *Mundus transit & concupiscentia eius.* Sed apertius & explanatius hoc docet B. Petrus; is enim in posterioris Epistolæ suę cap. 3. scriptũ reliquit, Cœlos igni esse reseruatos in diem iudicij, & eo die magno impetu transituros: tunc etiam fore, vt cœli ardentes soluantur & C elementa ignis ardore tabescant: nouos etiam cœlos & nouã terram secundum promissa Dei à nobis expectari. His adiice quod ait Ioannes in Apocalypsi c. 6. 21. & 22. *Vidi cœlum nouum & terram nouam; Primum enim cœlum & prima terra abijt.* Quin hoc licet etiam argumentari ex eo quod tradit Moses in 4. capite Deuteronomij, Solem, lunam, & astra esse à Deo creata in ministerium cunctis gentibus quæ sub cœlo sunt: sed post diem iudicij nec motus, nec lucis, nec defluxus aut effectus alicuius cœlestis ministerio erit opus homini; ergo necesse est tunc cœlos, ne frustra sint, aut perire omnino, aut in aliũ quàm nunc est statum commutari. Nec sacrarum modo, sed etiam prophanarum litteratum hæc est doctrina: nam præter vnum Ari- D stotelem qui cœlum fecit incorruptibile, & Platonem qui cœlum suapte natura vult quidem esse mortale ac dissolubile, Dei tamen voluntate conseruatum iri, ne dissoluatur vnquam; Heracliti, Empedoclis, Anaxagoræ, Democriti, Stoicorum omnium atque Epicureorum, quibus adde etiam Sibyllarum carmina seu vaticinia, concors est sententia, mundum hunc & corruptibilem esse, & aliquando tandem interiturum.

Testimonia Scripturæ de interitu mũdi.

Præter Platonẽ & Aristotelem, omnes fermè Philosophi ac Poëtæ mundũ esse aliquando interiturũ tradiderunt.

Ex his quæ adhunc dicta sunt, & aliis similibus quæ in eandem sententiam (nisi longiores in re aperta nec turbam testium desiderante esse noluissemus) adduci potuissent, satis apparet, sacræ Scripturæ

A pturæ doctrinam sequenti minimè dubitandum esse, quin cœlum aliquando sit aliquo modo interiturum; certe in aliam quàm nunc habet formam statumque redigendum. Sed illud est in controuersia, qualis futura sit suprema cœlorum & mundi commutatio; an secundum substantiam, vt planè intereant; an secundum qualitates & facultates suas, & secundum actiones & effectus; an tantummodo per solam cessationem & vacationem à motu, vel aliqua alia ratione. B. Augustinus, cuius iam pridem in disceptatione huius quæstionis fermè Theologis omnibus probata est sententia, in libro 20. de Ciuitate Dei cap. 24. supradictum B. Petri locum expendens affirmat, superiores cœlos in quibus sunt astra, supremo mũdi incendio nec esse purificandos nec ab igne aliquatenus attingẽdos, sed aëreos B duntaxat cœlos & elementa cõflagratione illius ignis esse renouanda. Etenim eodem in loco Petrus significat, eosdem cœlos igne arsuros qui olim diluuio perierunt, quis autem nescit aquas Noëtici diluuij excessisse quidem montes omnes quindecim cubitis, veruntamen à cœlis sydereis longissimè abfuisse? Hanc Augustini doctrinam, vt dixi, plerique omnes sequuntur Theologi, præsertim autem Scholastici, vt videre est eorum disputationes hac de re in quarto Sententiarum super distinctione 48. qui, cum Scriptura inquit, fore vt cœli senescant, atterantur, liquescant, transeant & pereant: cẽsent hæc & alia eius generis, si quę sunt alia, non de cœlis sydereis sed de aëreis esse intelligenda atque interpretanda, nec obstare huic interC pretationi, quod Scriptura numero plurali dicat cœlos perituros: ea namque seruat in hoc vim & vsum linguæ Hebrææ in qua vox Cœlum, caret numero singulari. Illud tamen magis videtur officere huic expositioni, quod Dauid Psalmo 101. cum inquit, *Initio tu Domine terram fundasti, & opera manuum tuarum sunt cœli*, haud dubiè loquitur de cœlis supremis, at enim mox subiicit, *Ipsi peribunt; & omnes sicut vestimentum veterascent & mutabuntur*: ergo non aëreos modo cœlos, sed etiam sydereos Scriptura docet esse interituros. Quare vt & hoc & alia quæ in hac quæstione difficultatem afferre possunt, vno responso enodentur & expediantur omnia, admonent duplicem cogitari oportere mutationem & interitum: alterum quo res mortaD les corrũpuntur & abolentur, amissa natura quam habebãt; qualem interitum negant Theologi cœlis euenturum: alterum non verum, sed qui vmbram tantum & similitudinem habet interitus, qui non est aliud quam vacatio quædam à priori ministerio, vsu & opere, & variatio status & conditionis. Peribunt igitur cœli, non vt animalia, ita vt dissoluantur & esse desinant, sed quia in alium statum transformabuntur, omnibus quæ nũc exercent ministeriis, functionibus & effectibus vacuum. Etenim hominibus quorum causa sunt conditi, è terra in cœlestem æternamque felicitatem translatis, non erit opus cœli motu, lumine, calore ceteriſque syderũ commoditatibus, quibus præsens hæc mortaliũ vita fouetur atque sustentatur.

Opinio Augustini.

Opinio Scholasticorũ Theologorum.

Beatus Hieronymus, tum super 51. tum super 65. caput Esaiæ extremam illam cœlorum mutationem & interitum appellat renouationem eorum & promotionem in meliorem statum: & in Com. super 65. c. Esa. ex illis verbis Dauid, *Ipsi peribunt & sicut vestimentum veterascent, & tanquam opertorium mutabis eos & mutabuntur*, argumentatur interitum cœlorum non fore abolitionem eorum & dissolutionem, sed reformationem & renouationem. Neque enim illud quod dixit Esa. capite 30. *Luna fulgebit vt Sol, & Sol septuplum lumen accipiet*, interitum significat pristinorum, sed commutationem in melius. Hoc Hieronymus exemplo nobis noto & familiari manifestum facit, ita subijciens, *Infans cum in puerum creuerit, & puer in iuuenem, & iuuenis in virum, & vir in senem, nequaquam per singulas ætates perit: idem enim est qui prius fuit, sed paulatim immutatur & ætati pristinæ perijsse dicitur. Quod intelligens & Paulus Apostolus loquebatur, Præterit enim figura huius mundi. Consideremus quid dixerit, Figura præterit, non substantia. Hoc idem significat non obscurè & Beatus Petrus secunda epistola capite tertio, nam cum is dixisset & cœlos & elementa incendio deflagratura & dissoluenda esse, vt intelligeretur qualem ipse dissolutionem & interitum intelligeret, mox subiecit, Nouos autem cœlos & nouam terram videbimus: non dixit, alios cœlos & aliam terram videbimus, sed veteres & antiquos in melius commutatos.* Hactenus ex Hieronymo. Pro hac sententia pulcherrimum locum Beati Gregorij ex libro decimoseptimo Moralium capite quinto, hic ascribam. *Quæri potest*, inquit, *cum per Salomonem dicitur, Generatio præterit & generatio aduenit, terra verò in æternum stat, cur Beatus Iob omnia humiliari asserat & auferri? quod tamen facilè discutimus, si terra & cœlum vel qualiter transeat vel qualiter maneat, distinguamus. Vtraque namque hæc per eam quam nunc habent imaginem transeunt, sed tamen per essentiam sine fine subsistunt. Hinc namque per Paulum dicitur, Præterit enim figura huius mundi: hinc per semetipsam Veritas dicit, Cœlum & terra transibunt, verba autem mea non transibunt: hinc ad Ioannem angelica voce perhibetur, Erit cœlum nouum & terra noua: quæ quidem non alia condenda sunt, sed hæc ipsa renouantur. Cœlum igitur & terra transit & erit, quia & ab ea quam nunc habet specie per ignem tergitur, & tamen in sua semper natura seruatur. Vnde per Psalmistam dicitur, Mutabis eos & mutabuntur. Quam quidem vltimam commutationem suam ipsis nobis nunc vicissitudinibus nunciat: quibus nostris vsibus indesinenter alternant. Nam terra à sua specie, hyemali ariditate deficit, vernali humore virideſcit. Cœlum quotidie à caligine noctis obducitur, & diurna claritate renouatur, hinc ergo fidelis quisque colligat, & interire hæc, & tamen per innouationem refici, quæ constat nunc assiduè velut ex defectu reparari.* Hęc Gregorius.

Notabilis sententia Gregorij de cœlorũ interitu non substãtiali, sed tantum accidentiali.

Iob 24.
1. Corint. 7.
Matth. 24.
Apocal. 21.

Sed quia verba illa Petri non semel in hac disputatione commemorata, aut deinceps commemoranda obscuritatem & difficultatem habent, maximeque attingunt præsentem controuersiam, subtilius & accuratius explananda sunt. Sic autem, inquit Petrus, *Cœli magno impetu transient*, hoc est, in morem procellæ transibunt: non

Explicatur locus B. Petri. 2. Epi. c. 3.

A non quidem amissione substantiæ suæ,sed cessatione ministeriorum suorum;suique status renouatione:*Elementa vero calore ſoluentur*, hoc est,ardore ignis æstuantia à cunctis sordibus præsentis corruptionis,velut aurum igne purificabuntur.Augustinus libro vigesimo,de Ciuitate Dei capite vigesimo quarto, quod Petrus dicit de elementis,refert non ad omnia quattuor,sed ad ea tantùm quæ in imo sunt apud nos,terram nimirum & aërem : pro quo facit quod præmisit Petrus de diluuio, quod inferioribus duntaxat elementis nocuisse constat.Beda verò,quia Petrus indefinitè dixit elementa, putat omnia quattuor,esse intelligenda:scribit enim ad hunc modum, *Quattuor sunt elementa quæ ignis ille maximus absumet, duo quidem in totum, vt penitus non sint, videlicet ignem & aquam; duo autem in meliorem restituet*

An post diem iudicij aliquod de quatuor elementis peritura sit.

B *faciem, terram nimirum & aërem: quod satis innuit Petrus cum subiunxit, Nouos cœlos,& nouam terram expectamus, per cœlos aërem significans. De igne verò & aqua nihil tale legitur: quinimo in Apocalypsi capite 21.traditur. Et mare iam non est.* Hæc ferè ille. Videtur igitur Beda sensisse, de quattuor elementis, duo post diem iudicij secundum substantiam peritura.Verùm illud ex Apocalypsi productum, *Et mare iam non est*, non mouit Augustinum, vt putaret post diem iudicij non futurum mare,quippe tractans eum locum in libr. vigesimo de Ciuitate Dei, capite decimosexto, Amat, inquit, Prophetica locutio propriis verbis translata miscere, ac sic quodammodo velare quod dicitur: potuit de illo mari dicere, *Et mare iam non est*, de quo suprà dixerat,

Consuetudo prophetica locutionis.

C *Et exhibuit mare mortuos qui in eo erant*, iam enim tunc non erit hoc sæculum vita mortalium turbulentum & procellosum, quod maris nomine figurauit.Scholastici Theologi in quarto, super distinctione quadragesimaseptima, negant vllum elementum post diem iudicij secundum substantiam interiturum, quare Bonauentura interpretatur,Bedam non aliud significare voluisse, quàm in igne & aqua insigniorem fore mutationem quàm in aliis elementis. Sanctus Thomas in quarto, distinctione quadragesimaseptima, quæstione secunda, ait, dictum Bedæ ita esse accipiendum, non quod duo illa elementa corrumpenda sint secundum substantiam, sed quod plus ceteris remouenda sint à naturali proprietate,ministerio

D & statu quem nunc habent:cum enim excellant duabus qualitatibus maximè actiuis,quæ sunt potissima principia alterationis & corruptionis, hoc est calore & frigore, post diem autem iudicij nulla sit futura istiusmodi qualitatum actio & vsus, ob hanc causam videntur hæc duo elementa adeo mutanda, vt ferè secundum substantiam mutata videantur.Sed Beda in libro de Sex ætatibus mundi, capite sexagesimonono, satis explicatè & disertè sententiam suam exponit, quæ prorsus nihil à supradicta opinione Augustini differt. Ceterùm Philo in libro cui titulum fecit, Quod mundus sit incorruptibilis, obnixè contendit multis argumentis persuadere, mundum esse incorruptibilem, nec à statu quem adhuc ha-

buit, vel in deteriorem, vel in meliorem aliquando esse commutandum, quanquam an eius libri Philo sit auctor, multa me quidem certè faciunt ambigere: nam nec eius libri meminere Hieronymus & Eusebius in ea quam satis longam & diligentem omnium operum Philonis enumerationem descripserunt: & nisi me fallit animus, nec stylus, nec ratio differendi, nec methodus & elocutio, nec genus ipsum doctrinæ quæ traditur, Philonem olet, aut etiam scriptorem quempiam Iudæum; nusquam enim ponit vllum Scripturæ testimonium vllumue exemplum; nusquam vlla argumẽtatio ex Sacrarũ litterarũ doctrina, vel secundum historiã vel secundũ allegoriam, in quo Philo copiosus & excellens esse solet, contexitur: resipit autẽ disputatio illa magis philosophum quempiã Ethnicũ, præsertim verò Peripateticę disciplinæ alumnũ atque propugnatorem. B

An libri quod mũdus sit incorruptibilis, auctor sit Philo, vti fertur.

A

Sed quia hæc controuersia ex his quæ dicta sunt adhuc nequaquam satis explicata est, enitendum nobis est, vt omnes nodos quoad eius fieri possit exoluamus & variis arduisq; difficultatibus quibus implicata est explanatis, quam sententiam arbitramur rectæ rationi, potissimum autem diuinæ Scripturæ maximè respondentem congruentemque, aperiamus. Nec verò attinet hoc loco admonere lectorem, in hac disceptatione non agi de absoluta potentia Dei, sed de eo quod facturum esse Deum, vel ex sacris litteris, vel ex Patrum sententiis, vel ex probabilibus argumentis potest nobis constare. Etenim omnibus qui Christianè sapiũt & sacris litteris fidem habent, extra controuersiam & dubitationem omnem esse debet, C Deum qua libertate voluntatis & immensitate potestatis suæ mundum ex nihilo condidit, posse eundem, si quidem is vellet, ad nihilũ redigere. Apertam de hoc Scripturæ sententiam habemus in 2. libro Machabæorum cap. 8. vbi sic est, *Ipse potest vniuersum mundum vno nutu delere.* Simile quippiam colligi potest ex verbis Isaiæ quæ sunt in c. 40. & ex verbis quæ sunt in libro Sapiẽtiæ cap. 11. Non sum nescius hoc non iri probatum philosophis, præsertim autem Peripateticis qui vel negant Deum molitorem & effectorem fuisse huius mundi, quod in rebus æternis causa verè ac propriè efficiens ipsorum iudicio & sententia locum non habeat; vel existimant Deum non plena libertate voluntatis sed ea naturæ necessitate adductum, fecisse D mundum, vt opus quod ipse fecit, retexere ac dissoluere non possit. Verùm quæstionem hanc non cum philosophis in præsentia agitamus, sed apud Christianos & ex sacræ Scripturæ & Christianæ doctrinæ decretis tractare instituimus.

Auctoris sententia, mundũ hunc nunquã omnino, vel secũdum substantiam destructum iri.

Principio igitur vt hinc exordiar meæ opinionis explanationem, mundũ nunquã ita destructum iri arbitror, vt nullus aliquando futurus sit: quippe hoc satis ostendit Scriptura quæ futuram mundi mutationem vel purgationem vel renouationem vel seruitutis & corruptionis liberationem nominat; quod disertis sanis verbis docet Paulus in c. 8. Epistolæ ad Romanos, cum scribit, Omnem creatur

A turam,hoc est etiam rationis & sensus expertem,quodammodo anxiè expectare glorificationem electorum, vt ipsa simul cum illis à seruitutis corruptione liberata,nouitatem quandam & gloriam incorruptionis acquirat.Eodem pertinet quod ait Salomon in 3.capite libri Ecclesiastæ, *Didici quod omnia opera quæ fecit Deus perseuerent in perpetuum.* Et verò,Dei bonitatis ac sapiẽtiæ alienum videtur: vt hoc tam præclarum & omnibus numeris absolutum mundi opificium, & Dei potentiæ ac prouidentię non modo splendidissimum monumentum,sed grauissimum etiam testimonium, penitus destruatur & ad nihilum redigatur. Profecto ita est: cum mundus hic corporeus præcipuè factus sit propter hominem, conuenit existimare si-
B milem fore mundi vt hominis corruptionem pariter atque renouationem,homo autem post diem iudicij ex corruptibili factus incorruptibilis: idem secundum substantiam omni æuo permanebit. Quare quod fertur in libro 2. & 3. Recognitionum Clementis, dixisse olim B.Petrum,supremum cœlum & beatarum mentium domicilium,quod Empyreum posteriores Theologi appellarunt, nullo vnquam tempore mutatum iri,nedum interitutum, sed omninò immutabile in omnem æternitatem duraturum: Cœlum verò sydereum mortalium oculis conspicuum,in consummatione sæculi esse dissoluendum ac prorsus abolendum, vt eius corporis ablato quasi velamine,cœlum illud glorioſum,& nunc humani sensus captu sublimius,tum appareat iis quos Deus eius conspectu fuerit dignatus:
C hoc,inquam,quod in illis libris traditur,aut non magni faciendum est; propter dubiam aut nullam potius apud viros doctos eius operis fidem & auctoritatem; aut est probabili aliqua interpretatione molliendum: & ad hanc opinionem quam docuimus & probauimus quoquo modo deflectendum.

Libri Recognitionũ Clementis.

Illvd etiam mihi quidem fit simillimum vero ac prope certum,mundum corporeum non esse corrumpendum secundum substantiam, aliumque diuersum ab eo qui nunc est à Deo fabricandum.Paulus enim 1.Corinth.cap.7.non obscurè indicauit hoc,cum dixit,*Præterit figura huius mundi*:non enim,inquit, præterituram substantiam,sed figuram: atque ad huius rei confirmationem valent
D quæ paulò superius ex Augustino,Hieronymo, Gregorioque adduximus.In primo cap. Ecclesiastæ sic est, *Terra in æternum stat*:Ibidem etiam c.3.scriptum est, *Omnia opera quæ fecit Deus, perseuerant in perpetuum.*Psalmo 148. *Statuit ea in æternum.* Hoc ipsum sensit, disertisque verbis explicuit & probauit Proclus & Methodius, vt videre licet apud Epiphan.Hæres.64.quæ breuitatis causa prætermittimus. In eadem sententia fuisse complures de veteribus Græcis scriptoribus magna fit coniectura ex Oœcumenio,idem tradente super 3. cap.2. Epist.Petri,cuius verba paulò infrà posuimus:quippe commentaria Oecumenij sunt collectanea Græcorum scriptorum.Nec ægrè quisquam,opinor,hoc credere in animum suum inducet, qui secum re-

Hic mundus non corrumpetur secundũ substantiam.

An posset effici alius mũdus, ab hoc qui nunc est omnino diuersus secundum substantiam.

putabit vix posse fingi, quemadmodum alius mundus ab hoc nostro A
secundum substãtiam omnino diuersus, effici queat. Namque mundus ille post diem iudicij futurus, elementa & cœlos, solem item & lunam, cæteraque astra habeat necesse est: nisi enim habeat, non verè nominari posset mundus aut vniuersum, tot tamque perfectis rerum generibus integritatem, decorem, ornatumque mundi conficientibus carens. Vel igitur habebit eiusmodi res secũdum substantiam similes huic nostro mundo; atqui nulla ratio erat, cur vellet Deus mundum hunc destruere & alterum huius simillimum deintegro condere: Sin autem elementa & astra illius mundi diuersa ponantur secundum substantiam; non possum equidem animo capere qua id ratione possit fieri. Nec enim terra illius mundi non erit densa, sicca, grauis, frigida, ad medium mundi locum propendens, & in B
eo suapte natura conquiescens: nam quæ hisce proprietatibus non est insignita, non est verè terra; quæ autem eas habet, planè talis est secundum substantiam, qualis est hæc nostra. Quod autem hic de terra sum argumentatus, idem ad cæteras principales mundi partes transferri & aptari potest. Quod si mundus secundum substantiam esset interiturus, & non ipse, sed alius quidam mundus ex alia substantia conditus à Deo, incorruptionis & gloriæ quam post diem iudicij filij Dei consequentur, futurus est particeps, non vtique dixisset Paulus de hoc nostrati mundo loquens, Omnem creaturam ingemiscere & parturire expectando renouationem & glorificationem filiorum Dei, vt ipsa quoque pariceps eiusdẽ nouitatis & gloC
riæ quodammodo fiat, non enim mundus qui nunc est, sed alius secundum substantiam, illius nouitatis & gloriæ particeps esset: nec hic mundus, quod expectat tam anxiè & ingemiscit, vnquam consequeretur.

Cælũ intrinsecè ac secundum substantiã, est incorruptibile.

IAM verò si cœlum secundum substantiam nunquam est interiturum, videtur hinc optima ratione concludi posse, cœlum per se ac intrinsecè esse incorruptibile, quemadmodum enim si cœlum post diem iudicij fuisset corrumpendum, alienum & incongruum erat, fecisse ipsum secundũ naturam incorruptibile: quorsum enim faceret Deus incorruptibile cœlum, quod vellet aliquando corrumpi? ita etiam cœlum cum nullo vnquam tempore sit corrumpendum D
secundum substantiam, ratio ipsa poscit, vt factum à Deo fuerit incorruptibile; frustra enim fecisset corruptibile, quod nunquam corrumpi vellet. Omnia itẽ signa & argumenta vel ex sensuum iudicio, vel ex naturali humanæ rationis lumine petita, quibus aliquid esse incorruptibile probari potest, (quorum potiora in 1. libro de Cœlo collegit Aristoteles) ad vnum omnia conueniunt in cœlum. Nec vim huius argumentationis eleuat exemplum hominis, qui natura sua cum sit corruptibilis à Deo factus, post resurrectionem assequetur immortalitatem: homo namque ita factus est secundum naturam corruptibilis, vt tamen si vellet, Dei iussis & voluntati obtẽperando,

Cur sicut homo nõ ita mũdus possit esse corruptibilis, & post diem iudicij adipisci incorruptionem.

omnem

A omnem corruptionem atque mortem effugeret: neque incorruptio quæ manet eum post resurrectionem est aliquid naturale & hominis naturæ debitum: sed est supernaturale quoddam Dei donum, & ab homine benè viuendo, benéque agendo promeritum, hæc autem quæ de homine diximus, cœlo non competunt. Adde quòd homo sicut est corruptibilis, ita tandem aliquando corrumpitur, & posteà incorruptionem quasi præmium à se promeritum accipit. Et vero, homo non potuit fieri natura sua incorruptibilis sicut cœlum: nec est par ratio cœli & hominis, qui sic est in ordine rerum naturalium, vt sit à Deo tamen ordinatus ad participationem rerum supernaturalium. Deinde, nisi cœlum sit incorruptibile corpus, nullum habe-
B bit mundus corpus incorruptibile: quare hic gradus & hoc genus entis nobilissimũ mundo deerit, quo sané carnes, nec mundus, nec perfectus, nec vniuersum verè dici poterit.

QVAESTIO II.

Quomodo mundus qui secundum substantiam nunquam corrumpetur, post diem iudicij sit immutandus, atque renouandus.

C VERVMTAMEN, licet nec cœlum nec elementa secundum substantiam interitura sint post diem iudicij, aliter tamen se habebunt quàm nunc sunt, retinebunt quidem elementa raritatem & densitatem, grauitatem & leuitatem: nam propter has qualitates certum habent ordinem certáque loca in vniuerso: seruabunt etiam qualitates actiuas, velut calorem & frigus, humorémque atq; siccitatem, sine his enim nec nisi miraculosè, nec nisi imperfecta & quodammodo æquiuocè constare possunt: non tamen hæ qualitates tunc exercebunt vires & facultates suas, quia tunc nulla futura est generatio & corruptio: hæc enim renouationi & perfectioni illius status repugnant. Cessabit autem illarum qualitatum actio, Deo suspendente earum vsum, & cohibente concursum suum cum illis qualitatibus ad agendum: hoc autem non videbitur incredibile cõsiderãti prorsus idem euenturum qualitatibus actiuis, quæ erunt in corporibus
D hominũ post resurrectionem iam glorificatis, & incorruptione atq; impassibilitate donatis. Simile quiddã etiã de cœlis & astris sentire cõuenit: seruabunt enim lucem & splendorem ad illuminãdum, sed non ad calefaciendum vel quippiam producendum, sed vt à motu, sic ab hac quoque actione vacabunt. Quod vt crederemus aliquando futurum, præmisit Deus aliqua harum rerum exempla, veluti cũ tempore Iosue, solis & lunæ motus cohibitus est, & ignis in forna- *Iosue 10.*
ce Babylonica vim vrendi aut etiam calefaciendi non exeruit. Moses item bis quadraginta dies atque noctes sine vllo cibo potúque, in- *Danielis 3.*
offenso corpore perdurauit. Non agere autẽ inter se qualitates ele-

mentorum, nec lucem syderum calefacere, quamuis nunc ingens A
esset miraculum, tunc tamen posita semel totius mundi renouatione, non erunt miracula, sed quodammodo naturaliter & necessario erunt illi statui consequentia, maximéque congruentia, & ad ordinariam Dei prouidentiam circa illum statum pertinebunt. Cessaturum autem esse motum cęli post diem iudicij, nec eam tamen vacationem à motu fore cęlo violentam, infrà docebimus, vbi disputabitur an cęli moueantur ab Angelis.

Præter cælos & quatuor elementa, cætera omnia secundum substantiam, peribunt, vt nullũ corpus mistum post diẽ iudicij superfuturum sit. Psal. 8.

PORRO, etsi neć cęli nec elementa post diẽ iudicij secundũ substantiam interibunt, attamen omnia ex elementis mista & composita corpora tã inanima quàm animata, præter vnum hominem, post diem iudicij omnino interibunt, sic vt nulla post id temporis sint futura. Etenim hoc manifestè docet Beatus Petrus capite 3. posteB
rioris Epistolæ suæ, *Terra*, inquit, *& quæ ipsa sunt opera exurentur.* Quod profecto ita fieri debere, suadet ratio. Plantæ enim & animalia propter hominem facta sunt, eius obsequio vsui commoditatiq; addicta, *Omnia*, inquit Dauid, *subiecisti sub pedibus eius:* & in lib. Geneseos capite 9. Deus dixit Noë, *Quasi olera virentia tradidi vobis omnia:* Post diẽ autẽ iudicij homine ad statũ immortalitatis translato, nec istiusmodi rerũ vsu indigente, si ea manerent, frustra essent ac superuacua. Adiice, quod post diem iudicij omnino cessabit motus cęli, vt infrà dicemus, quo sublato, generatio & corruptio istarũ rerum constare non potest. Conseruare autem omnium specierũ indiuidua, inC
rupta & impassibilia, similiter vt hominem, non videtur esse conueniens Dei sapientiæ. Cúmque tunc futurus sit mundus incorruptibilis, ea tantum videntur esse remansura, quæ rationem aliquam habent incorruptibilitatis. hæc autem triplex est: Quædam enim, & tota & secundum omnes partes sunt incorruptibilia, vt cęli: alia si non tota, certè principem sui partem incorruptibilem habent, vt homo: sunt etiam quæ licèt particulatim paulatimque intereant, attamẽ simul totæ interire nequeunt, sed summa eorum semper manet integra, huiusmodi sunt elementa. Cætera verò ex elementis coagmentata corpora nullã habent in se rationem incorruptibilitatis nisi secundum speciem, quę nihil ad rem præsentẽ facit: vt omitrã, Elemẽta non habere intra se causam aliquam efficientem sui interitus, & partes esse principales mundi, quibus eius integritas continetur. D

Quomodo mundus post diem iudicij omnibus mistorũ generib. & speciebus carens, dici poterit plenus ac perfectus aut etiam vniuersum.

VERVM obiiciet nobis aliquis tot species lapidũ, metallorum, & animantiũ ad mũdi decorẽ, ornatum, atq; perfectionẽ adeò pertinere, vt sine illis mundus non possit esse perfectus. Sed hoc soluitur: nã eiusmodi rerũ species, licet pertineant ad perfectionẽ mũdi, prout is versatur in præsenti statu generationis & corruptionis, non tamen ea ratione vt mundus post diẽ iudicij ad alterũ statũ incorruptionis à qua longè absunt istiusmodi res, traducetur. Ac licèt stirpes & animantes per se dignitate naturæ præstent elementis, tamen si æstimetur ratio incorruptibilitatis aliquo modo inuenitur in elemẽ

tis,

A tis,& prout sine illis corporei huius mundi integritas constare nequit, non est negandum hoc nomine etiam animalia inferiora esse elementis. Sed qua ratione mundus post diem iudicij tot támque eximiis rerum generibus carens, nomen & rationem vniuersi iure obtinebit? an, vniuersum simpliciter & absolutè appellari verè non poterit? nisi ea tantum ratione quòd omnia contineat, quæcumque secũdum naturam suam sunt aliquo modo incorruptionis capacia: status enim ille mundi incorruptibilis non alias res complecti debet, an omnia istiusmodi rerum genera etiam in illo mundi statu quodammodo inuenientur? videlicet, in homine, in quo secundum generales gradus omnia genera mistorum eminenter continentur.

B Atque hoc habui dicere de proposita quæstione: non quin plura, siquidem & ingenio & materiæ indulsissem dicere potuerim, sed quod ad indicandam sententiam nostram & præcipuas difficultates enodandas, quæ nunc dicta sunt, cuiuis non indocto, nec imperito sacrarum literarum satis esse possent.

Nec sane eorum quæ de futuro post diem iudicij statu modò docuimus, hoc est de incorruptione cęlorum, & stirpium atque animalium interitu, valde aliena videntur, quæ in Collectaneis suis super 3. caput posterioris epistolæ B. Petri annotauit Oecumenius, haud dubiè ex antiquioribus Grecis scriptoribus, vt solet pleraque, mutuatus. ad hunc enim modum scribit, *Cum duo sint elementa quæ hanc vniuersi machinam maximè continent & cohærentem conseruant, aqua*

C *& ignis, ex quibus reliqua duo etiam existunt: nam aër ex aquarum exhalatione, terra ex earundem concretione constat: quæ vtraque, id est, exhalationem & concretionem ex aqua, exprimit vis ignis naturaliter ei à Deo insita. Cùm igitur duo hæc præcipua sint elementa, & per aquam prius tempore Noë impiorum scelera fuerint deleta, necesse est vt rursus impiorum punitio per ignem fiat. Ac de hoc quidem mundi interitu, non Christiani solum, verum etiam Græcorum sapientes, vt Heraclius, Ephesius, & Empedocles Aetnæus tradiderunt. Sed dicet quispiam, quæ ratio est cur conditus fuerit mundus, si interire rursus debet? Cui ita respondendum est, Mundum tunc non in perniciem prorsus interiturum, sed in renouationem abiturum. Vnde etiam Dauid inquit,* Renouabis faciem terræ. *Quod si nos materias conflare per*

D *ignes consueuerimus, non penitùs eas destruamus ne sint, sed vt purgatiores eas* Psalm. 103. *ac synceriores reddamus: credendũ non est, Deũ, cũ per ignẽ consummationem mundi promiserit, vel id non facturũ, vel si faciat, in perniciem & interitum mundi id esse facturum. Nam si perdentur & consumentur aliqua, quænam illa erunt? Superuacua nimirũ hæc, & præsenti vitæ conuenientia, cuiusmodi sunt iumenta, herbæ & plantæ, quæ aliæ materiam ad tabernacula & domos extruendas, aliæ fructus ad alendos homines producunt. Alimentum autem & nutritio, corruptionis argumentum est: defectus autem & repletio cibique indigentia, quid aliud arguit & prænunciat quàm corruptionem? Hæc igitur quæ vana sunt & superuacua, nec ad vitam illam quæ post diem iudicij sine corruptione agetur pertinentia, corrumpentur omnia. Noui verò cœli & noua*

terra substituentur, quæ tamen secundum materiam diuersa minimè erunt: quippe cum neque qui nouam domum extruit, eam ex nulla subiecta materia faciat: sic Deus cum semel materiam à principio produxerit & formarit, omne id quod ad vsum vitæ huius necessarium, sed ad alteram tamen incorruptibilem vitam inutile ac superuacaneum est, tollet ac perdet: quicquid verò ad eam conducet, id incorruptibili & admirabili pulchritudine formatũ, ad secundum & incorruptibilem mundum ornandum relinquet. Hactenus commemorata sunt quæ in Commentariis suis non incongrua nostræ opinioni prodidit Oecumenius. Simillima horum tradit Iustinus martyr respondens ad quæstionem orthodoxorum. 95. Sed persequamur deinceps alias quæstiones initio huius libri propositas, quarum quæ est de Figura cœli, eam primo loco excutiamus.

QVAESTIO III.

De figura cœlorum, an ea sit rotunda.

ARISTOTELES & Mathematici docent cœlum esse rotundum, & vera docent. cum enim cœlum sit corporum omnium primum, simplicissimum, capacissimum, perfectissimum, atque mobilissimum, globosam figuram maximè deposcit, vt quæ omnium figurarum sit prima, simplicissima, capacissima, perfectissima, & ad velocitatem perpetuitatemq; motus aptissima. Quod si hac figura præditum non esset cœlum, non posset tam diuersi motus & tam diuersas in partes in cœlis agi, quin seipsos cœli frangerent atque perrumperent. neque vitari posset quin ob cęlorum conuersiones alicubi vacuum existeret. Quare non sunt nobis sequendi scriptores quidam Ecclesiastici, qui cęlum esse rotundum non modo negarunt, sed etiam sacris litteris aduersari existimarunt. In qua sententia fuisse videtur Iustinus respondens ad quæst. cxxx. orthodoxorum, & Basilius, homi. 1. super Genesim. Ambrosius libr. 1. in Hexemeron: necnon Chrysostomus, hom. 14. & 27. in epist. Pauli ad Hebræos, super eiusdem epistolæ, cap. 8. Theophylactus atque Theodoretus. quanquam hic in quæst. 20. super Genesim, veram de rotunditate cęli sententiam videtur sequi. Verùm præter cęteros præfractè pugnat pro hac opinione Lactantius, lib. 3. Diuinarum institutionum. ca. 23. & Procopius Gazæus in Comment. super Genesim, cum exponit illa verba Mosis, *In principio creauit Deus cœlum & terram*: Qui non est veritus dicere, opinionem de rotunditate cęli cum orthodoxa veritate nullo modo congruere, sed Mosi, Prophetis, Paulo, quin etiam Christo Domino contradicere.

Ex auctorib. Ecclesiasticis, qui nam rotũdum esse cælũ negauerint.

Cœlum esse rotundum sacris litteris esse congruum.

ATenimuerò, tantùm abest vt hæc sententia contraria sit diuinæ Scri

A næ Scripturæ, vt cum ea mirificè concordet atque consentiat. Possem ad huic rei fidem faciendam multa de sacris litteris expromere, sed ne vbi minimè opus est, longior sim, paucis ero contentus. Cœlum esse rotundum, nec vno loco nec obscurè indicat scriptura: hoc enim scriptum testatúmque reliquit Salomon initio libri Ecclesiastæ, docens Solem in cœlo moueri in orbem, *Oritur*, inquit, *Sol & occidit, & ad locum suum reuertitur, ibique renascens gyrat per Meridiem & flectitur ad Aquilonem, lustrans vniuersa in circuitu pergit Spiritus, & in circulos suos reuertitur*: quibus verbis clarissimè ostenditur, præsertim autem prout illum locum interpretatur B. Hieronymus, solem, qui in cœlo cursum suum agit, in orbem circumferri: quod fieri non posset, nisi globosum ac rotundum esset cœlum. Verùm, etiam manife-
B stius traditur hoc in libro Ecclesiastici, capit. 24. quo loco diuina Sapientia inducitur ita loquens: *gyrum cœli circuiui sola*. Græcè significantius est verbum, ἐκύκλωσα, hoc est, circunduxi, rotundaui seu conglobaui. Hoc ipsum putant nonnulli significasse Iob, cum in capite 9. dixit, *Sub quo curuantur qui portant orbem*. His verbis insinuans sanctos Angelos, à quibus & cœlestes orbes mouentur, & totus mundus sub Deo gubernatur. Eodem spectat illud Salomonis in 8. ca. Prouerbiorum. *Quando præparabat cœlos aderam: quando certa lege, & gyro vallabat abyssos*. Nomine enim abyssi significat hoc loco vastitatem illam inter cœlum & terram plenam aquea materia, sine luce vlla & distinctione, de qua dixit hoc loco Moses, *& tenebræ erant super faciem abyssi*.

Locus lib. Prouerbiorũ.

C Hanc autem abyssum gyro, hoc est circulo corporum cœlestium, & certa lege quæ mutari non potest, circumualauit & circumscripsit. Atque hoc apertiùs ostendit lectio Hebraica, quæ ad verbum sonat: *Cum statueret seu describeret circulum super faciem abyssi*.

Sed Basilio, Ambrosio, Achatio & quibusdam aliis veterum scriptorum opinionem, quæ est de rotunditate cœli, visus est funditus euertere locus ille Esaiæ, in cap. 40. in quo est, Deum expandisse cœlos sicut tabernaculum, seu cameram, vel vt ex translatione Septuaginta Interpretum citat Basilius, constituisse cœlum tanquam fornicem: & ille alius locus Dauidis in Psalmo 103. *Extendens cœlum sicut pellem*. Verumtamen, Augustinus in c. 9. lib. 2. de Genesi ad litteram,
D pulchrè docet quemadmodum supradictæ sententiæ possint commodissimè intelligi & exponi, ita vt rotunditati cœli nihil prorsus officiant. *Non enim*, inquit Augustinus, *cœlum esse rotundum pugnat cum eo quo est, habere ipsum similitudinem tabernaculi vel cameræ: cœlum enim secundum eam partem quæ supra nos est, de qua propriè loquitur scriptura, habet similitudinem cameræ, superuacuè continens & tegens hoc nostrum hemisphærium, quare, si cœlum non est sphæricum, ex ea parte camera est: qua terram tegit: sin autem totum est spherieum, vtraque ex parte camera est, nam sicut hæc pars cœli quæ nos tegit est quasi camera respectu nostri hemisphærij, ita cœli altera medietas quæ tegit Antipolas, respectu aduersi nobis hemisphærij camerd est. Nec obstat quod ait Dauid, cœlum extensum esse sicut pellem: namque*

Explicatur locus Isaiæ, capit. 40. & Dauidis, Psal. 103.

pellis poteſt diſtendi & in planum & in orbem, vti cernimus in vtre, pilla, ve- A
ſica. ſic Auguſtinus. Sciendum tamen eſt, in illo Dauidis loco pro pelle, Hebraicè vocem eſſe quæ ſignificat cortinam: olim enim tam apud Iudæos, quàm alias gentes, tabernacula & tentoria conficiebantur ex pellibus ſimilitudine cortinarum: vnde manauit illud Imperatores eſſe ſub pellibus. Exemplum huius habes lector in cantico Habacuc, ca. 3. eo in loco: *Pro iniquitate vidi tentoria Aethiopiæ, turbabuntur pelles terræ Madiam.* Ergò verus & germanus illorum verborum Dauidis hic eſt intellectus, Quemadmodum homo pellem ſeu cortinam tentorij vel tabernaculi ſui complicatam atque conuolutam, nullo negotio prout libet deducit & expandit: ita Deum nullo labore extendiſſe cœlum in maximam amplitudinem, vt eſſet tanquam tentorium & tabernaculum circumtegens terram, quam cunctis animantibus præ- B
cipuè autem hominibus ad habitandum dederat.

QVAESTIO IIII.

De numero Cœlorum.

NON eſt in hac quam inſtituimus tractatione, prætermittenda diſputatio de numero cœlorum. Ad Ptolemæi vſque tempora Mathematici iuxta & Philoſophi octo eſſe cœlos, ſeptem planetarum, & octauum inerrantium ſyderum cenſuerunt. Ptolemæus & poſteriores Mathema- C
tici comperto motu octaui orbis ab occaſu ad ortum, nonum cœlum addiderunt. Ante annos verò ferè trecentos, præter motum raptus, & motum ab occaſu ad ortum octaui cœli, certa obſeruatione deprehenſus eſt à Mathematicis alius quidam eiuſdem orbis motus, quem illi trepidationis appellauerunt: quamobrem decimum cœlum ponere coacti ſunt, ex ſententia igitur Mathematicorum, quæ nunc fermè recepta eſt in ſcholis & pleriſque omnibus probata, decem ſunt cœli mobiles: quibus addendum eſt vndecimum quod Theologi empyreum nominarũt. Quæritur igitur an vſquã diuina Scriptura quicquam certi de numero cœlorum apertè tradat: & an communis opinio de numero vndecim cœlorum ſacris litteris aduerſetur. D

Chryſoſtomus vnum duntaxat cœlũ ſecundum ſacrã Scripturã admittit.

S. CHRYSOSTOMVS ho. 4. in Geneſim explanans verba illa, *Fiat firmamentum,* non dubitauit affirmare, qui multos cœlos faciunt, eos diuinæ ſcripturç, & doctrinis Eccleſiaſticis aduerſari, ſuáque ipſorum commenta & figmenta ſequi. Moyſes enim vnum tantummodo cœlum tradidit quod appellauit firmamentum: nam cum ante dixit, *In principio fecit Deus cœlum & terram*, nomine cœli & terræ deſignare voluit totum mundum, cuius opificium ſummatim ante propoſuit: deinde verò, quemadmodum per partes à Deo ſit factum, diſtinctè ac ſigillatim enarrauit. Nec debet quemquam mouere quod Scriptura nonnunquam numero plurali vtitur nomine cœli, veluti

cum

A cum ait, *Cœli cœlorum*, & rursus: *Aquæ quæ super cœlos sunt: in huiusmodi namque loeutione seruat proprietatem linguæ Hebrææ, in qua nomen cœli caret numero singulari, sicut apud Latinos Athenæ, Venetiæ, Syracusæ.* Hactenus ex Chrysost. Sed quia dictum hoc doctrinæ omnium philosophorum & Theologorum contrariũ est, propterea B. Tho. qua erat singulari erga sanctos Patres pietate & obseruantia, in bonã partẽ illud interpretari voluit. Ait enim in 1.p. q.68. non dãnari à Chrysostomo eos qui corpus cæleste in multos orbes distingunt: sed hæreticos quosdam & philosophos qui extra hunc mundum & cœlos nobis aspectabiles, alios esse cœlos aliosque mundos fabulabantur. Quæ interpretatio quam aptè congruat sententiæ verborum Chrysostomi, lectori existimandum iudicandumque permitto. Iustinus martyr respondens ad q.

B 67. Orthod. quæ erat hæc, Cum Moyses in principio libri Geneseos duorum tantum meminerit cœlorum, cur alibi Scriptura plures cœlos tradat? nã Paulus ait 2. Cor. c. 12. se ad tertium vsque cœlum esse raptum: ad hanc, inquam, Iustinus quæstionem respondens ait, re vera duos tantummodo esse cœlos, vt ita dicam, totales, sed hos distinguit in varia spatia quæ interdum Scriptura etiam cœlos appellat. Simile est quod tradit Theodor. q. 11. in Gene. *Qui non credit*, inquit, *secundum esse cœlum, semitam rectam transgreditur: qui verò plures numerare conatur, adhæret fabulis postposita diuini Spiritus doctrina.* Basilius hom. 3. in Gen. affirmat, secundum Scripturam non duos tantum cœlos: sed

C etiam plures, certè minimum tres statui oportere: Paulus enim perspicuè narrat raptum se esse vsque ad tertium cœlum. Philastrius in catalogo hæreseon commemorat hæresim quorumdam de cœlorum multitudine & diuersitate ambigentium: ipse autem sentire videtur, quanta sit cœlorum multitudo, ex sacris litteris esse incompertum: quippe cum ea de re Scriptura variis in locis variè loqui videatur. *Ex verbis enim Mosis quæ sunt in 1. c. libri Genes. colliguntur duo cœli, alterum in principio factum simul cum terra, alterum nomine firmamenti secundo die conditum. Dauid verò sex esse cœlos innuit cum inquit,* Laudate *Dominũ cœli cœlorum, & aquæ quæ super cœlos sunt, laudent nomen Domini, nam cũ ter enunciet nomen cœli numero plurali, minimum indicat sex cœlos. In Deuter. autem c. 10. cum dicitur, Cœlum & cœlum cœli, tres demonstrantur: sicut etiam apud Paulum, cum se ipse dicit raptum ad tertium cœlum.* Hæc Philastrius.

D Sanctvs Thomas prima parte quæstione 68. articul. 4. obseruauit nomen cœli partim in sacris litteris, partim apud sanctos Patres variis modis sumi: Primò quidem propriè pro verò corpore cœlesti, atque ita distinguitur triplex cœlum: primum totum lucidum & immobile quod est empyreum: alterum totum expers lucis & diaphanum mobile tamẽ, & vocatur chrystallinum: tertium partim diaphanum partim lucens, & est cœlum sydereum octauum orbem & septem subiectos planetarum orbes complectens. Altero modo cœlum dicitur non quod naturam habet cœlestem, sed quia similitudinem habet alicuius proprietatis cœlestis: quomodo in

Scri

Quomodo B. Thomas dictum Chrysostomi interpretetur.

Iustini martyris de numero cœlorum opinio.

Theodoretus duos tantum ponit cœlos, Basilio vt minimum tres sunt cœli.

Philastrio incertus videtur secundum diuinam Scripturam cœlorũ numerus.

Psal. 148.

Variè sumi in sacris litteris nomen cœli, tradit B. Tho.

Damascenus lib. 2. de Fide orthodoxa.

Scriptura sæpenumero aër nominatur cœlum, quocirca Damascenus triplex facit cœlum, aërium, sydereum, & aliud his superius inuisibile ac diuinum. Tertio modo cœlum dicitur per metaphoram & secundum sensum mysticum, incomprehensibilis illa sublimitas & lux inaccessibilis diuinæ Maiestatis, cuius similitudinem & æqualitatem effectans Lucifer Isaiæ 14. dixit, *In cœlum ascendam.* Quarto modo tria genera supernaturalium visionum, hoc est, visionis corporalis, imaginariæ, & intellectualis, tres cœli nominantur: secundum quam cœli significationem Pauli raptum ad tertium cœlum, lib. 12. de Genesi ad litteram Augustinus interpretatur. Porro, cum in Scriptura dicitur *Cœlum cœli*, vel *Cœli cœlorum*, phrasi Hebraica significatur summum & præstantissimum cœlum, hoc est, vel cœlum empyreum respectu aliorum cœlorum, vel complexio cunctorum orbium cœlestium respectu aëris, qui etiam cœlum in Scriptura, vt iam dixi, sæpe appellatur.

HAEC omnia eò commemorauimus, vt palam esset nusquam in sacris litteris certum numerum cœlorum esse proditum: nec eos qui cœlos plures tribus ponũt, videlicet vel nouem vel decem vel vndecim, sacris litteris contradicere. Quapropter cum Philosophi & Mathematici manifestis & necessariis rationibus concludant esse octo aut nouem aut etiam plures cœlos: inscienter admodum profecto, ne dicam stultè, nunc faceret Theologus & sacrarum litterarum Interpres, si eorum opinionem tanquam diuinæ Scripturæ contrariam vel alienam reijceret atque damnaret.

QVAESTIO V.

A quo moueantur cœli, ab Angelis ne, an à seipsis.

NON à se moueri cœlos sed ab Angelis, non tam facile atque euidenter ex sacris litteris possum colligere, quàm est plurimorum & maximorum Philosophorum atque Theologorum consensu firmarum, mihique multis rationibus persuasum. Etenim orbes cœlestes diuina ratione potentiáque cieri ac regi, nec sua vi, sed ab Angelis, quos philosophi Platonici deos appellabant, in orbem perpetuo agi, concors fuit Platonicorum & Peripateticorum Stoicorúmque sententia. Nam cum cœlum sit corpus simplex & in omnibus partibus suis secundum substantiam vniforme, non potest seipsum mouere: non enim potest in ipso distinctè signari pars quæ moueat, & altera pars quæ moueatur. Nec vlla ratio posset reddi, cur primum cœlum (si quidem à se moueretur) ab Oriente in Occidentem potius moueatur, quam è contrario, aut quàm à polo vno versus alterum polum: nam cum vsquequaque sit vniforme & secundum omnes

A nes partes suas,quod attinet ad substantiam, prorsus indifferens,similiter qualibet ex parte & in quamlibet partem moueri deberet. propter has enim differentias motus in cęlo obseruatas, argumentatur in secundo libro de Cælo Aristoteles, cęlum esse animatum, quòd in corpore simplici inanimóque si à se ipso moueretur, tales differentiæ motus nequaquam esse possent. Quid quod si cælum se ipsum moueret, reflecteretur in se ipsum & supra suam propriam operationem? quod tamen adeò proprium esse intelligentis naturæ libro 1. de Anima censet Aristoteles, vt neget id, præter intellectum, aliis vllis animæ nostræ partibus attribui posse. Et verò, quæ posset reddi causa probabilis, cur cęlum in orbem perpetuo ageretur, cum eo motu nec sibi quicquam acquirat, nec quod habet tueatur & cō-
B seruet? cur etiam confecto semel spatio suo, & vna integra conuersione absoluta non desinat moueri, sed infinities idem spatium repetat ac remeet?

AD hoc, qui negat cęlos moueri ab Angelis, nullam profecto reliquam facit viam & rationem philosophicam, qua cognosci & probari queat Angelos esse. Si enim motus cęli non est effectus Angeli, quæ alia potest afferri eius actio vel effectus, naturali, vel sensus vel rationis iudicio nobis manifestus & compertus, ex quo Angeli natura deprehendi, & demonstrari valeat? Denique, cùm totus mundus sublunaris non alia ratione ordinaria, quæ nobis quidem naturaliter sit manifesta, regatur & moderetur à Deo quàm per motus
C cęlorum & syderum ministeria; si cęlum non ab aliqua intelligente natura, sed sua vi naturaliter à se ipso moueri ponatur, nihil planè suppetet quo, physica ratione, demōstrari queat, res sublunares Dei cura & prouidentia gubernari: quęcumque enim alia vel solent vel etiam possunt ad id probandum adduci argumenta, vel admodum tenuia & infirma sunt, vel nimis particularia & obscura atque incerta, nisi hoc vno veluti suppositō fundamento nitantur atq; firmentur. Atque hoc ita esse, indicio est, quod inter philosophos quicumque negarunt cęlos moueri ab intelligentiis, sed vel casu vt Demo
D trirus & Epicurus, vel naturali sua vi & impetu, vt Strato Lampsacenus Theophrasti discipulus, eos constat nullos esse putasse Angelos, omnémque Dei prouidentiam ex hoc mundo sustulisse: contra verò qui hæc duo crediderunt, etiam motum cęlorum à mente & ratione proficisci censuerunt.

Dionysius Areopagita lib de cœlesti hierarchia.

NEC Philosophia modo, sed Theologia etiam hoc docet. Etenim sententia est Dionysij Areopagitæ & Augustini aliorúmque Patrum, pleríque omnibus Theologis scholasticis probatissima, ita Deum prouidentia sua hunc mundum administrare, vt infima regat per media, hæc autem per summa; corpora item inferiora gubernet per superiora, & hæc per spiritus. Est quoque in ore Theologis omnibus, Angelos Diuinæ prouidentiæ administros, prouinciis & regnis singulísque hominibus esse quasi tutores, cu-

stodes & rectores à Deo præfectos: quanto igitur credibilius est eos A
præsidere motui cœlorum, scilicet ex quo pendet rerum sublunarium salus & incolumitas, & per quem huius nostratis mundi cura & administratio agitur? Ad hanc sententiam persuadendã, applicant quidam nonnullas Scripturæ sententias. aiunt enim hoc significare Scripturam quotiescumque vocat virtutes cœlorum, vt cum inquit Matthæi vigesimoquarto. *Virtutes cœlorum commouebuntur*, & cum Ecclesia canit, *Cœli cœlorumque virtutes*, & cum Iob cap. nono, tradit coram Deo curari eos qui portant orbem. Iam verò si cœlum post diem iudicij à motu quo nunc in orbem agitur (vt ferè Theologorũ fert sententia) omnino vacabit, quis non videt quanto congruentius sit huic opinioni, si ponatur cœlum non à se ipso moueri sed ab B
Angelis? Etenim continuatio & perpetuatio motus localis, ex mouente potius quàm ex mobili pendet. quare si Angelus mouet cœlum, cum voluntariè ac liberè moueat, non est difficilè intellectu quemadmodũ post diem iudicij, Angelo Dei iussu non amplius mouente cœlum, nullus futurus sit cœli motus. At verò, si cœlum sua vi moueretur à seipso, motus esset ei omnino naturalis, tam ratione principij passiui, quàm actiui, & attingeret perfectionem cœli, ob idque haberet cœlum naturalem propensionem ad suum motum; quapropter non posset eo priuari nisi miraculosè & violentè, & tũc careret perfectione quadam naturaliter sibi conuenienti ac debita. Incredibile autem est in illo prestãtissimo & perfectissimo qui post C
diem iudicij futurus est mundi statu, quicquam, nedum principes mundi partes cœlum & sydera, imperfectè violentè & contra naturam suam, idque in omnem æternitatem esse permansurum.

QVAESTIO VI.

An post diem iudicij, cessaturus sit cœli motus.

VERVM ENIMVERO dignum est perscrutatione, An quod vsurpatur à Thologis & in scholis iactatur, cessaturus sit cœli motus post diem iudicij? Equidem non memini legere vsquam in sacris litteris hoc apertè & propriè tradi; arbitror tamen id nec obscurè, nec vno D
loco in illis indicari. hoc enim significauit Isaias cum capite 60. sic ait, *Non occidet vltra Sol tuus, & Luna tua non minuetur:* quod nisi illis astris immotis, euenire non potest. Idem licet argumentari ex verbis Ioannis quæ sunt in Apocalypsi cap. 10. quo loco Angelus iurat per viuentem in sæcula sæculorum, Quia post diem iudicij & resurrectionem hominum, tempus non erit amplius: atqui tempus cessare non potest nisi cessante motu cęli: loquor de tempore quod est connatum ipsi cęlo, & communiter omnibus gentibus notum & vsitatum, quodq; in annos, menses, diésq; atque noctes distinguitur. Nam tempus vniuersè & absolutè sumptũ, quod in quocumq; motu & in successione cuiuslibet durationis signati notariq; potest, nõ pẽ-

det

A det ex motu cęli,eóque ſublato, vel in motu humanorũ corporum poſt reſurrectionem, vel in ſola mora & ſucceſſione cogitationum humanarũ verſari & permanere poteſt. Ad hoc, Paulus diſertis verbis docet in cap.8.epiſtolæ ad Romanos,Omnem creaturam corpoream & rationis expertem vanitati eſſe ſubiectam, & ſeruituti corruptionis addictam, non tam ſua ſponte, quàm propter hominem cuius vſibus à Deo eſt accommodata,quoad homo exuens mortalitatem induatur immortalitate,miniſteriis creaturarũ nequaquam indigens. Quænam autẽ ſit vanitas cui ſubiecta eſt creatura corporea, præſertim autem cęlum & ſydera,initio libri Eccleſiaſtæ declarat Salomon affirmans,eiuſmodi vanitatem non eſſe aliud quàm vi-

B ciſſitudinem & mutabilitatem,*Vanitas*,inquit,*vanitatum & omnia vanitas*:quam vanitatem exemplis demonſtrans non ineſſe modo in rebus ſublunaribus,ſed etiam cęleſtibus, mox ſubiungit, *Oritur ſol & occidit,& ad locum ſuum reuertitur:ibique renaſcens gyrat per Meridiem, & flectitur ad Aquilonem.* Sed Paulus eodem loco epiſt.ad Romanos confirmat, omnem creaturam ad exemplum & ſimilitudinem hominis eſſe renouandam,& ab omni vanitate & ſeruitute corruptionis liberandam. Ergo cęli poſt diem iudicij & reſurrectionem communem,ab omni motu & miniſterio quo deſeruiunt huic vitæ corruptibili,vacationem habebunt. Huc pertinet quod ſuprà ex 4. capite Deuteronomij adduximus, Solem,lunam & aſtra, eſſe creata in miniſterium cunctis gentibus: ſed poſt diem iudicij non indigebit

C homo cęleſtis motus miniſterio, ergo tunc nullus erit motus eorum vſus.

Argumentatio Philoſophorum, qua illi probari putauerunt, motum cæli nunquã ceſſaturum.

VERVM, Philoſophi vrgent nos eo maximè argumento, quod motus circularis eſt proprius & naturalis cęlo, ſicut multis rationibus argumentatur Ariſtoteles in 1. libro de Cęlo nam ſi non eſt naturalis cęlo, quis alius motus erit cęlo naturalis? non enim dici poteſt cęlum nullum habere motum ſibi proprium & ſecundum naturam ſibi conuenientem: quippe cũ natura definiatur eſſe principium motus in eo in quo eſt;nullúmque corpus naturale eſſe poſſit,cuius non ſit aliquis motus naturalis. Si igitur motus circularis eſt naturalis cęlo, habet vtique cęlum naturalem propenſionem

D ad ipſum,quare priuatio eius erit cęlo violenta, auferens ei naturalem ipſius perfectionem. Hanc obiectionem B. Tomas in quarto ſententiarum diſtinctione 48. (cuius loci doctrina eadem poſita eſt in additionibus ad tertiam partem quæſtione 91. articul. 2.) ita diſſoluit, In præſenti ſtatu generationis & corruptionis, motum circularem pertinere ad perfectionem cęli, quod per ipſum ſit cauſa generationis & conſeruationis rerum omnium ſublunarium, propter quam efficientiam aſſimilatur Deo: poſt diem autem iudicij, ſublato hoc mundi ſtatu, & inducto altero ſtatu immutabili & corruptibili, motus circularis non pertinebit ad perfectionem cęli, imo eſſet ſuperuacuus & illi ſta-

Solutio prædictæ argumẽtationis ſecundũ Sanct. Thomam.

tui maximè alienus. Sicut etiam generare & generari, nutriri & augeri, secundum naturam hominis nunc agentis vitam corruptibilé censentur; at naturæ hominis post resurrectionem factæ immortali & impassibili, eadem, non modo non essent consentanea, sed etiam maximè repugnantia. Proditum est ab aliis, motum circularem ante diem iudicij esse naturalem cœlo: post diem autem iudicij, non motum sed quietum cœlo fore naturalem. Verùm ægrè inducet in animum credere hoc, qui Philosophiæ decretis & doctrinis vel mediocriter fuerit institutus. Si enim vna eadémque est ante & post iudicij diem cœli natura, non potest ea nisi vnam naturalem inclinationem & ad vnum habere, nec potest manente eadem natura nõ manere eadem quoque propensio & perfectio naturalis. A

Probabilior solutio ex Auctoris sententia, quod cælũ re vera nõ habeat intrinsecam & naturalem propensionem ad motum tanquam ad suã perfectionem.

Ego ita sentio posita renouatione mundi, eáq; mutatione quã post diem iudicij futuram Theologia docet, valde consentaneum esse rationi, cœlum ex se & intrinsecè, nullam habere naturalẽ propensionem ad motum circularem: nam si haberet, non video equidem quemadmodum eo motu priuatum, non careat perfectione sibi naturaliter conuenienti, & imperfectè ac violentè se habeat. Quid ergo? existimo cœlum habere tantum aptitudinem quandam naturalem ad eiusmodi motum: tum quia propter rotundam figuram quam habet, naturaliter est idoneum ad motum circularem, sicut apparet in globis lapideis, ligneis, seu æreis: tum quia nihil ex se habet repugnans motui circulari, quam repugnantiam habent omnia corpora sublunaria etiam rotunda, sunt enim omnia vel grauia vel leuia, cœlum autem naturaliter omni grauitate & leuitate carer. Quocirca, tum propter naturalem rotunditatem cęli, tum propter naturam eius omnino expertem grauitatis atque leuitatis, verè dicitur cęlum habere naturalem aptitudinem ad motum circularem, & eiusmodi motus quodam modo naturalis cęlo appellari potest: qua etiam ratione colligi & concludi potest, si cęlum nullam habeat naturalem repugnantiam ad motum circularem, naturam eius esse longè diuersam à natura quatuor elementorum cunctarúmque rerum sublunarium, quæ non modo non habent naturalem propensionem ad motum circularem, sed propter insitam eis aut grauitatẽ aut leuitatem, habent etiam naturalem repugnãtiam. Nec discordare à nobis videntur Auicenna, Albertus, Scotus, & Durandus, quorum sententia fuit, motum circularem nec naturalem nec violentum esse cęlo, sed sicut superficies se habet ad colorem & priuationem eius, ita se habere cęlum ad motum circularem & eius priuationem. Certè cum inter mouens & mobile sit naturalis proportio, si motus circularis respectu Angeli mouentis cęlũ non est naturalis sed voluntarius, & vt in scholis loquũtur contingẽs & ad vtrũlibet, non conueniebat eum respectu cęli esse necessariũ & naturalẽ. Hoc etiam optima ratio Diuinę sapientię ac prouidẽtię deposcit, vt quia Deus ab omni æternitate constituerat vt cęlum durante gene- B C D

ratio

A neratione hominum moueretur in orbem, facta autem resurrectione ab omni motu in perpetuum vacaret; ea natura fieret & constaret cœlum, vt æqualiter aptum esset ad motum & ad quietem accipiendam, nec ei violentum esset, aut in orbem agitari aut eo motu priuari.

An omnium cœlorum proprij motus ante diem iudicij absoluendi sint.

Qvod autem nonnulli dixerunt, non prius fore consummationem mundi, quàm propriis omnium cœlorum conuersionibus absolutis ad eandem sydera omnia positionem redeant, quam habuere olim in exordio mundi cùm sunt à Deo creata duplici argumento refellitur. Nam compluribus viris doctis fit admodum verisimile, & Nicolaus mathematicis nec dubiis vt credit ipse, rationibus probauit, motus orbium cœlestium esse inter se prorsus incommensurabi-

Copernici opinio de motu orbium cœlestium.

B les, vt nec simul omnes vnquam perfici, nec ad eandem positionem quam semel tenuerunt astra reuerti queant. Deinde, proprius octaui cœli ab occasu ad ortum motus, nõ ante sex & triginta annorum milia, si quidem creditur Ptolomæo, compleri potest: non est autem credibile, nec dum exactis ab orbe condito vsque adhuc sex mille annis, restare etiamnum ad diem vsque iudicij triginta annorum millia: præsertim cum manifestè doceat sacra Scriptura, Dominum nostrum esse incarnatum extrema mundi ætate & in nouissimis diebus, atque Paulus ait, In fine sæculorum, quin etiam, sicut loquitur Ioannes, In nouissima hora. Neque verò absurdum videri debet, in die iudicij abruptum iri motum octaui cœli priusquam totus eius orbis circuitus semel peragatur, non enim motus cœli, vt paulò superius ostendimus, attingit eius perfectionem, nec ad eum habet cœlum naturalem & propriam propensionem: nec est propter cœlum præcipuè à Deo institutus, videlicet, vt per eum aut quod deest cœlo acquiratur, aut quod inest conseruetur, sed propter generationem hominum, potissimè autem electorum, qua in die iudicij completa, esset profecto cœlestis motus planè inanis & superuacaneus, si vlterius produceretur.

1. Corin. 10. 1. Ioan. 2.

C

QVAESTIO VII.

D

An cœli & astra sint animata.

Multorum opinio, cœlos esse animatos.

Evit sanè plurimorum & maximorum Philosophorum sententia, sydera animam & vitam habere: videlicet hoc Pythagorei, hoc Platonici, hoc Aristotelici, hoc denique Stoici censuerũt. Plato in Epinomide iubet astra vt Deos cœlestes à nobis honorari & coli. Aristoteles li. 2. de Cælo, textu 13. quod cœlum sit animatũ, propterea differẽtias positionis, hoc est, dextrum & sinistrum, sursum & deorsum, ante & retro, naturaliter in eo esse argumentatur. Et in textu 61. eiusdem libri affirmat decipi eos qui existimãt astra esse in anima cùm anima vitáque con-

stent. Philo in libro de Opificio mundi, in lib. item de Somniis, & in lib. de Gigantibus, stellas & viuentes & intelligentes esse sentit. Quid Auicennæ visum est in cœlo esse animam sentientem prædictam sensu interiori, quam Græci vocant φαντασίαν, quæ opinio videtur non vsquequaque displicuisse Simplicio non modo interiorem sensum, sed aliquot etiam sensus exteriores cœlo assignanti: is enim in Commentariis super textum quinquagesimum primi libri de Cœlo, præter gustum & olfactum, alios tres, visum, auditum, & tactum, in cœlis esse arbitratur. Cum enim exposuisset opinionem Alexandri qui negauit astra esse sensitiua, quod sensitiuum non sit nisi vbi est vegetatiuum, sicut tradit Aristoteles lib. 2. de Anima, quapropter non nisi æquiuocè astra posse appellari animata; subiungit Simplicius, *Mirum*, inquit, *si cœlum est quidem sensibile & tangibile, non est autem sensitiuum, etiam quasi melius sit corpori non sentire, quàm sentire, ignobiliora quidem corpora sensum habere, quæ verò nobilissima omnium sunt atque diuinissima, omni sensu carere. Forte igitur materiales sensus & maximè passiuos, vt gustum & odoratum, cœlo tribuere non conuenit; cæteros autem nobiliores & certiores ei concedere non erit absurdum: tangentibus enim se inuicem non insensibiliter se tangunt, & omnia intuentur, & omnia audiunt.* Hæc Simplicius.

Origenes putauit cœlos esse animatos & virtutis ac vitij capaces, quinetiam pro illis Christũ esse mortuum.

VERVM, omissis philosophis venio ad scriptores Ecclesiasticos. Origenes primo tomo Commentariorum in Ioannem, non modo stellas putat esse animatas, sed etiam virtutis atque vitij capaces. Iob enim cap. 25. appellat stellas immundas; quare non veretur Origenes dicere Christum non tantum pro peccatis hominum, sed etiam astrorum esse mortuum. in primo autem libro περὶ ἀρχῶν, cap. 7. ostendit astra esse animalia & ratione prædita, quæ in virtutibus proficiunt & deficiunt, & addicta sunt ministerio motus cœlestis propter vsus hominum, à quo tamen ministerio post diem iudicij vacabunt: idémque confirmat extrema homilia in librum Numerorum. Eodem spectasse videtur Hieronymus initio Commentariorum super Ecclesiasten, interpretando verba illa Salomonis de sole, *Gyrans gyrando vadit Spiritus*: ait enim, Solem vocari spiritum, eò quod animet, inspiret & vegetet: vel quod ipse spiritu alatur, sicut Poëta dixit,

Virg. lib. 6. Aeneid.

Lucentémque globum lunæ, Titaniáque astra
Spiritus intus alit.

Augustinus de cœlis vtrũ sint animati, dubitãter, & velut suspensa sententia loquitur.

B. Augustinus in hac quæstione dubius & incertus fuit: nam in 2. libro de Genesi ad litteram cap. 18. proponit hanc quæstionem, sed intactam inexplicatámque præteriuit. In Enchiridio autem capite quinquagesimo octauo, ait, non esse sibi exploratum & certum vtrum sydera sensum & mentem habeant, & ad societatem beatorum Angelorum pertineant. In primo item libro Retractationum capite quinto, & vndecimo, reuocat & corrigit quod scripserat in libro de Immortalite animæ, capite decimoquinto, & quod scripserat in 6. libro de Musica, capite decimoquarto, mundum esse animatum &

magnum

A magnum quoddam animal: hoc inquam, Augustinus corrigit non tanquam falsò, sed tanquam temerè dictum, cum id sibi nec esse, nec non esse compertum & comprehensum fuisset. Nam, quod in libro de Cognitione veræ vitæ, qui in tomo nono operum Augustini continetur capite sexto, scriptum est, *Qui sydera rationabilia vel saltem sensibilia corpora arbitrantur, iure sensu carentes inter irrationabilia computantur;* nil nos mouere debet, cum certo certius sit auctorem eius libri non esse Augustinum, & in libro decimotertio, de Ciuitate Dei capite decimo sexto, tradit, non continuo concedendum esse Platoni sydera esse viuentia, intelligentia, & beata, & mundum esse magnum quoddam animal: adiicit tamen eiusmodi quæstionem alio loco esse discutiendam. Aureolus, referente Capreolo in secundo Sententiarum, probabile putauit astra esse animata, nec Scotus quidem abnuere videtur: quippe libro, secundo Sent. distinctione decimaquarta, quæstione prima, *Si astra*, inquit, *non sunt animata, id creditum erit potius quàm demonstratum.* Beatus Thomas in quæstionibus disputatis quæst. de Anima: articulo octauo, & in Opusculo de Angelis, capite secundo, & libro secundo contra gentes, capite septuagesimo, ex sensu Aristotelis, &, vt verba eius sonant, etiam ex suo, demonstrat cœlos verè animatos esse anima intelligente. Caietanus in explanando illa verba Dauidis quæ sunt in Psalmo 135. *Qui fecit cœlos in intellectu*, ait, hæc verba sic posse accipi, vt significetur cœlos factos esse à Deo cum intellectu, hoc est, intelligentes, iuxta opinionem Philosophorum, qui existimarunt sydera vita & intellectu esse prædita. His accedit, quod Ecclesia in præfatione sacri Canonis Deum his verbis concelebrat, *Per quem maiestatẽ tuam laudant Angeli, adorant Dominationes, tremũt Potestates, cœli cœlorũque virtutes ac beata Seraphin socia exultatione concelebrant.* putat autem Caietanus in tractatu de Indulgentiis, virtutes cœlorum vocari eorum animas. nã si ab Angelis cœli tantum extrinsecus mouentur, satis fuerat dixisse *Laudãt Angeli*; nec ratio vlla erat, vt si virtutes cœlorum significarent naturales vires & facultates quas habent cœli & astra recensferentur ab Ecclesia in commemoratione ordinum Angelicorum, cuiusmodi sunt Angeli, Potestates, Dominationes & Seraphin: nec erat ratio cur cœli distinctè commemorarentur, & separatim ab ipsis virtutes cœlorum, cum nomine cœli tam substantiam eius quàm naturales proprietates, vires, aliásque dotes significare & intelligere soleamus. Sed reuera hæc ratio Caietani valde infirma est: nam cœlos esse factos in intellectu, phrasi Hebræa significat esse à Deo factos summa arte, ratione, & intelligentia: Hebræis enim frequens est dicere, in aliquo, pro eo quod est, per aliquid, vel cum aliquo, sumendo in, pro per, vel cum. Virtutes autem cœlorum appellantur Angeli qui eos mouent: cùm enim primo generali vocabulo nominasset Angelos, mox distinctè & propriè memorat Potestates, Dominationes,

Sera

Seraphin & motores ac rectores cęlorum, vel per virtutes cęlorum A
significantur ipsa sydera, in quibus omnis cęlorum vis & potestas
constat & viget: nam & Aristoteles lib. 12. Metaphysicæ astra facit
fines orbium cęlestium.

Verior sententia, cælos intrinsecus & secũdum substantiam non esse animatos.

VERVMTAMEN, contraria huic opinioni longe probabilior videtur sententia, & cum doctrina Theologica & Ecclesiastica multo congruentior. Certe astra non esse animata, censet Basilius homilia 3. in Genesim, & Ambrosius lib. 2. Hexemeron cap. 4. Cyrillus lib. 3. contra Iulianum affirmat, opinionem Platonis quod cęli vita & ratione sint præditi, non Christianis modo sed Philosophis etiam aduersari: idémque velut certum dogma Christianæ disciplinæ libro 2. capite sexto arbitratur Damascenus: Lactantius verò in capite 5. libri 2. egregiè confutat eos qui astra animam & rationem habere, ex pulcherrima eorum dispositione motúsque constantia argumentabantur. Hoc etiam confirmat Basilius in Commentario Psalmi 48. Hieronymus autem in Epistola 59. ad Auitum, inter errores Origenis hunc etiam recenset: ita enim scribit, Solem quoque & lunam & astra cætera, censet esse animata: immo sicut nos homines ob quædã peccata, his sumus circumdati corporibus, quæ crassa sunt & pigra; sic & cęli luminaria talia vel talia accepisse corpora, vt vel plus vel minus luceant: & dæmones ob maiora delicta, aëreo corpore esse vestitos. Et in libro 13. Commentariorum in Isaiam explanans illa verba quæ sunt in capite 45. *Manus mea tetenderunt cœlos, & omni militiæ eorum ego præcepi*, annotauit ea verba dedisse quibusdam C occasionem errandi, vt solem & astra habere rationem opinarentur. Sic autem inibi ait Hieronymus, *Illud quod scriptum est*, Ego omnibus stellis præcepi, *occasionem quibusdam tribuit, quod astra rationalia sint & animam sensumque habeant. Neque enim, aiunt, præciperet nisi intel-*
Iona 4. *ligentibus, non recordantes quod in Iona scriptum sit*, Præcepit Dominus spiritui comburenti: *& rursum*, Præcepit vermi matutino: *& quod in*
Luca 8. *Euangelio Saluator ventos & mare increpauerit, in quibus sensum atque rationem non esse, pessimum est.* Hæc Hieronymus. Posset fortasse cuipiam videri non tam Hieronymus supradictis duobus locis damnasse opinionem aientium astra esse animata; quàm vel causam quam reddebat Origenes cur Angeli addicti essent animandis astris, nimirum D propter peccata prius admissa; vel rationem qua nonnulli eam opinionem ineptè confirmabant, reprobasse. Iam verò, quod suprà ex commentario Hieronymi super primum caput Ecclesiastæ productum est testimonium, animationem solis nequaquam astruit, quippe duplicem ibi ponit Hieronymus interpretationẽ cur sol dicatur spiritus: aut quia verè spiritu viuifico ipse animetur & vigeat, iuxta illos versus Virgilij supra memoratos; aut quod suo motu & lumine vitam rebus omnibus inspiret atque infundat.

S. Bona

A Sanctus Bonauentura in 2. Sententiarum distinctione 14. opinionem dicentium astra esse animata, non dubitauit falsam & erroneam appellare, & sanè meritissimò. Si enim animæ astrorum sunt Angeli, profecto astra honorari & coli à nobis oporteret: tum quod eorum animæ sint non modo sanctæ, sed etiam beatæ: tum etiam quia religiosè honoramus corpora beatorum hominum, vt Petri & Pauli, quæ tamen beatissimis eorum animis nunc non viuificantur & animantur. Esse autem animas cælorum (siquidem cæli animas habent) omnino beatas, apertè docet Augustinus in Enchiridio ad Laurentium capite vigesimooctauo, cum ait, Angelis aliquibus impia superbia deserentibus Deum, & in huius aëris imam caliginem de superna cælesti habitatione deiectis, residuus numerus Angelorum B in æterna cum Deo beatitudine & sanctitate permãsit. Quanquam in 58. capite eiusdem libri dubitanter ea de re videtur loqui cum inquit, *Sed nec illud quidem certum habeo, vtrum ad eandem societatem pertineant sol & luna & cuncta sydera, quamuis nonnullis lucida corpora esse, non cum sensu vel intelligentia videantur.* Nullum verò astris honorem & cultum à nobis esse adhibendum, perspicuè docet nos Deus per Mosen capite quarto Deuteronomij, *Ne forte*, inquit, *eleuatis oculis ad cœlum videas solem & lunam & omnia astra cœli & errore deceptus adores ea & colas, quæ creauit Dominus Deus tuus in ministerium cunctis gentibus quæ sub cœlo sunt.* Atque his verbis innuit Moses propterea stellas non esse à nobis adorandas & colendas, quod sint conditione naturæ dignitateque inferiores nobis, videlicet propter seruitium & vsum hominis à Deo conditæ.

Si astra essent animata, præcipuo quodam cultu & honore colenda & veneranda essent.

C

Ad hoc, vel animæ syderum sunt naturaliter beatæ, at nec gratia nec gloria vlli præter Deum potest esse naturalis: aut sunt beatæ ex Dei gratia & munere, aut igitur simul creatæ fuerunt beatæ, quod est contra communem Theologorum sententiam, nec vlli creaturæ datum præter Christi animam: aut tales factæ sunt vt possent beatitudinem vel bene merendo consequi, vel peccando amittere, potuerunt igitur peccare. Age, demus peccasse: namque si quod possibile est ponatur esse, vt tradunt philosophi, nihil consequi debet absurdum vel impossibile: quæro quid illis factum fuisset si peccassent? num animæ illæ remansissent in suis orbibus? sed D non fit credibile, ceteris omnibus Angelis malis de cælo deiectis in infernum, animas illas remansisse in cælo, & verò, cælum non est locus damnatorum. Sin autem etiam animæ illæ detrusæ essent de cælo, quid tum fieret orbibus cælestibus quos illæ animabant? num etiam ipsi è suo loco deturbati essent deorsum? an remansissent in suo loco sed inanimi, an alias illis animas Deus indidisset? Verum hæc omnia quàm sint improbabilia & absurda, nemo non videt. Sed ad hæc posset fortasse quispiam respondere: animas cælorum initio potuisse quidem peccare, si quidem natura earum & libertas voluntatis per se consideretur. Deum tamen præ-

sciuisse eas minime peccaturas,& præordinasse ne vnquam peccarent,gratiam illis efficacem tribuendo,qua in exordio suo bene vsę, in posterum confirmatæ sunt in gratia : & nunc quidem non esse beatas,sed vsque ad diem iudicij esse in statu merendi, & per continuam orbium suorum conuersionem quam propter Dei obediendi & amorem electorum libentissimè agunt,semper magis ac magis æternam felicitatem promereri. Itaque, quod de Henoch & Hegia qui vsque ad diem iudicij beatitudinem suam expectant & quotidie eam promerentur,tradiderunt sancti Patres, idem de animabus cœlorum dici posset. In tota autem superiori argumentatione positum est tanquam certum, animas cœlorum non esse factas aliquanto prius quàm animarent & viuificarent cœlos, sicut nec anima rationalis creatur priusquam informet corpus humanum: eontra rationem enim naturalis formæ est (quemadmodum docet Aristoteles lib. 12. Metaphysicæ textu 16.) vt ea tempore aliquo id cuius forma est antecedat. A B

CÆTERVM, ratio illa vehementius vrget: si Angelus est anima cœli, ergo motus circularis erit intrinsecè ac per se naturalis, non cœlo solum, sed etiam Angelo qui est eius anima, & ad perfectionem eius pertinebit. sicut enim inanimatorum corporum perfectio, potius est in quiete quàm in motu: ita è contrario animatorum perfectio magis est in motu quàm in quiete : idque tanto magis verum est, quanto quidque perfectiorem animam habet & motum. Quare post diem iudicij vacatio motus cœlestis violēta esset & cœlo & Angelo, & contra vtriusque naturam & perfectionem eis accideret. Nec sane nihil habet ponderis ratio illa Beati Thomæ qua is vtitur in prima parte quæstione 70. articulo tertio, vt probet cœlum verè non esse animatum, priorem scilicet opinionem quam in aliis scriptis secutus fuerat, sapienter corrigens : Coniunctio, inquit, formæ cum materia non fit propter materiam: est enim materia propter formam, non autem contrà propter materiam est forma. Fit igitur eiusmodi consociatio & copulatio præcipuè propter formam : videlicet vt forma societate & quasi adminiculo materiæ, melius actionem suam exercere, & propriam perfectionem facilius adipisci queat. Angeli vero qui cœlum mouet duæ sunt actiones, intelligere & mouere : illa est Angelo interior proprioráque atque perfectior, ad quam ritè obeundam nihil ei opus est corpore cœlesti: non enim quemadmodum animus noster corporalium sensuum ministerio vtitur ad intelligendum, sic Angelus ad explendas mentis suæ functiones vllis cœli adiumentis vtitur, aut iuuari potest. Ad mouendum autem cœlum non est necessaria cōiunctio Angeli cum orbe cœlesti, tanquam formæ cum materia: satis enim est si cœlo solum adsit tanquam motor mobili, per virtutis applicationem & contactum ei aptatus & adiunctus. Nō me fugit, huic rationi sic occurrisse nonnullos, meliorem fore motum cœlestem si à principio C D

Notabilis B. Thomæ argumentatio.

interno

A interno efficiatur quàm ab externo: præstantioremque fore conditionem cœli, si ipsum à se moueatur, quàm si ab alio externa vi agitatuque conuersetur: quod enim à se mouetur, id nobilius est, auctore Aristotele libr. 8. Physicorum, quàm quod extrinsecus cietur ab alio. Verùm, vt quod isti dicunt, melius sit aut cœli, aut motus cœlestis respectu, non tamen melius esse respectu Angeli: quin conditionem eius multo deteriorem faceret: oporteret enim Angelum esse formam & partem cœli, substantiamque imperfectam, nec à corpore cœlesti vllo modo separabilem. Quare non est committendum, vt dum cœli & motus cœlestis dignitatem plus æquo augere volumus, præstantiam naturæ quæ Angelum maxime decet, ineB pte minuamus.

Aristoteli intelligentiæ nõ sunt, proprie loquẽdo, animæ & formæ substantiales cælorum.

Porro, Aristotelem quoque in eadem fuisse sententia, me quidem certe dubitare non sinunt quę scripsit ipse in lib. 8. Physicorum & in lib. 12. Metaphysicæ. docet enim intelligentias esse perfectas & absolutas substantias, esse prorsus indiuisibiles & extra magnitudinem positas: & cum sempiterno motu orbes circumagant, nec per se tamen nec per accidens ipsas moueri: esse puros actus omnis expertes potentiæ: earumque doctrinam propriam esse Metaphysicę, quæ res à materia omnino abiunctas contemplatur. Hæc verò nullo modo intelligẽtiis cõueniunt, si quidem illæ naturales formę & veræ cœlorũ animæ ponantur: namque essent substantiæ imperfectæ, & inhærentes in corporibus, & ab illis quoquomodo inseparabiles:
C nec essent puri actus omnique vacantes potentia, nec possent non motu suorum orbium, saltem per accidens, ipsæ quoque vnà moueri: denique earum tractatio non pertineret ad Metaphysicam, quippe quæ in rebus ab omni materiæ concretione, non tantum cogitatione rationeque, sed etiam re ipsa segregatis potissime versatur.

QVAESTIO VIII.

An stellæ sint nobis innumerabiles.

Numerus stellarũ mernmtium visu notabilium, & imaginũ cælestium secundum Astrologos.

D De stellis sane ingens disceptatio inter Astrologos & sacrarum litterarũ studiosos excitari posset, vtrũ earũ multitudo (loquor de stellis inerrãtibus in octauo cœlo mirabili dispositione splendoreq; lucentibus) tanta sit, vt ea mortalibus omnino sit innumerabilis: an cõtra, certo aliquo numero, nec sane admodum magno definita, haud ingenti studio & labore possit nobis esse comperta & explorata. Plinius libro 2. c. 41. duo & septuaginta facit signa cœlestia, quę sint rerum vel animantium effigies, in quas inquit digessisse cœlũ peritos, & in his mille sexcentas notauisse stellas insignes, videlicet effectu visuque. Verùm, Astrologiæ doctiores inde vsque à Ptolemæo & Hyparcho deprehenderunt omnes stellas inerrãtes visu notabiles, esse dũtaxat duas & viginti supra mille, nec verò isti negant esse alias

quamplurimas forma minimas, luce claritateq; oculis noſtris indiſcretè conſpicuas, qualis eſt innumerabilis multitudo ſtellarũ, ſi tamen illæ ſtellæ quæ lactei circuli claritatem & ſplẽdorem efficiunt. Ac licèt vulgo, atque etiam cuiuis primo aſpectu ſtellarum multitudinem ſuſpicienti, videatur incredibile non plures eſſe mille viginti duabus in cœlo ſtellas, id quòd propterea euenit, quòd eas homines ſine vllo ordine ac diſtinctione confusè intuentur. Si quis tamen ſupradictũ ſtellarũ numerum in globo aliquo depictũ habeat, eaſq; ſtellas propriè ſingulas conferat cum iis quæ cernuntur in cœlo, nullã profecto reperiet in cælo, quàm in globo expreſſam nõ habeat: quinetiam minimas in globo notatas, viſu ægrè diſcernet in cœlo. A

Sex differẽtiæ ſtellarum quæ ſunt in octauo cœlo.

SVPRADICTAS porrò mille viginti duas ſtellas, ad quadraginta octo imagines ſeu effigies ſeu cõſtellationes, ordine ac diſpoſitione ſtellarum ſimilitudinem alicuius animalis vel alterius rei reddentes, Aſtrologi redegerunt. Earundem quoque ſtellarum magis minuſve lucentium varietatẽ ad ſex differentias reduxerũt: prima continet ſtellas quindecim primæ vt vocant magnitudinis: altera quadraginta quinque ſecundæ magnitudinis: tertia octo ſupra ducentas tertiæ magnitudinis: quarta quadringentas ſeptuaginta quatuor quartæ magnitudinis: quinta ducentas decem & ſeptem quintæ magnitudinis: ſexta quadragintanouem ſextæ magnitudinis. Harum omnium ſumma, adiunctis præterea quinque quas vocant nebuloſas, & nouem quæ appellãtur obſcuræ, ſupradictũ mille viginti duarum ſtellarum numerũ continet. Earum porrò quælibet maior eſt quàm terra: nam quæ ſunt ſextæ magnitudinis, videlicet omnium minimæ, octies & decies ampliorem habent magnitudinem, quàm eſt orbis terræ & aquæ magnitudo. Nec verò tantũ omnium ſtellarum quæ ſunt in cœlo numerũ Mathematici cõpertum eſſe volunt: ſed auſi maiora & pene incredibilia, demonſtrant, ſi vniuerſa firmamenti facies concaua plena eſſet vſquequaque ſtellis primæ magnitudinis, ſciri poſſe, earum numerus quantus eſſet: neceſſaria enim ratione concludi, eas fore 71209600. hoc eſt vnum & ſeptuaginta milliones, vt vulgo appellant, & ducenties & nouies mille ſuperque ſexcentas. Vt vel hoc argumento intelligere liceat, quæ nunc ſunt in cœlo ſtellæ, tantis nempe ſpatiis inter ſe diſiũctæ, & quæ ſunt vltra tropicum Capricorni verſus antarcticum polum, quæ ſanè perpaucæ ſunt, eas non eſſe, vt vulgus putat, innumerabiles. Atque hæc quidem de numero ſtellarum inerrantium, Aſtrologorum eſt ſententia. B C D

Si octauũ cœlum totũ eſſet plenum ſtellis primæ magnitudinis quantus earũ numerus eſſet ſuturus.

Videri ſecũdũ doctrinã ſacræ Scripturæ & Patrũ, nec non & Philoſophorũ, ſtellas eſſe innumerabiles.

ATENIMVERO, contraria videtur ſacris litteris eiuſmodi opinio, quippe diuina Scriptura multis locis apertè indicat, Stellas cœli ab homine non poſſe numerari, etenim capite 15. libri Geneſeos promiſit Deus Abrahæ multiplicaturum ſe poſteritatem eius tanquam ſtellas cœli & arenam maris, *Eduxit enim Deus*, inquit Scriptura, *foras Abraham*, videlicet nocte cœloque ſereniſſimo, *& dixit ei, Suſpice*

A *Suspice cœlum, & numera stellas si potes, sic erit semen tuum.* Erat autem Abraham, vt Ioſephus & Euſebius tradunt, iam tum peritiſſimus aſtrologiæ, vt quam didicerat à Chaldæis, apud quos natus, educatus, multoſque annos verſatus fuerat, homines ſanè, conceſſu omnium, eius ſcientię facile principes: eamque doctrinam Abraham, auctore Ioſepho, docuit Ægyptios. Nec hoc dictum Dei referri poteſt ad ſtellas quę ſunt verſus antarcticum quas & conſtat eſſe pauciſſimas, nec eas cernere poterat Abraham ex terra Chanaam vbi tunc erat: Nec ad ſtellas lactei circuli, vt quas viſus diſcernere & diſtinguere nequeat: & vero, circulus lacteus non conſtat ex ſtellis, ſed eſt pars quędam cœli paulo denſior tenuiter lucens. Nec valet hoc loco illa interpretatio, Deum hic eſſe locutum ex ſenſu & exiſtimatione
B vulgi: non enim loquebatur vulgo, ſed Abrahę viro ſapienti & aſtrologię perito. Deinde Moſes capite 10. Deuteronomij, dixit Hebręo populo, *Multiplicauit te Dominus Deus tuus ſicut aſtra cœli.* Conſtat autem ex libro Numerorum, fuiſſe tunc numerum Hebręorum, eorum duntaxat qui ſupergreſſi vigeſimum annum belligerare poterant, ad ſexcenta millia & plus eo, ad hoc, Hieremias capite 33. ſic habet, *Sicuti enumerari non poſſunt ſtellæ cœli, & metiri arena maris: ſic multiplicabo ſemen Dauid ſerui mei.* Quid quòd tanquam eximium & ſingulare quoddam & incomprehenſibile homini prędicat Scriptura, omnes ſtellas Deo eſſe numeratas: ſic enim canit Dauid Pſalmo 146. *Qui numerat multitudinem ſtellarum & omnibus eis nomina vocat.* Hoc ip-
C ſum tradit Baſilius hom. 6. ſuper Geneſim, & Euſebius libro 7. de Pręparatione Euangelica, capite quinto. Auguſtinus verò in libro 16. de Ciuitate Dei. capite 23. affirmat ſupradictam Aſtrologorum ſententiam eſſe reiiciendam: ſic enim ſcribit, *Stellæ dinumerari non poſſunt, quia nec omnes eas videri poſſe credendum eſt: nam quanto quiſque acutius intuetur, tanto plures videt. Vnde & acerrimè cernentibus, aliquas occultas eſſe eſſe merito exiſtimatur: exceptis eis ſyderibus quæ in aliqua parte orbis à nobis remotiſſima oriri & occidere perhibentur. Poſtremo, quicunque vniuerſum ſtellarum numerum comprehendiſſe & conſcripſiſſe iactantur, ſicut Aratus vel Eudoxus, vel ſi qui alij ſunt, eos libri huius contemnit auctoritas.* Hęc Auguſtinus. Nec modo Sacrę litterę contradicere videntur Aſtrologis,
D ſed etiam Philoſophi. etenim Ariſtoteles in lib. de Mundo ad Alexandrum, & libr. 2. de Cœlo, textu. 61. ait ſyderum inerrantium numerum à mortalibus iniri nō poſſe: ſimile quidpiam in Timęo ſcribit Plato. Seneca item lib. 6. Naturalium quęſtionum. c. 16. eiuſmodi ſtellarum numerum inueniri poſſe negat.

Defenſio opinionis Aſtrologorum.

Posset fotaſſe dici pro Aſtrologis, Auguſtinum non loqui de ſtellis viſu inſignibus & notabilibus, quarum duntaxat numerum tradūt Aſtrologi: ſed vniuersè de omnibus ſtellis quæ in cœlo ſunt, ſiue aſpectabiles ſint hominibus, ſiue inaſpectabiles, quarum omnium numerum teneri non poſſe ab hominibus, non ibunt inficias Aſtrologi: qui enim noſſe poſſunt earum numerum, quas nec viſu

nec alia ratione certo cognoscunt? Illud quoque pro Astrologis dici posset, numerum inerrantium stellarum non fuisse curiosè inuestigatum aut compertum ante Hyparchi & Arati ætatem, nempe quousque Astrologi stellas omnes miro artificio incertas quasdam imagines & effigies digesserunt: vt non sit mirum, ante istam tam diligentem & artificiosam Astrologorum obseruationem, incognitum fuisse hominibus, vel etiam incomprehensibilem existimatum stellarum numerum: atque ob eam causam Scriptura veteris testamenti de stellis tanquam innumerabilibus multifariam loquitur. *Nondum sunt anni mille quingenti*, ait Seneca lib. 7. Naturalium qu. capit. 25. *ex quo Græcia stellis, & numeros & nomina fecit*, sed verius sanè dixisset Seneca, necdum septingentos vsque ad suam ætatem præteriisse annos, ex quo Græci syderalem scientiam acceperunt. Primus namque in Græcia Thales qui circa 50. Olympiadem claruit, aliqua in stellis obseruasse, easque obseruationes tradidisse fertur. Quanquam fuisse priscis hominibus etiam ante Mosis tempora notitiam aliquã istiusmodi cœlestium imaginum demonstrat liber Iob, in cuius capite 9. sic est, *Qui facit Arcturum & Oriona, & Hyadas & interiora Austri*, & posteà cap. 38. *Nunquid coniungere valebis micantes stellas Pleiadas, aut gyrum Arcturi poteris dissipare? Nunquid producis Luciferum in tempore suo, & Vesperum super filios terræ consurgere facis?*

Qui primus in Græcia docuit Syderum scientiam.

A B

QVAESTIO IX.

C

Vtrum stellæ moueantur per se immotis orbibus, sicut aues per aërem, an tantùm moueantur motu suorum orbium.

GENES. CAPVT I. VERS. 16. & 17.

Fecitq; Deus duo luminaria magna: luminare maius vt præesset diei, & luminare minus vt præesset nocti, & stellas: & posuit eas Deus in firmamento cœli vt lucerent super terram.

D

MOSES tradit hoc loco, Deum posuisse sydera in firmamento cœli: quod dubiam habet sententiam. Potest enim intelligi sydera esse infixa in cœlo tanquam eius partes paulò densiores spissioresque ei cohærentes & continuatas, tales nimirum quales in tabula quapiam sunt modi: ita vt sydera per se propriis motibus non agantur, sed solius cœli cuius partes sunt, motu conuertantur. Potest etiam intelligi sydera esse posita in cœlo, non vt ei cohærentia & affixa, sed quia

A quia iussu Dei per ipsum cœlum motus suos peragunt tanquam per spatium sibi à Deo determinatum, quod quæque suo cursu emetiri & conficere debeant. Vetus est & complurium scriptorum Ecclesiasticorum auctoritate nobilis opinio, stellas non esse hærentes & affixas cœlo, sed propriis motibus per spatium cœleste circumagi. Hoc enim tradit Iustinus martyr respondens ad 93. qu. Orthodoxorum: Origenes autem in lib. 5. contra Celsum, & lib. 1. περὶ ἀρχῶν, cap. 7. ait, sydera propriis motibus agi, nec esse partes cœli, nec secùs in cœlo esse quam sunt in terris animantes, pisces in aqua, in aëre volucres. Idem prodiderunt Eusebius Emissenus & Diodorus Tarsensis in exponendo hunc locum Geneseos, tum super c. 7. eiusdem libri

Sydera propriis motibus agi per cœlũ, vt pisces per aquam, cẽsuerũt auctores, quos hic nominatim subijcimus.

Iustinus Martyr.

B idẽ habet, sed nemo disertius & enucleatius hoc docet quam Chrysostomus: Is enim hom. 6. & 13. in Genesim, Absit, inquit, vt cogitemus Deum affixisse cœlo astra: cernimus namque ea moueri & de vno loco in alterum transferri. Dicitur autem Deus posuisse ea in firmamento, quia voluit & iussit vt essent in cœlo, & per ipsum spatia sua cursusque conficerent: sicut infrà dicitur Deus posuisse Adam in paradiso, hoc est, iussisse vt in paradiso commoraretur & habitaret. Et in hom. 12. ad populum Antiochenum idem confirmat: ait enim cœlum esse fixum & immobile, solem autem cum cæteris astris in ipso quotidie circumuolui. Philastrius Brixiensis in catalogo hæreseon, cœlum per se moueri & eius motu vnà cieri astra, non solùm non probat, sed etiam tanquam hæresim damnare nõ dubitat. Scri-

C bit enim ad hunc fermè modum, Est hæresis asserens stellas esse cœlo infixas, cum certum sit eas de thesauris locisque abscõditis & à Deo dispositis, in vesperum iussu diuino repente procedere, statisque horis suo lumine & motu, ministerium à Deo sibi impositum agnoscere & exequi. Contrariam autem sententiam decernit Philastrius alienam esse fidei Catholicæ, eiúsque assertores paganæ vanitatis magis quàm Christianæ doctrinæ habere consortium. Beatus Augustinus libro secundo, de Genesi ad literam capite 10. licet probè nouisset eiusmodi opinionem à doctioribus Philosophis & Mathematicis sine dubitatione vlla reprobari, non adeò tamen iudicauit improbabilem & absurdam, vt ea, siquidem opus fuerit, non possit

D defendi. Sic enim scribit: *Si veritas Scripturæ cœlum stare persuaserit, impediri nos circuitu syderum ne hoc intelligere possimus non est existimandum: quippè & ab ipsis qui hoc curiosissimè & ociosissimè quæsierunt inuentum est, etiam cœlo non moto, si sola sydera verterentur, fieri potuisse omnia quæ in ipsis syderum conuersionibus animaduersa atque comprehensa sunt.* Sic Augustinus.

CERTE hanc fuisse opinionem Stoicorum liquet ex iis quæ apud Ciceronem libro secundo, de natura Deorum disputat Balbus: quinetiam vetustiorem fuisse Stoicis, indicium facit Aristoteles qui in libro secundo, de Cælo, à textu 43. vsque ad 52. diligenter eam tractat acritérque confutat. Et verò, iam pridem explosa

est

est Philosophis iuxta & Mathematicis: nec sanè immeritò: nam qui istud sensere, necesse fuit etiã eos sentire: vel in cœlo esse plurimum vacui: vel corpus cœleste cum per ipsum feruntur astra perrumpi & dissecari: vel cœlum esse corpus quoddam fluxum labileque ac facillime solidiori corpori cedens, simile nimirum vel aëris vel aquæ: quæ omnia & rationi & naturæ dignitatique corporis cœlestis videntur aliena: præsertim verò cum apud Iob c. 37. diuina Scriptura doceat, solidissimos & tanquam ex ære conflatos esse cœlos. Nec sanè fugiunt hæc incommoda qui fingunt in cœlo nescio quos canales, suum cuique stellæ per quem ipsa cursus agat suos assignantes: quos aiunt plenos esse quodam tenui corpore & ad cedendum molli, ita vt & locũ concedat stellæ quæ fertur per ipsum, nec quicquam tamen vacui relinquat. A B

VERVM, respuit animus credere cœlum esse tot canalibus pertusum & perforatum, & alieno corpori cœlestis naturæ dissimillimo cõmistũ. Sed esto, sint in cœlo istiusmodi canales: nihilo magis tamen per eos plenè apteque reddi potest ratio eorum quæ de situ motuq; syderũ, & cernũtur oculis, & lõginqua obseruatione comperta sunt. Etenim quæ de planetarũ statione, retrogradatione, acceleratione, retardatione, aliisque motus variationibus animaduersa sunt à Mathematicis, ea profecto, si per istiusmodi canales mouerentur planetæ, constare nequaquã possent. Luna verò si per canalẽ suum ferretur, quotiescunque in eadem esset parte canalis, eodem modo se habere videretur versus terram, hoc est, æqualiter distans, vel propinqua: atqui deprehensum est à Mathematicis, Lunam in eodem zodiaci puncto aliquando visam esse propiorem terris, aliquando remotioré. Verumenimuero, vt aliæ deessent rationes aduersus istam opinionem, nonne satis esset argumenti ad eam confutandam, quod in confesso sit apud omnes, non posse idem numero corpus eodem tempore simul deferri ad diuersa loca diuersis motibus distractum? nisi vna duntaxat ratione, nempe vt per se quidem vno tantum motu agatur, aliis autem motibus feratur propter id in quo est, vel tanquam in vehiculo, vel tanquam pars in toto. Manifestum, autem est, eundem planetam simul diuersis & quodammodo aduersis motibus cieri, hoc est, ab Oriente ad Occidẽtem, & eodem tempore ab Occidente ad Orientem, simulque aliis motibus secundũ alias differentias. Lunam enim minimum sex diuersis motibus simul agi deprehensum est, sed hæc curiosius discutiẽda & limatius tractanda Philosophis & Mathematicis relinquamus: quæ quidem diligẽter & accuratè tractarũt cum alij, tum in primis Christophorus Clauius nostræ Societatis in Commẽtariis quos admodum copiosos & eruditos in sphæram edidit, vir sane, vt multa eius declarãt scripta; in disciplinis Mathematicis subtiliter doctus & excellenter versatus. At enim quæret ex nobis fortasse quispiam, si hæc ita sunt vt diximus, qui fit, vt nunquam Scriptura de motu cœlorum C D

Christophorus Clauius egregius nostri temporis Mathematicus.

A lorum, de astrorum autem motu sæpenumero verba faciat? verùm in promptu est responsum, Cælorum naturam & motum latere sensus nostros, astra verò luce sua & perpetua conuersione sub aspectũ nostrum cadere. Quapropter Scripturam de cælorum motu nullam, de syderum autem conuersionibus crebram facere mentionem, velut cernere est in Psalmo 18. in principio libri Ecclesiastæ, apud Iob. cap. 9. & 38. apud Isaiam cap. 38. in libro Iosue capite 10. & in libro Ecclesiastici capite 48.

QVAESTIO X.

An sint Astra naturæ igneæ & verè calida.

B ILLVD quoque hoc loco in disceptationem adduci potest: Vtrum astra ignea constent natura & sint verè ac propriè calida, hoc est, non ea duntaxat ratione quia calorem efficiant, sed etiam quod in se ipsa calorem habeant. In scholis ita loquerentur, vtrum sint actu & formaliter calida, an tantum virtualiter & effectiuè. Huius quæstionis tractandæ magnam nobis antiqui Patres dedere occasionem, quorum sanè complures ignea esse astra & per se calida prodiderũt. Augustinum certè id sensisse, non inficiatur Magister sententiarum distinct. 14. lib. 2. & ipsemet Augustinus ita se opinari, multis in locis non obscurè declarat. Namque cum is quattuor duntaxat agnoC scat simplicia corpora, è quibus totus hic mundus coagmentatus est, terram, aquam, aërem & ignem, hunc maximè cælo & astris assignat. Basilius homilia 3. in Genesim, & Ambrosius libro 2. in Hexemeron, longa & accurata oratione argumẽtantur sydera esse ignea & calida, idque vel ipso visu tactúque, non tantum argumentis cõstare. quinetiam eiusdem sententiæ putandum est fuisse scriptores Ecclesiasticos, quicumque aquas supra firmamentum cæli positas, & esse veras aquas, & ad refrigerandum temperandúmque ardorem syderum inibi à Deo locatas esse tradiderint. Scriptura quoque diuina huic opinioni adesse videtur: non semel enim docet solem esse calidissimum: nam in Psalmo 18. de sole loquens, *Non est*, D inquit, *qui se abscondat à calore eius.* Sed lucentius hoc tradit in libro Ecclesiastici cap. 43. *Sol*, ait, *in meridiano exurit terram, & in conspectu ardoris eius quis poterit sustinere? Tripliciter sol exurens montes, radios igneos exufflans & refulgens, radiis suis obcæcat oculos.* Trita verò illa in scholis distinctio, qua & hæc & alia similia Scripturæ testimonia solent eludi, de duplici calido, vel formaliter vel effectiuè seu virtualiter, parum videtur probabilis. non enim alia via & ratione cognosci & iudicari potest aut ignem, aut quoduis aliud corpus esse proptiè & formaliter calidum, quàm iudicio sensus, ipsóque effectu caloris; videlicet quod & nos & alia corpora ab illis rebus calescere sentiamus: hanc rationem è medio si tollas, nihil fiat reliquum quo quid sit ve-

Qui ex auctoribus Ecclesiasticis sẽserint astra esse ignea & verè calida.

An valeat distinctio de duplici calido, aut formaliter, aut virtualiter.

rè calidum aut non sit, explorari & certò dignosci queat. Nos autem non aliter à sole calescere quàm ab igne, nisi qui nimium frigidus est, negabit nemo. A

Præter vnum Aristotelẽ qui fecit quintã quandam cæli naturã, cæterorum Philosophorũ cõsensu, cælum igneæ naturæ est.

POTEST etiam huic sententiæ auctoritas & fides adiungi ex ipsa Gentilium philosophia. Etenim præter vnum Aristotelem, omnium philosophorum concors fuit sententia, cœlum & astra vel ex duobus vel ex eorum vno aliquo constare. Nam cœlestium corporum quintam esse quandam naturam ab omnibus rerum sublunarium naturis longè semotam diuersámque, proprium fuit Aristotelis inuentum. Certè prisca Aegyptiorum disciplina inter alia, & hoc habebat, stellas esse cœlestes ignes quorum temperata commistione cuncta nascerentur. Anaximander solem dixit æqualem terræ, & ignem esse purissimum. Anaxagoras solebat dicere solem candens esse ferrum ac penitus ignitum: quapropter fertur eum impietatis accusatum à Cleone, quod solem dixerit candentem esse laminam: quare discipulus eius Euripides solem, in Phaëtonte fabula, Aureã glebam appellauit. Plato in Timæo, necessarium esse docet quia cœlum visibile est, ex igne constare. Vniuersa item Stoicorum secta hoc in primis habet disciplinæ suæ decretum, sydera esse ignea, pascique & ali vaporibus ex aquis & terra sublatis & ad sese tractis: atque hanc fore causam futuræ conflagrationis & interitus mundi, quod deficiente aliquando syderibus alimento, cuncta sint incẽdio arsura atque peritura. Cùm enim viderent isti, nostratem ignẽ sine pabulo non posse constare, idem astris quæ faciebant ignea, accidere existimauerunt. Quam opinionem secutus Plinius in libro 2. extremis verbis noni capitis ita scribit, *Sydera verò haud dubiè humore terreno pasci, quia orbe dimidio nonnunquam maculosa cernatur, scilicet nõdum suppetente ad hauriendum vltra, iusta vi. Maculas enim non aliud esse, quàm terræ raptas cum humore sordes.* Sic Plinius. Multa item pro hac Stoicorum sententia in libr. 2. de Natura deorum apud Ciceronem disputat Balbus. B C

Stoici putarũt terræ & aquæ vaporibus pasci sydera.

Auctoris sententia, non esse ignea, nec propriè calida sydera.

CETERVM, astra per se nec esse calida nec igneæ naturæ, multis nec dubiis rationibus concluſum est à Sapientibus. Principio, supra demonstratum est, cœlum & astra naturæ esse incorruptibilis; non igitur sunt ignea: ignis enim cum & materiam habeat & contrarium, non potest non obnoxius esse corruptioni. Deinde, naturalis motus ignis est sursum ferri, quo motu perpetuò carent astra; quare præter naturam suam & violentè mouerentur: motus item circularis esse illis violentus sicut est igni, cùm tamen in illis perpetuus sit & æquabilis. Nec fingi potest, tam motum qui fit sursum quàm qui in orbem agitur, astris esse naturalem; quippè vnius corporis simplicis; vnus modò est motus simplex. Cúmque circularis motus genere ipso differat à motu qui fit sursum, non potest vterque eidem corpori naturaliter congruere. His addunt quidam, Si astra essent ignea, haud dubiè futurum fuisse, vt iampridem omnia D

A deflagrassent & syderum ardore consumpta interiissent. etenim in octauo cęlo sunt mille vigintiduæ stellæ, quarum quælibet multis partibus maior est quam vniuersa terra : quibus si addas superiores quattuor planetas, etiam quàm est terra longe ampliores, erit profecto cęlestium ignium supra omnem terram excessus propemodum incomparabilis. Sed hoc argumentum eludi posset, vel dicendo vim & potentiam astrorum languidiorem & imbecilliorem esse ob longissimam eorum à terra distantiam, vel etiam retorquendo argumentum in eius auctores : nam cum sydera non minus calefaciant quàm si essent actu calida, prorsus eodem ipsi vrgentur & premuntur incommodo. Verùm, illi fortasse responderent, si astra essent verè ignea, fore multo potentiora & ardentiora ad calefaciendum & vrendum quàm nunc sunt; quia non per lucem modò vt nunc, sed per calorem etiam calefacerent.

Sydera non pasci vaporibus ex aquis, terrâve sublatis.

Q v o d autem Plinius & Stoici & his vetustiores alij Philophi atque Poëtæ dixerunt, solem pasci humoribus terrenis & aqueis in sublime ad ipsum attractis, puerilem esse opinionem nec dignam Philosopho, scitè dixit Aristoteles in libro 2. Meteororum: quasi vapores ad solem vsque subueherentur & nõ tantummodo ad mediam vsque regionem aëris, vel coacti densatíque resoluuntur in pluuias; & vnde sublati fuerant, eodem relabuntur. Quoniam autem ignis qui pabulo alitur, non idem durat C sed identidem mutatur, necessum esset, solem non modo quotidie nouum existere, vt aiebat Heraclitus, sed singulis etiam propè momentis nouum generari. Præterea cum par sit ratio aliorum astrorum atque solis, dicendum istis fuit, ea quoque omnia nutriri vaporibus : sed vnde tantùm pabuli & alimenti tot tantísque syderibus perpetuo suppeditaretur ? Fierent etiam nonnunquam astra vel maiora, videlicet prout minùs plúsve vaporum in pabulum eis suggereretur.

S o l igitur & astra calefaciunt, non quod per se calida sint, sed quod vim habeant gignendi calorem in rebus sublunaribus eius qualitatis capacibus. Non enim inusitabat est in natura, agens ali- D quod facere tale aliquid, quale ipsum nõ est: quam multa facit Deus sui dissimillima! an non torpedo piscantis manum per arundinem stupefacit, cuius stuporis nec ipsa, nec arundo est particeps ? nonne in confesso est apud Philosophos & Theologos duplicem esse productionem effectus, alteram vniuocam in qua producens similimum est ei productæ, alteram æquiuocam in qua vtriusque magna est dissimilitudo ? atque hanc rationem productionis in præstantioribus causis efficientibus esse cernimus. Quid est in his quæ intra lunæ gyrum continentur tam dissimile solis, ad cuius tamen generationem vis & efficientia eius non pertineat? nam si quia sol calefacit, propterea necesse est ipsum esse calidum : ergo cùm Saturnus,

turnus,vt plerique autumnāt,vim habeat refrigerandi:erit quoque frigidus ob idque contrarius soli: eritque inter hæc sydera mutua actio & passio,& quæ his necessario consequens est,corruptio. A

Quomodo Sol calefaciat cum ipse non est calidus.

QVA igitur vi & facultate Sol calefacit, si non est ipse calidus? Per motum,inquiunt nonnulli:at, vtro motu?eóne quo ipse mouetur?atqui eiusmodi motus per se nullam habet vim agēdi,& cùm sit vnius modi, æqualiter perpetuo calefaceret tam in hyeme quàm in æstate,tā noctu quàm interdiu. An calefacit per motū quo ipse concutit,atterit & attenuat aërem? quod videtur innuere Aristoteles in primo libro Meteorum, & in libro secundo de Cęlo, text. 42. Verum ea ratione magis calefacere deberet luna, quæ propior est aëri:sol enim tanto interuallo ab aëre remotus, non æquè atque luna eum commouere & coagitare potest: Et verò,si res ita se haberet,quo quæque pars aëris superior & propior esset cęlo,eo calidior esset:immo inferior aër tantùm calesceret, quantū à superiori esset calefactus: quod falsum esse patet argumento mediæ regionis aëris quæ est frigida. Quis porro inducat in animum credere,quo tempore sol & luna,imperante Iosue, cohibito motu suo constiterunt, eo tempore solem res sublunares non calefeciſſe? Quin tantum abest. vt sol calefaciat per motum,vt si non moueretur ardentius esset calefacturus: radios enim solis acriores potentioréque esse ad calefaciendam rem stabilem & immotam quàm quæ moueatur,cōfirmat Aristoteles sectione 4.problemate 34. & præterea indiciū eius rei est speculum cauum,quod si agitetur non concipiet ignem, cōcipiet autem ocyus,si immotum soli opponatur:nihil autem ad hoc refert, corpúsne quod calefacit,an quod calefit,aut moueatur aut quiescat. Alij existimant, solem calefacere tantummodo per reflectionem radiorum:sed reflectio non facit vt sol calefaciat,verum vt vehemenrius plusq; calefaciat: si enim lumen per se non calefaceret,nec refluxum profecto calefaceret. B C

Iosue 10.

Auctoris sententia.

ARBITRAMVR igitur astra luce sua calefacere:quæ quāto copiosior & abūdantior est in sole quàm in ceteris astris,tanto potentior illis est sol ad calefaciēdum. Quid igitur sibi voluit Aristoteles cum dixit solis motu & attritu calorē & ignē effici?haud dubiè non intellexit de omni calore qui in rebus sublunaribus à sole gignitur, sed de calore & inflāmatione quę fit in superiori aëris ora vbi multiformes flāmas, & varia ignitorū corporū genera mirabili mortalium spectaculo edit natura. Quanquam dictum illud Aristotelis magnam habet obscuritatem, & admodum varias Aristotelicorum interpretationes atque sententias: quocirca & ob eam causam, & quia proposito nostro & diuinarum litterarum tractationi alienum est, Philosophorum arbitrio discutiendum & diiudicandum relinquamus. Ad illud autem quod obiiciebatur, solem esse calidum, & sensu & ipso effectu deprehendi:respondendum est, corpus omne quod calefacit iudicari debere esse calidum,nisi contra esse, vel sen- D

Aristoteles.

Solutio obiectionis.

sus

A sus vel ipsa ratio demonstret. Sensus quidem, sicut in vino, quod licet epotum viscera inflammet & adurat, tactu tamen frigidum esse cognoscitur: quare non actu calidum esse sed tantum potentia, iudicandum est. Ratio autem, sicut in astris, quæ cùm natura constent incorruptibili, & motus circularis sit eis aut naturalis aut certè non violentus, fieri non potest vt naturam igneam, aut calorem in se habeāt. Verum quæ de cœlis & astris adhuc sunt explicata, pro ratione nostri instituti satis esse possunt. deinceps ad alteram partem huius voluminis, in qua pugnandum est nobis cum Astrologis super diuinatione quæ petitur ex astris, transeamus.

B

DISPVTATIO.

Aduersus Astrologos de Astromantia, hoc est, de diuinatione quæ fit ex astris.

Dixit autem Deus, Fiant luminaria in firmamento cœli, & diuidant diem & noctem: & sint in signa, &c.

Ex capite 1. Genes. VERS. 14.

C ILLA verba, *Et sint in signa*, varias habent interpretationes. Quidam ea referunt ad signa cœlestia, hoc est, ad illas octo & quadraginta imagines & effigies syderum in cœlo designatas & descriptas ab Astrologis: alij ad signa festorum dierum quos anniuersaria celebritate agebant Iudæi, eorúmque dierum obseruatio ex lunæ cursu pendebat. Nonnulli ea verba pertinere existimant ad signa naturalium effectuum serenitatis, pluuiæ, ventorum, sterilitatis, sanitatis, morborum, serendi, nauigandi, secandi, & medicandi: de quibus in libro 18. capit. 35. copiosè ac luculentè scribit Plinius. Sunt item qui censeant illis verbis denotari signa quædam supernaturalia & miracula in cœlis & astris quondam edita, qualia videlicet e-

Quid significet astra esse facta à Deo in signa.

D uenerunt tempore Iosue, Mosis, Ezechiæ, & passionis Domini nostri; & qualia proximè ante diem Iudicij prædixit Dominus euentura, illis verbis: *Erunt signa in sole & luna & stellis.* Ad extremum, non defuere qui verba illa *Et sint in signa*, referrent ad diuinationem astrologicam, qua scilicet, & ex obseruatione syderum futura rerum euenta prænosci & prædici posse dicuntur. Sic enim verba hæc interpretanda & intelligenda esse, Origenes, referente Eusebio libro 6. de Præparatione Euangelica cap. 9. existimauit: & vanissimi ac mendacissimi mortalium Astrologi, quos appellant Iudiciarios, verba hæc Mosis suæ astromantiæ magnam fidem facere & auctoritatē ad-

iungere gloriantur. Quocirca Basilius in explanatione horum verbo- A
rum, bene longa & accurata oratione istiusmodi Astrologos confu-
tauit: idémque feciſſe complures alios & Græcos & Latinos ſcripto-
res, liquet ex eorum in Geneſim commentariis. Quapropter, nos gra-
uiſſimis Dei vocibus contra Astrologos multifariam in diuina Scri-
ptura poſitis excitati & permoti, ſanctorúmque Patrũ exemplis pro-
uocati, & propter fraudulenta & pernicioſa Astrologorum figmenta
iuſtiſſimo aduerſus eos odio incenſi: necnó etiam quod ea diſputatio
ſatis pertinere videatur ad doctrinam de cœlis & ſyderibus, quã tra-
dere hoc libro inſtituimus, non fruſtra laborem hunc ſuſceptũ, quin-
etiam perutiliter operam à nobis collocatum iri putauimus, ſi reli-
quam huius libri partem in labefactandis euertendíſque Astrologo- B
rum diuinationibus conſumeremus. Verùm, ne aut vbertate mate-
riæ, aut odio tam impiæ falſitatis longius propoſito noſtro procedat
diſputatio, modum tractationi ponemus, præcipua tantum capita, &
quæ proprius fortiúſque Astrologos feriant atque iugulent pertra-
ctantes.

De opere Ioannis Pici Mirandulani aduerſus Aſtrologos ſcriptio.

Fvit Patrum noſtrorum memoria Ioannes Picus Mirandula-
nus, vir nobilitate generis clarus, ſed ingenij ac literarum claritate
nobiliſſimus, denique omni noſtra laude maior; qui aduerſus Astro-
logos duodecim libros ſcripſit, acutè quidem ille & eruditè atque
copioſè, ſed à quorum lectione multos deterreat prolixitas operis.
Alij queruntur non pauca in illis tractari cauſæ quæ defenditur alie-
na, infirma ac ſuperuacua: ſunt item qui deſiderẽt pugnacius quoddã C
atque robuſtius diſputãdi genus, velléntq; acrius vrgeri & vehemen-
tius premi aduerſariũ: ſed, vt nõ habeat opus illud omnes perfectio-
nis numeros, nec nulli obnoxium ſit reprehenſioni (cui enim morta-
lium id contigit?) erit tamen nobile ac glorioſum omni æuo præſtan-
tiſſimi illius ingenij monimentũ. Nos autem vt lectori etiam moroſo
atq; faſtidioſo ſatisfaciamus, vni huic cauſæ inſeruiemus, inſiſtemus,
inhærebimus, totóque pectore ad defenſionem veritatis, & falſitatis
aſtrologicarum prædictionum confutationem incumbemus. Ac licet
in fertili ac prædiuiti argumento verſabimur, eo tamẽ brenes erimus,
quod non omnia quæ quoquo modo dici poſſent, ſed aptiora dunta-
xat cauſæ firmioráque adhibebimus: non enim tam copioſi, quàm D
fortes in expugnandis profligandíſque Astrologis videri & eſſe cupi-
mus. Quatuor autem ſunt in hac noſtra cum Astrologis diſputatione
tractanda: primò namq; docebimus, diuinationẽ aſtrologicam veriſſi-
mæ doctrinæ que in ſacris litteris, & in Eccleſiaſtica diſciplina conti-
netur, eſſe contrariam: tum, etiã rectæ rationi, & veræ philoſophiæ eã
aduerſari demonſtrabimus: deinde, non ſolùm aſtra nõ eſſe cauſas ef-
ficientes rerum omniũ futurarum, ſed nec eſſe ſigna quæ res omnes
futuras prænotent atq; præmonſtrent, conuincemus: ad extremum,
oſtendemus quid cauſæ ſit, cur prædicta quorundam Astrologorũ &
olim vera fuiſſe compertum ſit, hodié que nonnunquam vera cadant.

Diuina

A Diuinationem Astrologicam diuinæ Scripturæ, disciplinæ Ecclesiasticæ, ac doctrinæ Theologicæ esse contrariam.

CAPVT PRIMVM.

CLAMAT Multis in locis diuina Scriptura certam futurarum rerum præscientiam & prædictionem, non esse hominum, sed ne dæmonum quidem, verùm vnius Dei propriam. Quapropter apud Isaiam cap. 41. ita scriptum est, *Annunciate quæ ventura sunt in futurum, & sciemus quia*
B *dij estis vos:* & cap. 44. *Ego sum Dominus irrita faciens signa diuinorum, & hariolos in furorem vertens, conuertens sapientes retrorsum, & scientiam eorum stultam faciens:* capite autē 47. deridens Deus Babylonios & Chaldæos syderalibus suis obseruationibus præsidentes, *Sta,* inquit, *cum incantatoribus tuis, & cum multitudine maleficiorū tuorum, in quibus laborasti ab adolescentia tua, si forte quid prosit tibi, aut si possis fieri fortior. Defecisti in multitudine consiliorum tuorum, stent & saluent te Augures cœli, qui contemplabantur sydera, & supputabant menses, vt ex eis annuntiarent ventura tibi.* & paulo ante dixerat, *Sapientia tua & scientia tua hæc decepit te,* Hieremias quoque capite 10. monet Iudæos vt Astrologicas obseruationes pro nihilo ducant, nihil enim sibi à stellis vel sperādum vel timendum esse.
C sic autem ait, *Iuxta vias gentium nolite discere: & à signis cœli nolite metuere quæ timent gentes, quia leges populorum vanæ sunt.* Salomon autem Ecclesiastæ capite 10. scientiam futurarum rerum denegat homini, *Ignorat homo,* ait ipse, *quid ante se fuerit: & quid post se futurum sit, quis poterit indicare?* idem ca. 8. eiusdem libri, *Homo,* inquit, *ignorat præterita, & futura nullo scire potest nuntio.* Liquet igitur diuinationem Astrologicam in Sacris litteris contemni, derideri ac reprobari.

CVM doctrina sacrarum litterarum, etiam iudicium Ecclesiæ, vt par erat, mire congruit. Semper enim Ecclesia inde vsque à primordiis suis, Iudiciarios Astrologos odit, fugit, damnauit. Extant aduersus ipsos plurima & seuerissima decreta Ecclesiæ, quæ legere licet in secunda parte Decretorum, c. 26. per primas quinque quæstiones, &
D in Concilio Bracarensi 1. c. 9. & in Tolet. 1. in asser. Fidei contra Priscillianistas. Fertur Alexander Papa huius nominis 3. quēdam presbyterum qui semel consuluerat Astrologum de quodam furto in Ecclesia sua facto, in vnū annum priuasse altaris ministerio. Crebras item reperimus in scriptis sanctorum Patrum aduersus Astrologos, quos illi nunc Chaldæos vel Genethliacos, aliàs Mathematicos aut Planetarios appellant, disputationes, ex quibus apparet quàm fuerit maioribus nostris genus hoc hominū exosum & abominatum. Multa contra illos disputat Basilius homi. 6. in Genesim, Chrysostomus & Gregorius Magnus in 2. cap. Matthæi, sed præter cæteros Augustinus libro 2. super Genesim ad litteram, cap. 17. libro etiam 2. de

Decreta Ecclesiæ contra Astrologos Iudiciarios.

Doctrina

Doctrina Christiana capite 21. & aliquot proximè sequentibus capitibus, subtiliter tamen & copiosè primis aliquot capitibus libro 5. de Ciuitate Dei. Eodem pertinent quæ cõtra Mathematicos in lib. 14. c. 4. & in lib. 6. c. 9. de Præparatione euangelica argumẽtatur Eusebius. A

Iuliani Apostatæ calumnia.

RIDICVLVS fuit, vel potius amens Iulianus Apostata, qui in libris quos aduersus Christianos effutiuit, probare voluit, ex his quæ scripta sunt in capite 15. Geneseos, Abrahamum & Astrologiam & Aruspicinam coluisse. Astrologiam quidem eius, significari putat illis verbis, *Eduxit Deus Abram foras, & ait illi, Suspice cœlum & numera stellas si potes: Sic erit semen tuum.* Aruspicinæ verò scientiam eius, illis etiam verbis denotari ait, *Sume mihi vaccam triennem, & capram trimam, & arietem annorum trium, turturem quoque & columbam. Qui tollens vniuersa hæc, diuisit ea per medium, & vtrasque partes contra se altrinsecus posuit: aues autem non diuisit. Descenderúntque volucres super cadauera, & abigebat eas Abram.* Deinde, subijcitur prædictio peregrinationis & seruitutis posterorum eius per quadringentos annos. Sed hunc Iuliani errorem vel potius furorem, egregiè confutat Cyrillus extremo libro decimo eius operis quod aduersus Iulianum edidit. Alij fidem huic vanissimæ Astrologiæ asserere & astruere conantur ex illa stella quæ nato Christo apparuit, cuius aspectu excitati tres illi Magi, ductúque ad adorandum Christum venerant. Sed istos manifestis argumentis Chrysostomus & Gregorius in homiliis super illud Euangelium scriptis, redarguunt & conuincunt. B

Iuliani Apostatæ calumnia à Cyrillo repulsa. Matthæi 2 Chrysost. ho. 6. in Matt. Gregor. ho. 10. in Euangelia.

Argumentis ex Sacra Theologia ductis, astrologica diuinatio refellitur.

CAETERVM, errorem Astrologorum etiam rationibus ex doctrina Theologica contextis refutare possumus. Principio, *Nemo*, vt ait Paulus 1. Corinth. 2. *nouit quæ sunt hominis, nisi spiritus hominis*; sed homo nescit quid ipsemet post multos annos aut etiam dies acturus sit: nam vt inquit Scriptura, Prouerbior. cap. 27. *Ne glorieris in crastinum, ignorans quid superuentura pariat dies:* &, *Non est via hominis in manu eius: homo enim proponit, Deus autem disponit.* Est namque non modo quorumlibet hominum, sed etiam Regum cor in manu Dei, & flectit illud quocumque vult. Si igitur ipsemet homo nescit quid futuro tempore facturus sit, quanto minus id scire potest Astrologus? Deinde, ne ipse quidẽ diabolus certò potest nosse res futuras: si enim futura omnia dæmon sciret, numquam profecto impulisset Iudæos ad crucifigendum & occidendum Christum Dominũ, quippe præuidisset per crucem & mortem Christi, imperium quod tamdiu habuerat in homines, fore labefactandum & funditus euertẽdum, nec sanè dæmon tentaret & infestaret seruos Dei à quibus in tentatione vincitur, ne videlicet propter victoriam tentationum crescente Sanctorum gloria, magis ipse, quæ eius est superbia, & inuidia, torqueretur. C D

Vanitas oraculorum Apollinis.

HOC etiam pater argumento oraculorum quæ olim reddebant dæmones, cuiusmodi erant responsa & oracula Apollinis Delphici quondam apud Græcos nobilissima & clarissima; quæ ad diuinationem astrologicam pertinuisse, locuples auctor & testis est Porphyrius

A phyrius in libro de Oraculis (refert autem hoc Eusebius libro 6. de Præparatione euangelica capite primo) vbi tradit, quæcumque dij ceu fatis definita prædicunt, ea ipsos stellarum motu ita esse futura significare, id quod maximè Apollo multis responsis aperuit. *In hisce autem oraculis & diuinationibus sæpe mẽtitum esse Apollinem, idem auctor est Porphyrius: exquisitam enim futurorum cognitionem ait non hominibus modo, sed multis etiam deorum incomprehensibilem esse, vnde interrogati mentiuntur nonnunquam, sed non sponte: solent enim præmonere, se tunc vera respondere non posse, homines tamen ex amentia perseuerant vrgere & cogere eos vt respondeant. Apollo igitur Delphicus, cum eiusmodi esset cæli & cõtinentis affectio vt verum præuidere nõ posset, retine, dicebat per Vatem, vim istam, & potentia verba hæc ne proferas: falsa enim dicam, si coges. Et in alio*
B *responso, Nihil hodie, inquit Apollo, stellarum mihi via dicendum præstat. Deinde, concludens Porphyrius ait, Manifestum iam fecimus vnde falsitas ad deorum oracula subrepat.* Hæc ex libro Porphyrij de Oraculis, in libro sexto de Præparatione euangelica capite quarto Eusebius commemorat. Fuit etiam quidam Oenomamus, vir apud Græcos tam philosophia quàm eloquentia nobilis, qui responsis Delphici Apollinis sæpè delusus atque deceptus, diligenter & curiosè collegit quamplurima eius oracula, eáque vt vana, futilia & falsa confutauit, vt refert Eusebius lib. 5. de Præparatione euang. cap. 10.

Oenomaus vehemens & disertus oraculorũ Apollinis confutator

Qvattvor porro ob causas vsu venit in prænuntiando futura falli dæmonem. Primo, quia nimis asseueranter affirmat quæ
C pendent ex libero arbitrio hominis: quod cum sit admodum mutabile & ad omnia flexibile & planè liberum, nonnunquam extraordinaria quadam ratione operatur. Deinde, quod nos sæpè diuinitus incitati & adiuti Dei gratia, contra facimus quam anteà facere cogitabamus, & quã nostro ingenio nostróque arbitratu facturi eramus. Fit etiam vt quod dæmon agere constituerat & prædixerat, prohibente impedientéque Deo, non possit exequi. Denique, multa Deus aliquando præter communem ordinem naturæ, prætérque generalem suam & ordinariam prouidentiam agere. Atque his rebus crebro dæmon in errorẽ inducitur. Quis ergo credet, Astrologos prædicandis futuris rebus veraces esse, cum in eo vel dæmones falli sępè
D contingat: Sed quid ego de dæmonibus loquor? Theologi docent, ne ipsos quidem spiritus cælestes ac beatas mẽtes quæ liquido cernunt & clarissime vident Deum, tenéntque perfectissimam cognitionem cœlorum cunctarúmque rerum naturalium, certò scire futura quæ nimirum pendent ex libero arbitrio: nisi earum rerum Deus singularem ipsis notitiam imperitiat. Cuius autem amentiæ est, Astrologis tribuere quod nec Angelis nec beatis mentibus concessum est?

Quibus ex causis accidat vt Dæmon in prædicẽdo futura sæpe fallatur.

Sed illa in primis fortis est argumentatio. Si Christiana religio & disciplina vera est, vt est profecto verissima, non potest esse vera, nec Christianis probari potest ita opinio Astrologorum, vt

Egregia ratio aduersus Astromantiam.

quam illa vanitatis, falsitatis & impietatis persæpe damnauit: sin A
autem falsa est doctrina Christiana, cum ipsa totum ferè orbem cõ-
plexa sit, omnésque propemodum gentes suo imperio subiecerit, &
plus mille quingẽtos annos vigeat & regnet in mũdo, si omnia quæ
apud homines fiunt ex cœlo proueniunt ac pendent, necesse est
tantam hominum ad fidem Christi accipiendam tuendámque
propensionem, tantúmque studium, ex insigni aliqua & præpoten-
ti constellatione prouenire; quare cœlum inclinaret & induceret
homines ad malum. Si enim fides Christi esset falsa, magis profecto
esset falsa & detestabilis quàm alia quælibet secta: ea namque do-
cet de Deo & rebus diuinis, quæ si falsa sunt, nefariam sane su-
perstitionem & execrandam impietatem contineant necesse est.
At verò, cum vita quæ ad normam fidei Christianæ agitur, sit B
optima & inculpata, nec laude tantùm sed summa etiam admira-
tione dignissima, hinc necessariò efficeretur, ab eadem constella-
tione proficisci bonum & malum: malum quidem, propter falsita-
tem doctrinæ Christianæ: bonum autem, propter vitæ quæ ad eius
doctrinæ regulam informatur & dirigitur, probitatem atque præ-
stantiam.

Præclara argumentatio.

A D hæc maxima probatio & confirmatio fidei nostræ & clarissimum diuinæ prouidentiæ argumentum illud est: quæcumque circa Christum Dominum & eius Ecclesiam euenerunt, ea multis ante sæculis fuisse per Prophetas, ad vnum omnia propriè, distinctè, explicatéque prædicta: si autem eiusmodi prædictio per Astrologiam fieri posset, rueret funditus & ad nihilum recideret firmissimum nostræ religionis fundamentum. Ne multa, istiusmodi Astrologorum doctrina veram philosophiam moralem, nedum sacram Scripturam & Theologiam, quantum in ipsa est, planè peruertit. qui enim certum habet omnia pendere è cœlo, ob ídque cuncta hominum opera, facta, casus & euenta ex cœli obseruatione præsentiri & prædici posse, huic quoque necessariò persuasum esse debet, materialem & mortalẽ esse animum nostrum, nullúmque esse liberum arbitrium, nec talem esse prouidentiam Dei qualem Fides nostra prædicat: mysteria item Christianæ religionis pendere è cælo, cunctáque miracula tam in veteri quàm in nouo Testamento edita, licet dicantur, vt re vera sunt, supernaturalia, ad cœlestes nihilominus causas & virtutes reuocari. Huic quoque opinationi consequens est, neglectio & prætermissio bonorum operũ, licentia omnium cupiditatum, quorumlibet flagitiorum excusatio, denique inutilitas atque crudelitas humanarum pariter atque diuinarum legum. Caietanus in Summula vbi agit de astrorum obseruatione, simillima docens eorum quæ diximus, verè magis & doctè quàm eleganter & ornatè ita scribit, *Astrorum obseruatio circa natiuitates hominum & occurrentia humana, tripliciter peccato subiici potest. Primò, si ea quæ fidei Christianæ mysteria sunt, tanquam subsint cœlestibus causis, ha-*

C

D

Caietani breuis, sed vera & memorabilis aduersus prædictiones astrologorum sententia.

A *sis, habeantur: secundò, si futura contingentia quærantur vel habeantur vt certa ex cœlestibus causis: tertiò, si electiones suas quis subiiciat cœlestibus causis tanquam legi illarum, ita vt vitam & actiones suas regulet secundum cœlos. Et quodlibet horum trium est ex suo genere peccatum mortale: quia primum est contra spiritualitatem Christianæ religionis, quæ super cœlos est, immutare potens etiam ipsos cœlorum cursus, iuxta id quod scriptum est in Psalm.* 158. Confessio eius super cœlum & terram: *& hoc experientia testata est. Secundum verò, est contra veritatem doctrinæ Christianæ & liberi arbitrij quo domini sumus nostrorum operum. Tertium est contra dignitatem gratiæ, legis diuinæ, ac humanæ mentis qua super omnia corporalia sumus constituti. Et sicut erraremus*
B *subijciendo nos passionibus iræ, odij, spei, timoris: ita quod haberemus impetus passionum pro lege; ita vilificamus nos, si inclinationes cœlorum pro lege habeamus: corpora enim sunt, & per modum passionum inclinant nos.* Hæc Caietanus.

IN Actis autem Apostolorum capite 19. refert Lucas, multos de his qui Ephesi conionibus & sermonibus B. Pauli conuersi erant ad Christum, & curiosa prius fuerant sectati, attulisse libros suos, & coram omnibus combussisse: fuisse autem eos libros de rebus ad iudiciariam Astrologiam pertinentibus, grauis auctor in Commẽtariis super Psalmos dixit Augustinus: qui etiam Mathematicum quendã, hoc est, istam Astrologiam professum, postea pœnitentem professionis suæ, cupientémque reconciliari Ecclesię, nisi publica
C & solenni pœnitentia præmissa, non recepit. verùm sententiam Augustini, quod ea maximè attingit id quod nunc agitur, totidem verbis hic ascribam. Post enarrationem igitur sexagesimi primi Psalmi, cum Mathematicus ille veniam publicè petens coram sisteretur, hæc dixit Augustinus: *Iste ex Christiano & fideli pœnitens redit, & territus potestate Domini conuertitur ad misericordiam Domini: seductus enim ab inimico cũ esset fidelis mathematicus fuit, seductus seducens, deceptus decipiens, illexit, fefellit, multa mendacia locutus est contra Deum, qui dedit hominibus potestatẽ faciendi quod bonũ est, & non faciẽdi quod malũ est. Iste dicebat quod adulterium non faciebat voluntas propria, sed Venus: & homicidium non faciebat voluntas propria, sed Mars: & iustum non faciebat Deus,*
D *sed Iupiter: & alia multa sacrilega non parua. Quàm multis eum putatis Christianis nummos abstulisse? Quàm multis ab illo emerunt mendacium? quibus dicebamus,* Filij hominum vsquequo graui corde, vt quid diligitis vanitatem & quæritis mendacium? *Modo sicut de illo credendum est, horruit mendacium & multorum hominum interitum: se aliquando à diabolo sensit illectum, conuertitur ad Deum pœnitens. Nostis in Actibus Apostolorũ esse scriptum capite 19. quia multi perditi, id est, talium artium homines & doctrinarum nefariarum sectatores, omnes codices suos ad Apostolos attulerunt, & incensi sunt libri tam multi, vt pertineret ad scriptorẽ æstimationem eorũ facere, & summã pretij conscribere. Hoc vtique propter glo-*

Notabilis oratio quam habuit Augustinus in reconciliatione cuiusdã Mathematici cũ Ecclesia. Psalm. 4.

riam Dei, ne tales etiam perditi desperarentur ab illo qui nouit quærere quod perierat. Perierat ergo iste, nunc quæsitus, inuentus, adductus est: portat secum codices incendendos, per quos fuerat incendendus, vt illis in ignem missis, ipse in refrigerium transierit. Ante Pascha enim cœpit petere de Ecclesia Christi medicinam, sed quia talis est ars in qua exercitatus erat, quæ suspecta esset in mendacio atque fallacia, dilatus est ne tentaret, & aliquando tamen admissus est ne periculosius tentaretur. Hactenùs Augustinus. A

CERTE in primitiua Ecclesia istiusmodi Astrologia non secus quàm ars magica, reprobata, vetita & damnata erat: Narrat Epiphanius in libro de Mensuris & ponderibus, Aquilam Ponticum Scripturæ interpretem ob eam maximè causam fuisse à Patribus ex Ecclesia pulsum, quod natiuitatum obseruationibus cæterisque diui- B nationibus astrologicis studiosè vacaret. Non est pro derelicto habendum, cum sit admodum memorabile, quod Origenem in commentariis super Genesim de ista Astrologia prodidisse, libro sexto, de Præparatione Euangelica, capite nono, tradit Eusebius. Sic enim scripsisse illum ait: *Non solùm Gentiles stellarum coniunctione atque aspectu quæ in terris sunt, necessario accidere credunt, quam vim Fatum appellant: verumetiam multi ex fidelibus conturbantur, impossibile aliter fieri credentes quàm stellarum cursus effecerit. vnde sequitur nullam in nobis esse libertatem, nullam operationem nostram laudari aut vituperari iure posse: ita prædictum à Scripturis Dei iudicium quo alij ad æterna supplicia, alij ad æternam beatitudinem prædestinantur, falso fauore prædicaretur.* C *Quid plura? ipsa quoque fides & Saluatoris nostri aduentus, & omnis Prophetarum labor, ac Apostolorum in constituendis Ecclesiis prædicatio, inania erunt: nisi forte Christum quoque quis audeat dicere, cœlestium corporum vi coactum fecisse quæ fecit passúmque fuisse quæ passus est, nec eius deitatis potentia, sed stellarum virtute cuncta euenisse. his impiis verbis etiam illud conficitur, vt fideles Fato ducti in Christum credant: denique, vt vel nullum sit boni & mali discrimen, vel etiã malorũ auctor sit Deus: nullúsque hominũ propter bene vel male facta præmio aut pœna dignus censeri debeat, nec orationibus, votis, & Dei obsecrationibus locus aliquis relinquatur.* Sic Origenes.

Origenis egregia cõtra Astrologos disputatio.

EAT IGITVR nunc Petrus de Aliaco, & istam Astrologiam amplexetur, exosculetur præfractéque defendat, atque obnixè co- D netur eam cum philosophia, quin etiam (si Deo placet) cum Theologia consociáre atque coniugare, scilicet falsitatem cum veritate, tenebras cum luce, dæmonem cum Deo. qui nec veritus est scripto prodere, diluuium Noëticum, & ortum Christi Domini, aliáque summa prodigia & miracula, etiam syderalis scientiæ peritia ex astrorum obseruatione prænosci ac prædici potuisse. sed quo manifestius appareat quàm sit impia & execranda istorum doctrina, ponam hic paucas quasdam eorum sententias & decreta, è quibus iudicium fiet de illius artis impietate. Quidam istorum, ex Marte in nona cœli regione feliciter constituto, tantum præstari nobis con

Animaduersio in Petrum de Aliaco.

A contendunt, vt ab obsessis corporibus sola præsentia dæmones expellamus. Alij iactant se hac arte, de eius qui nascitur conscientiæ arcanis & secretis sine errore iudicaturos. Vulgatum quoque apud illos est, duos esse planetas auctores felicitatis humanæ, Venerem quidem præsentis, Iouem autem post hanc vitam futuræ. Maternus porrò eiusmodi figmentorum & mendaciorum studiosissimus & curiosissimus, cum multa memoret quæ à Saturno constituto in Leone accidunt hominibus, subdit, eiusmodi homines longæuos fore, & post mortem animas eorum in cœlum diis applicatas euolaturas. Saturnus enim, inquit in Leone positus, animas eorum qui sic se habuerint in terra, innumeris angustiis liberatas, ad cœlum & originis suæ primordia reducet. Denique Albumazar scribit, qui Luna Ioui

B coniuncta in capite Draconis, Deo supplicauerit, eum quicquid petierit à Deo, certissimè impetraturum: id quod Petrus Apponensis expertum se esse confirmat, nam cum vigente illa coniunctione, scientiam rerum à Deo postulasset, ait se post eam diem, magnã sibi factam esse scientiæ accessionem, sensisse. Hæc autem & alia eorum similia, quàm sint nefaria, detestanda, & Christianæ religioni exitialia, quantúmque valeat ad eleuandam, vel potius delendam fidem eorum quæ diuina Scriptura docet immediatè, supernaturaliter, ac miraculosè fieri à Deo, nemo est tam hebes ingenio & tardus intelligẽtia, vt non clarissimè intelligat. Si quis autem hæc plenius atque subtilius scire

C auet, legat quæ in hanc sententiam cum alibi, tum libro secundo capite 5. & in libro 5. cap. 11. & inde vsque ad finem eius libri, Picus Mirandulanus diligenter & copiosè tractat.

Falsa & impia quædam Astrologorũ dicta, & sententiæ.

Albumazar, Petrus Apponensis.

Astrologiam iudiciariam à Philosophia redargui & conuinci, primo quidem ea ratione, quod istiusmodi Astrologi Cœlestium rerum sint imperitissimi.

CAPVT SECVNDVM.

D DIVINATIONEM Astrologicam futilem esse nullóque nixam fundamẽto Philosophus quidem ad hunc modum argumentabitur, Astrologi nec certo sciunt omnes astrorum vires, defluxus, & effectus, nec si eas res scirent, satis id foret ad certam rerum futurarum præsensionem: ergo prædictiones Astrologicas inanes & fallaces esse necesse est. Duo in hac argumentatione sunt posita, explicatius à nobis tractanda & confirmãda: alterum est, imperitos esse Astrologos rerum cœlestium: alterum verò est, vt essent illi peritissimi earum rerum, non propterea tamen posse eos futura omnia prænosse: de priori autem dicamus prius. Esse igitur Iudiciarios Astrologos syderalis doctrinę ignaros, patet ex

his quæ subiiciam. Principio, valde arduum & operosum est, etiam A
quæ de cœlo videntur minus difficilia magisque nobis obuia, perfe-
ctè cognoscere: veluti quæ sit cœli natura, magnitudo, numerus or-
bium, & inter eos ordo & differentia dignitatis, varietas motuum,
denique astrorum numerus, eorúmque inter se in magnitudine, luce,
potestate, & effectu comparatio, atque huius difficultatis clarissimum
facit indicium tanta opinionum varietas, quantam esse his de rebus
inter maximos Philosophos cernimus. Aristoteles certè Philosopho-
rum omnium facilè Princeps, ingenuè fatetur se multarum rerum
cœlestium non exquisitam scientiam, sed opinabilem & coniecturа-
lem tantùm notitiam tenere: Et quia manifestis certisque rationibus
destituatur, cogi se non raro probabilibus duntaxat argumentis &
coniecturis vti. Videre hæc licet apud ipsum Aristotelem in 2. libro B
de Cœlo, textu 17. 34. 60. & 61. hoc si est, quis credet Astrologis, quos
solis luce clarius est nulla re comparandos esse maximis illis Philo-
sophis, quod est in cœlo abstrusissimum, & iudicio summorum Phi-
losophorum mortalibus incomprehensibile, veritatem dico rerum
omnium futurarum, esse liquido cognitam exploratéque perceptam?
Deinde, rogemus istos Astrologos vt faciliores quasdam quæstiones
de cœlo nobis enodent: percunctemur ex ipsis, an cœlum sit natura
quædam simplex, an composita ex materia & forma, vtrum talis sit
materia cœli qualis est rerum omnium sublunarium, an omnino di-
uersa, sit ne cœlum animatum, an inanimum: num sua vi & à se mo-
ueatur, an extrinsecus ab Angelo, vnde potissimum in cœlis æstimari C
& iudicari debeat dignitatis eorum præstantia, quid causæ sit cur non
omnes orbes vno motu circumagantur, sed alij vno tantùm, alij plu-
ribus alij verò paucioribus: aperiant nobis quam habeant propriam
vim & potentiam singulæ stellæ in elementa, metalla, stirpes, atque
animantes, hæc, inquam, & alia horum similia scisciteмur ex istis
Astrologis, profecto reperiemus ipsos doctrinæ harum rerum planè
rudes & prorsus expertes. Qui sit igitur credibile, planiora hæc &
apertiora ignorantibus mortalium intelligentiæ remotissima & oc-
cultissima esse comperta & explorata? Postea, docent nos isti defluxus
& effectus qui nunc ex variis astris dimanant ad diuersas & dissi-
tas mundi regiones, sic enim fortasse credemus illis futuros syde- D
rum effectus prænuntiantibus. quis enim nescit procliuius & pro-
pensius esse præsentia nosse quàm futura, præsertim mutabilia, & quę
variè possunt contingere, obídque incerta? Exponant item nobis oc-
cultas & proprietates & vires quas habent res sublunares quas mi-
ramur magis quàm intelligimus in multis lapidibus, herbis, & ani-
malibus: hæc enim cum proxima sint atque nobis coniuncta & cun-
ctis pene sensibus nostris subiecta, & quæ quotidianis experimentis
perueстigari & explorari possunt, planiorem intelligentiam & faci-
liorem habent explicatum: cognitio verò rerum Cœlestium maximi
laboris & difficultatis est, cum tam longè distet à nobis cœlum, nec

alio

A alio quàm vnico oculorum sensu mortalibus pateat:quem tamen sæpe falli contingit propter tantam interualli lõginquitatem, vel summam vertiginis cœli velocitatem, vel prauam affectionem Medij aut visus, vel propter vitium astrolabij, tabularum & instrumentorum astronomicorum. Atque hoc etiam apud sacras litteras in cap.9. lib. Sapientiæ testatum legimus. *Corpus*,inquit, *quod corrumpitur aggrauat animam,& terrena inhabitatio deprimit sensum multa cogitantem. Et difficile æstimamus quæ in terra sunt, & quæ in prospectu sunt inuenimus cum labore: quæ autem in cœlis sunt quis inuestigabit? Sensum autem tuum quis sciet, nisi tu dederis sapientiam, & miseris Spiritum sanctum tuum de altissimis?* Extremum autem huius sententiæ,omnino rẽdarguit Astrologos, qui humana omnia euenta quorum multa ex secretissimo Dei consilio &
B voluntate pendent,diuinare se posse profitentur.

Redarguitur antiquitas syderalium obseruationum, quam iactant Astrologi.

PRAETEREA, iactant Astrologi, habere se innumerabilium annorum obseruationes rerum euentis comprobatas,è quibus ars ipsorum collecta & confecta sit : nam cum in omni præteriti temporis spatio,pene innumerabiles res eodem modo euenirent, iisdem signis antegressis : ars est effecta eadem sæpè animaduertendo atque notando : quare Chaldæos ferunt quadringenta septuaginta millia annorum, monumentis huiusmodi obseruationum Astrologicarum compræhensa habuisse. Verùm, hoc quàm sit commentitium & improbabile, vel ex eo liquet quod Astrologi non potuerunt eiusmodi obseruationes & experientias, non dico millies vt ipsi iactitant, sed
C ne ter quidem bísue colligere & comparare potuerunt : nam cœli facies,& omnium signorum cœlestium positura quæ semel fuit,eadem omnino vel nunquam, vel non nisi post immensa ann. spatia redire potest:quippè 8.orbis in quo sunt inerrantes stellæ,non ante 6.& 30. annorum millia circuitum suum absoluit. quin doctissimi quidã Mathematici optimis rationibus probarunt motus cœli esse inter se incommensurabiles, ob idque eandem cœli faciem, eundemque stellarum positum sæpius euenire non posset.

Phauorinus contra Astrologos.

HANC rationẽ Phauorinus Philosophus apud Gelliũ lib.14.c.1. paulò enucleatiùs,certè luculentiùs & elegantiùs tractat his verbis.*Si Chaldæorum isto modo cœpta fieri obseruatio est, vt animaduerteretur quo habitu, qua forma, quáque positura stellarum aliquis nasceretur:tum deinceps ab*
D *ineunte vita, fortuna eius & mores & ingenium & circunstantia rerum negotiorúmque, & ad postremum finis etiam vitæ spectaretur, eáque omnia, vt vsu venerant,litteris mandarentur:ac posteà longis temporibus cum ipsæ illæ eodẽ in loco eodẽq; habitu forent,eadẽ cæteris quoque euentura existimarentur qui eodẽ illo tempore nati fuissent.Si isto,inquit,modo obseruari cœptum est,ex eaq; obseruatione composita quædam disciplina est, nullo id pacto potest procedere.dicant enim quot tandem annis, vel potiùs quot sæculis orbis hic obseruationis perfici quiuerit. Constare quippè inter Astrologos dicebat, stellas istas quas erraticas dicerent quæ esse omnium rerum fatales dicerentur, infinito, propè & innumerabili numero annorũ ad eundem locũ cum eodẽ habitu simul omnes vnde*

profectæ

profectæ sunt, regredi, vt neque vllus obseruationis tenor, neque memoria vlla, ne- A
que effigies litterarum tanto æuo potuerint durare. sic Phauorinus. Adhæc, licet Astrologi cognoscere possent singulares vires & defluxus cuiuslibet astri separatim, tamen quam vim habeant sydera, cum defluxus diuersorum astrorum vnà coëuut & permiscentur, vel in cœlo vel in aëre vel in terra vel etiam cum causis sublunaribus eorúmque actionibus: ab ipsis nequaquam sciri potest. Audiat lector Origenem, cuius ex Commentariis super Genesim, hanc Eusebius extremo lib. 6. de Præparatione euangelica citat sententiam: *Quæ autem,* inquit, *commistione, compositione, ac temperie diuersorum aspectuum fieri asserunt, profecto concedent nullo modo sciri posse. Quomodo enim quantum diminuatur de læsione maligni aspectus propter aspectum benigni syderis percipies: & vtrum auferat malignus quod a benigno conceditur, quoniam locum eius aspexerit: aut mu-* B
tet, aut mistura quædam inde fiat, quis percipiet, quæ omnia si quis altius inspiciat, facile credet non posse ista humano ingenio penitus percipi. Vnde si quis harum rerum periculum fecerit, videbit in pluribus errare, quàm veritatem
Isaiæ 47 *consequi Genethliacos. Quamobrem Esaias etiam quasi hæc omnibus impossibilia sint, ad filiam Chaldæorum qui maximè ista profitentur ait, Adsint & saluam te faciant Astrologi, cœli Augures annuncient tibi quid euenturum sit. His enim verbis docemur, vel diligentissimos in hac re Chaldæos, non posse prædicere quæ velit vnicuique genti Deus attribuere.* Hactenus Origenes.

His accedit, multas stellas quæ vel non clarè cernuntur, vel etiam nullatenus cernuntur: earum verò quæ cernuntur, paucas sibi esse cognitas, per multas verò necdum exploratas fatentur Astrologi qua C
ratione igitur ex paucis astris quorum vires norunt tam confidenter prænunciant futura, cum per aliorum syderum quæ nesciunt influxus, notorum sibi syderum effectus, aut impediri aut variari possint? nisi forte astrorum quæ latent ipsos nullas esse vires nullósque defluxus, impudenter & absurdè mentiantur. Certe constat inter Astrologos numerari in octauo cœlo mille præterque viginti duas stellas, quarum cum quælibet maior sit terra, necesse est ingentem esse earum vim & potentiam huiusmodi stellarum, vel nullam vel per exiguam notitiam habent Astrologi, quippe cum ars eorum iudiciaria ferè constet ex planetarum obseruationibus, in quibus tota propemodum versatur & consumitur. Vidit hoc, qua erat perspicacia D
ingenij Seneca, & in lib. 2. Natural. quæstionum, cap. 32. eleganter exposuit, *Quid est aliud*, inquit, *quod errorem incutiat peritis natalium, quam quod paucis nos syderibus assignant: cum omnia quæ supra nos sunt, partem sibi nostri vendicent? Submissiora forsitan in nos propius vim suam dirigunt, & ea quæ frequentius mota, aliter nos, aliter cætera animalia prospiciunt cæterum, & illa quæ aut immota sunt aut propter velocitatem vni-*
De noua stella, quæ superioribus annis in cœlo visa est. *uersò mundo parem, immotis similia, non extra ius dominiúmque nostri sunt.* hæc Seneca.

Superioribus annis vidimus stellam nouã ante illud tẽpus nunquã in cœlo visam, & iudicio Astrologorũ in eodẽ loco vbi stellæ fixæ

A læ fixæ lucent positam: hæc cum ad aliquod tempus conspicua fuisset, repentè tota ex aspectu nostro discessit & prorsus euanuit. hanc stellam necesse est vel in cœlo esse generatam & posteà corruptam, idémque in aliis sæpius euenire, longis tamen temporum interuallis verisimile est: vel esse supra septem planetas alia sydera errantia quæ proprios quidem meatus, sed nobis tamen ignotos habeãt: vel denique quas nos in octauo orbe stellas inerrantes & infixas putamus, eas quoque proprios circuitus & motus agere, de quo addubitasse olim Hypparchum nobilissimum in Astrologia virum, locuples auctor & testis est Plinius in capite 26. libri secundi. *Hipparchus*, inquit, *nunquam satis laudatus, nouam stellam, & aliam in æuo suo genitam deprehendit: eiusq; motu qua die fulsit, ad dubitationem est adductus, anne hoc sæ-*
B *pius fieret, moueranturq; & eæ quas putamus affixas.* Quid quod per magni ad artem suam referre censent Astrologi, conuenientiam & discrepantiam quæ est inter duos Zodiacos, alterum octaui alterum noni cœli, exploratam habere? quæ tamen ipsis nota esse nõ potest: quippe cum nonum cœlum omni stella luceque careat, nec aliud de ipso quàm motus, isque ex motu octaui cœli deprehendi possit. Latet etiam Astrologos quemadmodum isti duo Zodiaci se habuerint in exordio mundi, quòd tempus ab origine mundi ad hanc diem exactum, certo teneri nequeat: nam vt annorum eius temporis ratio aliqua iniri & numerus colligi possit, dierum tamen & horarum non potest: quorum tamen subtilis & certa computatio, isti doctri-
C næ Astrologicæ opus est.

Duplex Zodiacus apud Astrologos.

IAM verò vix potest sine errore vllo notari & cognosci positus astrorum qui est in eo momento quo quisque nascitur. Etenim difficillimum est vel punctum temporis in quo quispiam oritur, vel in eo ipso puncto aspectum syderum omnium qui tunc viget, obseruare: sæpe namque cœli & stellarum aspectum, nubila & crassorum vaporum interpositus, vel adimunt nobis, vel interturbant & infuscant; & quod caput est, rapidissima cœli vertigo facit vt constellatio prius transuolet, quàm à nobis propriè annotetur: quippe per singula ferè momenta, alia & alia cœli facies, & identidem diuersa astrorum positura existit. Profitentur isti Astrologi se cuiusuis homi-
D nis euenta omnia prænunciare posse, dummodo sibi ortus eius certum tempus pernotescat: at eiusmodi tempus subtiliter & propriè, ita nimirum vt opus esset Astrologo, ferè nescitur. Nam vt dicatur, exempli causa, Petrum esse natum vigesimo ab hinc anno, die Septembris vltimo, hora noctis decima, vel ineunte vel media vel iam exeunte: at momẽtum illud, vel potius minimum illud tempus quo Petrus aluo matris fusus & in lucem editus est, nec obstetrix, nec parentes seu cognati, subtilissimè annotatum & perspectum habent: qua tamen temporis illius subtilissima obseruatione & cognitione, ad diuinandum eget Astrologus.

Quã difficile sit, aspectum syderũ qui in cuiusq; hominum ortu viget, annotare.

B. Basilij argumẽtatio cõtra Astrologos.

NON possum facere, vt ascribere hoc loco prætermittam verba A
Basilij, quibus ipsa hæc ratio quam nos strictim attigimus, latius ab
eo explicatur & acrius vrgetur. Sic enim ille homilia 6. super Gene-
sim scriptum reliquit, *Genethliacæ artis inuentores, cum in temporis am-*
plo spatio complures figuras suam ipsorum scientiam fugere percepissent, in an-
gustum admodum temporis contraxere mensuras, vt minutissimo quoque &
subitaneo articulo, quale est quod Apostolus dicit, In momento temporis, in
1. Cor. 15. *ictu oculi, plurimum differentiæ sit inter natiuitatem & natiuitatem. Vt is*
quidem qui hoc in momento genitus est, futurus sit Rex ciuitatum, populorumq;
princeps, locupletissimus, præpotens: Is autem qui natus est temporis sequentis
momento, pauper quidam sit futurus, aut mendicus circulator, vel præstigia-
tor, ex ostiis ostia permutans quotidiani consequendi causa victus. quamobrem
eo orbe qui signifer appellatur duodecim in partes diuiso, cum in triginta die- B
rum spatio partem sol eius globi transeat duodecimam quem inerrantem ap-
pellant, triginta in portiones singulas illas duodecim partes secuerunt. tum sin-
gulis portionibus illis in sexaginta minuta diuisis, minuta hæc singula rursum
in alia sexaginta modo simili diuisere. Posito igitur enixu eorum qui in lucem
eduntur, videamus, obsecro, si hanc exactissimam temporis diuisionem Auctо-
res hi sibi valeant conseruare. Nam simulatque editus pusio est, mas an fe-
mella sit, obstetrix explorat: tum vagitum expectat infantis, nimirum indicium
vitæ eius qui natus recens est. Quot hoc tempore vis sexagesima præteriisse mi-
nuta? Dicit obstetrix deinde Chaldæo partum qui editus est: quot minutissima
momenta vis interea dum obstetrix loquitur prætercurrisse? præsertim si forte C
fortuna fuerit non in conclaui mulierum Chaldæus ille præsens, sed in ædium
atrio, aut vestibulo, tempus horamq; reponens. Et cum eum qui definiturus est
diligenter tempus ac horam, exploratoria nimirum horarum percipere opor-
teat instrumenta, siue diurna sint siue nocturna: quot minutorum hoc quoque
tempore quæso, præteruolat, præteritq; examen? Compertum enim ea esse stella
qua tempus horaq; sit exploranda, non solum quanta in parte sit duodecima,
sed etiam quàm iuxta duodecimæ portionem partis, in quotoque minuto sexa-
gesimæ eorum, in qua subdiuisa sunt singula sexagesima illa prima, necesse est.
Atque hanc tamen adeo tenuem subtilemq; temporis inuentionem, quanquam
attingere nequeunt, singulis in stellis errantibus faciendam esse necessario di-
cunt; vt qualem ad cœlo adfixas stellas ipsa dispositionem habitudinémve ha-
berent, qualisque ipsarum esset inter sese figura, cum in lucem ederetur fœtus, D
compertum sit tandem ac exploratum. Quæ cum ita sint, si fieri non potest vt
tempus illud exactissime quisquam attingat, variationeq; vel breuissimi tem-
poris fit vt tota via penitus aberretur: deridendi profecto non mediocriter esse
videntur, tam ij, qui studio huius indulserunt artis quam in ratione re-
rum nusquam esse constat, quàm illi qui hiantes ab illorum ore
pendent intenti: perinde quasi omnia illi scire possint quæ
ipsis sunt euentura. Hactenus sunt quæ Basilius
eo loco aduersus Astrolo-
gos disputat.

Etiam

A Etiamsi Astrologi summam rerum cœlestium cognitionem tenerent, non posse tamen eos futura diuinare, probatur octo rationibus.

CAPVT TERTIVM.

Octo rationes, quibus probatur ex cognitione astrorum etiã perfecta, nõ posse diuinari omnia quæ futura sunt.

B SED concedamus Astrologis quod ipsi falso & impudenter sibi arrogant, perfectam videlicet astrorum & cœli scientiam: hanc ipsam nunc contendo non posse certam futurarum rerum prænotionem & diuinationem efficere; idq; multis & validis rationibus cõfirmo.

Prima ratio.

PRIMA RATIO. Vera est & trita in scholis illa Philosophorum sententia, Sicut res se habet ad esse, ita quoque se habet ad cognitionem; hoc est, propter quas causas quæque res fit & est, per eas cognosci debet, si quidem perfectam eius rei scientiam adipisci volumus, ad generationem autem futurorum effectuum particularium, non modo concurrit cœlum sed etiam causa particularis: est enim cœlum causa vniuersalis: quo fit vt eius vis & efficientia sit etiam vniuersalis & indeterminata ad producendum quoslibet effectus particulares: determinatur autẽ vis cęli per causas particulares.

Sicut ad generationẽ rerum futurarũ non tantũ cõcurrit cœlum sed etiã causæ particulares, ita ad certam earumdẽ rerũ prænotionem, non solius cœli notitiã satis esse posse.

C quamobrem verissimũ est illud quod dixit Aristoteles, Sol & homo generant hominem: quin effectus particulares, licet quod attinet ad eorum effectionem & conseruationẽ, maximè pendeant ex causis vniuersalibus; tamen quod pertinet ad propriã cuiusque eorum naturam, & ad naturales proprietates, tam specificas quàm indiuiduales, magis particularem causam quàm vniuersalem æmulãtur atque imitantur. Cum igitur præter causas cœlestes, ad producendos effectus futuros opus sit etiã causa particulari efficiente, & materia idoneè præperata, quorũ si desit alterutrum, prorsus nullus futurus est effectus; ex his necessario concluditur, ad prænotionem futurorum effectuum, cœlestium causarum notitiam non esse satis. Atque hoc

D etiam quotidianis & manifestis experimentis constat. cernimus enim agricolas eodem tempore & sub eodem syderum aspectu varia seminum genera in terram iacere, ex quibus tamen diuersa nascuntur: quæ sane diuersitas non ad causas cœlestes, sed ad diuersas tantum species & vires seminum referri potest. Ad hanc eandem sententiam, in libro secundo de Genesi ad litteram cap. 17. ita scribit Augustinus, *Cum multa corpora diuersorum generum, vel animantium, vel herbarum & arbustorum, vno simul puncto temporis seminentur, vnoque puncto temporis innumerabiliter multa nascantur, non tantum diuersis sed etiam usdem terrarum locis, tantæ sunt varietates in progressibus, in actibus, &*

passionibus eorum, vt verè isti (sicut dicitur) perdant sydera, si ista considerent. A *Quid autem insulsius, & hebetius quàm cum istis rebus connuncuntur, dicere ad solos homines sibi subijciendos fatalem stellarum pertinere rationem?* Sic Augustinus: cuius extremum dictum paulo vberius tractat apud Gellium libro 14. capite primo Phauorinus: *Si vitæ*, inquit, *mortisq; hominum rerumque humanarum omnium tempus, & ratio, & causa in cœlo & apud stellas foret; quid de muscis aut vermiculis aut echinis, multisque alijs minutissimis terræ marisque animantibus dicerent? an ista quoque ijsdem, quibus homines legibus nascerentur, ijsdem ibidem extinguerentur? vt aut ranunculis quoque & culicibus nascendi Fata sint de cœlestium syderum motibus attributa; aut si id non putarent, nulla ratio videretur, cur ea syderum vis in hominibus valeret, si deficeret in cæteris.*

Secunda ratio ex dissimilitudine Geminorum.

SECVNDA RATIO. Si vera esset istiusmodi Astrologorum B doctrina, necesse esset Geminos qui vno tempore concepti & nati sunt, simillimos omnino fore: quod falsum esse, satis perspicuum est: nam vt cæteram eorum dissimilitudinem taceam, euenit nonnunquam vt alter sit mas, alter verò fœmina. Cicero quidem in altero libro de Diuinatione, Proclum & Euristhenem reges Lacedæmoniorum fratresque geminos commemorat, quorum tamen & exitus vitæ dissimilis, & gloria rerum gestarum dispar fuit. Verùm, in sacris litteris luculentissimum eius rei habemus exemplum: Iacob enim & Esau eodem concubitu, vt inquit Paulus Rom. 9. sati, eodemque tempore nati, dissimillimis tamen ingeniis, studiis, motibus, & euentis fuerunt. Nec vero firmum est illud præsidium in C quod refugiunt Astrologi, cum hoc argumento vrgentur; videlicet breuissimam illam moram quæ inter Geminorum ortus intercedit, licet ea nobis perexigua videatur, in cœlo tamen, ob eius vastitatem & rapidissimam conuersionem, esse admodum insignem, magnamque facere variationem. Hoc Nigidius Figulus declarabat exemplo rotæ, quam incitatissimè contortam, cum bis eodem loco signare atramento vel percutere summa celeritate conatus esset, cessante ipsius rotæ circumactione, reperta sunt duo illa loca ab ipso percussa vel signata, haud paruo se interuallo disiuncta. Hoc, inquam, præsidium & refugium infirmum est, parumque tutum Astrologis. Etenim, licet in ortu Geminorum aliqua fuerit mo- D ra, in eorum tamen conceptu prorsus nulla fuit. Deinde, si tam breui variatur ratio constellationis sub qua quisque nascitur, erit profecto proprium tempus ortus cuiuslibet, Astrologis incomprehensibile. Denique, valebit hoc loco aduersus Astrologos argumentatio illa Beati Gregorij: Si propterea Iacob & Esau non censentur nati sub eadem constellatione, quod non simul nati sunt, sed vnus post alterum; ob eandem profecto causam iudicandum erit, nullum hominum sub eadem constellatione totum nasci, non enim totus simul ex vtero procedit, particulatim & membratim:

Similitudo Nigidij Figuli.

B. Gregorius hom. 10. super Euang.

primo

A primo enim effert caput, tum collum, deinde pectus, postremo pedes. Iacob cum proximè natus est post Esau manu plantam pedis eius tenens, perinde quasi, sicut inquit Augustinus libr. 2. de Genesi ad litteram c. 17. vnus infans instar duorum vel duplo longior nasceretur.

VERVM, hanc rationem admodum disertè Phauorinus aduersus Chaldæos disputans, exequutus est. *Atqui id velim etiam*, inquit, *vt respondeant, si tam paruum atque rapidum est momentum temporis in quo homo nascens Fatum accipit, vt in eodem illo puncto sub illo circulo cœli, plures simul ad eandem competentiam nasci non queant: & si idcirco Gemini quoque non eadem vitæ sorte sunt, quoniam non eodem temporis puncto editi sunt: peto*, inquit, *respondeant, cursum illum temporis transuolantis qui vix cogi-* B *tatione animi comprehendi potest, quonam pacto aut consulto assequi queant, aut ipsi perspicere & deprehendere; cum in tam præcipiti dierum noctiumq; vertigine, minima momenta ingentes facere dicant mutationes?* Sic Phauorinus. Ipsum hoc argumentum de Geminis diligenter & subtiliter pertractat Augustinus libro quinto de Ciuitate Dei, primis aliquot capitibus, atque in secundo lib. de doctrina Christiana capite vigesimosecundo. & vero, maximum facessit negotium Astrologis: si enim tam breui temporis momento mutantur omnia, vt non diuersa modò, sed etiam aduersa plerunque eueniant, quis de nato puero possit quicquam certi prædicere, cum illud temporis punctum quo vel conceptus vel natus est, ita vti est, nemini possit esse C cognitum? Itaque, vt magna in homines vi & potestate pollerent astra, quid ea tamen in singulorum hominum generatione & ortu efficerent, incompertum esset nobis: quippe cum aspectus cœli & positus astrorum qui est tempore quo quisque nascitur, certo deprehendi nequeat: incitatissimus enim cœli & astrorum motus, tarditatem nostræ considerationis & obseruationis præteruolat & anteuertit.

Phauorinus apud Aulum Gellium libro 14. cap. 1.

TERTIA RATIO. Missos nunc facio Geminos, quorum interruptus partus aliquam præbuit latebram Astrologis: consideremus in præsentia quamplurimos prorsus eodem tempore, & in eadem regione, eodemque syderum aspectu & positura, ex diuersis tamen D parentibus progeneratos: de istis non potest astrologus ex obseruatione syderum, non eadem euenta prænunciare, cùm simul concepti & nati fuerint, & sub eadem constellatione. At longè secus esse, quotidiana demonstrat experientia: quàm multi enim toto orbe simul & generantur in vtero, & in lucem eduntur, quorum deinde maxima est ingeniorum, studiorum, morum, religionis, casuum, denique vitæ ac mortis euentorum dissimilitudo? Omnium Romanorum qui Cannensi pugna quamplurimi cæsi sunt ab Annibale, idem fuit vitæ exitus & interitus: quis autem existimet, eodem illos omnes stellarum aspectu, posituque fuisse natos? Idem dico

Tertia ratio.

de tot millibus Turcarum, qui nauali pugna ab hinc octo & decem annos, memorabili ad immortalitatem victoria, à Christiana classe profligati, & internecione deleti sunt: quorum omnium eandem fuisse rationem ortus, eandemque in generatione eorum viguisse cœli constellationem, stultum est dicere. An quo tempore natus est Homerus, Hippocrates, Aristoteles, & Alexander Magnus, non eodem quoque alios complures natos esse putabimus? at quis illorum similis adhuc extitit? Phauorinus sic argumentationem hanc contexebat, *Quàm multi homines vtriusque sexus omnium ætatum, diuersis stellarum motibus in vitam editi regionibus sub quibus geniti sunt longè distantibus, omnes tamen isti, aut hiantibus terris, aut labentibus tectis, aut oppidorum expugnationibus, aut eadem in naui fluctu obruti, eodemque genere mortis, eodemque ictu temporis intereunt? Quod scilicet, nunquam eueniret, si momenta nascendi singulis attributa, suas vnumquodque leges haberent. Quod si quædam in hominum morte atque vita etiam diuersis temporibus editorum, per stellarum pares quosdam postea conuentus, paria nonnulla & consimilia posse dicuntur obtingere; cur non aliquando possint omnia quoque paria vsu venire, vt existant per huiusce modi stellarum concursiones & similitudines, Socrates simul & Antisthenes, & Platones multi, genere, forma, ingenio, moribus, vita omni & morte pari? quod nequaquam*, inquit, *prorsus fieri potest. Non igitur hac causa Chaldæi probe vti queunt aduersus hominum impares ortus, interitus pares.* Hæc Phauorinus.

Phauorinus apud Aulum Gellium libro 14. cap. 1.

Quarta ratio. Bardesanis disputatio aduersus Astrologos.

QVARTA RATIO. Bardesanes Syrus in doctrina rerum cœlestium excellenter versatus, in eo dialogo quem rogatu amicorum de Fato & aduersus Chaldæos conscripsit, futilissimas esse Astrologorum obseruationes, & rarò non ementientes eorum prædictiones, ad hunc ferè modum (vt memorat Eusebius libro sexto de Præparatione euangelica, capite octauo,) demonstrabat: *Apud Seras lex est prohibens occidere, fornicari, & adorare simulacra: vnde in illa regione nullum templum conspicitur, nulla mulier meretrix, nulla adultera, nemo fur, nemo homicida: nec voluntatem alicuius illorum ardentissima stella Martis in medio cœli constituta ad cædem hominis coëgit; nec Venus Marti coniuncta vt alienam quispiam solicitaret vxorem potuit efficere. Atqui, singulis etiam apud eos diebus in medium cœli Martem peruenire necesse est, & in tanta regione singulis horis nasci homines non est negandum. Apud Indos autem & Bactros, multa millia hominum sunt qui Brachmanes appellantur: hi tam traditione patrum quàm legibus nec simulacra colunt, nec animatum aliquid comedunt, vinum aut cerusiam numquam bibunt, ab omni demum malignitate absunt, soli Deo attendentes. At verò cæteri omnes Indi in eadem ipsa regione adulteriis, cæde, temulentia, simulacrorum cultu inuoluuntur: inueniuntúrque ibi nonnulli, immo verò gens quædam Indorum est in eodem climate habitans, qui homines venantes atque sacrificantes deuorant: nec vlli planetarum quos felices ac bonos appellant, à*

cæde

A cæde ac sceleribus istis eos prohibent: nec maligni, Brachmanas pellere ad malefaciendum potuerunt. Apud Persas lex erat, filias, sorores, matres quoque ipsas in matrimonium ducere; nec in Perside solum, verumetiam quicunque Persarum ad alia climata orbis è patria exiuerunt, nefanda hæc diligenter matrimonia celebrarunt: quos, aliæ gentes hoc scelus abominatæ, Magusseos appellant. Súntque vsque ad hodiernum diem in media Aegypto, Phrygia, Galatiaque plurimi Magussei successione patrum eisdem sceleribus contaminati. Nec dicere possumus in terminis & domo Saturni, cum Saturno ipso in natiuitatibus omnium, Marte aspiciente Venerem fuisse. Amazones viros non habent, sed tempore veris fines suos egredientes cum vicinis conueniunt. Vnde omnes naturali lege eodem tempore pariunt, masculisque interfectis solas fœminas alunt, bellicosaq; omnes similiter sunt, magnam exercitationis bel-
B licæ curam gerentes. Stultum autem est opinari, omnes istiusmodi fœminas prorsus ijsdem natalitiis astris esse genitas. Fit hoc confirmatius argumento exemploque Iudæorum, qui vbicumque terrarum & gentium sint nati aut versentur, inuiolabili obseruatione & infantes suos octauo die circumcidunt, & omnem diem sabbathi feriatum festúmque religiosissimè agunt. Non sunt autem Iudæi omnes sub eadem constellatione procreati, nec eos à patrijs legibus & institutis vlla vis & potentia cœlestium corporum abstrahere potest. Sed quid dicemus de Christianis? qui innumerabiles toto orbe sparsi, idem vitæ genus atque doctrinæ custodiunt, nec à disciplina quam ipsis Christus Dominus tradidit, vel promissis vllis, vel minis aut supplicijs vel latum vnguem amoueri possunt, an dicturi sunt, Christianos omnes eodem astro esse na-
C tos? Sed illud maximum est argumentum, qui ante susceptam Christi disciplinam patrias leges & instituta studiosissimè acerrimèque tenebant, eos posteà factos Christianos, illis desertis abiectisque, longè diuersam vitam agere, diuersos mores induere, & diuersissimam religionem & doctrinam colere. Itaque nec multas Parthi Christiani ducunt vxores, nec Medi canibus mortuos obijciunt, nec Indi mortuos suos cremant, nec Persæ cum sororibus aut cum filiabus nefario matrimonio miscentur, nec Aegyptij Apin, aut canem, aut hircum, aut felem colunt: sed vbicumque sunt, eisdem legibus, moribus & institutis vtuntur. Quid plura? singulis horis apud omnes gentes homines nascuntur: vbique autem leges atque mores propter liberam hominis potestatem præualere videmus. Nec natalitia sydera nolentes Seras ad homicidium compellunt, aut
D Brachmanas ad esum carnium: nec Persas à sceleratis nuptijs remouent: nec Medos prohibent vita defunctos canibus exponere: nec Parthos multas ducere vxores. Singulæ namque gentes, vt volunt, & quando volunt, libertate sua vtuntur, legibus, moribúsque obedientes. Hactenus sunt quæ ex disputatione Bardesanis aduersus Astrologos commemoranda hoc loco censuimus.

Quinta ratio.

QVINTA RATIO. Stante libero arbitrio hominis & immortalitate animi nostri, ars ista nullo modo stare potest: Si autē ea stet, illa funditus corruere necesse est. quo intelligere licet qualis istiusmodi ars existimanda sit, quæ nisi pessundata & obtrita, sublataque nostrorum

rum animorum libertate atque immortalitate, nihil progredi, nec A vllo modo consistere queat. Quod autem, si animus noster immortalis & in agendo liber sit, diuinatio astrologica nulla esse possit, his argumentis concluditur. Primò, Astrologi profitentur se futuras hominum actiones euentaque, ex suæ artis obseruationibus præsentire & prænuntiare posse, hoc autem falsum est; futura enim quę ex libera hominis voluntate proficisci debent, nullo modo possunt esse nota Astrologis: nam vel cognoscerent futura in se ipsis, quod fieri non potest, quippe, quæ futura sunt, nondum per se actu sunt; quod autem non est, prout non est, non intelligitur, sed prout aliquo modo est, nimirum potestate in suis causis. Nec prænosci queũt futura in ipsorum causis quæ tres sunt, Deus, cœlum, voluntas humana: quæ autem ex Dei proposito, consilio & absoluta voluntate B euentura sunt, ea nulli mortalium vel ex cœlo, vel alia quacunque ratione, nisi cui Deus ea voluerit aperire, cognita esse possunt. *Quis enim*, inquit Scriptura, *cognouit sensum Domini? aut quis consiliarius eius fuit?* & vt scriptum est in nono capite libri Sapientiæ, *Quæ in prospectu sunt, inuenimus cum labore: quæ autem in cœlis sunt, quis inuestigabit? sensum autem tuum quis sciet, nisi tu dederis sapientiam, & miseris Spiritum sanctum tuum de altissimis?* Ex cœlo autem, futura quæ pendent ex voluntate hominis non possunt cognosci; tum quia cœlum est causa vniuersalis, quare futuri effectus particulares non nisi vniuersaliter & indeterminatè in cœlo contineri & cognosci possunt: tum etiam quia cœlum est causa corporalis & materialis, quare animus noster qui C per se incorporeus & expers materiæ est liberque in agendo, cœli efficientiæ ac operationi directè & necessariò minimè subiacebit. Voluntas porro humana quæ est proxima causa humanarum actionum, respectu futurorum quæ ex ipsa proficisci debent, per se indifferens & indeterminata est: multa enim acturi sumus, de quibus nihil dum cogitauimus, nedum deliberauimus: quomodo igitur causa indeterminata & indifferens potest definitam certamque futuri effectus cognitionem parere? Confirmatur hoc: exteriores actiones hominis pendent ex interioribus, ex deliberatione dico & electione: non potest igitur futura hominis actio exterior prænosci, nisi cognita sit futuræ voluntatis electio vnde illa proficisci debet: at D futura hominis electio nõ potest alteri homini esse cognita; si enim propositum animi & deliberationem quam quis in præsens habet mente conceptam, nemo alius scire potest, quanto minus scire poterit consilium, propositum, & voluntatem alterius hominis, quæ multos post annos futura est?

Rom. 11. & Isaiæ 40.

Hominem, vt operatur secundũ rationẽ, non è cœlo, nec alia ex causa vlla præter Deũ, per se ac necessario pendere.

DEINDE, aut consideratur homo vt viuit & operatur secundum rationem, aut secundum sensum & appetitum: si secundum rationem, sic homo non pendet è cœlo, est enim mens & ratio expers materiæ & incorporea: nullum autem corpus per se agere potest in id quod

A id quod est incorporeum. ratio item libera est, suarúmque actionum domina, & suo arbitratu ac voluntate potest ad hoc vel illud agendum seipsa applicare. nam quamuis vel à cœlo, vel ex naturali constitutione & temperatione sui corporis, vel aliunde instigetur ad male agendum: potest ea tamen reniti, & vi sua omnes instinctus, impulsus, & irritamenta extrinsecus ei obiecta, comprimere & irrita facere: quoniam contra quàm incitatur agere. Hoc manifestum fit vel vnius Socratis exemplo, qui ex naturali corporis affectione & comparatione, & bardus & mulierosus erat: sed eiusmodi vitiosas naturæ propensiones, adeo animi robore & diligentiæ magnitudine emendauit, vt omnium sui temporis prudentissimus & continentissimus sit habitus. Homo autem viuens
B secundum sensum & appetitum carnalem, tam variabilem & incertam viam agit, vt qualis futurus sit, nullo modo prædici queat. Quamobrem Salomon (quod est in 30. capite libri Prouerbiorum) dixit, Alia quædam sibi esse cognitu difficilia: illud autem esse prorsus ignotum, qualis sit via adolescentis in adolescetia sua. Est enim ea ætas adeo mollis & flexibilis in omnes partes, adeo vagans & errans per omnia & nulla in re diu perseverans: vt nulla certa ratione modóque regi & duci, sed quocumque impellit cupiditas, illuc inconsultè & temerè rapi videatur. quo fit, vt facilius sit diuinare quid acturus sit qui viuit secundum rationem & virtutem, quàm quid sit acturus qui rationis & virtutum regula & lege posthabita, suas duntaxat cupiditates sectatur. Sicut etiam facilius est diuinare quid facturus sit Rex, qui secundum rectam rationem iustásque leges imperat, quàm quid facturus sit Tyrannus, qui omnia pro suo cómodo & libidine administrat. Qua ratione igitur Astrologi certa scientia consequi possunt ea quæ nihil ratum, firmum, fixúmque & certum habent?

Quã sit instabilis vita & actiones hominis viuẽtis non secundum rationẽ, sed secundum sensum.

ADHAEC, aut istud Fatum cœleste & potentia syderum potest ab homine impediri, ita vt effectus eius non eueniat, aut nullo modo impediri, potest. Si potest impediri & non euenire: ergo sicut effectus est incertus, ita prædictio eius certa esse non potest. Si non potest impediri, ergo nullum est liberum arbitrium: & ex eo con-
D citur animum nostrum esse materialem atque mortalem, vtpote syderum potestati necessario subiectum. Nec verò si ita res haberet, quicquam prodessent hominibus prædictiones Astrologorum: quid enim iuuaret nosse tanto ante futura, si ea nullo modo declinari & caueri possent? quin, vt ego censeo, plus mali quàm boni afferrent nobis, quos necesse esset non solum præsentibus malis torqueri, sed etiam tam longinqua & ineuitabili eorum expectatione acerbissimè cruciari. Probe hoc intellexit Seneca, licet non minorem quàm Astrologi syderibus in homines vim & potentiam tribueret: in libro enim 13. Epistolarum, octogesima nona epistola ita scri-

Pulchrum dilẽma aduersus Astrologos.

Si Astrologorũ prædictiones vera & certa essent, profecto inutiles & odiosæ essent hominibus.

 psit,

pſit, *Venio nunc ad illum qui cœleſtium notitia gloriatur.* A
Frigida Saturni quo ſeſe ſtella receptet,
Quos ignis cœli Cyllenius erret in orbes.

Hoc ſcire, quid proderit? vt ſolicitus ſim, cum Saturnus & Mars ex cõtrario ſtabunt, aut cum Mercurius veſpertinum faciet occaſum vidente Saturno. Potius hoc diſcam, vbicumque ſunt, iſta, propitia eſſe nec poſſe mutari. Agit illa continuus ordo Fatorum, & ineuitabilis curſus. Per ſtatas vices remeant, effectus rerum omnium aut mouent ſydera, aut notant: ſed ſiue quicquid eueniat faciunt, quid immutabilis rei notitia proficiet? ſiue ſignificant, quid refert prouidere, quod effugere non poſſis? ſcias iſta, neſcias: fient. Hæc Seneca. Sed vide quàm argute ac philoſophicè hanc ipſam ſententiam breuiſſimis verbis concluſit Phauorinus: *Aut aduerſa,* inquit, *euentura dicũt,* B *aut proſpera. Si dicunt proſpera & fallũt, miſer fies fruſtra expectando. Si aduerſa dicunt, & mentiuntur, miſer fies fruſtra timendo. Si vera reſpondent, eáque ſunt non proſpera, iam inde ex animo miſer fies antequam è Fato fias. Si felicia promittunt, eáque euentura ſunt, tum plane duo erunt incommoda: & expectatio te ſpe ſuſpenſum fatigabit, & futurum gaudij fructum ſpes tibi iam deflorauerit. Nullo igitur pacto vtẽdum eſt iſtiuſmodi hominibus res futuras præſagientibus.* Sic Phauorinus.

Phauorinus apud Aulum Gellium libr. 14. cap 1.

VERVM, illud maxime arguit prędictionum aſtrologicarũ vanitatem: etenim audent etiam Aſtrologi prædicere & promittere, aliquẽ futurum verbi gratia ſummum Pontificẽ: atqui prouectio alicuius ad ſummum Pontificatum, nõ ex ipſius vel alterius vnius hominis voluntate aut poteſtate pendet, ſed ex voluntate atq; ſuffragiis plurimorum Cardinalium, quorum munus eſt creare ſummum Pontificem. Quapropter vt certo prędnunciari poſſit, Petrum, verbi cauſa, fore Papam, non ſatis eſt noſſe cõpoſitionem aſtrorum quæ in cœlo fuit naſcente Petro; ſed ſimul etiam opus eſſet, Aſtrologo perſpectos & cognitos eſſe omnes ſyderũ poſitus & cõſtellationes, ſub quibus nati ſunt. quorumcũq; voluntatum & ſuffragiorũ cõcurſus ad creandũ illum Papam futurus eſt neceſſarius. Quare, ſi verum eſt quod narrat in Auguſto Suetonius, Nigidiũ Figulũ in eiuſmodi aſtrologia nobiliſſimũ apud Romanos, accepta hora partus Auguſti, obſeruatiſq; natalitiis eius aſtris, exclamaſſe, Dominũ orbis eſſe natum: profecto exiſtimandum eſt id eum nec ſcienter, nec certa aliqua ratione, ſed temerè ac fortuitò dixiſſe, & caſu factum eſſe vt ita contigerit ſicut ille prædixerat. Promotio namque Auguſti per multos honorum gradus ad ſummum vſq; principatum & Monarchiam, ex multorum hominum ſtudio, gratia, & opera pendebat, vt ad tantum Auguſti dominatum & imperium certo prænoſcendum atque prænunciandum, ſolius Auguſti generationis & ortus conſideratio ſatis eſſe nequaquã potuerit. neque enim natalitia Auguſti ſydera vim vllam habere potuerunt in eos qui fuere Auguſti ſuffragatores adiutoréſque ad conſequendum principatum: ſcilicet multi

Inanis prædictio Nigidij Figuli de futuro Auguſti dominatu.

A multi eorum compluribus annis, vel ante vel post Augustum nati fuerant.

Sexta ratio. Ars & scientia in his versantur, quæ sæpe aut plurimum eueniunt, qualis nō est Astromantia.

SEXTA RATIO. Omnis scientia, & ars versatur in iis rebus quę aut semper, aut certè frequenter ita contingunt vt ab ea docētur: quæ autem extra hæc sunt & rarissimè accidunt, ea quia nihil habent fixum & certum, propterea nullam possunt scientiam vel artem efficere. Cum igitur prædictiones Astrologorum ferè sint falsæ, nec nisi perquam rarò veridicę sint, satis liquet eas non ex arte aliqua & certis obseruationibus proficisci, sed inscienter & inconsultè ac temerè ab illis effutiri. Quamobrem Phauorinus identidem commonebat, vt cauerent homines ne quà ipsis Chaldæi ad faciendam fidem irreperent, quòd viderentur quædam interdum vera effutire aut spargere. *Non enim comprehensâ, aiebat, neque definita, neque percepta dicunt, sed lubrica atque ambagiosa coniectatione nitentes, inter falsa atque vera pedetentim quasi per tenebras ingredientes eunt: & aut multa tentando incidunt repentè imprudentes in veritatem, aut ipsorum qui eos consulunt, multa credulitate ducente perueniunt callidè ad ea quæ vera sunt: & idcirco videntur in præteritis rebus quàm futuris, veritatem facilius imitari. Ista tamen omnia quæ aut temere aut astutè vera dicunt, præ cæteris inquit, quæ mentiuntur, pars ea non sit millesima.* Hęc Phauorinus apud Gellium. Sed audi quid in eandem sententiam lib. 2. de Diuinatione scriptum sit apud Ciceronem. Quid plura, inquit, quotidie refelluntur Chaldæi. quam multa ego Pōpeio, quàm multa Crasso, quàm multa huic ipsi Cęsari à Chaldęis dicta memini, neminem eorum nisi senectute, nisi domi, nisi cum claritate esse moriturum: vt mihi permirum videatur, quenquam extare qui etiam nunc credat iis quorum prædicta quotidie videat re & euentis refelli. Seneca in eo libello cuius inscriptio est, Ludus in mortem Claudij Cæsaris, initio introducit Mercurium apud parcas mortem Claudij procurantem: & vt obiter Chaldæęorum illudat vanitati, inter alias rationes quibus conatur Mercurius Parcas inducere ad necem Claudij, hanc affert, ne toties videlicet miseri Chaldæi mentiantur: Patere, inquit Mathematicos aliquando verum dicere, qui illum postquam princeps factus est, omnibus annis, omnibus mensibus efferunt. Prædicebant enim illi Mathematici Claudium singulis annis & mensibus moriturum: quod etiam nostri temporis Astrologis contingit, à quibus mortes summorum Pontificum in singulos annos atque adeo menses prænuntiari audimus, & ridemus. B. Ambrosius libro 4. in Hexameron capit. 7. *Cum*, inquit, *ante dies paucos esset sermo de pluuia, quæ fore vtilis diceretur, ait quidam, Ecce Neomenia dabit eam. & quamuis cupidi essemus imbrium, tamen eiusmodi assertiones veras esse nolebam. Denique, delectatus sum quod nullus imber effusus est, donec precibus Ecclesiæ datus, manifestaret non de initiis Lunæ sperandum esse, sed de prouidentia & misericordia*

Phauorinus apud Aulum Gellium libro 14. cap. 1.

Creatori, quo exemplo & vanitas istius astrologiæ confutata est, & efficacia Christianæ pietatis visque religiosarum precum re ipsa comprobata. A

ALBVMAZAR princeps huiusce superstitionis Astrologicæ, ex obseruatione & præceptis huius artis, prædixit Christianam legem duraturam non plus annos mille quadringentos sexaginta: sed benè habet, quod post id temporis, exacti iam anni 128. falsam esse illius prędictionem apertè demonstrat. Abraham Iudæus prænunciauit ex obseruationibus astrologicis, expectatum à Iudęis Messiã venturum anno post Domini nostri ortũ millesimo quadringentesimo sexagesimoquarto: quod nimirũ tum futura esset eadẽ astrorũ compositio, quæ fuerat olim cum Moses ex Ægypto populum Hebræũ eduxit: cuius prędictionis vanitaté dies ipsa redarguit. Petrus de Aliaco scriptum relinquit, quo anno generale Conciliũ celebratũ est Constantiæ ad tollendum schisma quod multos annos afflixerat Ecclesiam, prędixisse Astrologos eius temporis, nullam fore in Ecclesia pacem & concordiã, sed habitu cœli & cõformatione astrorum præsignificari maximas fore dissensiones ingenti cum religionis Christianæ detrimẽto & exitio. Atqui, per illud Conciliũ Constantiense, diuturnũ illud & pernicioſum schisma eo anno extinctũ est, pace ac tranquillitate Ecclesiæ reddita. Qui euentus planè contrarius prędictionib. Astrologorum, sanè multum mouere debuerat Petrum Aliacensem, vt is nullam deinceps isti Astrologiæ fidem haberet: præsertim verò, cùm ipsemet vel suis deceptus obseruationibus, vel alienis occupatus & circũuentus opinionibus veritus fuerit ne illud tam graue & odiosum schisma breui Antichristũ mundo pareret. Albumazar istorũ Astrologorũ coryphæus, nescio quas Saturni reuolutiones dilaudat: affirmat enim, quoties Saturnus denas sui orbis conuersiones perfecerit, hoc est, expletis annis trecẽtis, semper magnas quasdã res & admodum insignes euenire. Post Alexandrũ enim, inquit, annis trecentis apparuit Arelasor filius Bel, qui Persas contriuit: & proximè post transactis aliis trecentis annis apparuit Iesus magister & dux Christianorum. O turpẽ ἀνιστορησίαν! O incredibilem temporum insciti am! nam nec tunc fuit iste filius Bel qui Persas fregerit & afflixerit, & Christus Dominus noster non sexcentis annis post Alexandrum vt iste mentitur, sed trecentis dũtaxat & viginti annis post Alexandri mortem natus est. Quamquam quis miretur in hoc lapsum Albumazarẽ, cum tam insigniter errauerit in Ptolemæo Mathematico, quem facit vnum de Ptolemæis Ægypti regibus qui post Alexandrum Magnum Ægyptiis imperarunt? cuius in confesso sit, nec Ptolemæum Mathematicum fuisse regem, & cum Hadriano Imperatore floruisse, nouissimo Ptolemæorum Aegypti regum plus centum & sexaginta annis posteriorem. Iactant item Astrologi, nullam fuisse apud homines vllo tempore mutationem legum, nullius Prophetæ nobilis aduentũ, nullã nouæ relig

B

C

D

Aliquot errata circa Chronologiam Albumazaris.

A religionis introductionem, nullam magnorum regnorum conuersionem, deniqne nullum insignem & memorabilem casum aut euentum, quin magna aliqua coniunctio syderum, præcipuè verò Saturni & Iouis præcesserit. Hæc, inquiunt, constellatio, nascentem orbem initiauit: illa pręparauit diluuium: alia Abraham vel Mosem genuit: illa Iesu aduentum prænũtiauit: alia Mahumeti legem antecessit, quæ quàm sint futilia, commentitia & erroris plena, vel vno hoc argumento constare potest.

Quam multa peccauerit contra veram Chronographiam Petrus Aliacensis in suis rationibus Astrologicis.

Petrvs Aliacensis istiusmodi figmentis stultissimè credens ac vanissimè gaudens, in libro suo de Concordia historiæ & astrologiæ, ad id quod ex sensu Astrologorum proximè docuimus pro-
B bandum, hoc quasi fundamentum supponit: Ab initio mundi vsque ad diluuium fluxisse annos bis mille ducentos quadraginta duos: à diluuio autem ad Christi Domini aduentum & ortum, ter mille centum & duos annos. hoc posito, probare nititur quicquid in orbe terrarum valdè memorandum & insigne quocumque tempore acciderit, eodem tempore magnam aliquam constellationem in cœlo apparuisse. At enimuerò, cum perspicuè falsa sit computatio annorum qua velut fundamento illorum ratio & doctrina fulcitur, nonnè consequens est quæ ducuntur & pendent ex illa computatione esse falsa? Etenim ab Adamo ad diluuium, non plus mille sexcentos quinquaginta sex annos præteriisse constat ex sacris litteris,
C pauciores nempè quam illi numerant, annis propè sexcentis: quo fit, vt constellationem, quam aiunt isti fuisse in exordio mundi, sexcentis annis mundum præcessisse necesse sit. Deinde, tempus quod inter diluuium interfuit, & Christi Domini aduentum, ne numerum quidem bis mille quadringentorum annorum impleuit. Ex quo efficitur vt coniunctio astrorum quam aiunt ducentis annis antegressam diluuium, nonnisi sexcentis octoginta quattuor annis post diluuium potuerint existere. Præterea dicunt quartam coniunctionem maximam fuisse annis nongentis quadraginta duobus post diluuium, sexdecim nimirum annis ante natum Abraham: quem tamen liquet ex sacra Chronologia, ducentis nonaginta duobus annis natum esse post diluuium: quare necesse est, quartam illam
D coniunctionem sexcentis triginta annis post Abrahæ ortum contigisse. Ad hæc, notarunt illi sextam coniunctionem magnam ducentos vigintiquinque annos fuisse ante Christum; nimirum falso: nitũtur enim supradicta computatione annorum à diluuio ad Christi aduentum, quam nos mendosam esse ostendimus. quin si veram sequamur Chronologiam, necesse esset sextam illam coniunctionem sexcentis fermè annis post Christi Domini ortum contigisse. Postremo, quàm fuerit Petrus Aliacensis veræ Christianæ Chronographiæ rudis & prorsus expers, vel hoc vno indicio manifestum esse potest: affirmat anno ab ortu Christi septingentesimo, ad quod

tempus septimam coniunctionem magnam refert, natam esse in A Ecclesia pestem Hæreticorum, maximè verò eam quæ fuit Arrianorum; quorum tamen hæresis circa annum Domini trecentesimum exorta, ante sex cẽtesimum extincta est. Quid igitur tam multas istorum prædictiones nixas mendacissimis Chronologiis, inanes & mendaces esse dubitet?

Sed quid ego falsarum prædictionum exempla colligo, quorum plena est & Historia omnium temporum, & referta vita communis? Equidem reor, quàm difficile est prædictiones aliquas Astrologorum de futuris rerum humanarum euentis, etiam casu ac fortuito, veras inuenire, tam facilè reperiri posse innumera eorum prædicta perspicuè falsa, & rebus ipsis euentísque confutata. Scitè dixit Cato, mirari se quod non rideret Aruspex, Aruspicem cum vidisset: quota enim quæque res euenit prædicta ab his, aut si euenit quippiam, quid afferri potest cur non casu id euenerit? Quod de Aruspicibus Cato dixit, id profecto per quam bellè quadrat in astrologos: vt mirum videri debeat, cum mendaci homini ne verum quidem dicenti credere soleamus, quo modo illis, si vel vnum eorum prædictum verum euasit, simpliciter credamus, & non ex multis potius falsis vni fidem derogemus, quàm ex vno quod casu verum euenit velimus innumerabilia falsa confirmare. Verùm dicet aliquis. Astrologos nonnunquam esse veridicos, & ea prædicere quæ rei confirmet euentus. prædicunt sanè, sed inconsultè, inscienter, temere: quis enim est qui totam diem iaculans, non aliquando collimet? Verissimè dici potest de Astrologis, quod olim dixit quidam de oraculis Apollinis, quæ vera fuissent memoria teneri & prædicari, quæ autem falsa, neminem recordari, aut taceri ab omnibus. nam qui veritatem illorum oraculorum defendebant, pauca quædam vera crebro sermone vsurpabant, pleraque falsa silentio præmebant: qui autem omnia contemnebant, nec vera nec falsa curabant. Sed causas cur prædicta Chaldæorum sæpè vera esse videantur, extrema hac disputatione aperiemus.

Lepidum Catonis dictum vt refert Cicer. lib. 2. de Diuinatione, in Astrologos bellè competens.

Notet hoc Lector.

Septima ratio. Si hæc diuinatrix Astrologia vera esset & certa, sine dubitatione vlla pars esset Philosophiæ omnium nobilissima, & hominibus optatissima atque honoratissima, tum propter materiæ quam tractat, cœlum dico & sydera, dignitatem atque præstantiam: tum propter futurarum rerum, potissimè autem vitæ hominum & mortis & casuum & euentorum prænotionem; quas res noscendi auidissimi sunt & curiosissimi mortales. at cum ea doctrina omni tempore à præstantissimis quibusque Philosophis, quinetiam Astrologis, contempta, derisa & damnata fuerit: maximum profecto argumentum est, eam futilem & inanem, & ab omni ratione, fide ac probitate vacuam ab illis esse iudicatam. Xenophon in libro de dictis Socratis, quod etiam refert Eusebius libro

Septima ratio.

Astromantiã omni tẽpore à viris sapiẽtibus, & prudentibus esse contemptam, & dãnatam.

A libro decimoquarto, de Præparatione euangelica, capite quarto. tradit Socratem dicere solitum, cognitionem futurarum rerum quæ in potestate Dei sunt, non esse hominibus procurandam: neque enim posse homines eas res cognoscere; nec Deo gratum esse, si, quæ ille occultauit, ea mortales velint nimis studiosè curioséque rimari. Pythagoras, Democritus & Plato longissimis peregrinationibus susceptis, Persarum magos, sapientes Chaldæorum, Ægyptiorúmque sacerdotes adierunt, à quibus occultiora quædam vel ad disciplinas Mathematicas, vel ad religionem cultúmque Deorum pertinentia cognouerunt: diuinatricem autem Astrologiam, vel discere ab illis neglexerunt, vel si eam quoque didicerunt, certè nunquam ea vsos esse ipsos, ex eorum scriptis manifestè perspicitur.

B Aristoteles, qui vir & quantus? quàm solers, quàm subtilis & copiosus in doctrina rerum Cœlestium? quam cum aliquot libris diligenter explicuerit, nusquam tamen de istiusmodi Astrologia verbum vllum fecit. Cum autem in libris Meteororum, & de Partibus atque Generatione animalium, præsertim autem in libro Problematum, multarum rerum obscurarum & admirabilium causas perquirat, ad nullius quæstionis enodationem vel admirandi cuiusquam effectus explicationem, istius Astrologiæ opera & præsidio est vsus. Quin, multa sunt in eius scriptis quæ istam

C Astrologorum doctrinam omnino conuellant, veluti est illud, Futurorum contingentium non esse certam & definitam veritatem: Quæ per accidens quæque rarò vel ad vtrumlibet contingunt, non posse scientia comprehendi: Versari in rebus humanis casum & fortunam quæ fugiant certam hominis intelligentiam: Particularium & corruptibilium effectuum causas proximas & proprias esse particulares atque corruptibiles, ob idque ad perfectam eorum cognitionem non satis esse cœlestes & vniuersales causas contemplari: Cœlum non aliter agere in ea quæ sunt infra lunam, nisi per motum & lumen. Nec vsquam ferè indicauit Aristoteles præter solem & lunam, vim & efficientiam aliorum syderum. Illud quoque docuit decretis Astrologorum valde contrarium, cœlestia signa

D etiam corporeorum & sensibilium effectuum, per alias causas auerti & impediri posse.

Sententia Aristotelis, qua Astromantiam è medio tollunt.

Cicero libro secundo de Diuinatione, laudat Eudoxum ætate Platonis & Aristotelis Principem Astrologorum: item Panætium Stoicum, Archelaum etiam & Cassandrum ac Scylacem Halicarnasseum, Astrologorum sui temporis nobilissimos, qui totam hanc rationem Astrologiæ repudiarunt. Auicenna qui post Hippocratem & Galenum Principatum Medicinæ obtinet, libro vltimo primæ Philosophiæ, negat Astrologis esse credendum in diuinatione futurorum, quia ipse nec puncta

cœlestia

cœlestia teneant, neque naturas rerum inferiorum planè necessarias ad faciendum iudicium de rebus futuris, perspectas habeant: neque nitantur demonstrationibus sed probationibus oratoriis & poëticis. Ptolemæus, quem isti huius artis principem & ducem sequi se dicunt, in libro primo de Iudiciis, cap. 3. *Non est*, inquit, *putandum, omnia à supernis causis directo derivari necessitate quadam inviolabili, vt nulla alia vis quin ita operentur, obsistere valeat.* Idem tractatu suo, quem vulgo appellant Centiloquium, hoc est, Centum sententiarum, prima eius sententia sic habet, *Soli nomine diuino afflati prædicunt futura particularia.* Quinta verò sententia huiusmodi est, *Potest is qui sciens est, multos stellarum effectus auertere quando naturam earum nouerit, ac seipsum ante illorum euentum rite præparauerit, vnde manauit illa multorum sermonibus trita sententia, Sapiens dominabitur astris.* Porphyrius in libro de Oraculis confessus est, exquisitam rerum futurarum scientiam ex inspectione syderum, non mortalibus modo, sed multis etiam deorum esse incomprehensibilem. Idem in vita Plotini scribit, eum, cum in ista Astrologia satis multum temporis, studij, & operæ posuisset, deprehendisse tandem, Astrologorum iudiciis & diuinationi futurarum rerum non esse credendum: eámque diuinationem tum sermonibus tum scriptis confutauisse, quod manifestum est cuiuis legenti eius libros de Fato & Prouidentia, maximè verò eum qui inscriptus est, An stellæ aliquid agant.

Si hæc porrò Astrologia vera esset & certa, plurimum sane adiumenti afferret, prouisione futurorum, ad benè regendam & administrandam rempublicam, ob eámque causam magno in honore & gloria fuissent Astrologi apud Reges & rerum publicarum Principes: at contra prorsus euenit: nam seueriſſimis multorum Principum decretis & edictis explosam & damnatam & grauissimis suppliciis addictam eam artem inuenimus. Quoties Astrologi seu Chaldæi Roma eiecti sunt principe Diocletiano, Constantino, Theodosio, Valentiniano, præsertim autem Iustiniano: quibus huius artis studium & exercitatio, non solum vt inanis & veritatis expers iudicata est, sed etiam vt ciuitatibus & societati hominum noxia & pestilens, semper visa est detestabilis? Sed quid attinet in re manifesta, quæ turbam testium non desiderat, longiorem orationem ponere? Audeo dicere, post hominum memoriam vix fuisse quemquam vllo tempore vel magnitudine ingenij, vel præstantia doctrinæ, vel prudentiæ ciuilis excellentia, vel eximia morum integritate, vel denique insigni aliquo nobilem ac memorabilem virum, qui natalitia Chaldæorum prædicta non quasi meras nugas & quisquilias flocci fecerit, penitúsque contempserit. Vulgus modo stolidum, ad intelligendum hebes, infirmum ad iudicandum, facile credulum, & noua miráque audiendi & noscendi curiosum, istis nugatoribus & aures & fidem libenter adhibet. Gaudent etiam hisce commentis leuissima quædam ingenia

Professores diuinandi futura ex astris, publicis multorum Principum decretis esse ciuitatibus eiectos.

Cui generi hominum prædictiones Astrologorum arrideant, & probentur, cui autem minimè.

A ingenia lucri magis quàm veritatis cupida, in republica litterarum turbulenta ac seditiosa, & sapientiæ optimatibus semper infensa, rerúmque vtilium & aliis notarum fastidiosa, nouarum autem & ignotarum, atque adeo etiam incomprehensibilium auidissima: denique quibus non tam cordi & curæ est vera nosse, quàm videri vulgo ea ipsos scire quæ summi philosophiæ antistites nescire se confitentur. Hanc rationem egregio sancti Ambrosij dicto concludam. Ita scribit Ambrosius libr. 4. in Hexameron capit. 4. *Sapientia Chaldæorum telæ araneæ comparatur, in quam si culex aut musca inciderit, exuere se non potest. Si verò validiorum animantium vllum genus incurrisse visum est, pertransiuit, & casses rupit, infirmos atque inanes laqueos dissipauit. Talia sunt retia Chaldæorũ: vt in his infirmi hæreant, validiores* B *sensu, offensionem habere non possint. Itaque vos qui validiores estis cum videritis mathematicos, dicite, Telam araneæ texunt quæ nec vsum aliquem potest habere, nec vincula, si tu non quasi culex aut musca lapsu tuæ infirmitatis incurras, sed quasi passer, aut columba casses inualidos præpetis volatus celeritate dissoluas.*

B. Ambrosius prædictiones astrologorum comparat telæ araneæ.

OCTAVA RATIO. Fundamenta & firmamenta huius artis, aut nulla sunt aut certè infirmissima & fragilissima: hæc igitur ars nulla ratione firma & stabili vtitur ad diuinandum: quamobrem nullam quoque apud homines auctoritatem, fidem, ac probabilitatem habere debet. Primum fundamentum istius doctrinæ est, astra habere qualitates omnes elementorum: partim enim esse frigida, C partim humida & sicca, si non formaliter saltem virtualiter, hoc est, si non actu saltem effectu, si non in se habendo eas qualitates, certè habendo facultates earum qualitatum effectrices: Saturnum aiunt esse frigidum, Martem siccum, Lunam humidam. Verùm hoc, & ratio confutat & experientia. Ratio quidem, quoniam sicut astra omnia sunt lucida & ex se lucem fundunt, ita quoque calida esse omnia & calefacere necesse est: lux enim, non sicut omnis per se calefacit, ita frigefacere aut per se humectare vel exsiccare potest. Stemus decretis Astrologorum aientium, vt Lunam, itidem cetera sydera à sole mutuata fulgere. Si igitur omnium astrorum vna est eadémque lucis origo & ratio: quî potest esse tam multiplex, dissimilis atque D discrepans ratio & potestas agendi? Experientia item hoc ipsum redarguit: in plenilunio enim, cum est lumen Lunæ plenissimum, noctes quoque, Aristotele & experientia teste: calidiores existunt. Sed Astrologi præter lucem, alias in cœlo & syderibus vires atque facultates, & à luce & inter se multum diuersas, mirandorumque operum causas, quas influentias appellant, commenti sunt. Nouitium sane inuentum: nulli veterum vel philosophorum vel Astrologorum vnquam probatum: ac si licet ex eorum scriptis coniecturam facere, ne notum quidem illis. Postquam verò à recentioribus Astrologis influentiæ inuentæ & palam probatæ, ab aliis quoque

Octaua ratio. Tria fundamenta Astromantiæ conuelluntur.

Non esse ponendas in cælo influentias.

doceri & defendi cœptæ sunt, qui ex Lyceo paulo grauior & pro- A
batior Philosophus non eas repudiauit atque dãnauit? Festiuè quidam Asylum ignorantiæ eas appellauit: ad influentias enim quasi ad vnicum perfugium sese recipiunt, & hanc se in latebram coniiciunt, quicumque mirabilium effectum proprias & naturales causas, vulgaribus ingeniis nec in philosophia exercitatis occultas, solerter inuestigare ac reperire non possunt. Et vero, si admittuntur influentiæ, vix dici potest quantopere debilitetur robur Philosophiæ, deteratur eius dignitas, auctoritas eleuetur, minuatur existimatio, denique studium eius apud homines cultúsq; languescat. Quid enim attinet in occultis rerum causis perquirendis & eruendis præclara ingenia Philosophorum tãto studio & conatu labora- B
re, cum in procliui sit, cuiuslibet effectus ex cœlestibus influentiis rationem petere & afferre: quis enim effectus est, cuius naturalis & vera causa paulo obscurior & abstrusior est, quem non per istiusmodi influentias nullo negocio liceat explicare? Cur magnes ferrum ad se rapit? confestim respondebitur, quia propria eius influentia cœlestis eam illi virtutem indidit. Vnde Remora tantulus pisci vim habet sistendi incitatissimum nauigium? in promptu est responsio, nimirum à cœlesti quadam influentia, quæ tanta piscículum illum vi ac potestate roborauit. Quid moror? nullum erit problema, nihil in natura rerum adeo reconditum & ab intelligentia nostra remotum, denique nihil de his quorum perquestigatio summorum Philosophorum ingenia fatigauit & torsit, quod non qui- C
uis è circulo Astrologorum indoctorum hominum vno verbo, scilicet per istas influentias expedire queat.

Argumentatio contra influentias.

VERVM labor equidem longius: reuertar igitur ad propositum. Si Saturnus quia lucidus est, per lucem calefacit, quomodo idem per influentiam frigefacit? nónne absurdum est in eodem astro duas esse facultates, vnam calefaciendi, alteram frigefaciendi, non diuersas modo sed etiam aduersas & contrarias? cernimus ita esse natura comparatum, vt omnibus in rebus in quibus duæ insunt differentiæ vel proprietates (vt more philosophico loquar) vna generalis & quæ vni rei communis est cum aliis multis, altera specialis & propria eius rei (cuiusmodi sunt in homine sen- D
tientem esse & rationalem) vt semper differentia & proprietas specialis, nobilior & perfectior sit generali, vt quæ illam contrahit & determinat, nouæ perfectionis gradum & rationem ipsi adiungens, sicut patet in prædicto exemplo hominis, in quo rationale nobilius est quàm sentiens. At contrà omnino se habet res in hac mirabili Astrologorum doctrina. Etenim docent ipsi, in Saturno, exempli causa, duas esse proprietates seu facultates agendi, vnam generalem & communem ei cum omnibus astris quæ est vis illuminandi, & per illuminationem calefaciendi: alteram

A ram ſpecialem & propriam Saturni, qua ratione differt ab aliis aſtris, quæ eſt facultas frigefaciendi, vel aliqua alia vis alicuius influentiæ. Certum autem eſt lucem cœleſtem multo nobiliorem eſſe quacumque alia qualitate cœleſti, & facultatem calefaciendi præſtantiorem eſſe facultate refrigerandi. Præterea, duas eſſe in re quapiam facultates & proprietates ei rei naturales, quarum altera, vt diximus, ſit generalis, altera particularis, inter ſe contrarias, quales ſunt in Saturno ſecundum iſtos poteſtas calefaciendi per lucem & refrigerandi per influentiam: nec fert natura rerum, & id fieri non poſſe ratio ipſa decernit. Nam vt in corpore multiformi & quod Græci vocant Heterogeneum, ſecundum diuer-
B ſas partes ineſſe queant contrariæ qualitates & facultates, quemadmodum contingit corpori humano in cerebro & in corde: id tamen conuenire non poteſt in aſtrum Saturni, quod eſt ſecundum omes partes vnius formæ ac naturæ: neque enim vna pars eius habet lucem, altera vero influentiam, ſed vt totum eſt præditum luce, ita conuenit in eo toto eſſe influentiam. Ne multa (non enim conſentaneum eſt alieno loco de influentiis aduerſus Aſtrologos ſubtiliter diſputare) ſatis argumenti eſt ad tollendas influentias omnium quæ in natura rerum efficiuntur, tametſi noua, ſingularia, & mirabilia videantur: veras, naturales & proprias cauſas, atque rationes ex duobus principiis cœleſtibus quæ omnibus ſunt conſpicua experimentis quotidianis explo-
C rata, motum dico & lucem, plenè cumulatéque ac probabiliſſimè peti & duci poſſe. Figuras porrò & effigies ſtellarum quas deſignant Aſtrologi in Zodiaco, ſimilitudinem reddentes quorundam animalium vel hominum, magnam vim habere in ortu cuiuſque cenſent Aſtrologi: cum tamen per ſe ac natura ſua non ſint tales, ſed ſola eorum imaginatione conſtent, ab ipſis eo modo confictæ & figuratæ: poſſent enim fingi etiam ad ſimilitudinem aliorum animalium, domuum, turrium, menſarum, aliarúmve rerum. quare valde friuolum & ridiculum eſt, in eiuſmodi figuris quicquam momenti ad diuinandum eſſe poſitum exiſtimare.

Alterum Aſtromantiæ fundamentū. Quam inane ſit natalitia cuiuſque hominis aſtra obſeruare ad diuinandum.

D SECVNDVM fundamentum Aſtrologorum eſt, natalitia cuiuſque aſtra eſſe obſeruanda: ex his enim omnes vitæ caſus & euentus prouideri & prænotari poſſe. Sed quis non videt fundamentum hoc eſſe infirmiſſimum? cur enim Aſtrologi non potius obſeruent tempus, & cœli atque ſyderum ſtatum quo quiſque in vtero conceptus, formatus & animatus eſt: cū in eo plus momēti eſſe videatur ad diuinandum: quippe tunc primum exiſtit homo, & tunc primum vis cœleſtis in homine recipitur & imprimitur: Etenim, ante eorum per nouem menſes quiſque fuit in vtero, poteſtati, & actioni cœlorum ſubiectus. Cur item non conſiderant

Astrologi alias constellationes & defluxus cœlestes qui contingunt homini sæpius post ortum ? Cum plerumque vsu veniat vt illæ virtutes cœlestes insigniores sint effectu , & valentiores ad immutandum hominem , quàm quæ tempore ortus eius fuerunt: effectum enim illum & defluxum astrorum nascenti homini impressum , necesse est variari commutata sæpius humani corporis temperatione, vel ob alias potentes constellationes , vel ob educationem , vel ob variam viuendi consuetudinem & rationem, vel ob leges patrias ad quarum normam cogitur quisque vita , mores , studia , & actiones conformare. Quid quod fortasse nihil illius materiæ primigeniæ quam quisque in ortu habuit , reliquum sit in extrema ætate ? hoc enim visum est & magnis & multis Philosophis : nec Sanctus Thomas in prima parte , quæstione vltima , articulo primo , abnuere videtur. Quo concesso, vis illius primi defluxus & effectus cœlestis in ortu hominis ei indita & impressa , necessariò tandem euanescit tota : nisi fingat quispiam eiusmodi virtutem cœlestem migrare ex subiecto in subiectum, tanquam ex domo in domum mutando domicilia : aut cum præsentit interitum suum , aliam pro se sui similem & quasi vicariam virtutem substituere.

An aliquid primigeniæ materiæ hominis maneat per totam vitam.

Plus autem esse ponderis, aut certè non minus, in cóceptu hominis quàm in ortu , magister istorum Ptolemæus locuples testis est. Is enim in tertio Apotelesmatum ita scribit: *Cum principium temporale hominis aliquod statuatur : natura quidem & per se illud erit principium , cum semen vtero genitali admittitur : potentia verò & secundum accidens , cum hora partus infans egreditur. Qui igitur horam admissi seminis vel casu vel obseruatione deprehenderit , illam sequi potius debet in proprietatibus corporis & animi dignoscendis , considerando quæ sint eo tempore stellarum configurationes : cum enim semel à principio semen ex ambientis aëris affectione , certa qualitate disponitur , licet per consequentis conformationis tempora varietur , quoniam tamen propriam cognatámque materiam naturaliter sibi ascisçit , magis etiam primæ suæ qualitatis dispositioni assimilabitur.* Hæc inibi Ptolemæus. Quibus verbis non obscurè docet , primum & naturale atque efficacissimũ hominis principium, esse seminis admissionem hominisque conceptum : atque huic principio potissimè insistendum & inhærendum esse ad prænoscendas hominum affectiones & euentus , tam qui ad corpus quàm qui ad animam pertinent. Sed quia benè nouerat Ptolemæus, punctum illud temporis vel admissi seminis, vel conceptus, vix cognosci posse ab Astrologis: ne illorum iudicia & diuinationes quas ipsi ducunt ex ortu hominis infirmare videretur, mox subiecit, *Qui autem horam ignorant principij seminalis , eos necesse est sequi principium natiuitatis.* Haly nobilis Astrologus in eo libro quem scripsit de Electionibus , ingenuè fatetur, efficaciam , decernendi Fatum hominis

Plus esse momẽti in conceptu hominis quam in eius ortu. Ptolemæus.

A minis esse in hora conceptionis: sed quia hæc nescitur ab Astrologis, propterea eos ad horam natiuitatis confugisse: Quin cum Astrologi præmuntur argumento Geminorum, quorum cum idem sit ortus, dispar tamen euentus & exitus est: respondere solent diuersitatem euentuum qui sunt in Geminis, ex diuersitate conceptus eorum esse profectam.

Sed vide quousque progressa sit istorum audacia & impudentia, etiam vrbium non hominum modo fata profitentur hac arte posse prænosci & prænunciari: obseruata enim astrorum compositione quæ fuit cùm vrbes conderentur, posse earum casus euentúsque omnes prospici ac prænotari. Fecit hoc in vrbe Roma rogatu Varronis, quidam Tarutius Mathematicus, vt in Romulo tradit

Tarutius mathematicus omnia quæ vrbi Romæ contigerunt ad vim Astrorum, sub quæ ea vrbs à Romulo condita est referebat.

B Plutarchus: quam historiam lib. 2. de Diuinatione his verbis Cicero enarrat. *Quidam L. Tarutius Firmanus familiaris noster, in primis Chaldæis rationibus eruditus, vrbis etiam nostræ naturalem diem repetebat ab ijs Parilibus quibus eam à Romulo conditam accepimus: Romámque, cum esset in iugo Luna natam esse dicebat, nec eius fata canere dubitabat. O vim maximam erroris, etiam ne vrbis natalis dies ad vim stellarum & lunæ pertinebat? fac in puero referre: ex qua affectione cœli primum spiritum duxerit: num hoc in latere aut cæmento ex quibus vrbs effecta potuit valere?* Ita Cicero.

Verum, quærerem equidem ex istis Astromanticis, num velint eorum diuinationem etiam in animantibus & stirpibus valere,

Cur obseruatio astrologica non valeat æquè in stirpibus & animalibus, quã in hominibus.

C vt in homine? Si negent, prodent scilicet suam inscitiam, & suæ artis infirmitatem, inanitatem, atque fallaciam. Cur enim non æqualiter valeat in stirpibus atque in homine? immò cur non plus valeat? stirpes namque multò magis quàm homo, à cœlestium corporum potestate & efficientia naturali necessitate pendent. Et cùm minus multa & varia atque incerta stirpibus quàm homini soleant accidere, facilior profecto esse deberet eorum diuinatio, quę stirpibus quàm quæ homini sunt euentura. Sin verò annuunt, similiter in stirpibus vt in hominibus valere Astrologicam diuinationem, amicè rogarem ipsos vt diligentissimè obseruarent statum cœli & astrorum, eo videlicet tempore, quo vel prunus, vel cerasus, vel pyrus sereretur: aut cum sementis tritici fieret, & ex illa cœli obseruatione promerent

D etiam prognostica de illis arboribus, scilicet, vt diuinarent quantam illæ arbores prunorum, cerasorum, & pyrorum copiam essent laturæ: quantus item ex illa tritici semente spicarum, & in singulis spicis quantus granorum numerus esset prouenturus: hæc si negent à se posse prænosci, fateantur etiam necesse est, non posse ab ipsis futuros hominum casus euentúsque prouideri.

Tertium fundamentum Astromantiæ

Tertium fundamentum eorumdem Astrologorum est, artem hanc suam certissimis innumerabilium sæculorum experimentis, & constantissimis obseruationibus esse comprobatam. aiunt enim hanc disciplinam profectam esse ab Ægyptiis & Babyloniis seu Chaldæis,

mortalium omnium antiquissimis, tradit enim Aristoteles in lib. 2. A
de Cœlo, textu 60. & extremo libro 1. Meteororum, Ægyptios omnium hominum vetustissimos haberi: & in principio operis Metaphysicorum affirmat, Ægyptios omnium hominum vetustissimos, Mathematica studia tractare & colere cœpisse. Iactabant etiam olim Astrologi, Chaldæos quadringenta & septuaginta annorum millia in periclitandis experiendísque pueris quicumque nascerentur, posuisse. Verùm adeò in aperto & in promptu sunt omnibus istorum mẽdacia, vt à nobis ea vel confutari vel etiam indicari non sit opus. Etenim ab exordio mundi ad hanc diem, nec dum sex millia annorum effluxerunt. Ab origine verò gentis Chaldææ: hoc est, post euersionem turris Babel, facta nempe linguarum diuisione, non sunt adhuc B
quatuor millia annorum completa. Picus Mirandulanus in cap. 2. lib. 12. aduersus Astrologos, testes ad redarguẽdam Astrologorum mentitam vetustatem adhibet Hypparchum & Ptolemæum, principes sanè Astronomiæ: qui vbi pro dogmate aliquo constituendo veterum obseruationes afferunt, nullas profectò afferunt vetustiores iis, quæ sub Nabuchodonosor Chaldæorum rege apud Ægyptios & Babylonios fuere: ab initio autem imperij regis Nabuchodonosori ad præsentem annum, qui ab ortu Domini nostri agitur millesimus quingentesimus octogesimus octauus, non plus bis mille ducentos & triginta duos annos præteriisse constat. Porrò commentitiam Ægyptiacarum obseruationum autiquitatem, perbellè ridet & redarguit Augustinus in cap. 40. lib. 18. de Ciuitate Dei: ita enim scribit, *Frustrà* C
vanissima præsumptione garriunt quidam dicentes, ex quo rationem syderum comprehendit Ægyptus, amplius quàm centum annorum millia numerari. In quibus enim libris istum numerum collegerunt, qui non multum ante annorum duo millia litteras magistra Isidе didicerunt: non enim paruus auctor est in historia Varro qui hoc prodidit. Sic Augustinus. Sed huic disputationi, in qua octo rationibus probare voluimus diuinationem Astrologicam esse contrariam veræ Philosophiæ, finem hoc loco statuemus.

De vetustate Astrologiæ apud Ægyptios & Chaldæos.

Non modò astra non esse causas, sed nec esse signa rerum futurarum. D

CAPVT QVARTVM.

BEATVS Augustinus libro 5. de Ciuitate Dei, capit. 1. tradit fuisse opinionem quorumdam non mediocriter doctorum hominum, quibus visum est non esse quidem astra causas humanorum euentuum, sed esse tamen eorum vera & certa signa. Origenes quidem certè in tomis suis super Genesim (sic enim memorat Eusebius libro sexto de præparatione Euangelica capite nono.) cum explanaret verba illa

quæ

A quæ sunt in primo capite libri Geneseos, *Et erunt in signa*, è quibus videlicet verbis huius nostræ disputationis argumentum pertexuimus, prodidit astra esse à Deo posita in cœlo, vt per varios aspectus & coniunctiones præ significarent, quæ consequentibus temporibus tum vniuersè, tum sigillatim euentura essent, non tamen ea efficerent. Itaque cœlum esse dixit velut quendam librum in quo Deus depinxit atque descripsit quæcumque in toto mundani æui decursu, suo quæque tempore futura sunt. Ad hoc probandum, citat Origenes librum quendam cui titulus erat Narratio Ioseph, olim apud multos in auctoritatem & fidem receptum: in quo Iacob Patriarcha inducitur filios suos alloquens hunc in modum, Legi, inquit, in *Liber qui inscribebatur, Narratio Ioseph, ab Origene citatus.*

B tabulis cœli quæcumque contingent vobis & filiis vestris. Plotinus autem condiscipulus Origenis idem sensit, idque docet in libro qui inscriptus est, Vtrum stellæ aliquid agant: in libro autem de Fato, cap. 6. hunc præterea stellarum vsum esse tradit, vt qui illas suspiciant & quasi litteras considerent, qui nimirum huiusmodi litteraturam nouerunt, futura legant: ex ipsis figuris comparatione quadam analogica, eorum significationem & intellectum solerter indagantes. Quin Porphyrius affirmat, cùm ipse de se interficiendo vehementer cogitaret, Plotinum hoc cœlitus prouidisse, & à tanto facinore eum prohibuisse.

Hanc sententiam Iulius Sirenus libro 9. de Fato, cap. 35. minimè damnandam censet: & quo probabilem esse ostendat, aliquot

C ex diuina Scriptura productis sententiis, eam ornat atque confirmat. Hoc enim, inquit, non obscurè indicat Esaias, cum ait, in cap. 34. *Complicabuntur sicut liber cœli.* Qua oratione significatur, cœlos post diem iudicij conuoluendos esse atque complicandos, quasi nunc cœli instar cuiusdam libri sint explicati & aperti nobis, haud dubiè ad legendum Eodem pertinet illud quod est in Psalmo 25. *Annunciabunt cœli iustitiam eius.* & in Psalmo 18. *Cœli enarrant gloriam Dei*, & quod est in 1. cap. libri Genes. de stellis, *Vt sint in signa.* & in Psal. 88. *Confitebuntur tibi cœli mirabilia tua Domine.* Nec verò, inquit Origenes, hæc opinatio tollit liberum hominis arbitrium, non magis profectò, quàm prædicta futurarum rerum à sanctis Prophetis edita, vel præscientia omnium rerum quæ est in Deo. Plotinus scientiam astrorum ea ratione vt astra signa sunt humanorum euentuum, contingere

D homini aiebat vel singulari quodam Dei munere, vel propter eximiam Astrologiæ peritiam: ad eam enim comparandam, opus esse acerrima indagatione, summáque solertia.

Iulius autem Sirenus ne Augustinum quidem ab hac opinione abhorruisse putat, quippè in 2. libro contra Manichæos, c. 21. cum is ageret de hominibus, quorum dum sunt in corpore mortali occulta sunt corda, ita scribit, *Neque enim in illis corporibus cœlestibus sic latere posse cogitationes credendum est, quemadmodum in his corporibus latent, sed sicut nonnulli motus animorum apparent in vultu, & maximè in*

occultis,

occultis, sic in illa perspicuitate ac simplicitate cœlestium corporum, omnes omnino motus animi latere non arbitror. Hæc ibi Augustinus. A

Excutitur locus Augustini.

VERVM, si quis locum hunc non prorsus inconsideratè legat, planè comperiet Augustinum per cœlestia corpora non intelligere orbes cœlestes, sed corpora beatorum hominum, post resurrectionem cœlesti gloria & immortalitate donata: & ponere eum discrimen inter homines in hisce caducis corporibus viuentes, & eosdem post resurrectionem in glorificatis corporibus immortalem & beatam vitam agentes: quòd illi arcana cordium multiplici simulatione callidè tegant & occultent, ideóque sæpe alios fallant: in his verò manifesta erunt omnium corda omnibus, omnísque prorsus aberit simulatio, fictio atque deceptio. Atque hunc esse verborum Augustini germanum intellectum, ex proximè consequentibus eius verbis palàm est: B hæc enim subtexuit, *Itaque illi merebuntur habitationem illam, & commutationem in angelicam formam, qui etiam in hac vita cum possint sub tunicis pelliceis occultare mendacia, oderunt tamen ea, & cauent flagrantissimo amore veritatis, & hoc solum tegunt quod ij qui audiunt ferre non possunt: sed nulla mentiuntur. Venit enim tempus, vt nihil etiam contegatur. Nihil est enim occultum quod non manifestabitur.* Sic Augustinus. Quare cum Augustinus satis explicatè & apertè loquatur de corporibus hominum glorificatis, non autem de cœlis vel astris: demiror sanè Iulium Sirenum tam incogitanter & oscitanter legisse hũc locum, vel vt propter eum maximè, Augustino affinxerit huiusmodi sententiam, cuius nec vllum eo loci vestigium apparet, & extat apud eundem in libro quinto de Ci- C uitate Dei copiosa & grauis confutatio.

Astra non esse certa signa rerum futurarum.

CAETERVM, astra esse signa rerum futurarum, censeo equidem non solum esse alienum à vera philosophia, sed etiam sacris literis contrarium. Ac licet complures earum rationum quas superiori capite tractauimus, etiam valeant ad hoc probandum: nouis tamen aliquot argumentis quæ propriè eiusmodi sententiam refellant, hoc loco vtendum est. Principio, quod est naturale signum alicuius rei, id vel eius rei causam vel effectum esse, vel vtrumque ab eadem superiori & communi causa proficisci necesse est: nam quod, præter hæc, quartum membrum fingi posset, videlicet, vt illud signum necessario sit coniunctum cum causa rei ab illo significatæ, id non est D diuersum à tertio membro: talis enim connexio & coniunctio non aliter esse potest, quàm vt causa illa prius ex se pariat id quod est signum, deinde id quod est signatum: aut vt idem quod causam excitat vel admouet ad agendum, simul etiam adhibeat & applicet id quod est signum ad præsignificandum: vtrumque autem horum ad omnem causam refertur. Hinc igitur argumentari licet ad hunc modum: Si cœli & sydera sunt signa omnium rerum sublunarium vel sunt earum rerum causa, sed hoc negat ista opinio: vel sunt effectus, quod nec illi dicent, nec vllus hominum sanæ mentis audebit dicere: aut, quod tantummodo reliquum est, tam cœlestia quàm sub-

luna

A lunaria ab eadem superiori & communi causa proueniunt: quemadmodum Iris signum est serenitatis, non quia sit eius causa vel effectus, sed quia eadem est communis vtriusque causa. At causam communem cœlestium corporum & sublunarium, necesse est esse vel corpoream vel incorpoream: corpoream quidem nullam, opinor, ponent isti, nullum enim corpus superius cœlis est: relinquitur igitur omnia referant ad causam incorpoream, hoc est, vel Deum vel Angelos qui mouent cœlos: ita vt, dum Angeli cœlos mouent, in ipsorum cœlorum statu habituque, & in syderum positu & conformatione, quasi quibusdam suis nutibus, & tanquam notis atque signis inibi descriptis euenta rerum humanarum prænotent atque præmonstrent. At enimuero id multis de causis non est credibile.
B Etenim qui sic opinantur, fateri eos oportet induci homines ab Angelis ad maxima scelera & execranda flagitia.

AD hoc, Philosophia docet, necnon & Theologia idem tradit: Angelorum nullã esse actionẽ quã vocant transeuntem, & quæ proximè ab ipsis prouenit, aliam quàm motum localem: nec Angelos posse quicquam proximè agere, præterquam mouere motu locali. Angelos verò qui circumuoluũt orbes cœlestes, non aliter circa res sublunares operari censent Philosophi & Theologi, quàm per motum & lumen cœli: nam influentias à lumine omnino diuersas paulo superius sustulimus. Per motum & lumen cœli, omnes futuros effectus rerum sublunarium, clarè, distinctè, certoque prẽmonstrari,
C nemo dicet qui verisimilia & credibilia loqui velit. Deinde, cũ eiusdem causæ duo effectus se inuicem necessariò indicant, vt ab eadem causa, sic eodem quoque modo ab illa prouenire debent: alioquin fieri non potest vt se inuicem certo indicent, à Deo autem & Angelis quæ in corporibus cœlestibus fiunt, ea necessario & inuariabiliter se habent: quæ autem in his quæ sunt infra lunam, valde mutabiliter, & vt ita loquar, defectibiliter contingunt.

HINC alia quoque subtexuntur argumenta. Etenim, quomodo astra quæ sunt certo numero comprehensa, & semper vnius modi & necessario ac immutabiliter ita se habent, signa esse possunt omnium rerum futurarum, quæ propemodum infinitæ sunt multitu-
D dine ac varietate, & inter se plurimum differentes atque discrepantes? quomodo eadem syderum positura & conformatio, sub qua vel Gemini, vel alij quamplurimi eodem puncto temporis nascuntur, potest esse certum signum propriè & distinctè præsignificans tot tamque varios ac dissimiles casus & euentus qui in illis cernuntur? quare, si astra sunt signa rerum futurarum, earundem quoque causas esse fatendum est: quod si causas esse negamus, etiam signa esse negandum est. Dices, cometas qui in sublimi aëre generantur, signa esse quæ insignes admodum casus futuros portendant, quorum tamen cometæ nec causæ sint nec effectus: quare idem quoque astris accidere respectu rerum sublunarium, non esse incredibile. At ego,

An Cometæ signa sint humanarũ rerũ.

cometas certa signa humanorum casuum & euentuum nunquam concedam, licet hoc tam vulgo persuasum sit, quàm est à Sapientibus improbatum. Quod si hoc, cum vulgo consentiens opinarer, dicerem cometas à stellis rerum futurarum effectricibus excitari, vt eas res antegressi prænonstrent. De stellis autem secus est, his enim nulla est corporea causa superior. A

Qui astra futurarũ rerum certa faciunt signa, eos necessario Fatũ inducere.

Sed quid multis moror? coguntur istius opinionis Auctores, quanquam id minime velint, Fati necessitatẽ inducere: & sane, magis etiam quàm qui stellas faciunt causas rerum sublunarium. Etenim, vt stellæ causæ sint eorum quæ fiunt infra lunam, non ideo tamen Fati necessitas existet: quod enim illarũ afflatu defluxúque in terris esset efficiendũ, id posset vel contrariis materiæ affectionibus, vel obstantibus causis particularibus impediri. At si astra naturaliter futurarũ rerum signa sunt, omnino euenire necessarium est quod ab illis significatur: alioquin essent signa inania & fallacia. Et cum Deus ea instituisset ad significandum, & in cœlo tanquam in quodã volumine ea descripsisset veluti notas futurarum rerum indices, si euentus rerum cum illarum significationibus non congruerent, vel Deus earũ auctor & institutor ignorans esset futurorum euentuũ, vel fallax. Denique, si astra præsignificant quæ futura sunt: aut prænonstrant quæ facienda sunt à causis particularibus, non quidem omnibus sed aliquibus tantum: sed hoc improbabile est ac figmenti simile: cur enim stellæ prænotent futuros effectus aliquarũ particularium causarũ potius quàm aliarum, vel cur non similiter prænonstrent omnes, cum omnium similis ratio sit? aut stellæ præsignificant omnes futuros effectus causarum omnium particulariũ: hoc, si est, nullæ profecto reliquæ fient causæ, per quas quo minus eueniat quod à stellis præsignificatur, impediri & prohiberi queat. Ex quo fit necessario, vt omnia quę infra Lunam fiunt, immutabili necessitate Fati nexa vinctáque teneantur: quod nec istius sententię defensores sentiunt, & id sentire impium est. B C

Explicatur locus Isaiæ ex capite 30.

Testimonivm autem illud Esaię productum est 34. capite, *Cœli sicut libri complicabuntur*, quòd inter cętera Scripturę testimonia paulò superius commemorata, solum habere aliquid difficultatis, & nonnihil negocij facessere videtur: variè interpretatum reperio: ita tamen, vt nulla interpretatio quę modo vel probati sit Auctoris, vel sit ipsa probabilis, quicquam illi sententię suffragetur. Iustinus martyr respondens ad quęstionem nonagesimam quartam Orthodoxorum, qua quęrebatur quemadmodum intelligendum esset quod dicitur ab Esaia, fore vt cœlum aliquando velut liber complicaretur, sic ait: *Quemadmodum cœli creationem diuinæ litteræ per similitudinem conferunt aliquando cum pellis extensione, dicentes, Qui extendit cœlum sicut pellem, aliquando cum firmato fumo, Cœlum*, inquit, *ceu fumus firmatum est: aliquando cum rotunditate cameræ, Qui extendit*, inquit, *cœlum velut cameram: Sic è diuerso, cœli dissolutionem per comparationem conferunt* D

cum

A *cum aliis rebus, vt apud Esaiam cum volumine inuoluendo & implicando, sicut apud Dauidem Psalmo 101. cum vestimento veteraſcente & commutando.* Sic Iustinus. Hieronymus verò super illis verbis hæc scribit, *Considerandum, quod non dicat interire cœlos, sed replicari siue complicari quasi librum: vt postquam omnia peccata aperta fuerint & relecta, complicentur qui prius aperti fuerant, vt nequaquam vltra scribantur in eis delicta multorum. In Scriptura enim dicuntur cœli annunciare iustitiam Dei, reuelare iram eius, & probare ac testificari hominum scelera.*

Psal 103. Esaiæ 51. Iuxta 70. Interpretes. Esaiæ 40. Iuxta 70. Interpretes.

SANCTVS Thomas & Nicolaus de Lyra aliter exponunt. Complicabuntur, inquiunt cœli tanquam liber, hoc est, non exercebunt vltra Ethnici Astromantiam suam, nec posthac ex astris diuinare au-
B debunt euenta hominum, quasi legerent in syderibus descriptos casus & euentus futuros. Alij sic interpretantur: Non patebit amplius introitus in regnum cœlorum, sed ianua cœlestis clausa erit. Sunt etiam qui explanent hoc modo: Ministerium & vsus cœlorum atque syderum exhibitus homini ante diem iudicij, postea esse desinet: nã licet non prorsus interibunt cœli, alio tamen statu erunt, & quibus nunc funguntur ministeriis & obsequiis hominũ causa: ab illis post diem iudicij quoquo modo vacabunt: quæ vocatio pulchrè declaratur ab Isaia similitudine libri, quem postea quam eo vsi sumus, nec amplius nobis vsui futurus est, complicare & claudere solemus.

NEC displicet mihi interpretatio eorum qui aiunt, illa similitudine declarari: tantam fore diuinæ iræ & vindictæ demonstrationem
C aduersus gentes de quibus illic Esaias loquitur: tantam rerum omnium perturbationem & confusionem: tantam denique hominum tristitiam dolorem & conflictationem: vt præ magnitudine mœroris atque doloris, & præ animi perturbatione & oppressione, videantur hominibus cœlestia lumina restringui, stellæ de cœlo cadere, motúsque earum conturbari, denique cœlum complicari & recedere: nam quod hic dicitur complicari, in Apocalypsi dicitur, recedere vel abire. Sic enim habes in capite sexto, *Et cœlum recessit sicut liber inuolutus.*

SED quo planior sit & facilior ad intelligendum etiam non valdè doctis similitudo libri qua vsus est Esaias: sciendum est, apud He-
D bræos antiquitus libros sacros diuersa forma scribi & compingi solitos esse, quàm nunc scribuntur libri apud nos. Habebant enim vnum duntaxat folium siue membranam oblongam, quæ circa cylindrum siue axem ligneum circumplicabatur, instar lineæ telæ radio textorio circumuolutæ. Videbantur autem huiusmodi libri aliquam referre cœlorum similitudinem & imaginem: quia sicut axem illum ligneum qui in medio voluminis est complutes ipsius membranæ ceu spiræ, altera super alteram ambiunt & circundant: ita hanc terram quæ medium totius vniuersi axem tenet, cœlestes orbes alter super alterum, collocati in orbem circumplectentur. Verùm de testimonio Esaiæ satis dictum sit: cuius cum

Antiquusmos Hebræorum scribendi.

an multæ ac variæ sint expositiones, nulla earum tamen mirificos A istos astrorum Lectores, interpretes, ac Vates adiuuat.

Qua ratione nonnulli Astrologi multa vera prædixerint.

CAPVT QVINTVM.

RESTAT, quò tandem ad exitum hęc disputatio finémque perducatur, vt causas aperiamus, cur permultæ quorumdam Astrologorum prædictiones verę fuerint, & cum rebus ipsis euentisque mirabiliter congruentes, hanc enim quæstionem, cum eius mentio suprà incidisset, quò meliùs, commodiori scilicet loco tractari posset, in extremam hanc disputationem reiecimus. B

Quatuor causæ, propter quas nonnunquam prædicta Astrologorũ vera cadunt.

LICET igitur prædictiones Astrologorum plerumque falsas esse verissimum sit, & nobis supra satis explicatum: quoniam tamen & olim proditum est à multis, hodieque admodum vulgare est, quin etiam à grauibus viris, quibus non credere difficile est, pro certo traditur, fuisse quosdam Astrologos quorum pleræque omnes prædictiones veræ fuerunt, vsu ipso euentuque comprobatæ, & vix vnum aut alterum de plurimis eorum prędictis secus euenit quàm illi prænunciauerant: age, nos etiam hoc credere in animum inducamus, ne peruulgatæ hominum opinioni quasi publiqua fide & auctoritate confirmatæ, aduersari videamur. Concessa autem veritate huiusmodi prædictionum, causas eius disquiramus, videlicet qua ratione certo potuerint ab Astrologis futura prænunciari, quæ quod incerta sunt, vim & notionem humanæ intelligentiæ fugiunt. Non longum faciam: equidem asseueranter affirmo, si quæ prædictiones Astrologorum veræ fuerunt, earum veritatem non ex veritate firmitateque artis Astromantiæ, quàm nullam esse satis supérq; ostensum est, sed aliis ex causis proficisci: quæ autem sint huiusmodi causæ, breuibus explicabo. C

Instinctu dæmonũ agi nõnunquam homines ad diuinandum.

PRIMA causa. Veritas istarum prædictionum nonnunquã prouenit ex pacto & societate quam iniuit Astrologus cum dæmone, vel ex occulto eius afflatu & instinctu, quo etiam nescientes homines ad diuinandum instingantur. Hoc tradit Augustinus extremo c. 7. lib. 5. de Ciuitate Dei. *Non immeritò*, inquit, *creditur, cum Astrologi mirabiliter multa vera respondent, & occulto instinctu fieri spirituum non bonorum, quorum cura est has falsas & noxias opiniones de Astralibus fatis, inserere humanis mentibus atque firmare, non horoscopi notati & inspecti aliqua arte, quæ nulla est.* Sic Augustinus. Dæmon autem suggerit homini quod ab eo diuinetur, vel palàm se oculis eius aspectabilem & cõspicuum offerens, eumque futura humanis verbis prædocens vel formatis in aëre vocibus præsignificãtibus futura, citra vllam corporis speciem & figuram: vel immissa scriptura aliqua quæ futurarum rerum prædictiones D

Quot modis dæmon futura, aut ipse præsentire, aut homini præmonstrare soleat.

A dictiones contineat: vel dormienti per somnia aut vigilanti afficiendo & commouendo phantasiam, fingendoque phantasmata idonea ad repræsentandum id quod diuinandum est, atque incitando hominem ad prædicendum id quod repræsentant phantasmata. Scire autem potest dæmon futura quæ prædocet hominem, reuelatione Dei per bonos Angelos ei facta: nonnunquam enim Deus ad agendum aliquid vtitur dæmonum ministerio. Solet etiam dæmon prænunciare homini futura quæ ipsemet posteà facturus est: solet ob incomparabilem sui motus celeritatem quæ in longinquis locis remotisque mundi regionibus geruntur, ea ad homines qui longissimè absunt deferre. Potest item dæmon ex clandestinis consiliis, verbis, scriptis, ex signis quæ in corpore tam exterius, quàm interius
B apparent, occultas hominum cogitationes & deliberationes tam præsentes quàm futuras, solertissimè coniectando, cognitas habere. Idemque coniicit ex præparatione causarum aliarumque rerum quæ ad gerendum aliquid debent concurrere. Denique, ob incredibilem subtilitatem & solertiam mentis, ob tantam tot millium annorum experientiam, propter perfectam rerum omnium naturalium absolutamque scientiam, callidissimus atque sagacissimus est ad præsentiendum & prænoscendum futura.

Hoc ipsum quod hic docuimus, quia enucleatè aperteque tradit Augustinus in lib. 2. de Genesi ad literam, c. 17. libet verba eius adscribere: *De fatis, inquit, syderum qualeslibet eorum argutias, & quasi de*
C *matheseos documentorum experimenta, quæ illi Apotelesmata vocant omnino à nostræ fidei sanitate respuamus. Talibus enim disputationibus etiam orandi causas nobis auferre conantur, & impia peruersitate in malis factis quæ rectissimè reprehenduntur, ingerunt, accusandum potius Deum actorem syderum, quàm hominum scelera. Ideoque fatendum est, quando ab istis vera dicuntur, instinctu quodam occultissimo dici, quem nescientes humanæ mentes patiuntur. Quod cum ad decipiendos homines fit, spirituum seductorum operatio est: quibus quædam vera de temporalibus rebus nosce permittitur, partim quia subtilioris sensus acumine, partim quia corporibus subtilioribus vigent, partim experientia callidiore propter magnam longitudinem vitæ, partim a sanctis Angelis, quod ipsi ab omnipotente Deo discunt etiam iussu eius sibi reuelantibus, qui merita humana occ-*
D *cultissimæ iustitiæ synceritate distribuit. Aliquando autem iidem nefandi spiritus etiam quæ ipsi facturi sunt, velut diuinãdo prædicunt. quapropter bono Christiano, siue Mathematici, siue quilibet impiè diuinantium, maximè dicentes vera cauendi sunt, ne consortio dæmoniorum animam deceptam, pacto quodam societatis irretiant.* Hactenùs sunt Augustini verba.

Quot modis & quàm grauiter peccetur ab iis, qui diuinationi rerũ futurarũ studẽt & vacãt.

Cæterum, grauissimo se obstringunt scelere, quicunque cupidi futura noscendi consulunt dæmones, vel Astrologos dæmonum opera vtentes ad diuinandum. Multis autem modis in eo ipso peccari potest: primo si quis consulat dæmonem de futuris, vel dæmonis discipulum Astrologum, ratus esse dæmoni futura omnia explorate percepta. hoc enim cum vnius Dei proprium sit nosse futura, si

quis eandem cognitionem etiam dæmoni tribueret, impietatis & idololatriæ crimen esset. Deinde, si crimini vertitur cum excommunicato ab Ecclesia communionem & societatem habere, quantum erit cum diabolo acerrimo Dei & Ecclesiæ inimico & implacabili hominum hoste, pacto & societate coniunctum esse? & quem Deus ab omni societate fidelium ablegauit ad inferas & tartareas sedes, æternisque suppliciis mancipauit, eo vt amico & magistro atque doctore vti velle? Posteà, qui dæmonis familiaritate vtitur, in magnum certumque periculum animam suam obijcit, vtpotè quam dæmon eiusmodi prædictionũ illecebris circumuenire ac perdere vehementer cupit. Peccat etiam grauissimè, quisquis Astrologos cõsulit, quo per illos aliorum hominum occulta peccata cognoscat. His accedit, immane flagitium esse, propterea dæmonem vel Astrologum consulere, vt eorum consilio vel auxilio magnum aliquod scelus perpetrari queat. Istos autem veridicos, vt ferunt, Astrologos dæmonum esse familiares & discipulos, multa nec obscura sunt indicia: Primò improbitas morum vitæque impuritas & sordes: Tum, contemptus omnium quæ ad Christianæ disciplinæ ac pietatis cultum exercitationemque pertinent: Posteà, odisse lucem, fugitare conspectum cõgressumque hominum, rarò versari in publico, ferè in obscuro & abdito, proculque arbitris viuere: Ad hoc, de ipsorum fide ac religione, mala, nec sanè immeritò, ac temerè, hominum existimatio: Denique multi de istis capti à censoribus fidei nostræ, quos Inquisitores vocant, vel vltro vel coacti, habita scilicet quæstione admotisque cruciatibus suam cum dæmone societatem & familiaritatem confessi sunt. verùm de prima causa satis.

A

B

C

Secvnda causa. Astrologos diuinare futura nonnunquam accidit ex occulta diuinæ prouidentiæ dispositione, quæ, vt in 4 & 7. lib. Confessionum, inquit Augustinus cæcas & improbas mentes consultorum aliquoties ignoto quodam instinctu sic agitat, vt nescientes proferant, quæ consulentes vel ex eorum meritis vel ex abysso iusti iudicij Dei oporteat audire. Huc referre etiam conuenit sortes antiquis vsitatas, quando videlicet versibus alicuius Poëtæ sortitò acceptis, quid eis futurum portenderetur, inquirebant: quomodo nonnunquam contingebant illis carmina vel præsentibus, vel futuris negociis mirè congruentia: velut Alexandro Seuero etiamnum adolescenti, nec imperium speranti, dum Virgilianas sortes scrutatur, versus ex libro Æneidos 6. exiere, qui futurum illi imperium præsignificabant is verbis:

D

Tu regere Imperio populos Romane memento:
Hæc tibi erunt artes, pacisq; imponere morem,
Parcere subiectis, & debellare superbos.

Numer. 23. & 24. Nec mirum ita euenire, Deo volente ideoque mentem mouente, linguam moderante, & sortes aptè ad id quod præsignificari vult miscente ac temperante: qui non solùm ex ore Balaam arioli & falsi vatis,

A vatis, sed etiam ex ore asinæ qua ille ariolus vehebatur, verissima futurorum edidit oracula.

NON est hoc loco in præteritis relinquendum, quod valdè sapienter & salutariter monet Augustinus in libro secundo, de Doctrina Christiana, capite vigesimosecundo, & vigesimotertio: ait enim permissa Dei nonnunquam vsu venire, vt dæmones vel per ipsos etiam homines multa vera prædicent, quod nonnulli eiusmodi diuinationum, etiam cum superstitione atque impietate nimium studiosi atque curiosi, noxia persuasione seducti, in maiora & magis execranda flagitia, ita se derelinqui à Deo promeriti præcedentibus suis peccatis, prolabantur. Sed præstat hic Augustini verba subscribere. *Hinc fit*, inquit, *vt occulto quodam iudicio diuino cupidi malarum rerum* B *homines tradantur illudendi & decipiendi, pro meritis voluptatum suarum illudentibus eos atque decipientibus prænaricatoribus Angelis, quibus ista pars mundi infima secundum pulcherrimum ordinem rerum, diuinæ prouidentiæ lege subiecta est. Quibus illusionibus & deceptionibus euenit, vt istis superstitiosis & pernitiosis diuinationum generibus multa præterita & futura dicantur, nec aliter accidant quàm dicunt: multaq; obseruantibus secundum obseruationes suas eueniant, quibus implicati curiosiores fiant & sese magis magisq; inserant multiplicibus laqueis pernicios issimi erroris: Hoc genus fornicationis animæ salubriter diuina Scriptura non tacuit, neque ab ea sic deterruit animam, vt propterea talia negaret esse sectanda, quia falsa dicuntur à professoribus eorum.* Sed etiam si dixerint vobis, *inquit*, & ita euenerit, ne credatis eis. *Non enim quia* C *imago Samuelis mortui Sauli Regi vera prænunciauit, propterea talia sacrilegia quibus imago illa præsentata est minus execranda sunt: aut quia in actibus Apostolorum ventriloqua fœmina verum testimonium perhibuit Apostolis Domini: ideo Paulus Apostolus pepercit illi spiritui, ac non potius illius dæmonij correptione atque exclusione mundauit. Omnes igitur artes huiusmodi vel nugatoriæ vel noxiæ superstitionis, ex quadam pestifera societate hominum & dæmonum, quasi pacta infidelis & dolosæ amicitiæ constituta, penitus sunt repudianda & fugienda Christiano.* Sic Augustinus. His causis adiiciunt quidam alias duas, minus fortasse probabiles, non minus tamen frequentes vsúque compertas.

Valde obseruãda B. Augustini sentẽtia.

TERTIA causa. Non pauci diuinant non tam peritia artis D Astromanticæ, quæ nulla est, quàm singulari quadam sagacis ingenij solertia, & multiplici humanarum rerum peritia vsúque, & exquisita eorum hominum quibus diuinatio fit, negociorum, morum, studiorum, & ingeniorum obseruatione atque notitia. Etenim quidam sunt qui perspectis quorundam hominum temperamentis, & affectionibus corporum, studiis item, exercitationibus, institutis, familiaritatibus, deniqne virtutibus, aut vitiis, multa euentura eis prouident, ipsíque magna asseueratione & auctoritate prænunciant ac plerumque diuinant. Ad hoc genus diuinationum pertinet, si quis principem tyrannicè tractantem ciues, & crudeli dominatu

natu prementem, à ſuis eum occiſum iri prædixerit, hominemque A
frequentiſſimum in furtis & rapinis, ſuſpendio periturum: religio-
nis contemptorem, falſæque doctrinæ proſeminatorem contra ve-
ritatem fidei & Eccleſiæ catholicæ auctoritatem, ignis ſupplicio
Diuinatio Annibalis. mulctatum iri. Hoc genere diuinationis vſus eſt Annibal qui perſpe-
cta imperitia atque temeritate Terentij Varronis & C. Flamminij
Romanorum Coss & Imperatorum, Afris victoriam, Romanis in-
ſignem cladem valdè fidenter & aſſeueranter prædixit: eámque præ-
dictionem mox certaminis exitus, plurimis Romanorum millibus
interfectis, comprobauit.

Stulta cõſulẽtium Aſtrologoꝝ credulitas, prædictiones eorũ veras nonnunquam reddit. QVARTA cauſa. Non raro Aſtrologorum diuinatio vera exiſtit
ob ſtultam conſulentium credulitatem: multi namque facillimè cre-
dunt quæ dicuntur ipſis de rebus quas vel maximè optant, vel ti- B
ment vehementer atque perhorreſcunt. Solet enim eiuſmodi credu-
litas inſtillare animis conſulentium magnam ſpem rei bonæ à diui-
nis promiſſæ, vel ingentem metum iniicere triſtium & acerborum
caſuum calamitatiſque ab illis prænunciatæ. Hi autem duo affectus
animi, cum potentiſſimi ſint ad efficiendum & commouendum ho-
minem, crebro efficiunt, certe multum proficiunt, vt humana negó-
cia ad prædictos fines perducantur. Etenim vehemens quędam ſpes
ardénſque deſiderium excitant atque incitant homines vt ad bona
ipſis promiſſa ſedulo ſe comparent, & omnibus ſuis opibus viribúſ-
que contendant: quo fit, vt ob eam rem plerumque quò intendunt,
optatorum ſuorum & alienorum promiſſorum compotes facti, per- C
ueniant. Ex aduerſo autem metus, pauor, horrórque prædictorum
malorum atque calamitatum, ſæpe faciunt homines cunctanter ac
dubitanter aggredi negocia, timidè ac negligenter perſequi, & quo-
cumque obiecto impedimento turpiter & infeliciter deſerere, eá-
que ratione in prænunciata ipſis mala delabi. Luculenta eius rei
exempla reperimus in Romano exercitu, cui (vt ſcribit Liuius) cum
auguria & auſpicia ſecreto inſpecta infauſtum belli exitum mina-
rentur, auſpices & duces ne militem in arma euntem funeſto nun-
cio cõſternarent, verſis in contrariam partem auſpiciis, omnia fau-
ſta & triumphalia portendi & à diis promitti mentiti ſunt: quo
mendacio vtiliter decepti milites, alacriter prælium inierunt, forti- D
ter pugnarunt, & hoſtes quos auguria victores fore præmonſtra-
Nicia ducis Athenienſium exitialis inſcitia. bant, feliciter vicerunt. Contra verò cum Nicias dux claſſis Athe-
nienſium, incognita ſibi lunæ defectione portendi ratus claſſis nau-
fragium, ſi ea nocte portum egrederetur, eum ſtulto metu occupa-
tus oppreſſúſque diſceſſum differt: à Siracuſanis cum tota claſſe ca-
ptus eſt. Verum ne diſceptatio hæc longius quàm initio promiſi-
mus, & quàm fert inſtituti noſtri ratio producatur, & quo citius ad
ea quæ ſuſcepti operis magis propria ſunt veniamus, hic finem di-
ſputandi de diuinatione Aſtrologica faciemus.

LIBRI SECVNDI FINIS.

BENE

A

BENEDICTI PERERII COMMENTARIORVM IN GENESIM,

B

LIBER TERTIVS.

Qui est de Paradiso.

PRAEFATIO.

VSQVE ADEO breuiter & inuolutè de paradiso scripsit Moses, vt eius veram & propriam sententiã assequi & penitus nosse, visum sit omnibus difficillimũ. Sic enim loquitur de paradiso, vt non obscurè indicet eum fuisse locum quendã corporeum, aspectabilem, atq; terrestrem: idẽ tamen ea ponit in C suа narratione, quæ ad vnum omnia nõ posse in vnum aliquem certum terræ locum cõuenire videantur. Quo factum est, vt quidã Mosaicam paradisi narrationẽ non de corporali quopiã loco, sed de re quadã intelligibili & spirituali interpretandam esse arbitrentur. Alij verò paradisum rati locum esse corporalem, talem eum tamen depinxerunt, qualẽ nec natura ferre, nec mens humana capere possit; multa de situ & loco eius mirabilia magis quàm credibilia cõmenti. Nec defuere qui propter immẽsam rei difficultatem, desperata paradisi cognitione, Mosaicam eius doctrinam mortalibus in hac vita prorsus inexplicabilẽ & incomprehensibilem esse putauerũt. S. Ambrosius de Paradiso scribere aggressus, ita librum exorsus est: *De paradiso adoriendus sermo non mediocrem æstum nobis videtur incutere, quid nam sit paradisus & vbi sit, qualísve sit inuestigare & explanare cuipentibus: maxime cum Apostolus siue in corpore siue extra corpus nesciat, raptum se tamen dicat vsque ad tertium cœlum, idémque testetur se ibi audiuisse arcana verba quæ non licet homini loqui.* B. August. lib. 2. contra Pelagium & Celestium cap. 23. hanc de paradiso disputationem numerat inter eas, quibus salua fide qua Christiani sumus, aut ignoratur quid verũ sit, & sententia definitiua suspenditur; aut aliter quàm est, humana & infirma suspicione coniicitur. Quò magis enitendũ nobis est, vt nulli parcentes labori, nullisq; difficultatibus succumbentes, verba Mosis de paradiso subtiliter, enucleatè, ac dilucidè, quoad poterimus interpretan

Difficultas historiæ Mosis, quæ est de Paradiso.

Quorundam opinio inexplicabilem esse doctrinã Mosi de Paradiso.

2. Cor. 12.

pretantes, Mosaicæ narrationis sententiam quam verba ipsa præse- A
ferunt, diligenter exponamus & fideliter tueamur. Sic autem age-
mus, vt nullam refugiamus quæstionem, nulli difficultati terga ver-
tamus, nullíusque opinionem memoratu dignam, in præteritis relin-
quamus: nec in hoc ei obtéperabimus qui monuit quę sunt tractatu
difficillima, satius esse tacita præteriri quàm attétata deseri. Sic enim
iudicio nostro res habet, in rebus obscurissimis, iisdémque agnitio-
ne pulcherrimis, vel ipsum in quærendo studium, vel conatus ad re-
periendum, vel qualiscunque veritatis adumbratio & demonstratio,
nec laude caret apud æquos rerum æstimatores, nec vacat fructu
apud res abditas & præstantes cognoscendi studiosos.

B

HISTORIA MOSIS DE PARADISO terrestri, in hoc tertio Commentariorum volumine explicata.

EX CAPITE SECVNDO LIBRI GENESEOS.

VERS. 8. *PLantauerat autem Dominus Deus Paradisum* C
voluptatis à principio, in quo posuit hominem
9. *quem formauerat: produxitq; Dominus Deus*
de humo omne lignum pulchrum visu & ad
vescendum suaue: lignum etiam vitæ in medio Paradisi,
10. *lignúmque scientiæ boni & mali. Et fluuius egrediebatur de*
loco voluptatis ad irrigandum Paradisum, qui inde diui-
11. *ditur in quattuor capita. Nomen vni Phison, ipse est qui*
12. *circuit omnem terram Heuilath vbi nascitur aurum. Et*
aurum terræ illius optimum est: ibique inuenitur Bdellium D
13. *& lapis Onychinus. Et nomen fluuij secundi Geon, ipse*
14. *est qui circuit omnem terram AEthiopiæ. Nomen vero*
15. *fluminis tertij, Tigris, ipse vadit contra Assyrios. Fluuius*
autem quartus ipse est Euphrates.

Planta

A

Plantauerat autem Dominus Deus paradisum voluptatis à principio. GENES. 2. VERS. 8.

ILLVD *Plantauerat*, licet Hebraicè sit *Plantauit*, quia tamen Hebræi sæpenumero abutuntur præteritis perfectis, denotat plantationem paradisi non esse factam post hominis creationem, sed ante: vt ea sit verborum Mosis sententia, Iam prius plantauerat Deus paradisum, cum formauit hominem, ideóque statim vt cõditus homo est, in paradisum à Deo est introductus. Basilius extrema oratione quæ B est de Paradiso, & vndecima est inter eas quas scripsit in Genesim, ait Paradisum conditum esse à Deo post creationem hominis; propterea fortasse id opinatus, quod cerneret paradisi à Deo facti non nisi post creationem hominis mentionem fieri à Mose. Verùm id factum est per recapitulationem, qua figura prius facta, posterius narrantur; sicut contra per anticipationem commemorantur prius quæ posterius gesta sunt, & est vtraque figura in diuinis litteris non infrequens. Sed quæret aliquis; Sicut paradisus ortu prior fuit homine, cur etiam non fuit à Mose priore loco memoratus? an quò manifestum fieret eum præcipuè hominis gratia esse à Deo conditum? an potius quo magis continente & continuata serie tota paradisi historia pertexeretur? consitus autem fuerat à Deo paradisus C tertia die, qua die iussa est terra omnia herbarum & stirpium genera proferre. ac licet res omnes sint à Deo conditæ, singulariter tamen Deus paradisum plantasse dicitur; quod is locus præter cætera omnia terræ loca, eximiæ fuit pulchritudinis & incredibilis amœnitatis: nam quæ sunt præstantissima & aliquo in genere excellentia, ea soler Scriptura, Dei appellatione insignire. quemadmodum igitur singulariter Deo tribuitur formatio hominis propter eius dignitatẽ ita & paradisi effectio propter incomparabilem eius loci præstantiã & iucunditatem: id quod obseruatum à Basilio, in exordio orationis, quam de Paradiso scripsit ab ipso proditum est.

Paradisus ante creatũ hominem plantatus contra Basilium.

D

Paradisum.

QVAE hoc loco est Hebræa vox ג׳ן *Gan*, à Græco & Latino interprete reddita, *Paradisus*, ea significat hortum, ducta, vt quidam Hebraicè scientes putant à radice גנן *Ganan*, quod est protegere & abscondere; quasi ea voce significetur hortus, in quo frequentes, ac densæ arbores, atque proceræ, quæ patulis diffusæ ramis eos, qui sub ipsis sunt inumbrare & protegere possint. vel sic vocatur, quia sit locus conclusus & circumseptus, nullo ad eum aditu vel bestiis vel hominibus patente; iuxta illud quod est in Can-

De vocabulo Paradisi.

ticis, *Hortus conclusus, &c.* Dignum memoratu est, duo esse apud He- A
braeos vocabula, hoc de quo diximus גן *Gan*, & alterū פרדס *Pardes*,
idem ferè significātia; & vtrumque reperitur coniunctè in libro Ec-
clesiastæ cap. 2. nam vbi nos legimus, *Feci mihi hortos & pomaria*, sunt
ibi Hebraicè duę voces quas diximus, גן *Gă* & פרדס *Pardes*: nec vox
Pardes inuenitur in Scriptura nisi ter; semel prædicto loco Ecclesia-
stæ, iterum lib. 2. Esdræ cap. 2. tertio in Canticis ca. 4. in illis verbis,
Emissiones tuæ paradisus malorum punicorum. Septuaginta Interpretes
vocem פרדס *Pardes*, vertunt paradisum, sicut etiā nonnunquam vo-
cem גן *Gan*. nec mihi displicet quod quibusdam viris doctis placuis-
se video, vocabulū *Paradisus*, tractū esse ex vocabulo Hebræo פרדס
Pardes, similitudine, quæ inter vtrumque est fidem faciente. Iulius B
Pollux lib. 11. τῶν ὀνομάτων, tradit paradisum propriè Græcam vocem
non esse, sed Persicam, & ex consuetudine Persica fluxisse in vsum
Græcorū. Sanè Xenophon & Philostratus paradisos appellant amœ-
nissima loca, quæ oblectationis causa comparata erant Regibus Per-
sarum, in quibus seruabantur feræ ad Regum venationes. Aulus lib.
2. c. 20. scriptum reliquit, quæ suo tempore vulgo dicebantur viua-
ria, & olim tempore Scipionis atque aliorum purè loquentium La-
tinè appellabantur roboraria, à roboreis stabulis quibus erant vndi-
que septa, ea nominari Græcè paradisos. Suidas notionem huius vo-
cis *Paradisus*, sic interpretatur: Paradisus autem dicitur à δέω, id est,
irrigo: inde verbale δεῖσος, mutato ypsilon in iota: alij deducunt πα- C
ρὰ τὸ δεῖσαν ποιεῖσθαι à collectione herbarum.

Dupliciter in sacris litteris sumi nomen Paradisi.

IN sacra vero Scriptura vocabulum Paradisi vniuersè significat
locum quemuis amœnissimum, & ad oblectandum hominem iucū-
dissimum: qua significatione vsus est Moses in hoc libro Geneseos
ca. 13. cum dixit terram Sodomæ & Gomorrhæ ante Dei vindictam
fuisse tanquam paradisum: & Salomon Eccles. 2. *Feci*, inquit, *mihi hor-
tos & pomaria*: pro quo habent Septuaginta, *Paradisos*. Idem in Canti-
cis ca. 4. *Emissiones tuæ paradisus*, necnon & Ezechiel ca. 28. alloquens
Regem Tyri, *In deliciis*, ait, *paradisi Dei fuisti*. Idem ca. 31. de regis As-
syriorum potentia & magnificentia scribens per quandam similitu-
dinem quam Rhetores vocant Allegoriam, ait, *Cedri non fuerunt al-* D
*tiores illo in paradiso Dei, omne lignum paradisi Dei non est assimillatum illi
& pulchritudini eius.* Denique in libro Ecclesiastici cap. 24. ita loqui-
tur diuina Sapientia, *Ego sicut aquæductus exiui de paradiso.* Nonnun-
quam etiam nomen paradisi dicitur in sacris litteris nō de loco cor-
poreo, sed de spirituali voluptate & iucunditate: maximè verò de vi-
ta illa æterna omnium bonorum voluptatúmque plenissima, quam
Beati in cœlis agunt. Hac notione Paradisi vsus est Dominus noster
Lucæ 23. cum dixit latroni, *Hodie mecum eris in paradiso*: & Paulus in
posterioris epistolæ ad Corinthios cap. 12. cum inquit raptum se esse
in paradisum, ibique audisse arcana verba quæ non licet homini lo-
qui: apud Ioannem item in Apocalypsi cap. 2. scriptum est, *Vincenti*

dabo

A *dabo edere de ligno vitæ, quod est in paradiso Dei mei.* Manifestum igitur est ex his quę dicta sunt, hanc vocem Paradisus, in sacris litteris nonnunquam dici de loco corporeo, interdum verè etiam de re spirituali: vtrobique tamen præsefert ea vox ingentem quandam voluptatem & iucunditatem.

Voluptatis.

De significatione vocis Heden.

B HEBRAICE est בעדן *Be Heden*, id est, in Heden: vox autem *Heden*, significat delicias & voluptates, à radice ערן *Hadan*, quod est delectari: vnde nomen frequēs in sacris litteris ערנה *Hedna*, id est, delectatio, nec fide caret, ex hac voce *Heden* deriuatam esse vocem Græcam ἡδονὴν, quę Græcis significat voluptatem, sicut à quibusdam est proditum. Interdum autem *Heden*, in diuina Scriptura est nomen proprium loci, quemadmodum animaduertere est infrà cap. 4. vbi dicitur, Cain habitasse profugum ad orientalem plagam Heden: quo loco Hieronymus vocem *Heden*, non est interpretatus voluptatem & delicias, non dubiè agnoscens ibi esse proprium nomen loci. Sic etiam Ezechielis cap. 27. dicitur, *Charan & Heden negotiatores tui.* Et apud Isaiam capit. 37. inter alia loca & ciuitates quas reges Assyriorum vastauerant, recensentur Gozan, Caran, & filij Heden.

C SINE causa autem Caietanus negat his locis vocem *Heden* sumi pro eodem, pro quo ponitur in hoc 2. capit. Geneseos; cùm tamen omnibus prædictis locis sit eadem vox, & eodem modo scribatur. *Sed Heden*, inquit Caietanus, *de quo hic agit Moses, & in quo Adam locatus est, fuit post eiectionem Adæ ex paradiso planè inhabitabilis & inaccessus hominibus, propter custodiam Cherubim in aditu eius à Deo positam. At Heden de quo Isaias & Ezechiel supradictis locis loquuntur, regio erat culta & habitata à mercatoribus pretiosas merces comportantibus in Iudæam.* Sic Caietanus: cui etiam Catharinus est assensus. Verùm infirma est Caietani argumentatio: Heden namque ante diluuium; quandiu, scilicet durauit locus ille Paradisi ex quo Adam eiectus est, inhabitatus fuit & inaccessus mortalibus: sed eo per diluuium vastato & destructo, sublatáque prima illa eius pulchritudine & amœnitate, ad vsum & oblectationem hominis, si quidem ille iustitiam & innocentiam custodisset, comparata, deinde ab hominibus coli & habitari cœptus est.

D CVM igitur vocabulum *Heden*, sit ambiguum, significans & voluptatem & certum quendam locum, in dubio est vtro modo in præsentia sumi debeat. Hieronymus sumpsit pro voluptate, cùm vertit, *Paradisum voluptatis.* Sed quia Hebraicè est בעדן *Be Heden*, id est, in Heden, secundum sententiam Hieronymi verti deberet ad verbum, *In voluptate*, quod durum est, quid enim sibi vult, *Plantauit Deus in voluptate?* Septuaginta Interpretes relinquentes in sua translatione nomen ipsum Hebræum, Heden videntur intellexisse significari eo

An hoc loco vocabulum Heden significet voluptatem, an certū aliquem locū.

vocabulo certum aliquem terræ locum. Quamquam deinde in hac A
ipsa narratione non semel eam vocem nomine voluptatis expresse-
runt. Mihi quidem simillimum vero fit, ea voce designari hic à Mose
locum quendam in quo erat Paradisus. Habeo huius sententiæ au-
ctores fermè omnes Græcos Patres: habeo eius approbatores qua-
tuor nobilissimos Hebræorum Rabbinos, Kimchi, Abraham, Ben
Esra, & Salomonem, atque id mirificè congruit cum narratione Mo-
sis. Siquidem in describendo Paradisum, eas ipse adhibet circum-
stantias, è quibus locus ille, vbi qualis, quantúsque fuerit liquidò co-
gnosci queat: ait enim fuisse eum in regione Heden ad plagam eius
Orientalem; irriguum magno quodam flumine, quod posteà in qua-
tuor ingentia & celebratissima flumina dispertiebatur. Quinetiam
inquit, fluuium illum egressum esse ex loco Heden ad irrigandum B
Paradisum. Quibus verbis quis non videt vocem Heden significare
locum quendam, non autem voluptatem? quam enim sententiam
haberet, illum fluuium exiisse ex voluptate ad irrigandum Paradi-
sum? Cęterùm, admonebo lectorem, fieri potuisse; vt vel regio illa
Paradisi, quia esset amœnissima significata sit vocabulo Heden, quod
sonat voluptatem & delicias: vel contra, vt vox Heden ea ratione vt
significat voluptatem, tracta fuerit ex illo loco Heden ceu totius or-
bis delicatissimo atque amœnissimo.

A principio. C

HEBRAICE est, מִקֶּדֶם *Mi Kedem*, vox autè קֶדֶם *Kedem*, ambiguæ significationis est, cum enim significet ante seu principiũ, potest referri vel ad locum, vel ad tempus. Hieronymus tres secutus Interpretes, Aquilam, Symmachum & Theodotionem, ad tempus referens vertit latinè *A principio*: idem autem in libro traditionum Hebraicarum in Genesim, ex eo quod dicitur, Paradisum factum esse à principio, argumentatur eum fuisse à Deo conditum ante cœlum & terram. quod Hieronymi dictum, si vt verum tueri volumus, necesse est fateri, vel ipsum non esse locutum de Paradiso corporeo, sed spirituali quæ est vita æterna, quam electis præparauit Deus ante mundi constitutionem: vel illud, Ante cœlum & terram, idem sonare quod ante perfectam cœli & terræ exornationem atque consummationem. Nec verò, quia Paradisus factus fuit à principio, continuo sequitur, eum vel primo die, vel etiam ante factum esse. Etenim apud Ioannem cap. 8. Dominus noster ait, diabolum fuisse homicidam ab initio; quem tamen constat mortis hominis tam spiritualis quàm corporalis, non ante sextum diem quo creatus est homo, auctorem esse potuisse. Illud igitur *A principio*, referri debet ad tempus primorum sex dierum, præsertim autem ad tertium diem quo Paradisum esse consitum, communis & peruagata est sententia. D

Quod dixit Hieronymus Paradisum esse factum ante cœlum & terram, quomodo sit intelligẽdum.

AT

A AT enimverò Septuaginta Interpretes per vocem קדם *Kedem*, non tempus intellexerũt, sed locum: quoniam autem princeps mundi pars est Oriens, scilicet, vnde capit initium præstantissimus cœlestis motus primi mobilis: idcirco Græcè ipsi transtulerunt κατὰ τὰς ἀνατολάς, id est, ad Orientem: quam lectionem omnes ferè Græci Patres secuti & interpretati sunt. In his est Basilius homilia 11. in Genesim, & in Sermone quo tractat verba illa Pauli ad Thessalonicen. 5. *In omnibus gratias agite.* Chrysostomus & Theodoretus super hoc loco, Gregorius Nyssenus super Oratione cur versi ad Orientem adoremus, Damascenus libro quarto de Fide orthodoxa cap. 13. Isti enim tradunt, vetustissimæ consuetudinis conuertendi se in orando ad Orientem, hanc esse vnam de multis, eámque præcipuam rationem, quod Paradisus in quo Adam collocatus est, & ex quo propter peccatum est deiectus, in regione orientali fuerit. In orando igitur spectamus Orientem, quasi reducentes in memoriam per verbum illum casum nostrum, quo ex beatissimis Paradisi locis in hoc ærumnarum & miseriarum pleniſſimum exilium sumus extrusi, simúlque desiderantes ad cœlestem Paradisum, cuius ille imago fuit, aliquando peruenire. Ergo in hoc loco vox *Kedem* significat plagam Orientalem, vt sensus sit, Paradisum esse consitum in parte Orientali regionis Heden. Hunc etiam intellectum verborum Mosis habent Hebræorum Commentarij. Certè, extremo capitis 3. huius libri eandem vocem *Kedem*, Hieronymus non ad tempus, sed ad locum retulit. Sic enim transtulit, *Collocauit Deus ante Paradisum voluptatis Cherubim.* Vbi cernis vocem *Kedem*, vertisse Hieronymum, non *A principio*, sed *Ante*. Hebraicè autem sic est ad verbum, *Posuit à parte orientali horti Heden Cherubinos.*

B

C

De antiquo more orandi versa ad Orientem facie.

QVIDAM putant eò locatum esse Paradisum ad Orientem, quod pars Orientalis tam in cœlo quàm in terra sit omnium præstantissima. Illinc enim primus & perfectissimus cœli motus suam capit incitationem. Certè regiones Orientis, sicut est India, prædicatione rerum pretiosissimarum quarum sunt fertilissimæ, nobilitauit antiquitas, quamquam Iulius Scaliger in opere Exercitationum, quod scripsit aduersus Cardanum, exercitatione 99. multa colligit ad probandum longè meliora & omni genere laudis præstabiliora nasci in terris: quę sunt cis Persicum sinum vsque ad extremam Lusitaniæ oram, quàm in regionibus Orientis, quæ sunt vltra sinum Persicum.

D

An regio Orientalis sit totius terræ præstatissima.

VERVM hoc loco prodendum est, quod est ab aliis proditum ante nos, & est profectò verissimum, nusquam in sacris litteris regionem quæ est vltra sinum Persicum tam citeriorem, quàm vlteriorem Gange, sub nomine Orientis appellari, sed orientales terras simpliciter vocat diuina Scriptura, quæ sunt citra sinum Persicum, vt Persidem, Armeniam, Arabiam, atque Mesopotamiam: Gentes quoque his regionibus propiores comparatione Iudæorum nominare solet orientales, eorúmque loca esse ad Orientem, sicut

Quæ nominetur in sacris litteris terra orientalis.

sicut Arabes, Idumæos, Amalechitas, Madianitas, Ammonitas & A
Moabitas, necnon & mare Rubrum, ac mare salsum. quapropter Iob
qui erat Idumæus, numeratur inter filios Orientis, & tres Magi qui
ex Persida vel Chaldæa vel Arabia venerunt ad Christum dominum
adorandum, venisse dicuntur ex Oriente. Quinimo solet Scriptura
frequenter Mesopotamiam vocare simpliciter terram orientalem: Et-
enim Geneseos 29. Iacob profectus in Mesopotamiam iuisse dicitur
in terram orientalem: & in libro Numerorum capite 23. Balaam
ariolus ductus esse dicitur ad maledicendum Hebræis, ex montibus
Orientis; quem tamen Moses in Deuteronomio cap. 23. adductum
fuisse ex Mesopotamia Syriæ scriptum reliquit. Legimus quoque in
25. capite libri Geneseos, liberos quos ex Cetura susceperat Abra-
ham, inter quos numerantur Madian & Epha, separauisse eum ab B
Isaac ad plagam orientalem.

Ex his apparet, terram orientalem in sacris litteris eam dunta-
xat nominari, quæ citra sinum Persicum vsque ad Iudæam porrigitur.
Indiam vero orientalem, licet ea tam Mathematicorum designatione,
quàm Græcorum & Latinorum scriptorum appellatione, verius aliis
omnibus terris sit orientalis; Scriptura tamen eo nomine nusquam
eam memorat aut nominat. quo licet intelligere, Heden in quo erat
Paradisus, & qui dicitur fuisse ad Orientem, nõ vltra sinum Persicum
fuisse; eorúmque coniectutam vehementer aberrare, qui propterea
existimarunt Paradisum in vltimis terræ oris, scilicet in India, vel e-
tiam vltra eam fuisse, quod Moses dixerit eum fuisse ad Orientem. C
Ergo integra huius loci Mosis sententia hæc erit, Plantauit Deus Pa-
radisum in regione Heden ad plagam eius orientalem.

DISPVTATIO.

Quis locus fuerit Paradisus, Vbi, & Quantus fuerit, & Cur nullo tempore adhuc ab hominibus inuentus sit, denique, An etiam nunc extet Paradisus ille terrestris. D

CIRCA verba Mosis de Paradiso hactenus exposita, tra-
ctandæ sunt aliquot quæstiones, priusquam cætera quæ de
Paradiso subtexit Moses, persequamur.

An Paradisus fuerit locus corporalis & terrestris Philo.

PRIMA Quæstio. An Mosaica Paradisi descriptio pro-
priè intelligenda sit de loco aliquo corporeo & terrestri, an potius fi-
guratè de re quapiam intelligibili & spirituali. Philo Iudæus in extre-
mo lib. de Mundi opificio, & in lib. de Allegoriis legis Mosaicæ, my-
sticè duntaxat & allegoricè interpretatur orationem Mosis de Para-
diso,

A diſo, nec aliter cenſet eſſe intelligendam, quem ſecutus Origenes in tomis ſuper Geneſim, peruertit omnem hiſtoriam paradiſi, non aliter quàm figuratè accipi debere arbitratus: itaque paradiſum ponit non in terra, ſed in tertio cœlo, ad quem ſcilicet raptus eſt Paulus: per arbores paradiſi, virtutes angelicas interpretatur: per flumina verò, aquas quæ ſupra dorſum firmamenti ſunt. ac licet quidam conẽtur oſtendere Origenem hiſtoricam paradiſi interpretationem non reiecisſe, verbis illis ex 31. homilia eius in numeros in medium productis, *Adam poſt peccatum extruditur in aridam, ante enim non erat in arida ſed in terra, paradiſus namque non eſt in arida ſed in terra*: hæc tamen verba ad Origenis purgationem atque defenſionem parũ valent: quippe qui ob ſupradictam opinionem à plurimis Patribus dã-
B natus ſit. Epiphanius certe multa contra hanc Origenis interpretationem diſputat, tam in Ancoratu quàm in Epiſtola quam ad Ioannem Epiſcopum Hieroſolymitanum ſcripſit.

B. Ambroſius in libro quẽ m de Paradiſo edidit, Philonis atque Origenis veſtigia inſiſtens, ſimilia illis de paradiſo ſentit & ſcribit. Idem in libro Epiſtolarum 6. epiſtola 41. quæ eſt ad Sabinum ſcripta, vbi poſtremum de paradiſo diſſeruit, Iam veteranus, vt inquit ipſe, Sacerdos, recenſitis aliorum ſcriptorum variis opinionibus, tãdem vt ſimilius vero concludit, paradiſum non fuiſſe locum terreſtrem, ſed quippiam ſpirituale ac intelligibile, quod ad mentem & ſpiritum Adami oblectandum & quodãmodo in hac vita beandum pertinebat. Nõ me fugit eſſe quoſdam qui veram habuiſſe Ambroſium de paradiſo ſententiam probent ex Commentario eius in caput 6. prioris epiſtolæ Pauli ad Corinthios, quòd eo loci dicat Ambroſius, *Sicut duplex eſt Hieruſalem, vna cœleſtis altera terreſtris, ita duplicem eſſe paradiſum, vnum terreſtrem in quo poſitus eſt Adam vt ipſum coleret atque cuſtodiret, alterum cœleſtem ad quem raptus eſt Paulus.* Verùm ea probatio paruam fidem faceret viris doctis, qui multis nec leuibus coniecturis perſuaſum habent, non eſſe Commentarios illos in Pauli epiſtolas ex Ambroſij officina profectos.

NE multa, etiam Hieronymus videri cuipiam poſſet in eodem verſatus errore, ſiquidem in libro traditionum Hebraicarum inquit,
D Paradiſum ante cœlum & terram eſſe à Deo conditum: quod de paradiſo terreſtri non poteſt intelligi. Sed ea verba Hieronymi: vel ita ſunt interpretanda, vt nos ſupra interpretati ſumus: vel putandum eſt ea Hieronymum non ex ſuo, ſed ex aliorum ſenſu dixiſſe. neque enim obſcurum aut dubium eſſe poteſt, quin Hieronymus à ſupradicta Philonis & Origenis de paradiſo ſententia vehementer abhorruerit: cum is in Epiſtola quam dedit ad Pammachium de erroribus Ioannis Epiſcopi Hieroſolymitani, inter eos hunc quoque Origenis de paradiſo commemoret: & in Commentariis ſuis in Danielem explanans caput 10. grauiſſimis verbis in iſtos allegoricos

paradisi Interpretes inuehatur: *Conticescant*, inquit, *eorum deliramenta, qui vmbras & imagines in veritate sequentes, ipsam conantur euertere veritatem: vt paradisum & flumina & arbores putent allegoriæ legibus se debere subruere.* Sic Hieronymus. S. Augustinus in libro de Heresibus nu. 59. inter errores Seleucianorum & Hermonianorum hunc quoque numerat, quòd negauerint paradisum visibilem. A

CAETERVM, Iosephus primo libro Antiquitatũ, Basilius homilia 11. in Genesim, quæ est de paradiso, atque vt verbo dicam, omnes propemodum Patres tam Græci quàm Latini, concordi sententia paradisum quem describit Moses, locum fuisse corporeum ac terrestrem existimarunt. quanquam non putauerint cuiquam interdictum, vt post sensum historicum paradisi, etiam alios sensus mysticos, & allegoricas interpretationes afferre non posset. Quinimo Augustinus initio libri. 8. de Genesi ad litteram, tres de paradiso refert opiniones: primam tantùm spiritualiter, alteram tantùm corporaliter, tertiam vtroque modo paradisi historiam interpretantium. hanc vltimam omnium maximè probari sibi affirmauit. Quod non sic est intelligendum, vt velit Augustinus historiam paradisi partim corporaliter, partim spiritualiter esse interpretandam: vniuersa nãque secundum sensum historicum corporaliter est intelligenda: sed verbis illis Augustinus significauit, rectè atque vtiliter eos fecisse, qui descriptionem paradisi primo secundum sensum historicum & literalem exposuerunt: deinde per sensum mysticum ad interiores & sublimiores quasdam rerum spiritualium & cœlestium intelligentias applicuerunt. nam quid Augustinus de historica paradisi expositione sentiret, clarissimè ostendit in libro 13. de Ciuitate Dei extremis verbis 21. capitis: cum enim allegoricam quandam paradisi expositionem commemorasset, subiungit hæc verba, *Ista, & si qua alia commodius dici possunt de intelligendo spiritualiter paradiso, nemine prohibente dicantur, dum tamen & illius historiæ veritas fidelissima rerum gestarum narratione commendata credatur.* Hæc Augustinus. B C

SED nullus veterum meo iudicio luculentius hoc de quo agimus exposuit, quàm Chrysostomus qui homilia 13. in Genesim hoc modo ait, *Ideo Moses describens paradisum, & nomen loci in quo erat, scilicet Heden, & plagam orientalem quam spectabat, & nomina fluminum è paradiso egredientium ferè nota omnibus, tam subtiliter & accuratè enarrauit: vt non liceret nugari volentibus decipere simpliciores, dicendo nullum fuisse in terra paradisum sed in cœlo, & alias fabulas suaque somnia iactando. Nam si, cum Moses tantam in describendo paradiso diligentiam posuerit, nihilominus tamen fuere nonnulli fabulantes non fuisse super terram paradisum, multáque alia à doctrina Mosis alienissima inducentes, & verba eius aliorsum quàm dicta sunt detorquentes: quid futurum fuisset, si non tam minutatim, tam dilucidè, denique tam enucleatè paradisum descripsisset?* D

Ita

A Ita Chrysostomus. Hoc ipsum docuit Sophronius Patriarcha Hierosolymitanus in ea Epistola quę recitata est à sexta Synodo generali, actione 11. & posteà in actione 13. ab vniuersa Synodo approbata.

CERTE, vniuersa narratio Mosis apertissimè demõstrat paradisum fuisse locum quendam in terra corporatum & aspectabilem, omni genere voluptatum ac deliciarum abundantem. cum enim ea narratio non minus sit historica quàm aliarum rerum quas prius memorauerat Moses, profecto verus & germanus eius historiæ sensus id debet, sine controuersia censeri, quem reddunt verba Mosis secundum propriam & vsitatam eorum significationem sumpta. Multa item licet obseruare in narratione Mosis: quæ huic sententiæ
B fidem astruunt. ait enim paradisum fuisse in regione Heden ad orientalem eius plagam locatum, extra quem conditus est homo, sed mox in eum à Deo introductus, vt ipsum coleret & custodiret: fuisse in eo arbores aspectu amœnissimas & gustatu suauissimas, irrigatum esse vno flumine posteà diducto in quattuor fluuios, eorúmque duos esse Tigrim & Euphratem: ex eo loco Adamum esse à Deo propter peccatum inobedientiæ eiectum, positúmque in aditu eius Cherubim, scilicet ad hominem ingressu prohibendum: Euam vidisse fructum arboris scientiæ boni & mali, decerpsisse, comedisse, edendúmque Adamo dedisse: & alia his similia, quæ paradisum fuisse locum corporatum & terrestrem non dubiè demonstrant.

CVR autem quos supra dixi Auctores, doctrinæ ac vetustatis au-
C ctoritate præstantes, negauerint paradisum fuisse locum terrestrem: equidem reor illam esse causam, quod putarent non nisi figuratè & mysticè intelligi posse quæ docet Moses de immortalitate quam esus arboris vitæ præstabat homini: de arbore scientiæ boni & mali: de origine quattuor fluminum ex vno paradisi flumine: de sermocinatione serpentis cum Eua eiúsque maledictione: de inambulatione Dei post meridiem in paradiso ad auram: de tunicis pelliceis quibus Adamum & Euam peccari conuictos Deus induit: de Cherubim cum gladio versatili & flammeo ad custodiam paradisi collocato. Verùm hæc omnia propriè atque historicé intelligenda & interpretanda esse, nos infra suo quodque loco interpretantes do-
D cebimus.

Refellitur quorundam opinio, Paradisum quem describit Moses, fuisse vim vniuersum terrarum orbê, qui inexordio mundi amœnissimus erat.

FVIT quorundam nostri temporis sententia, quam fuisse tamen antiquiorem, arguit commemoratio eius apud Hugonem de S. Victore in libro suarum Annotationum in Genesim, Paradisum quem descripsit Moses, non fuisse definitam aliquam regionem aut certum quempiam terræ locum: sed nomine paradisi, denotari vniuersam terram quæ in primæua conditione ac statu suo ob eximiam bonitatem, amœnitatem & fœcunditatem, erat tota quasi hortus quidam amœnissimus & tanquam paradisus: quemadmodum infra ca. 13. dicitur Sodoma & Gomorrha fuisse quasi paradisus Dei. Illũ autem fluuium quo paradisus irrigabatur, aiunt intelli-

gendum esse ipsum Oceanum, quem nomine fluuij Hesiodus in A Theogonia, & in Odyssea Homerus appellant. Oceanus verò irrigare dicitur vniuersam terram, quod omnes dulces aquæ quibus terra irrigatur, ex Oceano (vt vetus fuit Philosophorum & Poëtarum opinio, nec sanè aliena diuinæ Scripturæ) per subterraneos & occultos terræ meatus promanant. Oceanus porrò quattuor illa flumina fundere dicitur, non quod cætera ex eo non habeant originem, sed quia hæc tanquam maxima & nobilissima atque celebratissima, visa sunt præcipuè memoratu digna. Verùm hanc opinionem, vel simplex ipsa narratio Mosis, & vehementer & euidenter confutat. Quomodo enim intelligi potest Paradisum quem descripsit Moses fuisse vniuersam terram, cum disertè Moses doceat fuisse eum in regione Heden versus plagam Orientalem? extra quem B cum factus esset homo, est in eum postea introductus, & mox propter peccatum admissum ex eo eiectus, posito ad eius aditum custodiendum terribili Cherubino: hæc enim & alia quæ ex eadem narratione colligere licet, de vniuerso terrarum orbe dici nullo modo possunt.

QVAESTIO II.

De loco & situ Paradisi.

RES QVAM tractare aggredimur, plena obscuritatis C ac difficultatis, Scriptoribus inter se maxima opinionũ varietate valde dissidentibus, quibusdam etiam mira, seu verius dicam, incredicilia de paradisi loco positúq; prodentibus. Visum autem nobis est ad planiorem & pleniorem huius quæstionis explicationem multum conferre posse, si nobiliores & celebriores Auctorum sententias sigillatim commemoremus, expendamus, diiudicemus.

Tertulliani de situ Paradisi sententia.

TERTVLLIANVS in Apologetico aduersus Gentes ait, Paradisum locum esse diuinæ amœnitatis, recipiendis Sanctorum spiritibus destinatum, & maceria quadam igneæ illius zonæ à notitia orbis communis segregatum. in extremo autem libro quem scri- D

Descriptio Paradisi terrestris secundũ Basilium, Ephræm Damascenum, & Isidorum.

psit de anima, affirmat se proprium de Paradiso librum edidisse; quem si nunc haberemus, propriam eius de paradiso sententiam liquidius cognoscere possemus. S. Basilius in Oratione de Paradiso, his verbis eum descripsit: *Paradisus*, inquit, *locus erat deliciis omnifariam affluens, omnem creaturæ sensibilis exsuperans pulchritudinem: ob sublimitatem loci in quo erat, nulla sui parte tenebras admittens, sed exorientium syderum splendore semper illustratus, in quo nulla erat immodica ventorum vis, nulla tempestatum procella, nullius hyemis horror, non nimia veris humiditas, non torrens æstatis ardor, non molesta & noxia autumni siccitas, sed temperata & pacifica omnium temporum inter se consonantia: ita vt*

quod in

A *quod in quaque anni tempestate optimum & iucundissimum est, in se haberet, scilicet veris amœnitatem, vbertatem æstatis, autumni hilaritatẽ, hyemis otium & quietem: eius terra pinguis erat & mollis, omniumque bonorum & voluptatum fertilis, quam verissimè dixisses fluere lacte & melle.*

B. Ephræm Syrus æqualis & familiaris Basilij in Commentariis suis super Genesim, quod opus nunc non extat, sed illud citat Moses Barcepha Syrus in libro suo de Paradiso, quem librum nuper Andreas Masius è sermone Syriaco in Latinum elegantissimè conuertit: Ephræm inquàm, tradidit omnem terram à nobis habitatam vndique cingi Oceano, vltra quem esse immensam propemodum terram toti Oceano circumiacentem, in qua locatus est Paradisus. Damasce- *Ioan. Damasceni de situ Paradisi, sententia.*
B nus libro 2. de Fide orthodoxa, capite 11. ita descripsit Paradisum: *Est*, inquit, *locus, Dei manibus in Heden ad Orientem mirabiliter consitus, omnis lætitiæ ac voluptatis promptuarium, omni terra excelsior, optima temperie cœli, aëre subtilissimo & purissimo, plantis semper virentibus suauissimumque odorem spirantibus, plenus lumine, vniuersæ sensibilis venustatis & pulchritudinis excellens intelligentiam. Diuinus profectò locus, mirificè congruens primi hominis dignitati: in quo nullum animal habitabat, sed solus diuinarum manuum factura homo.*

Isidorvs libro 14. Etymologiarum. cap. 3. hæc scribit de Paradiso: Paradisus est locus in Orientis partibus constitutus, cuius vocabulum ex Græco in Latinum vertitur hortus. Porro Hebraicè di-
C citur Heden, quod in nostra lingua deliciæ interpretatur: & vtrumque iunctum, facit hortum deliciarum: est enim omni genere pomiferarum arborum consitus: non ibi frigus, non æstas, sed perpetuæ aëris temperies: è cuius medio fons prorumpens, totum nemus irrigat: diuiditúrque in quatuor nascentia flumina: cuius loci post peccatum hominis aditus intercluſus est: septus enim est vndique rhomphæa flammea, ita vt eius cum cœlo penè iungatur incendium. Cherubin quoque, id est, Angelorum præsidium arcendis spiritibus malis super rhomphææ flagrantia ordinatum est, vt homines flamma, Angelos verò malos Angeli boni summoueant, ne cui carni nec spiritui transgressionis aditus pareat. Rupertus libro 1. de Trinitate & operibus eius. capit. 37. Paradisum ait fuisse locum amœnissimum & cœlo proximum. Ambrosius Catharinus citat sententiam quandam Augustini de Paradiso, nescio ex quo libro eius ad
D Orosium, quæ sic habet: *Paradisus in Oriente situs est, immenso Oceano interiecto, à nostro orbe longissimè remotus, pertingens vsque ad lunarem circulum: vnde illuc aquas diluuij peruenisse minimè dicitur hic locus ob primi hominis reatum intercluſus est, nec vlli animantium datur ad eum aditus.* Hæc Catharinus ex Augustino: in cuius tamen nullo libro mihi quidem eam sententiam inuenire contigit. Theologi scholastici assignant eam Bedæ, sed nec Beda eam habet vel in suo Hexameron, vel in Allegorica libri Geneseos expositione. Illud ait duntaxat, Paradisum esse locum ab hominum cognitione remotissimum.

Illa igitur sententia fuit Strabi & Magistri eius Rabani, quam Magister ponit lib. 2. sententiarum, distinct. 17. & Historia scholastica super libro Geneseos, capite 13. A

Cur multi putauerint Paradisum esse vltra Oceanum, & extra hunc nostrum terræ orbem, atque loci altitudine proximum cælo.

EX SVPRADICTIS auctorum sententiis licet intelligere, duo esse quæ de Paradiso multis Scriptoribus placuisse videantur: vnum est, Paradisum immenso penè Oceano interfuso distare à terra nostra: id autem propterea dixisse videntur, vt in promptu habere possent quod responderent percontantibus. Cur Paradisus fuerit inaccessus hominibus, & ad hanc diem à nullo repertus. alterum est: Paradisum fuisse in loco altissimo, & vt quibusdam visum est, orbi lunæ proximo. Tantam autem altitudinem tribuerunt Paradiso tres ob causas: Prima fuit, ob salubritatem habitationis, quod illuc nullum ex rebus sublunaribus incommodum & detrimentum aspirare posset. Locus autem cœlo vicinus, visus est illis esse tranquillissimus & temperatissimus, & ad conseruandam hominis valetudinem vitámque producendam accommodatissimus. Certè Solinus capite 16. annotauit, in summo Atho monte, qui locum vnde cadunt imbres putatur excedere, oppidum esse Achrothon, vbi dimidio longiorem quàm alibi vitam degunt incolæ: quos ob id Græci vocant μακροβίους, nos diceremus longæuos. Secunda causa fuit, quòd possent Paradisum vindicare ab exitio quod omni terrarum orbi diluuium attulit, quod omnes terræ montes operuisse, quindecim cubitis vel altissimos supergressum, Scriptura tradit. Cum autem compertum sit, esse quosdam montes qui regionem ventorum & imbrium verticibus suis transcendant: necesse est locum Paradisi quem à diluuio inuiolatum & intactum esse pro certo habent, excelsissimo in loco & cœlis vicinissimo esse collocatum. Tertia causa fuit, quod quatuor flumina quæ Moses narrat è Paradiso egredi, non possent per hanc nostram terram tantopere à Paradiso diffitam ferri, nisi locus Paradisi altissimus esset, vnde scilicet præcipiti lapsu cadentia & subter vada Oceani delata, variis postea in locis in hanc nostram terram exilirent. B C

SI QVIS autem ex istis quærat, si Paradisus tanto interfuso Oceano à nostra regione distat, quemadmodum illinc homines primum in hanc nostram terram traiicere potuerint: nam & Athanasius & Cyrillus prodiderunt, Adamum ex regione Paradisi profectum, alij quam plurimis peragratis regionibus venisse in Iudæam, ibíque mortuum, & sepultum in monte Hierosolymitano qui à posteris, quod primi hominis caput contineret, mons Caluariæ appellatus est. ad hoc respondent isti dupliciter: alij enim aiunt primos illos homines fuisse Gigantes & procerissimæ staturæ, ideoque in hanc terram nostram par vadosum mare pedibus transmeare potuisse, alij respondent vsque ad diluuium priscos illos homines coluisse terram Paradiso vicinam, nostram verò terram vsque ad id temporis vacuam planè hominibus desertámque fuisse. diluuio igitur D

cæteris

A cæteris pereuntibus, octo homines arca in hanc terram nostram esse transuectos. Atque hæc isti de loco Paradisi censuerunt.

Refellitur illud, Paradisum fuisse vltra Oceanum.

Sed illa ipsa duo ab istis probata & scriptis prodita, adeo fide carent, vt longam non desiderent refutationem. Nam quod aiunt, terram Paradisi ab hac nostra immenso quodã Oceano esse disiunctam, nullam habet verisimilitudinem, nullam speciem probabilitatis. Principio, quod isti aiunt terram nostram vndique circunfusam esse & circundatam Oceano, & vltra Oceanum esse alteram terram quæ totum Oceanum ambiat, falsum esse satis supérque hoc nostro tempore nauigationibus Hispanorum & Lusitanorum, qui totum fermè Oceanum & orbem terrarum pernauigarunt atque peragrarunt, ex-
B ploratum & compertũ est. Deinde, quis credat terram illam vlteriorem Oceano, tanto maiorẽ hac nostra, ab exordio mũdi ad hanc diem omni prorsus hominum habitatione desertam & vacuam fuisse? Postea, perspicuis verbis docet Moses Paradisum fuisse in regione Heden, quam non procul fuisse Mesopotamia vel Arabia, ex verbis Isaiæ & Ezechielis quæ supra retulimus, non obscurè cognoscitur. Præterea, ridiculum esset voluisse Mosen describere & notum facere Paradisum per ea loca quæ sunt in nostro orbe, si Paradisus extra hanc nostram terram fuisset: quid enim ad notitiam Paradisi percipiendam profuisset nominare flumina ex Paradiso profluentia, eorúmque cursus per notissima nostri orbis loca declarare? Ad hæc, quid opus erat ad arcendum hominem ab ingressu Paradisi tanta custodia eius
C aditum munire? satis enim fuisset hominem extrudere & eijcere in hanc nostram terram, nemo enim illuc tantis terræ marisque spatiis interpositis remeare potuisset. Nec sanè potest satis intelligi, nedum credi, quatuor illa flumina Paradisi, quorum origines & cursus in hac nostra terra cernuntur, ex illa tam remota & longinqua terra amplissimi Oceani interpositu, in hunc nostrum orbem deuenire potuisse. nam quod aiunt ea ex altissimo Paradisi loco præcipitata, & subter Oceanum delata in hanc nostram terram erumpere, quis non videt esse ab ipsis confictum potius, ne nihil dicere viderentur, quàm vt aliquid quòd probabile futurum esset, se dicere putarent?

Refutatur illud de altitudine Paradisi vsque ad viciniam cœli.

Iam verò quòd tradũt alij, tantã esse Paradisi altitudinẽ, vt fastigio
D suo orbẽ lunę attingat, vsque adeò non solũ nõ est credibile, sed etiam ridiculum, vt in eo refellendo orationẽ ponere superuacaneũ videri possit. Putarunt, scilicet isti, illiusmodi locũ cõmodissimũ esse habitationi hominis ac saluberrimũ, quẽ tamen manifesta ratione conuincitur, incõmodissimũ esse homini & omnino inhabitabilẽ. Primo quidem ob viciniam solis atque aliorũ syderum: tũ ob elementũ ignis eo loco proximè cœlo lunæ subiectum: deinde propter agitationem & perpetuam volubilitatem illius loci, rapidissima cœli vertigine cõtinenter circumacti. præterea, interuallum quòd est à terra ad orbem lunæ, Ptolemæus & Alphraganus docent esse ferè septies ac decies maius diametro terræ, hoc est, tota ipsius terræ longitudine: quæ

distan

distantia computatione nostrorum milliarium continet milliaria centum mi l.a,adiectis nouem millibus nongentis triginta septem : tantum enim est interuallum inter terram & orbem lunæ interpatens.Si igitur Paradisus culmine suo attingit cœlum , necesse est ipsum habuisse pro basi vniuersam terræ amplitudinem , adde quod tanta Paradisi altitudo ad orientem nobis opposita, & vndique conspicua atque aspectabilis esset , & magna ex parte solis illuminationem nobis auferret. Propter manifestam istius sententiæ absurditatem, quidam voluerunt eam in bonam partem interpretari , dicentes id fuisse dictum ab illis per hyperbolen , non quod ita res esset, sed vt per huiusmodi exaggerationem intelligeretur summa Paradisi sublimitas & celsitudo. A B

S.Thomas in prima parte quęstione 93.ait,id esse dictum per similitudinem, quod scilicet Paradisi locus amœnitate,salubritate & tranquillitate similis esset regioni cœlesti,quæ incipit à luna. Alexander de Hales significari ait , Paradisum esse in aëre quieto & tranquillo, qui superior est hoc nostrati aëre inquieto ac turbulento : & locum Paradisi esse vbi finis est & terminus exhalationum & vaporum,quorum fluxus & progressus lunæ potestati ac efficientiæ attribuitur.

Tostatus putans Paradisum fuisse in suprema regione aëris, confutatur.

A B hac opinione Alexandri proximè abest , si tamen abest , Tostatus , qui in 2. caput Geneseos quæst.9. & in 13. caput eiusdem libri quæst. 107. affirmat , Paradisum non peruenire vsque ad orbem lunæ , sed excedere tamen oras & terminos huius nostris aëris turbulenti atque caliginosi , & esse supra mediam regionem aëris : denique in tertia regione aëris esse locatum , celsiorémque esse omnibus aliis terræ montibus minimum viginti cubitis : ita vt aquæ diluuij, quæ cunctos montes quindecim cubitis supergressæ sunt, locum Paradisi attingere non potuerint. Sed hæc Tostati opinio nihilo magis probabilis est prioribus iam confutatis. Est enim tertia regio aëris omnino inhabitabilis homini ob nimiam eius siccitatẽ, ingẽtem ardorem , vehementem agitationẽ ac volubilitatem ex vicinia elementi ignis , ex raptu & vertigine cœli , & ex multitudine corporum inflammatorum : vt sunt cometæ qui in ea regione generantur : nullus ibi flat ventus , nullus refrigerat imber aut ros, nulla fluminum & fontium origo , nullus stirpium satus, nullus herbarum viror , & nullus flos nullúsque fructus esse potest. Est aër ille tenuissimus & siccissimus & admodum calidus , atque ob eam ipsam causam respirationi hominis & refrigerationi cordis minimè conueniens. C D

De altitudine montium, Olympi , Atho & Atlantis.

Nec firmum est quod afferunt isti de altitudine montis Olympi supra locum nubium , imbrium ac ventorum , quam prædicat Solinus capite 14. aut de monte Atho tantæ sublimitatis , vt celsior loco nubium & ventorum existimetur , argumento cinerum qui in aris in cacumine eius extructis post sacrificia relicti , nec ventis difflantur ac dissipantur , nec imbribus eluuntur : aut quod scribit Plinius libro

A libro 5.capite 1.de Atlante monte, qui è mediis arenis in cælum super nubila atque in viciniam lunaris circuli qua spectat Africam elatus,nemorosus est,scatebris fontium irriguus,fructibus omnium generum sponte nascentibus sic abundans, vt numquã satietas voluptatibus desit. Hæc dico, quæ isti ad confirmandam opinionem suam afferũt,infirmissima sunt, partim quia fictitia & fabulosa sunt, vt fatetur Plinius, partim quia nihil eos iuuant, cum mõtes illi longè inferiores sint celsitudine quam ipsi tribuunt Paradiso. quinetiam Augustinus libro 3. de Genesi ad litteram capite 2. de Olympo citans versum illum Lucani,

--Nubes excedit Olympus. *Lib.2. Pharsaliæ.*

B *Pacem summa tenent,*

subdit,In vertice Olympi perhiberi aërem esse adeo tenuem, vt neque nubibus obumbretur,neque turbetur ventis, neque alites sustinere queat,neque ipsos homines, si qui forte vel sacrificandi vel inspiciendorum syderum causa illuc ascenderint, crassioris auræ spiritu alere possit: eósque ferre secum solitos spongias plenas aqua, vnde fugant identidem humorem ad refrigerandum cor, aliter enim ob summam illius aëris tenuitatem & siccitatem viuere non possent.

Euertuntur duo prædictæ opinionis fundamenta.

Ex quo satis apparet,duo illa fundamenta quibus istorum de altitudine paradisi nititur & fulcitur opinio,valdè fragilia & imbecilla esse.Primum fundamentum erat, tantam sublimitatem loci con-

C uenire Paradiso propter saluberrimam hominis habitationem: atqui ostensum est,locum cœlo proximum, immo etiã qui ad tertiam regionem aëris pertinet,multas ob causas non esse hominis habitationi conuenientem.Alterum fundamenium erat,ne videlicet aquæ diluuij obruerent & perderent locum paradisi. Sed hoc eos mouere non debuit,primo,quia si ad verba Scripturæ spectent, vix poterunt paradisum ab inundatione diluuij vindicare: quippe apertè inquit Scriptura cap.7.Geneseos, diluuium operuisse omnes montes qui sub cœlo erant; operuit igitur etiam paradisum. quod si ab illa generali sententia necessario putent excipiendum paradisum, nulla sanè ratio cogit propter aquas diluuij, tantæ sublimitatis paradisum

An diluuium attigerit locũ Paradisi.

D facere. Quare Scotus in 2.sententiarum distinctione 17. quæstione 2.opinatur,sicut diluuium generale non naturaliter sed miraculo factum est;ita quoque miraculo factum esse, vt paradisus à diluuij exitio seruaretur.Itaque fingunt isti,cum eluuione illa aquarum cæteræ omnes terræ obruerentur,peruenisse aquas prope paradisum,ibique immobiles constitisse, scilicet ad similitudinem eius quod olim in mari rubro & in flumine Iordanis à Deo factum legimus. Quanquã paradisum diluuio illo vastatum ac destructum esse nec pauci nec temerè arbitrantur. Sed quia arduam hoc habet disceptationem,diligentémque deposcit explicationem, paulo post separatim à nobis pertractabitur.

Exod 14. Iosue 3.

Paradisum fuisse sub Aequinoctiali, quorundam opinio.

ALII putarunt sub Aequinoctiali, aut non procul fuisse paradi- A
sum, rati summam illis in locis esse cœli temperiem, ob perpetuam
dierum atque noctium æquabilitatem, nunquam immodico vel fri-
gore vel calore. Hanc opinionem sequitur Bonauentura in 2. sentē-
tiarum, distinctione 17. quasi probatam Doctoribus, eandémque de-
fendit Durandus ibidem. Sed B. Thomas refellit eam argumento re-
gionum quæ ob vicinitatem Zonæ torridæ, solis ardore vehementer
infestātur, vt Aethiopia, & interiora Africæ ac Libyæ. vide ipsum pri-
ma parte quæst. 102. Scotus in 2. distinct. 17. illo præterea vtitur ar-
gumento, solem, cum est remotissimus ab Aequinoctiali, vt est in
Tropicis, esse tamen propinquiorem illi, quàm in media æstate fer-
uentissimísque caloribus, multis Galliæ & Germaniæ populis; quo B
circa nunquam loca sub Aequinoctiali minus calida esse, quàm sit
Gallia & Germania in media æstate. Verùm neutra opinio in to-
tum aut vera aut falsa est; neque omnibus sub Aequinoctiali vel in-
ter duos Tropicos regionibus, par est vel temperies cœli, vel intem-
peries. Siquidem latissima regio Pretiosi Ioannis, Monomotapa, In-
sula S. Thomæ, & quæ vulgo dicitur *Cabo verde*, ardore solis peru-
runtur: contra, regio Americana, vulgo dictus Nouus orbis, inter
duos Tropicos interiacens, plerisque locis temperata est, maximè in
prouincia Peruana. Ex quo liquet, temperiem, vel intemperiem cęli
in variis terræ locis, & regionibus non peruenire tantùm ex ipso
climate cęli, sed maximè ex aliis causis; velut ex frequentia aut rari-
tate horum aut illorum ventorum; vel ex copia aut inopia aqua- C
rum tam terrestrium quàm pluuialium; vel ex situ regionis aut mō-
tanæ aut campestris, vel denique ex vicinitate, aut longinquitate
maris proficiscí. Hæc igitur ab aliis de loco paradisi prodita sunt.
Ego paradisum & in iis regionibus quas Tigris & Euphrates præ-
terlabuntur, & non procul Mesopotamia fuisse arbitror. Sed hoc pla-
nius ostendam, & facilius probabo in extrema huius tractationis
parte, postquam interpretatus fuero quæ de paradisi fluminibus in-
fra scribit Moses.

QVAESTIO III.

Quantus fuerit locus Paradisi, & cur sit à Deo con- D
ditus, paruo vsui futurus homini.

DE magnitudine Paradisi nihil certi, nisi friuolis & futi-
libus coniecturis dici potest. Nā quod scripsit Ephrem,
terram paradisi vndique circumplexam Oceanum, lon-
gè maiorem esse nostro terrarum orbe, supra confuta-
tum est. Alij probant, amplissimum fuisse paradisi lo-
cum, argumento fluuij quo irrigabatur, quem maximum & altissi-
mum

A mum fuisse, declarant quattuor nobilissima nostris orbis flumina ex eo deriuata: tum etiam quod solus paradisus, si Adam non peccasset, omnium hominum futurum erat domicilium: tantæ autem multidinis hominum, nisi amplissimus esset locus, capax non fuisset.

TOSTATVS in 13. caput Geneseos quæstione 98. magis coarctat & coanguſtat locum paradisi: nam non solum qualibet trium partium mundi, Asiam dico, Europam & Africam, sed etiam ingenti aliqua prouincia, vt est Hispania & Germania, minorem eum facit: non enim maximam esse eius loci amplitudinem necesse fuit, cum non nisi electos, qui pauci fuissent, prout nunc est multitudo
B hominum, tenere debuisset: opus esset eo loci esse animalia vlla, scilicet quorum seruitio tunc non esset opus homini: nec propter sterilitatem terræ plurimum loci teneri oportebat, cum tota paradisi terra optima & fertilissima esset. existimat igitur Tostatus, Paradisi longitudinem fuisse circiter duodecim milliarium, ambitum verò eius, triginta sex vel quadraginta. verùm de re tam incerta, inanis & incerta est omnis coniectura.

MIHI quicem satis credibile fit, Paradisum non fuisse locum adeo patentem & spatiosum, vt quidam tradiderunt: quippe eum Scriptura appellat hortum, & ait locatum fuisse in regione Heden ad plagam eius orientalem, atque in medio eius fuisse lignum vitæ & lignum scientiæ boni & mali. Nec sane assentior illis qui putarũt
C non habitaturos extra paradisum homines, si Adam non peccasset: non enim est probabile, vnum illum locum capacem esse potuisse omnium hominum. Si enim post peccatum Adæ vixerunt aliqui homines prope mille annos, sine dubio in statu innocentiæ non minus tria vel quattuor millia annorum vixissent, quo spatio temporis numerosissimam prolem edidissent, & mirandum in modum genus humanum esset multiplicatum. Ad hoc, narrat Moses capite primo huius libri, dixisse Deum homini vt dominaretur cunctis animalibus, & subiiceret sibi omnem terram: concessit quoque illi cibi causa omnes herbas, & omnes fructus arborum vniuersæ terræ. nec est dubitandum, quin illi homines peragrassent orbem terrę, vidissent ma-
D ria, insulas, variásque orbis regiones, & in his admiranda Dei opera. nam cum non omnia vno in loco nascantur, homines intra paradisum tantummodo habitassent, nec scientiam rerum naturalium, quæ perceptione sensuum multísque experimentis compatatur, consecuti fuissent, nec ex cognitione & contemplatione tantorum Dei operum quæ in variis mundi locis apparent, honestissimam voluptatem quæ suauissimum est humanæ mentis pabulum, capere potuissent. Adiice, quod non est credibile vniuersam terram fore desertam & hominibus vacuam, cum hominis industria & cultura multum ei ad fertilitatem, amœnitatem atque decorem conferat. atque hoc, testimonio diuinæ Scriptu-

Auctoris cõiectura de magnitudine Paradisi.

Genes. 5.

In statu innocẽtiæ nõ tantum in Paradiso, sed etiam extra ipsum habitaturos fuisse homines.

ræ probari potest; Isaias enim ca p. 45. sic ait, *Dominus fecit terram, ipse* A
plastes eius: non in vanum creauit eam, vt habitaretur formauit eam.

VERVM aliquis fortasse mirabitur; & ex nobis cognoscere cuperet, quonam consilio Deus paradisum tanta magnificentia condiderit. videtur sanè in hominis vsum fuisse à Deo comparatus paradisus: atqui perexiguo vsui fuisse homini, declarauit breuitas temporis quo est in eo Adam commoratus. Theodoretus quæst. 24. in Genesim, Beda, Hugo de S. Victore, Rabanus & Strabus in Commentariis suis super libro Geneseos, S. Thomas prima parte, quæst. 103. art. 2. & secunda secundæ, quæstione 164. artic. 2. varias eius rei rationes afferunt. Prima ratio est, Deus non tractat hominē ex præscientia futurorum, hoc est, secundum ea quæ aliquando facturus est homo, sed secundum præsentem eius statum. Quamuis igitur sciret Deus B
peccaturū hominem; tamen quia status ille innocentiæ in quo eum creauerat, poscebat locum habitationis eius esse singularis & eximiæ pulchritudinis atque amœnitatis; idcirco consentaneum fuit facere paradisum, locum nempe felicissimo illi hominis statui respondentem. Secunda ratio, licet pararisus non magno vsui fuerit homini ad habitationem, fuit tamen ei maximæ vtilitati ad intelligendum quot quantísque bonis careret ac esset priuatus propter inobedientiam: recordatio enim amissæ tam amœnæ ac beatæ habitationis, ingentem commouebat admissi sceleris dolorem. Tertia ratio, voluit Deus vt esset in terris aliquid corporatum & aspectabile quod incomparabilem Paradisi cœlestis pulchritudinem adumbraret, quo C
ex aliqua parte æstimari possent æterna bona diligentibus Deum in cœlis præparata. Quarta ratio, constituit Deus vt homo in statu innocentiæ vitam ageret in terris trāquillissimam & iucundissimam, nullis bonis carentem, omnibúsque malis vacuam: ad eam verò iucunditatem & beatitatem vitæ, plurimum conferebat domicilij salubritas & amœnitas. Et verò, satis incongruum fuisset, vt Adam prius quàm culpam admitteret, subiret pœnam: quare dum status innocentiæ stetit, decuit in eo loco eum versari quem nullum incommodum nulláque molestia contingeret. Quinta ratio, non quia breui tempore Adam in paradiso mansurus erat, propterea non debuit in eo collocari: nam & Lucifer princeps malorum Angelorum in cœlo Empyreo conditus est, ex eo mox eiiciendus: quinetiā D
Adamo tribuit Deus iustitiam originalem, & potestatem non peccandi ac moriendi, quam tamen breuissimo post tempore erat amissurus: non enim Deus quid futurum sit, sed quid postulet præsens rei status, spectat & æstimat. Sextam rationem prædictis addunt multi, Paradisum terrestrem, licet eo non diu potitus fuerit Adam, futurum tamen fuisse maximo vsui ad habitationem Henoch & Eliæ, qui creduntur in illo Paradiso habitare, & habituri vsque ad aduentum Antichristi. Sed hoc an satis firmum sit necne, paulo infra disquiremus.

Sex rationibus ostenditur, fuisse conueniens vt conderetur Paradisus in vsum hominis, licet non eo diu homo esset potiturus.

QVÆ

A

QVAESTIO IIII.

Quid causæ sit, cur Paradisus, si quidem locus est terrestris, nullo tempore adhuc fuerit à quoquam inuentus.

EPHRAEM & quibus opinio eius arrisit, causam non inuenti adhuc Paradisi putant esse, quòd Paradisus sit extra nostram hanc terram, & vltra amplissimum & mortalibus innauigabilem Oceanum. Alij causam assignant
B incredibili altitudini qua Paradisus vel supremam regionem aëris, vel etiam orbem lunæ contingit; quam ob rem fit hominibus inaccessus. Verùm ista falsa esse, suprà ostensum est.

QVI magis sobriè ac prudenter ea de re loqui videntur, aiunt homines tribus maximis impedimentis accessu ad Paradisum prohiberi. Primò enim dicunt, ante Paradisum esse celsissimos & maximè præruptos atque insuperabiles montes; deinde interpositas esse horridas atque inuias & ferocissimis ac maximè venenatis animantibus refertas solitudines; denique esse tractus quosdam terræ in quibus multa sint loca exhalantia spiritum quendam exitialem, & non solum hominibus, sed etiam superuolantibus auibus lethalem, vide B.
C Thomam prima parte quæst. 102. art. 1. Similia istis tradit Tostatus super 13. capit. Geneseos quęst. 93. quo loco citat Basilium & Ambrosiũ in scriptis suis super Hexæmeron affirmãtes, locũ Paradisi esse cognitum, & prope eum habitare aliquos populos: neminem tamen in eum penetrare posse, propterea quod ex altissimo Paradisi monte magnum illud flumen quo Paradisus irrigatur, tanto sonitu & fragore præcipitetur in subiacentem planitiem vbi amplissimum quendam facit lacum, ex quo quatuor illa à Mose memorata flumina oriuntur: vt qui eius paludis ripas accolunt homines, propter intolerabilem illum sonitum præcipitantis fluuij omnes ab infantia vsque obsurdescant, similiter vt de habitantibus ad Catadupas Nili proditum est. Sed hæc ego apud Basilium & Ambrosium in eorum scriptis quæ
D nunc extant, nusquam legere memini.

CONSVLTO hic tacita prætereo tanquam fabulosa & cõmentitia, quæ in quibusdam apocryphis libris leguntur de Macario quodam Romano & aliis tribus monachis: qui cum omni studio sese ad inuestigandum Paradisi locum dedidissent, peragratis longinquis regionibus, tandem ad ipsius Paradisi aditum peruenisse, eius tamen introitu prohibiti esse dicuntur. B. Chrysostomus scribit ante diluuium quidem fuisse hominibus notam viam quę ad Paradisum ducebat, non esse tamen eos illuc accedere ausos horribili illa Cherubini custodia perterritos: post diluuium autem omnia illius loci indi-

cia fuisse aquis obrupta & deleta,& rationem illuc pertendédi ac per- A
ueniendi prorsus incognitam.

EGO, vt lectorem meæ quoque opinionis faciam participem, censeo, Paradisum non fuisse natura sua inaccessibilem homini : nam si fuisset per se inaccessibilis, non fuisset opus ad arcendum hominem ab eius introitu tantam ei custodiam & munitionem adhiberi. Præterea, existimo dubiam & fallacem esse viam & rationem illam inuestigandi locum Paradisi, persequēdo videlicet Tigris & Euphratis qui ex Paradiso oriuntur, alueos & cursus vsque ad ipsorum fontes : incertum enim est an fontes illi primam eorum fluminum originem contineant; an illa potius aliubi procul orta per subterraneos meatus occulto cursu; longinqua conficiant spatia, primúmque sese B
nobis in Armenia prodant & ostendant, id quod aliis fluminibus contingere notum est.

Cur non fuerit quæsitus aut repertus ab vllo Paradisus.

SED cur non quæsitus aut repertus fuerit Paradisus,illa satis probabilis causa videri potest,quod infideles quidem qui sacræ Scripturæ non credunt, fabulosa putantes quæ de Paradiso traduntur, eum locum inuestigare non curarunt.at verò fideles, diuinis litteris fidem habentes, cùm nossent ad locum Paradisi adiri non posse, eiúsque aditum homini esse à Deo intercluſum ; omnem eum locum inuestigandi operam ac laborem, non modo inanem, sed etiam stultum atque impium esse iudicarunt. Ego illam esse reor,cur Paradisus nec inuentus sit nec inueniri queat,verisimilē admodum causam,quod Paradisus ille diluuio perierit, & illà generali aquarùm eluuione quæ C
cuncta terræ loca inundauit & altissimè obruit, omnis Paradisi pulchritudo, amœnitas & venustas dissipata & sublata sit. hoc autem, quæstio proximè disceptanda planius faciet.

QVAESTIO V.

An Paradisus terrestris etiam nunc extet.

Quid in huiusmodi nouis opinionibus nec ad fidem spectantibus, & probabilibus tamē seruandum esse videatur, monet Auctor extremo li. 7. huius operis.

EST rationi ac diuinis litteris satis cōsentaneum,nullum esse nunc Paradisum illum terrestrem in quo Adam ad breue tempus fuit.Hoc autē in præsentia nonnullis, nec D
opinor inualidis rationibus probare constitui. Quod si forte visum fuerit doctis & piis viris,licet satis hæc opinio probabilis sit, & in eo genere rerum versetur quæ ad fidem minimè pertinēt:tutius fore tamen antiquam & communem sequi Doctorum sentētiam:saltem quoad hæc opinio,magis cognita eius probabilitate,paulatim in scholis recipiatur & à Theologis probata perualgetur,sicque suam ipsa exuens nouitatem propter quam nónullis fortasse displicere posset, maiorem,in dies veterascēs,fidem & auctoritatem acquirat : equidē prudens istorum consiliū vehementer laudo probóque, méque ipsorum sententiæ adscribi volo : illud etiam

monens

A monens lectorem quæ pro hac opinione hic disputantur, eo prodita esse litteris & publicata, non tam quidē, vt eam sequerētur alij, quàm vt ex his cognoscerent, quid hæc opinio haberet probabilitatis. quibúsque argumentis contraria sententia oppugnaretur: vt ea, quibus à veteri opinione non discedere satius videretur, fortiter profligarent. Idem quoque de eo quod de fluminibus Paradisi paulo infra disputatur, & siquid aliud fuerit simile, intelligi volumus. Sed age, quæ res, Paradisum nunc non existere, simillimum verò facere videantur, lectori ostēdamus. Principio Paradisum fuisse in iis regionibus per quas Tigris & Euphrates ex Paradisi flumine deriuati suos agūt cursus, aut certè non procul illis fuisse, per se manifestum est. Cum igitur Tigris
B & Euphrates fontes habeant in Armenia, cursum autem suum cōficiant per Armeniam, Mesopotamiam, & Assyriam, exitum autem habeāt in sinum Persicum: liquet, vel in istis locis, vel non longè ab istis fuisse Paradisum. Illud quoque credibile est, priscos illos homines ante diluuium, etiam post diluuiū priusquam in varias linguas diuisi ad diuersas mundi plagas terrásque colendas segregarētur, habitasse non procul à regione Paradisi: tum propter eius terræ bonitatem ac fertilitatē: tum quod inibi genus humanum originē suam habuisset. Habitationem autē hominum vsque ad ędificationē turris Babel fuisse circa Mesopotamiam & Armeniam, satis liquet 10. & 11. c. Gen. legenti: præsertim verò cū diuina Scriptura, cessante diluuio, arcā in qua erat
C seminariū humani generis, super montibus Armeniæ requieuisse testetur. Ex his licet sic argumentari: Paradisus terrestris erat circa Mesopotamiam vel Armeniā: sed in his locis quę & fuere olim hodiéque sunt non modo cōperta & nota, sed etiā à variis gentibus culta & habitata, nusquā inuenitur Paradisus: relinquitur igitur nullū esse nunc Paradisum, sed illū fuisse è medio sublatū. Deinde, Moses cap. 7. libri Geneseos tradit omnes montes qui erant sub cœlo, aquis diluuij esse opertos, & vel altissimis eorum quindecim cubitis aquas fuisse superiores: sed Paradisus erat in hac nostra terra, ergo fuit illa generali totius orbis eluuione obrutus ac dissipatus. Sed hoc testimonium ex c. 7. Gen. & alterum illud Eccl. 44. de translatione Henoch in Paradisum, subtilius & accuratius tractantur in septimo huius operis libro in vltima disputatione quæ est de Translatione Henoch. quæst. 7.

Vbi fuerit Henoch tempore diluuij.

D Sed quæret aliquis, vbi tunc fuit Henoch, quem nec diluuio periisse, nec fuisse tamen in arca cum Noë certum est? Respondeo, potuisse Henoch sublatum in aëris oras diluuij aquis superiores conseruari à Deo, & ab illo exitio liberari, quod videlicet durauit diluuium. Sanè diuina Scriptura cum narrat historiam diluuij, & B. Petrus prioris epistolæ suæ cap. 3. docent interiisse diluuio cunctos homines præter octo qui per arcam seruati sunt. sed proculdubio addendus præterea ei numero est Henoch, quē & fuisse ante diluuium, & non solum diluuio superstitem fuisse, sed etiam nunc viuere certum est. Verùm quia is extra societatē hominum, incognitus cunctis

mortali

mortalibus non humano more vitam agebat, idcirco perinde atque A non esset in terris, tacitus in Scriptura præteritur.

Vtrum Henoch sit in Paradiso terrestri.

PRAETEREA, siquid esset quod fateri nos cogeret esse nunc Paradisum terrestrem, illud profecto esset præcipuè, quod qui ita sentiunt, in primis objcere solent, Henoch translatum esse in illum Paradisum, ibique mansurum vsque ad consummationem sæculi. Hoc enim, inquiunt, apertè docet diuina Scriptura: quippe in lib. Eccles. cap. 44. ita est scriptum, *Henoch placuit Deo, & translatus est in Paradisum vt det gentibus pœnitentiam.* Verùm infirmam esse hanc rationem, non difficile est ostendere. Etenim locus ille Ecclesiastici Græcè (qua lingua liber ille primùm ab Auctore ipsius scriptus est) non habet vocem illam *Paradisus*, sed præcisè sic habet, *Henoch placuit Deo, & translatus est, vt det gentibus pœnitentiam.* Deinde, B. Augustinus lib. 2. B contra Pelagium & Celestium cap. 23. docet, sicut certum est Henoch & Eliam nunc viuere, ita vbi nunc sint, an in Paradiso an alibi, incertum esse; nec eam quæstionem ad fidem Catholicam pertinere. Non igitur auctore Augustino, Henoch esse in Paradiso, secundum Scripturam certum est.

Expenditur locus Ecclesiastici.

SED concedimus quod habet Latina & vulgata translatio cuius tuenda est auctoritas, Henoch esse in Paradiso: non ex eo tamen concludi potest, eum esse in Paradiso illo terrestri quem descripsit Moses, vox enim hæc *Paradisus*, in sacris litteris non est nomẽ proprium vnius loci, scilicet illius duntaxat Paradisi de quo agit Moses; sed est nomen generale vniuersè significans quemuis locum ad oblectandum C hominem amœnissimum atque iucundissimum. quinetiam, non semel in Scriptura dicitur ea vox de Paradiso spirituali & cœlesti: quod quia multis verbis supra persecuti sumus, cũ vim & notionem huius vocabuli *Paradisus* apetiremus, propterea nunc cursim tantum attingimus. Sit igitur Henoch in Paradiso; sed non est tamen necesse eum esse in illo Paradiso vnde eiectus est Adam, verum in alio aliquo loco: vbicumque enim Deo libitum fuerit, potest ei quietissimam & iucundissimam vitam suppeditare, eúmque quoad voluerit, non solum absque interitu, sed etiam sine vlla molestia conseruare.

Vide Bedam super cap. 12. Epistolæ 2. ad Corint.

Rupertus sensit Henoch & Eliam nũ esse translatos in illum Paradisũ terrestrẽ vnde eiectus fuit Adam: idémque significat Gregorius.

CERTE, non esse translatum Henoch in Paradisum illum terrestrem, affirmatè docet Rupertus, auctor valdè grauis & in primis Catholicus ac pius. Is enim lib. 3. de Trinit. & eius operibus cap. 33. his D verbis scribit: *Nusquam Scriptura dat intelligi, quod Henoch & Eliam Deus tulerit in ipsum Paradisum, vbi comederent de ligno vitæ & viuerent in æternum, sed ita sublati sunt, vt in secretam quamdam regionem terræ ducerentur, vbi in magna carnis & spiritus quiete viuerent, quousque ad finem mundi redeant & mortis debitum soluant.* Sic Rupertus. Similia autem Ruperto Gregorius scribit de Elia quem isti volunt vnà cum Henoch in Paradiso versari. In homilia enim in Euangelia 29. sic ait Gregorius, *In cœlum aëreum Elias subleuatus est, vt in secretam quamdam terræ regionem repente duceretur, vbi in magna iam carnis & spiritus quiete viueret,*

A *viueret, quousque ad finem mundi redeat & mortis debitum soluat: ille enim mortem distulit, nõ euasit.* ita Gregorius. Ex prædictis igitur verbis Ruperti & Gregorij, liquidò intelligitur eos sensisse Henoch & Eliam non esse translatos in paradisum illum terrestrem, sed in alia quadã secreta mundi regione vitam agere. quãquam Henoch fuisse translatum in paradisum illum Adami, nihil officit huic sententiæ. Fuit namque translatus Henoch annis 669. ante diluuium, vt perspicitur ex capite 5. Geneseos, quo tempore non negamus fuisse paradisum, sed eum diluuio superfuisse, hodiéque esse, atque in eo Henoch cõmorari, certum esse negamus.

Qui Auctores putent etiã nunc esse Paradisum terrestrem.

Nec verò debet hanc sententiã obruere & obterere Doctorum contrariè opinantium auctoritas & multitudo. Non me latet Iustinum martyrẽ in responsione ad Orthodoxorum quæst. 75. 76. & 85. B scriptum reliquisse, Paradisum illum nunc extare, & permãsurum ad diem vsque iudicij: in eo loco versari Henoc & Eliam: illuc esse ductum latronem, cui Christus dixit in cruce, *Hodie mecum eris in Paradiso:* in eundem quoque locum deduci omnes animas iustorum hominum, non admittendas ad beatificam Dei visionem ante diẽ iudicij, ibique optatum illud tempus & glorioſam suorum corporũ resurrectionem expectare. Eadem Iustino tradit Irenæus lib. 5. aduersus hæreses: nisi quod addit, hunc esse paradisum illum ad quem raptus est Paulus, eiusque sententiæ suffragatores laudat presbyteros Asiæ Apostolorũ discipulos. Tertullianus in Apologetico, & in extremo C suo libro de Anima vbi agit de Inferis, nõ obscurè significat etiamnum esse paradisum, & esse receptaculum atque domicilium sanctarum animarum vsque ad diem iudicij. In eadem sententia est Isidorus in libro de vita & obitu Patriarcharum, vbi agit de Henoch: eãdémque sequitur Magister libro 2. Sententiarum distinctione 17. cũ pleriſque Theologis Scholasticis.

Quid igitur dicet aliquis: tot Auctoribus, tã antiquis, tanta doctrina & sanctitate nobilitatis dissentire & aduersari, nonne temerarium iudicari debet? minime verò: sed quanti æstimari debeat eiusmodi argumentatio ex numero Auctorum petita, diligenter ponderandum & considerandum est. Videtur autem de hoc genere argumentandi quod ex multorũ Auctorum consensione ducitur, illud in vniuersum verè dici posse: licet plurimi Doctores in vnã aliquam conueniant sententiã, si ea non pertineat ad fidem Catholicam, sed versetur in eo genere rerum quæ salua fide Catholica vtrãq; in partem tractari possunt: non ideo tamen eam opinionem argumentum facere in Theologia firmum certumq; nec vnius aut paucorum contrariam sententiam, hoc ipso quod multitudini Scriptorum aduersetur, abiudicandam & dãnandam esse. Ponã vnũ exemplum quo res hæc fiat illustrior: Omnes fere Patres ante Augustinum, & post ipsum Beda, Rabanus, Strabus, Bonauentura aliique quamplurimi, opificiũ Mundi sex dierum spatio paulatim & particulatim factũ &

perfectũ esse intellexerunt: at cõmunis hic Doctorũ cõsensus nõ ef- A
ficit, quin vnius Augustini omnia simul, vnoq; tẽporis puncto facta
cõsentis opinio, tametsi ceteris, omnibus aduersa, probabilis tamẽ in
Ecclesia semper fuerit putata, & liberè à quouis teneri & defẽdi po-
Obseruandũ Vincentij Lirinensis dictũ. tuerit. Scitũ enim & verũ est illud Vincẽtij Lyrinensis, *Antiqua, in-*
quit, sanctorum Patrum consensio, non in omnibus diuinæ legis quæstiunculis,
sed solum in fidei regula, magno nobis studio & inuestiganda est, & sequenda.

Expẽditur Iustini & Irenæi sententia. Hoc igitur generatim dictũ sit: deinceps eorũ quos supra testes
aduersus nos citauimus, expendamus testimonia. Primũ quidẽ Iusti-
nus & Irenæus, licet eos propter martyrij gloriã & doctrinæ atq; sã-
ctitatis laudẽ cũ primis colere ac venerari cõueniat: in eo tamẽ quod
de paradiso tradiderunt non magnã fidẽ apud nos habere debent. ea
nãq; docẽt de terrestri paradiso, quæ partim incerta sunt, partim dã- B
nata iam ab Ecclesia, quędã etiam diuinę Scripturæ cõtraria. nã quod
Augustinus libr. 2 contra Pelagium & Cælestium ca. 23. aiunt in illo paradiso viuere Henoch & Eliã, incõpertũ & incertũ es-
se, supra, teste Augustino, demonstrauimus. quod autẽ dicũt, Paradi-
sum illũ eo cõseruatũ esse à Deo, vt omnes iustorũ animæ vsque ad
diẽ Iudicij in eo cũ magna tranquillitate & iucũditate cõmorentur:
ab omnibus Catholicis Theologis reprobatur, & iã pridem damna-
Excutitur locus Lucæ ca. 23. tũ est ab Ecclesia in Concilio Florentino. Iã verò, quod Christus di-
xit latroni *Hodie mecum eris in paradiso*: interpretantur isti de illo ter-
restri paradiso: atqui hũc sensum planè excludit illa particula *Hodie*:
Christus enim illo die nõ fuit in paradiso terrestri, eius enim anima
soluta corpore statim ad inferos descendit, nec ante diẽ tertium quo C
iam immortalis resurrexit Christus, supra terras ascendit: ideo enim
dicitur tribus diebus & noctibus fuisse in corde terræ, hoc est, apud
inferos quorũ loca nõ procul corde, idest, cẽtro terræ esse dicuntur.
Ad extremũ, existimant isti paradisum ad quẽ raptus est Paulus fuis-
se illũ terrestrẽ, vnde Adã fuerat expulsus: sed hunc intellectũ, verba
Pauli quæ sunt in 12. capite secundæ epistolæ ad Corinthios, mani-
festè redarguũt. ait enim se raptũ esse ad paradisum & ad tertiũ cæ-
lũ: quare paradisus ille Pauli nõ terrenus fuit, sed cęlestis & diuinus.

Verum Irenæus, affirmat se, quod de paradiso tradit, à presby-
teris Asiæ discipulis Apostolorum accepisse. Sed quid tũ posteà? an
ideo quodcumq; ab istis presbyteris proditũ est, tanquam certum & D
indubitatũ doctrinæ Christianæ dogma haberi debet? nonne con-
stat istos ipsos presbyteros, eodem referente Irenęo, quædã & falsa
& diuinis litteris contraria docuisse? mitto nũc errorem Chiliastarũ,
quo multi veterum fuere implicati, ab istis maximè presbyteris esse
proseminatum. Certè Iræneus libro tertio aduersus hæreses capite
36. persuadere studet, Christum Dominũ annos prope quinquaginta
in terris vixisse: idque probat ipse vel eo potissimum argumento,
quod presbyteri Asię Apostolorum discipuli id sibi ab Apostolis tra-
ditum alios docuerunt: quam tamen opinionem & vero procul esse,
& aduersari non solum historiæ Ecclesiasticæ sed etiam Euangeli-

cæ,

A cæ,etiam leuiter sacris literis eruditi,facilè possunt intelligere: & à nobis in libro vndecimo nostrorum Cõmentariorum in Danielem, in explicando quęstionem septimã,manifestis argumẽtis ostẽsum est.

Ad cæteros autem Doctores quorum nobis opposita est auctoritas,respondendum est:primò quidem, eos superiorum auctoritatem secutos,ab illis prodita,bona fide prodidisse: tum eos nõ aliam ob causam putasse paradisum nunc extare, nisi quia credebant Henoch & Eliam in illo paradiso versari: id autem obscurum & dubiũ esse, nec siue affirmetur sine negetur spectare ad fidẽ Catholicam, paulo supra ex Augustini sententia ostendimus.his adde, quod nullus istorum Doctorum opinionem illam suam tenet tanquam certam, & quæ secundum fidem Catholicam omnino teneri debeat:
B nec quisquã eorũ contrariam sententiã ceu hæreticã, vel suspectam in fide,vel temerariã dãnauit.quin B.Thomas non simpliciter ausus est affirmare,Henoch & Eliã viuere in illo paradiso terrestri, sed vbi de hoc loquitur,solet id dicere cũ illa adiunctione, vt dicitur, vel vt creditur:veluti in prima par.quæst.103.art.2.& in secunda secundæ q.64.art.2.& in 3.part.q.49.art.2.docet, Paradisum, tametsi à nullo habitetur,non esse tamen frustra: nec de Henoc & Elia verbum facit vllum:quos si putasset ipse inibi habitare, facilius fuisset responsum,negare paradisum nunc à nemine habitari.Ex his apparet,Paradisum nunc non existere,videri satis probabile:nec huius opinionis fidẽ,tam vllis Scripturæ testimoniis vel argumentis, quàm nouitate
C eius aut paucitate nec magno nomine Auctorũ qui adhuc eã sequuti sunt,eleuari. Posset igitur, si ea publicè doceri posse videatur, vt probabilis doceri ac defendi: donec eam certiorem & tutiorem faciat maior doctorum & piorum hominum eã sequentiũ consensus.

Multa quæ ad hanc quæstionem pertinent, latius & diligentius infra lib. 7. in vltima Disputatione quæ est de Trãslatione Henoch quæst. 7. ab Auctore disputantur.

Sed vnus etiam nunc restat eximendus scrupulus ab Augustico iniectus:quippe in libro 2.contra Pelagium & Celestium capite 23. significat Augustinus paradisum nunc existere, fidem Christianam sine vlla dubitatione sentire. ponam hic ipsa verba Augustini:*Sunt*, inquit, *nonnullæ quæstiones in quibus salua fide qua Christiani sumus, aut ignoratur quid verum sit,& sententia definitiua suspenditur, aut aliter quàm est,humana & infirma suspicione coniicitur.veluti cum quæritur, qualis, vel*
D *vbi sit paradisus vbi constituit Deus hominem quem formauit ex puluere:cũ tamẽ esse illum paradisum fides Christiana non dubitet. vel cũ quæritur vbi sit nũc Helias vel Henoch,an ibi,vel alibi: quos tamẽ non dubitamus in quibus nati sunt corporibus viuere.* Hactenus Augustinus. Verùm ad hoc respondendum est, Augustinum istis verbis non aliud significare voluisse, nisi Paradisum quem descripsit Moses, intelligendum esse locum quendam corporatum, aspectabilem, & terrestrem: non autem vt Origeni & aliis placuit, tantummodo spiritualiter & mysticè esse accipiendum. Nam qhod secundum fidem Catholicam sentiendum sit paradisum nunc extare: non voluit dicere Augustinus. Vbi enim aut quomodo id fides Christiana docet? An quia persuasum

Obiectio ex verbis S. Augustini.

Diluitur obiectio.

est multis Henoc & Eliam in Paradiso versari? at enim illo eodem loco dubium & incertum hoc facit Augustinus. An quia in libro Ecclesiastici, cap. 44. scriptum est, Henoch trãslatum esse in Paradisum? sed nec Scriptura Græca ibi habet vocabulum Paradisi, & ea vox nõ tantùm propriè significat illum Paradisum in quo fuit Adam, sed vniuersè quemuis locum amœnissimum & iucundissimum. an quia ex his quæ traduntur in sacris literis, hoc elici & deduci potest? nihil minus: immò verò ex diuina Scriptura contrarium magis posse colligi, supra ostendimus. an quia hoc aliquando Ecclesia decreuit, & credendum esse constituit? verùm nec est vnquam ab Ecclesia definitum, & cum sit res quæ ad Fidem Catholicam minimè spectet, sub certas illas & indubitatas Ecclesiæ definitiones & decreta nõ cadit. an denique propter multitudinem & auctoritatem eorum qui hoc senserunt ipsi, & memoriæ proditum posteris tradiderunt? sed istos auctores non magnum habere pondus ad istud probandum, in aperto est ex superiori nostra disputatione.

A

B

RESTAT igitur, hanc controuersiam, An Paradisus nunc sit in natura rerum, de numero esse earum rerum quæ contrarias in partes, (salua fide Catholica) agitari & tractari possunt. Nobis tamen visum est multo probabilissimum, terrestrem illum Paradisum generali diluuio destructum, hoc tempore nullum esse. Hanc nempè sententiam doctissimi quique huius nostri sæculi maximè approbarunt, atque inter hos (vt vnius & scriptoris, & iam mortui, sanè viri admodum Catholici & docti nomen memorem.) Cornelius Ianseníus Episcopus Gandauensis in suis Commentariis super caput 143. Concordiæ Euangelicæ eam prodidit ac defendit. Verùm de hac aliis supra positis quæstionibus, quæ scilicet pertinebant ad illa verba Mosis: *Plantauerat autem Deus Paradisum voluptatis à principio*, hactenus disputata, lectori nec habeti, nec in sacris litteris inexercitato satis esse possunt. Nos ad reliquam Mosis orationem de Paradiso interpretandam pergamus.

C

GENES. CAP. 2. VERS. 9.

D

Produxit Dominus Deus de humo omne lignum pulchrum visu & ad vescendum suaue.

INCOMPARABILIS, & nisi traderetur in diuina Scriptura, planè incredibilis, fuit illius Paradisi venustas, pulchritudo, magnificentia, & omnium bonorum optabilium homini abundantia: quam quidem Moses his paucis verbis adumbrauit potius quàm expressit: de qua multa Basilius in oratione de Paradiso, Augustinus lib. 14. de Ciuitate Dei, Damascenus libr. 2. de Fide orthodoxa, cap. 11. tradiderunt. Omnis autem paradisi præstantia tribus potissimum in rebus videtur esse posita: In cœlo & in aëre, in aquis, & in ipso

A in ipso terræ solo. In cœlo summa erat salubritas, & omni tempore suauissima quædam æquabilitas & tãquam perpetuum quoddam ver. nam etsi annus suas temporum vices ageret, tamen vicissitudo illa variabat potius voluptatem, quàm tollebat. erat in aëre magna serenitas & claritas: erat admodum propitius, benignus & salutatis cœli aspectus, omniúmque defluxus astrorum. aquarũ ingens erat copia irrigantium Paradisum, mira perspicuitas, & ad bibendum suauitas atque salubritas, & in his incredibilis piscium abundantia. In magnis laudibus Sodomæ, prius quàm subuerteretur à Deo, illud memoratur in primis Gen. 13. quod tota irrigaretur à Iordane fluuio similiter vt Paradisus Domini. Terra autem Paradisi vsquequaque optima & fertilissima spontè sine labore & molestia hominis
B (non tamen sine eius cultura) omnia proferens: nihil gignens noxium, aut nulli futurum vsui, sed largissimè suppeditans quæcumque omnes sensus hominis suauissima possent iucunditate ac voluptate complere: gustatum dico suauissimis saporibus, odoratissimis herbis & floribus odoratum: visum varietate colorum & figurarum venustate, auditum leniissimo spirãtium aurarum sonitu, & dulci auium concentu. Alimentorum porrò suppetebat quanta optari poterat copia, salubritas, iucunditas, & parandi facilitas. dicam vno verbo, nihil quod homini optabile esset, ei loco aberat. Meritò igitur Damascenus supradicto loco dixit, Paradisum fuisse omnis lætitiæ &
C voluptatis promptuarium, & vniuersæ sensibilis venustatis intelligentiam excedens.

Triplex præstantia Paradisi, ex cœlo, aquis, & terra.

Sed perpendamus verba Mosis, *Produxit Dominus Deus de humo omne lignum pulchrum visu, & ad vescendum suaue*, Hæc verba quidam legunt coniunctè, quasi Moses significet omnes Paradisi arbores fuisse simul & pulchras visu & suaues ad vescendum: quare putant isti arboribus infructiferis nullum fuisse in Paradiso locum. nam infructuosarum arborum nunc quidem humanæ vitæ fragili, caducæ, multorúmque indigenti, multiplex vsus est, ad calefaciendum corpus, coquendos cibos, fabricandum, & ad remedia & medicinas morborum: in statu verò innocentiæ, nihil istis opus fuisset homini. Prætereà Deus dixit Adamo: *Ex omni ligno Paradisi comede*, omnis igi-
D tur arbor Paradisi fructifera erat & vtilis homini ad vescendum.

His ego non assentiot: perspicuis enim verbis Moses docet fuisse in Paradiso omnia genera arborum, tam quæ ad oblectandum aspectum, quàm quæ ad suauitatem cibi hominis pertinerent. nam si aliter fuisset, profecto non fuisset in Paradiso ficus, arbor minimè quidem pulchri aspectus, suauissimi tamen fructus: nec summis hominum deliciis, quæque præcipua voluptate tam visum quàm odoratum hominis afficiunt, rosas dico, violas & lilia, caruisse Paradisum credendum est. quod si nulla quæ ad cibum hominis non pertinet arbor in Paradiso fuisset: quomodo in illo statu innocentiæ perfectam earũ arborum scientiã, quæ per sensus multaq; experimenta

Fuisse in Paradiso arbores, etiam quæ non pertinebant ad cibum hominis.

colligitur, acquisiuissent homines? adiũgit huic opinioni fidem quod A est apud Ezechielem, cap. 31. eo siquidem loco inter arbores Paradisi numerantur quædam cibo hominis alienæ & infructuosæ, velut cedri & abietes. Nec sanè officit nostræ sententiæ illud à Deo dictum Adæ: *Ex omni ligno Paradisi comede*, intelligendum enim est, ex omni ligno, scilicet ad comedendum idoneo: quemadmodum dictum illud Pauli in priori epistola ad Timotheum, cap. 4. iubentis Christianos omni creatura vesci cum gratiarum actione, haud dubiè intelligendum est de creatura quæ ad cibum hominis pertinet.

An intra Paradisum fuerint animalia.

Potest etiam hoc loco ad disceptationem adduci, an intra Paradisum fuerint animalia. Negat Damascenus in lib. 2. de Fide orthodoxa, cap. 11. scribens solùm omnium animalium hominem habitasse in Paradiso. Nec id videtur à ratione vacuum: nihil enim de Paradiso cognoscere vel affirmare debemus, nisi quod traditum est in diuina Scriptura: hæc autem, arborum quidem atque fluminum Paradisi, & ipsius hominis qui in eum à Deo illatus est, apertam & explicatam, animalium verò quæ ibi fuerint, nullam planè mentionem facit. Et sanè, si fuissent animalia in Paradiso: ea diluuij exitium effugissent, reclamante Scriptura in 7. capite Geneseos, cunctas animantes terrestres diluuij aquis interiisse. Quid item opus fuisset tanta cura ex omni specie animantium aliquot seruare in arca, cum ex animalibus in Paradiso conseruatis species omnium seruari ac deinde multiplicari potuissent? Damasceno Tostatus in 13. caput Geneseos, quæstione. 87. & 98. & rursus 113. & 114. partim assentiri, partim dissentire visus est. B C

Auctoris sententia.

Mihi tamen similius vero est, fuisse animalia in Paradiso. hoc tradit Iosephus in 1. libro Antiquitatum: hoc disertis verbis docet Basilius in Oratione de Paradiso: hoc confirmat Augustinus, scribens in libro 4. de Ciuitate Dei, cap. 11. simul cum primis illis hominibus fuisse in Paradiso cætera etiam animalia, innoxia tamen illis & subdita: hoc etiam Damascenus proximè antecedente capite docuerat, ita enim ibi ait: *Omnia animalia ante transgressionem homini subdita & ad manum obedientia erant, quia omnium constituerat eum Deus Principem & Dominum: serpens autem plus cæteris erat familiaris homini, frequenter ad ipsum accedens & placidis motibus ei blandiens: quapropter per ipsum præcipuè diabolus primis parentibus venenum instillauit.* Sic Damascenus. Adscribam hic quoque verba Basilij ex oratione eius de Paradiso: *In Paradiso*, inquit, *omnia erant auicularum genera, quæ & pulchritudine colorum & dulcedine concentus incredibiliter oblectabant hominem. Erant illic variorum etiam animalium spectacula: sed erant omnia mansueta, obedientia homini, inter se concorditer & pacificè viuentia, quæ & audiebant inter se, & loquebantur sensatè. Serpens autem non erat tunc horrendus, sed mitis & mansuetus: nec terribiliter in terræ superficie veluti natans reptabat, sed sublimis & erectus pedibus insistens ingrediebatur.* Hactenus Basilius. D

Adest

A ADEST quoque huic opinioni ratio valde probabilis. Si enim homini in Paradiso habitanti datum est à Deo imperium in omnes animantes, non est dubitandum quin fuerint in Paradiso animalia, in quæ posset imperium suum exercere. Eua quoque in Paradiso, si nec serpentem nec vllum aliud animal vidisset: profecto aspectu serpentis & sermone, tanquam re prius insolita commota fuisset, nec tam securè ac familiariter sermonem cum eo miscuisset. Adiice & illud, si non fuissent animalia in Paradiso, qui eo loco fuissent homines, priuati essent multis nec exiguis voluptatibus quas ex variis animantibus capimus: nec absolutam animalium scientiam non sine certis eorum experimentis parabilem, potuissent consequi. Aiunt illi, hoc nusquam tradi à Mose; at enim, sat est
B id esse consequens atque congruens aliis à Mose traditis. quamquam nec hoc non indicauit Moses cum dixit: Omnia animalia ducta esse ad Adamum in Paradiso versantem, vt is nomina eis imponeret, nisi fortè iuuet fingere, ea nominibus acceptis protinus omnia è Paradiso excessisse. Insistunt præterea nos vrgere, si fuissent animalia in Paradiso, fore vt ea seruata essent ex illo generali diluuij exitio. Sed non est id necessario consequens: nam vel vnà cum Adamo eiecta sunt ex Paradiso: vel quia Paradisum diluuio destructum existimamus, simul etiam illa, si quæ in Paradiso vsque ad id temporis remanserant, interierunt.

C

DISPVTATIO
De arbore vitæ.

Produxit etiam Dominus Deus lignum vitæ in medio Paradisi. GEN. 2. VERS. 9.

D HEBRAICE ad verbum est *Lignum vitarum*, in quo duplex est Hebraismus: nam & *vitarum*, dictum est pro *Vitæ*, & rursus, *Lignum vitæ*, consuetudine linguæ Hebrææ, quæ caret adiectiuis, positum est pro lignum vitale seu viuificum, scilicet, quod miram haberet vim atque naturam non solùm ad vitam hominis conseruandam, sed etiam perpetuandam & velut quodam immortalitatis genere donandam. lignum quoque pro arbore positum est. Sed qui curiosè mysteria vndecumque, etiam vbi nulla sunt, eruere student, lignũ vitarũ, non sine magna ratione dictũ putant. varias autẽ ipsi eius appellationis rationes afferũt. Prima ratio, quia longissimam homini vitam tribueret,

bueret, & quòd vna instar esset multarum vitarum quas nunc homi- A
nes agunt. Longissima enim vita hominis nunc est centum circiter
annorum: ac fructus illius arboris vitæ, potens fuisset producendi vi-
tam hominis, verbi gratia, ad tria vel quatuor millia annorum, quod
tempus quadraginta nostrates vitas continet. meritò igitur appella-
tum est lignum vitarum. Secũda ratio, quia fructus illius arboris tres
hominis vitas, vegetatiuam dico, sensitiuam, & intellectiuam inte-
grè ac perfectè in suo quamque virore, ac vigore conseruabat. Ter-
tia ratio, quia non vni tantùm Adamo, sed omnibus eius posteris,
si quidem status ille innocentiæ stetisset, vitam illam immortalem
suppeditasset. Quarta ratio, quia dupliciter fouebat & sustinebat vi-
tam hominis: tum quia consumptum humorem naturalem vi calo-
ris, fructus illius arboris resarciebat ac reficiebat: idq; erat illi cõmune B
cum fructibus aliarum Paradisi arborum: tum quia (& hoc proprium
erat illius arboris) humorem naturalem imminutum ac deperditum
redintegrabat pari puritate & synceritate ei quam prius habuerat e-
tiam in ortu hominis: ipsum etiam calorem naturalem ita corrobo-
rabat, vt eriam si continenter agendo vt fit, nonnihil pateretur, be-
neficio tamen illius cibi ita confirmabatur, vt nunquam debilita-
tus flaccescceret, vnde senectus nascitur, & qui senectutem comitan-
tur complures defectus naturales. Quinta ratio, duobus modis di-
citur vita: nam ipsum esse in viuentibus dicitur viuere, non esse au-
tem, mori: præterea verò ipsum esse, vacuum tamen molestiis & do-
loribus, & cum tranquillitate ac voluptate coniunctum, propriè ap- C
pellatur viuere: ex aduerso autem, viuere in miseriis & doloribus,
mors dicitur, sicut vita eorum qui sunt in inferno, in sacris litteris
mors appellatur. Ergo vocabatur lignum vitarum, quia non solum
præstabat homini vitam longissimam, sed etiam quietissimam, iu-
cundissimam, omniúmque malorum expertem. Hæc si tam placue-
rint lectoribus, quàm auctoribus eorum placuerunt, non fuit fortasse
nullum operæ pretium ea prodidisse.

Cur Hebraicè dictum sit Lignum vitarum.

Quomodo intelligendum sit, arborem vitæ fuisse in medio Paradisi.

Illvd autem quod inquit Moses, Arborẽ fuisse in medio para-
disi, vel est Hebraismus, significans eam arborem in solo Paradiso,
extra illum autem nusquam alibi fuisse: nam habitare in medio po-
puli vel ciuitatis vel aliquorum, secundum phrasim Scripturæ, si- D
gnificat habitare inter ciues seu populares, aut inter aliquos: vel si-
gnificat eius arboris dignitatem & excellentiam, inter omnes Para-
disi arbores principatum obtinentis: vel denique significat eam ar-
borem fuisse in meditullio Paradisi, quòd terra eius loci aut excel-
sior, aut felicioris esset fertilitatis, & quo vndique ab omnibus
commodius adiri posset. Sed illud *In medio Paradisi* non est accipien-
dum de medio Mathematico, sed physico vel morali: non enim sola
arbor vitæ erat in medio Paradisi, sed etiam arbor scientiæ boni &
mali: duæ autem arbores non potuissent esse in eodem medio loco,

subtili.

A subtilitate mathematica designato ac definito. Cæterùm, quoniam hæc arbor vitæ multas habet quæstiones, multaque dictu mira & explicatu difficilia, deinceps singulas quæstiones enucleatè ac subtiliter explicabimus.

QVAESTIO I.

An arbor vitæ fuerit cæterarum arborum similis, hoc est corporea & terrestris: an verò fuerit quippiam intelligibile & spirituale.

B ARISTOTELES in libr. 3. Metaphysicorum textu 15. dissimulanter irridens Hesiodum aliosque veteres poëtas (ipse vocat Theologos) à quibus proditũ erat, Deos qui non gustarent nectar & ambrosiam esse mortales, qui autem illis alerétur immortales esse: hoc refellit eo argumento, quod vel vtebantur ambrosia & nectare voluptatis tantùm causa, vel etiam necessitatis: si solius voluptatis causa, nõ igitur illud alimentum præbebat eis immortalitatem: sin autem necessitatis, non futuri sine eo cibo immortales; id esse dicit de numero eorum quæ fieri nõ possunt: nam quod cibo indiget, suapte natura solubile & mortale est: quod autem huiusmodi est, nulla ratione indissolubile atque immortale effici potest. Sic ibi Aristoteles, qui similia
C profecto de arbore vitæ dixisset, si Fidei lumen ei affulsisset.

NONNVLLI de nostris, vt Origenes & quos supra allegoricos paradisi Interpretes nominauimus, partim quò se facilius ex omnibus difficultatum tricis expedirent, partim rati, donum immortalis vitæ nullius terrestris & corporeæ arboris effectum esse posse, quæ Moses de arbore vitæ scripsit, ea putauerunt ipsi non propriè & historicè vt ipsa verba sonant, sed figuratè secũdum sensum mysticum & allegoricum esse intelligenda. Verum, quidnam oporteat intelligere arborem illam vitæ, variè interpretantur: Quidam exponunt diuinam Sapiẽtiam, quippè Salomon Prouerb. 3. vocat eam Lignum vitæ iis qui apprehendunt eam. Alij Christum Dominum, ipse enim
D dicitur Panis vitæ, Fons vitæ, & Lignum vitæ: Quidam verò etiam cœlestem felicitatem, de qua Ioannes in Apocalypsi c. 2. ait, *Vincenti dabo edere de ligno vitæ, quod est in Paradiso Dei mei.* Similia scribit idem Ioannes in eiusdem libri cap. 22. Augustinus Eugubinus in sua Cosmopœia, per arborem vitæ symbolicè significatã esse putat immortalitatem, quam Deus ceu præmium Adamo promiserat, si præceptis eius obtemperasset. Lata enim illa lege ne ederet de arbore scientiæ boni & mali, interminatus est eam violanti mortem, vt metu tantæ pœnæ à transgressione deterreretur: simul etiam obseruanti legem, pollicitus immortalitatem, vt ad eam custodiendam, tanto proposito bono, vehementius commoueretur.

Arborẽ vitæ fuisse verã & terrestrẽ arborem.

VERVM enimvero ista vt non aspernandam habẽt intelligentiam allegoricam, sic à germano & historico sensu sunt remotissima.non enim in dubium verti debet,arborem vitæ fuisse veram & naturalem arborem,eiusque vim & effectum fuisse, ab omni corruptione corporis ipsaque morte hominem seruare. Etenim hoc liquidò cernitur ex Mosaica narratione, quæ tota est historica: ait enim Deum produxisse ex humo omne lignum visu pulchrum & ad vescendum suaue,subditque, *Lignum etiam vitæ in medio Paradisi.* illa autem particula *Etiam*, indicat arborem vitæ fuisse ex humo procreatam,& naturalem arborem non secus atque alias omnes paradisi arbores.Moses item ostendit fructum illius arboris potuisse ab homine comedi,quinimo in vsus hominis esse comparatũ. Quamobrem ne fructum eius arboris homo etiam post peccatum comedens,immortalitatem consequeretur;aditum ad eam arborem omnino fuisse ei à Deo intercluſum. quo satis apparet, nomine illius arboris,nec diuinam Sapientiam,nec Christum dominum posse intelligi:non enim hæc post peccatum adempta sunt homini, nec est ipsi ad ista adeundi & perueniendi potestas ablata.

Egregia S. Augustini sẽtentia de veritate arboris vitæ.

PONAM hoc loco luculentissimam Augustini sententiam ex libro eius de Ciuitate Dei 13. & capite 21.quo loco exponit,quæ tradit Moses de Paradiso & arbore vitæ,quemadmodum & alij fuerint interpretati,& ipse putet esse intelligenda.Verba eius ita se habent: *Nonnulli totum illum paradisum,vbi primi homines fuisse narrantur, ad intelligibilia referunt,arboresq; illas & ligna fructifera in virtutes vitæ moresq; conuertunt:tanquam visibilia & corporalia illa non fuerint, sed intelligibilium significandorum causa,eo modo dicta vel scripta sint.Quasi propterea non potuerit esse paradisus corporalis,quia potest etiam spiritualis intelligi:tanquam ideo non fuerint duæ mulieres Agar & Sara,& ex illis duo filij Abrahæ,vnus de ancilla,alius de libera,quia duo testamenta in eis figurata dicit Apostolus. Nemo itaque prohibet intelligi paradisum,vitam beatorum:quattuor eius flumina,quatuor virtutes,Prudentiam,Fortitudinem,Temperantiam atque Iustitiam:& ligna eius,omnes vtiles disciplinas:& lignorum fructus,mores piorum: & lignum vitæ,ipsam bonorum omnium matrem Sapientiam: & lignum scientiæ boni & mali,transgressi mandati experimentum. Possunt hæc etiam in Ecclesia intelligi,vt ea melius accipiamus tanquam prophetica indicia præcedẽtia futurorum: Paradisum scilicet ipsam Ecclesiam,sicut de illa legitur in Cantico canticorum: quattuor autem paradisi flumina,quattuor Euangelia:ligna fructifera, sanctos: fructus autem eorum,opera eorum:lignum vitæ,sanctum sanctorum, vtique Christum:lignum scientiæ boni & mali,proprium volũtatis arbitrium.Hæc & si qua alia commodius dici possunt de intelligendo spiritualiter paradiso, nemine prohibente dicantur,dum tamen & illius historiæ veritas fidelissima rerum gestarum narratione commendata credatur.*Hæc Augustinus.

QVÆ

A

QVAESTIO II.

An arbor vitæ fuerit eiusdem speciei, & similis alicui nostrarum arborum.

ENODATIO huius quæstionis pēdet ex alterius quæstionis paulò infrà tractandæ explicatione; an vis illa & potentia arboris vitæ seruandi hominem ab interitu, & faciendi quodammodo immortalem, fuerit ei supernaturalis, hoc est, non ex natura eius proueniens, sed extrinsecus Dei munere ei concessa; an verò fuerit naturalis, ex
B intimis eius arboris principiis & ex naturali eius constitutione existens, eique naturaliter inhærens. Nam si vis illa & admirandus ille effectus erat supernaturalis, nihil prohibet eam arborem fuisse similem aliarum: potuit enim Deus effectum illum supernaturalem per quamlibet arborem, vel ficum vel pyrum vel prunum operari: quoniam princeps causa efficiens & operans illum effectum, non erat vel natura, vel naturalis aliqua proprietas alicuius arboris; sed erat diuina potestas assistens arbori, vel per arborem sic operans. non enim quia vmbra prætereuntis Petri sanabat ægrotos, ideo illa differebat specie ab vmbris aliorum hominum: aut quia semicinctia & sudariola Pauli propulsabant morbos & dæmones ab hominibus,
C idcirco diuersam aliis cingulis & sudariis speciem habebant: nec quia Baptismi aqua eluit animi sordes, propterea specie distingui ab aliis omnibus aquis censenda est.

SIN autem illa vis & effectus arboris vitæ naturalis erat, & ex propria eius arboris natura profluens; profecto existimare conuenit, eam arborem extra ordinem fuisse aliarum omnium arborum, nec cuiusquam earum natura & specie similem. Etenim diuersa operatio & effectus naturalis, arguunt diuersam vim & potentiam efficientem: diuersa vis efficiens, arguit diuersam naturam. Cum igitur admirandus ille effectus arboris vitæ in nulla cæterarum arborum adhuc visus sit: concluditur, arborem vitæ omniū aliarum arborum
D fuisse dissimilem. Præterea, virtus naturalis alicuius arboris, in cunctis eiusdem speciei arboribus cōmuniter inest, differens fortasse tātùm secundum magis & minus: quæ tamen differētia arboribus extranea & aduentitia est, scilicet quæ aut ex benigniori cœlo, aut ex fertiliori solo; aut ex meliore hominis cultura eis contingit: eiusmodi autem differentia, paradisi arboribus quæ illa omnia habebant paria, inesse non poterat. Ergo, quia tanquam probabilius infra dicturi sumus, virturem & effectum illum arboris vitæ fuisse naturalem, dicendum est nunc arborem illam fuisse singularem, & talem qualis nulla eius speciei vel intra paradisum, vel extra inueniretur.

An fuerit vna dūtaxat Arbor vitæ, an multæ.

ILLVD tamen dubitari posset, an Arbor vitæ fuerit vna dūtaxat

numero, an verò multæ fuerint eiusdem illius speciei, eiusdem potentiæ ac effectus arbores. Tostatus in caput 13. Geneſis qu. 163. negat fuisse plures vna. Nam si fuissent, inquit, plures vna, vel illæ fuissent intra paradisum, vel extra: nó extra paradisum, sic enim potuisset homo post peccatum ex illis edens mortem effugere; frustra igitur tanta Deus custodia aditum paradisi præmuniuisset; eo, scilicet, consilio, vt inquit Scriptura: ne in posterum homo fructum illius arboris comedens, in æternum viueret, nec intra paradisum erãt multæ arbores vitæ: tum quia vbicumque Moses loquitur de hac arbore vitæ (loquitur autem non semel in secundo & tertio capite huius libri) semper eam vocat numero singulari, Arborem vitæ: tum quod ait eam fuisse in medio paradisi, quod in multis arboribus verè dici non potest. Satis autem erat vna arbor vitæ ad id propter quod erat instituta, hoc est, non in cibum quotidianum hominis ad eum alendum & nutriendum, sed comparata erat in modum medicinę seu cibi medicati, aduersus naturales defectus qui processu ætatis homini accidunt, & contra eorum defectuum terminum, qui est mors: itaque fructum illius arboris bis aut ter in anno satis fuisset homini comedere. Mihi vt probabile est, à Deo casus & lapsus Adæ præscio, vnam duntaxat in paradiso arborẽ vitæ esse procreatam, quid enim opus erat pluribus? ita fit admodum credibile, si status ille felicissimus, quem vocant innocentiæ vel iustitiæ originalis, in omnibus Adæ posteris perdurasset, numerosissimè multiplicato genere humano, pariter quoque multiplicatum iri arborem vitæ: non enim tantę hominum multitudini vnica arbor, ne ad vsus quidem tantum medicinales satis esse potuisset.

Anctoris cõiectura.

A B C

QVAESTIO III.

Cur dicta sit arbor vitæ, & an verè largiretur homini vitam immortalem.

AVGVSTINVS Eugubinus in sua Cosmopœia, dictam esse putat arborẽ vitæ, non effectiuè quod vitã faceret immortalem, sed significatiuè quia symbolũ esset & signum immortalitatis, Adamo si legem Dei custoditet propositæ. Verùm Eugubino aduersantur omnes fermè tam Græci quàm Latini scriptores, summo cõsensu immortalem vitam effectum illius arboris futurum fuisse interpretantes. Dicebatur igitur arbor vitæ, non quod vitam daret nõ viuenti, neque enim vitam præbebat nisi fructum eius comedenti: comedere autem, tantummodo est viuentium, nec vocabatur arbor vitæ, quod vitam hominis foueret & sustineret, id enim omnium bonorum & salubrium ciborum commune est: nec quia multo longiorem vitam faceret ea quam nunc viuunt homines: hoc enim præstiterunt homini ante diluuium

D

Cur diceretur Arbor vitæ.

A luuium herbæ & arbores, etiam quæ extra paradiſum erant: nam cũ ante diluuiũ nullus eſſet vſus carnium, ſed cibus ex plãtis tãtummodo caperetur, quoſdam hominum illorum vltra nongenteſimum annum vitam produxiſſe legimus: quinetiam credere par eſt, fructus arborum quæ erat in paradiſo, vim habuiſſe prorogandi vitam humanam fortaſſe ad milleſimum & quingenteſimum annum, etiam ſi homo in paradiſo habitans fructum arboris vitæ non comediſſet.

Toſtatus putauit Arborẽ vitæ habuiſſe vim faciendẽ hominẽ ſimpliciter immortalem.

CVR igitur præcipuè illa arbor cognominata eſt arbor vitæ? Toſtatus ſuper 13.cap.Gen.quæſt.175. cenſet propterea dictam eſſe arborem vitæ, quòd fructus eius vim haberet ſeruandi hominem à morte in omne tempus, & faciendi eum immortalem. hoc probat ipſe, primùm teſtimonio Scripturæ, quæ in tertio capite huius libri B narrat, idcirco Adamum ex paradiſo eiectum eſſe, & intercluſum illi aditum ad arborem vitæ, ne videlicet eius fructum comedens viueret in æternum: eſus igitur illius arboris vitam homini præſtabat æternam. idem confirmat eo argumento, quod Adam ſi Dei præcepto paruiſſet, nunquam moriturus erat: mortem namque Deus ei, tanquam pœnã legis violatæ interminatus eſt. quocirca Paulus ad Romanos 5. propter peccatum affirmat mortem in mundum intraſſe. & in libro Sapientiæ c.1. ſcriptum eſt, mortem non eſſe à Deo factam, ſed eam diaboli inuidia obrepſiſſe homini. Ergo in ſtatu innocentię non fuiſſet homo moriturus: mortem autem ab homine, fructus arboris vitæ propulſabat. deinde, ſi arbor vitæ tribuebat homini vitam ſex vel decem mille annorum, etiam in omne tempus tribuere C potuiſſet: ſi enim homo per decem millia annorum vitam incorruptam & ab omni malo integram, neque ſeneſcens, neque aliquatenus tabeſcens & deficiens ageret: profecto ſimili ratione in reliquum omne tempus viuere poſſet. Præterea, ſi permanſiſſet homo in ſtatu innocentię, propter eſum huius arboris, nulla ſenectutis incommoda, nullas ętatis moleſtias, nullos naturę defectus vnquam ſenſiſſet: ergo nec fuiſſet vnquam moriturus. mortẽ enim naturalem pręcedit ſenectus, multa quoque incõmoda labentis naturę & deficientis vitę, & inclinantis iam ad interitum ętatis nuncia mortis pręcurrunt, ſicut ait Paulus ad Hebręos ſcribens 8. *Quod antiquatur & ſeneſcit, prope interitum eſt.* Ad hoc, ſi fructus illius arboris vitę reficiebat hominem, reſtituens eum in ęqualem ſanitatem, firmitatem, D integritatem & vigorem, ei quem ab initio habuit, idque toties præſtabat, quoties in cibum vel medicamentum ſumebatur: nullo igitur tempore vires & vigor vitę poterant hominem deficere, niſi ab eſu illius arboris abſtinuiſſet: quod ſine magno ſcelere facere non poterat.

CONFIRMAT hanc ſententiam auctor quęſtionum veteris & noui Teſtamenti, vulgo putatus Auguſtinus, & eo nomine citatus à S. Thoma in prima parte, quæſt.97.art.1. Is enim in quęſtione 19. ita ſcribit, *Quandiu homo in Creatoris lege durauit, dignus fuit edere de arbore*

vitæ,vt mori non posset,nec enim corpus tale erat quod dissolui impossibile videretur:sed gustus arboris vitæ, corruptionem corporis inhibebat. Denique, etiam post peccatum potuit indissolubilis manere, si modo permissum esset illi edere de arbore vitæ:nam quomodo immortale corpus habebat, quod cibo sustentabatur? immortalis enim non eget cibo neque potu:cibus enim vires præstabat: vitæ autem arbor, medicinæ modo corruptionem omnem prohibebat. Sic enim homini erat quasi inexpugnabilis murus. Sic ille. Similia scribit ipse Aug. libr. 13. de Ciuitate Dei c. 20. & 23. affirmans hominem nisi peccasset, esu ligni vitæ liberatum iri à necessitate moriendi, & perpetuo in flore iuuentutis conseruatum iri. Idem videtur significare Chrysostomus homil. 18. in Genesim, & Rupertus lib. 3. de Trin. c. 30. vbi ait, quod semel sumptus ille fructus præstabat immortalitatem: quod est incredibile: quia naturale est, vt calor naturalis agendo patiatur, & conficiendo alimentum, eius vis hebetetur atque minuatur.

Sententia Chrysostomi & Ruperti de arbore vitæ.

VERVM Scoti in 2. lib. Sententiarum distinct. 19. quæst. 1. longè diuersa est sententia. Argumentatur illic Scotus, arborem vitæ non habuisse vim conseruandi vitam hominis infinito tempore, sed vsque ad aliquod modo definitũ tempus: quo exacto, translatus fuisset homo in vitam spiritualem & omnino immortalem: potentia enim illius arboris finita erat, ergo effectus quoque finitus, nec ad infinitum tempus efficax: poterat enim Deus aliam arborem, illa præstantioris & maioris potestatis creare, quare effectus eius longioris & diuturnioris fuisset durationis. Omne item agẽs physicum in agendo patitur & debilitatur: quare etiam in statu innocentiæ, calor naturalis hominis in ipsa nutritione alijsque actionibus aliquem defectum passus, tandem debilitatus esset: nec fructus arboris vitæ conuerti potuisset in nobiliorem statum, quàm erat manducantis ipsum, qui quidem iam erat debilitatus. In hanc sententiam inclinare videtur Beatus Thomas prima parte quæstione 97. articulo 4. & ibidem Caietanus.

Scotus cẽsuit, arborem vitæ habuisse vim coseruãdi hominem in vita ad longissimũ aliquod tẽpus, non tamen in perpetuum.

EGO vt opinionem Scoti probabiliorem iudicem, vel vno illo maximè ducor argumento: Si arbor vitæ vim habuisset cõseruandi hominis vitam ad infinitum tempus, fore illam vim & potentiã planè ociosam, inanẽ & superuacaneam, frustraq; ei arbori tributam. Cum enim homo in statu innocentiæ nõ esset vitam in terris æternam acturus, sed constituisset Deus eum ad tempus quoddam longissimum, definitum tamen, puta ter vel quater mille annorum, in terris viuere, posteà verò in statum meliorem commutatum, vitam ducere omni æuo in cœlis beatissimam: erat profecto rationi consentaneum, vt arbor vitæ potentiam haberet seruandi hominem incorruptum & integrum vsque ad illud tempus præscriptum: vltra verò illud tempus, nec opus erat homini, & fuisset sine vllo vsu atque omnino superuacuum. Deus autem & natura (inquiunt Philosophi) nihil frustra, nihil sine causa, nihil ad nullum vsum & finem faciunt. Et cum corpus humanũ sit intrinsecè corruptibile quadruplici

Auctor Scoti opinionem sequitur.

A plici nomine: quia ex materia, quia ex elementis, quia ex partibus heterogeneis contrarijsque coagmentatum est, quia denique calor eius debilior fit in dies, & ex repugnantia alimenti, & ex impuritate humoris alimentaris qui est pabulum eius: cum igitur ita se habeat corpus humanum, non potest fieri naturaliter vt non aliquando corrumpatur. Nec opinor ex vllo cibo vel medicina posse fieri calorem & humorem natiuum ita perfectum & purum; sicut est ab ortu hominis. Nec multiplicanda sunt miracula de illa arbore sine necessitate, cum secũdum nostram opinionem præclarè constent omnia quæ vel in Scriptura, vel à Patribus de ea traduntur. Ita sentit Caietanus in prima parte, q. 97. art. 4. & Durandus in secundo dist. 19. articulo primo.

B Intelligendvm hoc loco est, tres omnium animantium dissolutionis atque interitus esse causas. Prima causa est, quod earũ corpora rebus contrariis & inter se pugnantibus constant: conflata enim & coagmentata sunt ex quattuor elementis, ex quattuor humoribus, ex partibus item non solum diuersis, sed etiam aduersis contrarias naturas, affectiones & vires habẽtibus: Cerebrum enim frigidissimum est, cor calidissimũ, mollis & humida caro, os durum & siccum: contrariarum autem rerum consociatio, & copulatio, ad breue aliquod tempus constare potest: sed cum violenta sit, indissolubilis & sempiterna esse nõ potest. Altera causa est, quod calor naturalis insitus animantibus, ipsiúsque animæ ad omnes functiones

C eius naturale & generale quoddam instrumentum, cohæret humori natiuo tanquam pabulo quo pascitur & sustentatur, ipsum continenter conficiens atque consumens: qui licet per cibum & potum resarciatur, non tamen secundum eam puritatem & synceritatem quam primo habuit. Et quia omne agens physicum in agendo patitur, ipse quoque calor naturalis nõ agit sine passione, quo fit vt paulatim debilitetur: hinc oritur corruptio sanitatis, infirmitas virium, imbecillitas sensuum, senectutis incommoda, & malorum omnium extremum mors. Tertia causa versatur in iis quæ extrinsecus homini perniciem & exitium important: in his numerari debet aër pestilens, aqua obruens & suffocãs, ignis adurens sæua & venenata animalia, inimici homines, dæmones, & vt verbo dicam, quicquid est

D ex quo potest homini extrinsecus interitus accidere.

Tres causæ dissolutionis & interitus animalium.

Contra prædictas tres causas mortis, Deus hominem in statu innocentiæ potẽtissimis remediis, & validissimis præsidiis vsque adeo munierat & armauerat, vt siquidem permansisset ipse in Dei gratia, nihil mali quod ex causis illis proficisci posset, ei timendum esset. Etenim contra primam causam mortis, dederat Deus animæ hominis vim quandam supernaturalem, qua posset anima res illas contrarias ex quibus compositum est corpus hominis, in debita temperatione & æquabilitate omni tempore continere. De hac virtute S. Thomas quæstione 97. artic. primo. primæ partis, ita scribit:

Contra tres supradictas mortis causas, tria Deus in statu innocentiæ efficacissima antidota cõparauerat.

Corpus

Corpus primi hominis non erat indissolubile per aliquem immortalitatis vigorem in eo existentem, sed inerat animæ vis quædam supernaturaliter diuinitus data, per quam poterat corpus ab omni corruptione præseruare, quandiu ipsa Deo subiecta mansisset. quod rationabiliter factũ est. Quia enim anima rationalis excedit proportionem corporalis materiæ, conueniens fuit vt in principio ei virtus daretur, per quam corpus conseruare posset supra naturam corporalis materiæ. Hæc Sanctus Thomas, cuius sententiæ ratio hæc est: Nam cum anima rationalis ex se haberet vim informandi corpus in omne tempus, quippe quæ suapte natura immortalis est; corpus autem humanum quia est mortale, non sit per se capax immortalis vitæ; quò esset debita & æqualis proportio inter corpus & animam, data est animæ à Deo supradicta illa virtus seruandi corpus ab omni corruptione.

VERVM de hac virtute multi, nec sine causa, valdè ambigunt: videtur enim vel ipsa, vel arbor vitæ fuisse superuacanea; cum alterutra sola seruando homini à corruptione & morte sufficiens esset. nec facile intellectu est quemadmodũ illa virtus animæ posset corpus humanũ sine adiumẽto arboris vitæ ab omni corruptione semper conseruare, nos hac de re in alio libro quem de Creatione & felici statu primorum hominum, secundum hunc edemus, nostram sententiam explicabimus. Contra secundam causam mortis prouisum erat homini in statu innocentiæ per arborem vitæ, quæ præter id quod omnium alimentorum commune est, hoc est, alere & nutrire hominem, duplicem aliam habebat vim, & vtramque profecto admirandam: quippe fructus cum edebatur ab homine, tantam alimenti bonitatem habebat; vt non solum repararet ac reficeret humorem naturalem, sed etiam primigeniam eius puritatem & integritatem ei restitueret, præterque, calorem ita corroborabat & confirmabat, vt non sineret eum paulatim obtundi, debilitari, & languere, vnde sensuum, virium, denique ipsius vitæ defectus existit.

CONTRA tertiam causam mortis quæ ingruit extrinsecus, prospectum erat homini dupliciter; primò quidem per humanam prouidentiam; tunc enim homo excelluisset ratione & prudentia, scientiaque discernendi salutaria & conuenientia sibi, ab iis quæ noxia erant & pernicioſa, eaque præcauendi & declinandi: deinde, aderat illi singularis Dei prouidentia & cura: Angelorũ item custodia qua, quæ ab illo prouideri non poterant extrinsecus nocitura, penitus arcebantur. nullum illi periculum imminebat ex animalibus, cum essent omnia mansueta eique subiecta. nihil à dæmonibus timendum erat, aduersus quos præsidio Angelorum defendebatur: non ab aliis hominibus; in nullo enim tunc volũtas nocendi, aut incommodandi alteri homini fuisset. Sed de his satis.

Quamdiu in terris vixisset homo in statu innocentiæ.

ILLVD præterea quæri potest; Si esus illius fructus vitæ non ad infinitum, sed ad finitũ tempus seruabat hominis vitã, quantũ esset futurum illud tẽpus. Crediderim futurũ fuisse minimum ad octo vel decem

A decem millia annorum: quod si argumentari licet, Status hominis ante peccatum instructior & efficacior fuisset ad producendam hominis vitam, comparatione status humanis post peccatum ante diluuium, quàm fuit hic status, comparatione eius status in quo nunc est homo; quia vterque hic status est hominis peccatoris habentis corpus infirmum & mille malis obnoxium. Sed in statu hominis ante diluuium, vita fuit decuplo longior quàm est nunc: nam fere nongentos annos excedebat: ergo in statu innocentiæ vita hominis fuisset decuplo longior quàm fuit ante diluuium. Sed hoc intelligi volumus quantum pertinet ad vim & efficaciam arboris vitæ, & vigorem naturæ humanæ in eo statu: nam quandiu hominem Deus vi-
B tam in terris agere vellet, ne diuinari quidem potest.

QVAESTIO IIII.

An illa vis arboris vitæ seruandi hominem a corruptione, fuerit ei naturalis, an supernaturalis.

QVitam priorum quàm posteriorum Doctorum censuerint effectum illum arboris vitæ fuisse supernaturalem, qui contrà puruerint fuisse naturalem, expositis, hoc loco singulorum de arbore vitæ sententiis, li quidò in-
O telligi ac diiudicari poterit. Augustinus libro 8. de Genesi ad litteram capite 5. ita scribit, *Illud quoque adde, quamquam corporalem cibum, talem tamen illam arborem præstitisse, quo corpus hominis sanitate stabili firmaretur, non sicut ex alio cibo, sed nonnulla insuperabilis salubritatis occulta. Profectò enim licet visitatus panis, aliquid tamen amplius habuit, cuius una collyride hominem Deus ab indigentia panis diuersum quadraginta spatio vindicauit. An credere dubitamus, per alicuius arboris cibum, cuiusdam altioris significationis gratia, homini Deum præstitisse, ne corpus eius vel infirmitate vel ætate in deteriùs mutaretur, aut in occasum etiam labereturr qui ipse cibo humano præstitit tam mirabilem statum, vt in fictilibus vasculis farina & oleum deficientes reficerent, nec deficerent?* 3. Reg. 17. Hoc loco
B Augustinus duobus exemplis, altero subcinericij panis Heliæ, altero farinæ & olei illius viduæ Eliseï, declarat vim illam arboris vitæ nec videri debere incredibilem, & fuisse supernaturalem. Idem in eiusdem operis libro 11. & capite 40. ait, *Adamum propter peccatum separati debuisse à ligno vitæ, siue quòd ex ipso illo subsistentis felix ille status corporis ex re visibili, virtute inuisibili: siue quod in eo esset sacramentum visibile inuisibilis sapientiæ.* Et in lib. 13. de Ciuitate Dei capite 20. hoc modo scribit: *Corpora primorum parentum, ante peccatum sic erant affecta, vt licet spiritu vera viuerent, vt necessitate perducerentur ad mortem, qui statim eis de ligno vitæ quod in me-*

dio paradisi cum arbore vetita simul erat, mirabili Dei gratia præstabatur; A tamen & alios sumebant cibos, præter vnam arborem quæ fuerat interdicta. Et paulò infrà: *Alebantur aliis cibis quos sumebãt, ne animalia corpora molestiæ aliquid esuriendo ac sitiendo sentirent. De ligno autem vitæ propterea gustabatur, ne mors eis vndecunque subreperet, vel senectute confecti, decursis temporum spatiis interirent, tanquam cætera essent alimento, illud sacramento: vt sic fuisse accipiatur lignum vitæ in paradiso corporali, sicut in spirituali, hoc est, intelligibili paradiso Sapientia Dei, de qua Scriptum est, Lignum vitæ est his qui apprehenderint eam, & qui tenuerint eam, Beati,* Et infra 23. cap. eiusdem libri, *Adam*, inquit, *non immortalitate illa absoluta atque indissolubili, sed ligno vitæ à mortis necessitate prohibebatur, atque in inuentutis flore retinebatur.* Celebrata quoque est à Theologis scholasticis illa B eiusdem Augustini ex lib. 14. de Ciuitate Dei sententia: *Aderat homini in paradiso cibus ne esuriret, potus ne sitiret: lignum autem vitæ, ne senectus eum dissolueret.* Supra in quæstione 3. quid Auctor quæstionũ veteris & noui Testamenti, existimatus vulgo Augustinus, in quæstione 13. de arbore vitæ scriptum reliquerit, commemorauimus. Beda sic ait, *Lignum vitæ dictum est, quia diuinitus acceperat, vt qui ex eo manducaret, corpus eius stabili sanitate firmaretur, ne vel ætate in deterius vel tãdem in occasum dilaberetur.*

Prouerb. 3.

Bonauentura tria dicit fuisse Paradiso arborũ genera.

SANCTVS Bonauentura in secundo sententiarum distinctione 17. tria recenset arborum paradisi genera: *Quædam*, inquit, *proderant corpori ad eius nutritionem & sustentationem, de quibus Moses in vniuersum dixit, Produxit Deus ex humo omne lignum ad vescendum suaue.* C *Alia arbores proderant animæ hominis, huiusmodi erat arbor scientiæ boni & mali, cuius fructus interdictus est homini scilicet ad probandam eius obedientiam: à quo fructu, si præceptis Dei obediens abstinuisset, proculdubio dulcissimum immortalitatis fructum esset adeptus. Tertij generis fuit arbor vitæ, ipsi homini, hoc est, coniuncto ex anima & corpore, profutura: quippe tribuens perpetuam homini vitam, & indissolubilẽ faciẽs corporis & animæ cõiunctionem. Harum dũtaxat duarũ arborum propriè meminit Moses, propter singulares & admirãdos earum effectus, propter quos Deus eas posuerat in medio paradisi inter se propinquas: vt aspiciens homo arborẽ vitæ, amore immortalitatis ad obseruantiam diuinæ legis acrius incitaretur: cernens autem arborem scientiæ boni & mali, mortis metu tanquam fræno quodam in diuinorũ præceptorum obedientia contineretur. Dicta est autem arbor vitæ, non ob effectum quem ipsa habuit, sed ad quem ordinabatur, & quem sine dubio habuisset, si homo in Dei gratia perseuerasset.* D Idem Bonauentura eodem in loco textum Magistri explanans, tradit lignum vitæ non habuisse naturalem potentiam tribuendi homini immortalitatem, cum ipsum per se esset corruptibile, sed quia virtute sibi data disponebat hominem ad immortalitatem. diuina enim virtus tanquam Sacramento assistens, immortalitatem tribuebat. *Nec mirum esse debet, eius arboris fructu potuisse hominem disponi ad immortalitatem: cum multa sint aromata, veluti myrrha*

A *& balsamum, quæ longissimo tempore corpora seruant incorrupta. Ergo sicut Sacramenta nostra non creant gratiam, sed Diuina virtus ipsis assistens, in eorum legitima perceptione gratiam infundit: sic fructus eius arboris non dabat immortalitatem, sed Diuina virtus, cum fructus ille comedebatur, immortalitatem homini largiebatur.* Hactenus Bonauentura. Ex cuius verbis & ex illis Augustini supra positis, satis apparet & extat, ipsos sensisse, vim illam & effectum arboris vitæ fuisse supernaturalem.

Qui auctores senserint, virtutem arboris vitæ fuisse naturalem. Strabus in Genesim.

E diuerso, Strabus, Hugo de S. Victore & B. Thomas, videntur sensisse illam vim & effectum arboris vitæ fuisse naturalem. Strabus sic ait, *Lignum vitæ hanc naturaliter virtutem habebat, vt qui ex eius fructu comederet, perpetua soliditate vestiretur, nulla infirmitate, vel anxietate, vel*
B *seny lassitudine fatigandus.* Hugo de S. Victore ita scribit, *Lignum vitæ habuit in se naturam vt perpetuaret homini vitam si competēter ederetur. Factus est enim homo & mortalis & immortalis: immortalis quidem, quia poterat non mori per cibi sustentationem quo egebat: mortalis autem, quia perire poterat per extrinsecam violentiam. Sed Deus ita munierat eum intus per lignum vitæ sumptum in cibum, & extra per diuinam potentiam, vt posset non mori: intus, portam negligentiæ par rationem humanam: extra, portam violentiæ obserans per diuinam custodiam, vt nisi homo ratione abutens portam negligentiæ aperiret, nunquam per portam violentiæ aliquid ei noxium intraret. Sed quia noluit sibi cauere vt seruaret portam sibi commissam, meritò Deus eius deseruit custodiam.* Hæc Hugo.

Beatvs Thomas in prima parte quæst. 97. art. vltimo, argumē-
C tatur nō potuisse lignū vitæ præstare corpori humano aliquā dispositionem immortalitatis qua nunquā dissolui posset: *propterea quod virtus cuiuscumque corporis, est finita: & quāto aliqua virtus est maior, tanto imprimit durabiliorem effectum. vnde non poterat virtus ligni vitæ ad hoc se extendere, vt daret corpori virtutē durandi tempore infinito, sed tantummodo vsque ad determinatum tempus, quo finito vel homo translatus esset ad spiritualem vitā, vel indiguisset iterum sumere de ligno vitæ.* Sic Thomas, quæ argumentatio eius inualida esset, si virtus arboris vitæ dicatur fuisse supernaturalis; sin autem ponatur esse naturalis, est validissima.

Iudicium auctoris.

A d hanc posteriorem sententiam equidem libentius accedo, Sic enim mecum ipse reputare ac ratiocinari soleo: si virtus arboris vitæ
D fuisset supernaturalis, non adfuisset illi arbori post peccatū hominis, nec peccatori homini profuisset: atqui fuisse illam virtutē in arbore vitæ post peccatum hominis, apertè ostēdit diuina Scriptura, narrās propterea Deum tanta custodia aditum paradisi muniuisse, ne homo in paradisum auderet intrare, & fructum arboris vitæ comedēs, viueret in æternum. Sicut igitur virtus Sacramentorū, quia supernaturalis est, in eo qui cum peccato ea suscipit, effectus suos non operatur: ita si virtus arboris vitæ fuisset supernaturalis, nihil profecto peccatori homini profuisset: nec ad custodiendam arborem vitæ opus fuisset vllo præsidio, sed satis fuisse Deum non assistere illi arbori ad effectum illū operandū. Deinde, cū virtus illius arboris effi-

cax esset non ad infinitum tempus, sed ad tempus aliquod determi- A
natum, vt supra ostendimus, nihil prohibet eam virtutem fuisse na-
turalem. Si enim cæteræ Paradisi arbores potuissent conseruare ho-
minem naturaliter ad duo millia annorum, potuit etiam arbor vitæ
naturaliter eum conseruare ad tria vel quattuor annorum millia:
quæcunque enim specie arboris producta, potest Deus infinita
pollens vi & potestate, aliam præstantioris naturæ & maioris potē-
tiæ, atque efficacitatis procreare.

QVAESTIO V.

An Sapientes Gentilium, vllam arboris vitæ notitiam habuerint.

VAlde probatur mihi quod scriptum relinquit Iustinus martyr in secunda Apologia pro Christianis, summa dæmonis calliditate ac malitia esse factum, vt multa à Poëtis Gentilium fabulosa & commentitia fuerint prodita, eorum quæ traduntur in sacris libris, quàm similia: quò scilicet fides eorum abrogaretur diuinis litteris, in quibus traduntur multa omnem naturæ & humanæ intelligentiæ vim & potestatem excedentia: reputantibus qui ea legerent, nihilo plus ipsa esse credibilia priscorum Poëtarum fabulis & commentis, quorum essent consimilia: hoc Iustinus multis probat exemplis: sed in præsentia vnum ad id quod nūc agitur pertinens, satis erit. Moses tradit fuisse in Paradiso arborem vitæ, cuius fructus præstabat homini immortalitatem: hoc fortasse cum legisset Hesiodus aliiq; vetustiores Poëtæ (istos enim omnes multis sæculis Moses anteiuit) id ad fabulas suas transtulerunt, commenti deorum cibum ac potum esse nectar atque ambrosiam: quibus rebus qui alerentur, eos non modo immortalem, sed etiam viridem perpetuo ac florentem ætatem agere. Et nomina quidem ista figmenta bellè congruunt. Nectar enim dictum est auctore Suida, quasi νέους, id est bibentes ipsum faciens iuuenes, vel à particula negante νη, & verbo νήθω, id est interficio, quasi mortalitatem auferens nec sinens mori. Ambrosia verò dicta est quasi abrosia, id est, sine morte, aut quia caret ea mortalis, Græcè βρότος dictus. Celebratur etiam à Poëtis Nepenthes herba seu potio, omnem adimens dolorem & luctum: nam luctus Græcè πένθος, inde πενθεῖν. Eodem spectat Moly herba laudatissima Homero, homines ad iuuentutem reuocans, cuius vires Plinius libro 25. cap. 4. multis verbis describit. Fabulantur etiam Poëtæ, nectar & ambrosiam ministrari diis in mensa ab Hebe Iunonis filia, quæ vox iuuentutem significat: ex quo significarunt omnem deorum naturam semper florere, semperque suo robore pollere.

Nectar & ambrosia vnde deducta nomina.

NEC

A NEC aduersus arborem vitæ, sicut aduersus ambrosiam Poëtarum, valet argumentatio illa Aristotelis in tertio libro Metaphysicorum textu 15. quam suprà memorauimus. Nam quod ait, non posse esse immortale quicquid cibo indiget, si de naturali & absoluta immortalitate loquatur, libenter concedimus, & sine vlla dubitatione verum est. Sed Adamus, etiam in statu innocentiæ in Paradiso habitans & fructu arboris vitæ vescens, suapte natura tamen mortalis erat ac dissolubilis: esus autem arboris vitæ seruabat eum à morte, non quidem ad infinitum tempus, sed longissimo tamen euo, quoad scilicet in spiritualem ac cœlestem vitam, & in perfectæ statum immortalitatis transferretur.

Solutur Aristotelis Argumentatio.

B QVAERI posset, an Adam dum fuit in Paradiso, gustauerit & comederit fructum arboris vitæ? sed facilè est respondere, non comedisse. Primò, quia breuissimo tempore fuit in Paradiso, & fructus illius arboris non futurus erat cibum quotidianum ad hominem alendum, sed ad modum medicinæ, ad occurrendum naturæ defectibus, per longa temporum interualla sumendus. Deinde, esus illius arboris permittendus erat homini, siquidem ipse legem de non edendo fructu arboris scientiæ boni & mali seruasset: quare prius probanda erat aliquandiu obedientia Adami, quàm vt eum fructum comederet. Posteà, si edisset Adam illum vitalem fructum, haud dubiè longius quàm vllus mortalium vitam produxisset, cum tamen breuioris vitæ fuerit quàm Mathusalem, Iared & Noë.

Verũ Adam cum fuit in Paradiso, comederit fructum Arboris vitæ.

C *Cæterùm, vt de Arbore vitæ, sic de Arbore scientiæ boni & mali, nonnulla quæstiones enodandæ sunt.*

DISPVTATIO DE ARBORE Scientiæ boni & mali.

Lignum quoque Scientiæ boni & mali.

GEN. 2. VERS. 9.

QVAESTIO I.

D An fuerit illa vera & naturalis Arbor, & an vna tantùm.

DE Arbore vitæ dictum est: proximè sequitur Arbor scientiæ boni & mali, pauciorum quæstionum & facilioris explicationis, illaque in primis obuia quæstione, an fuerit corporea & terrestris arbor, negantibus id quibusdam propter scientiam boni & mali, quem effectum ipsius, nulli corporearum arborum conuenientem

Arborem scientiæ boni & mali fuisse corporalem, & vnam numero.

esse putauerunt. Sed perpendentibus verba Mosis, non potest esse A
in dubio, eam fuisse naturalem & corpoream arborem: vt quam
Moses cæteris arboribus ex humo generatis & in Paradiso consitis
annumerauit. Deus quoque eius esu, homini mortem comminatus
interdixit: ergo ferebat fructus qui poterant ab homine comedi. Eua
item aspiciens arborem aspectu pulchram, fructúmque eius ad ves-
cendum suauem, decerpsit, comedit, viróque suo dedit comeden-
dum. Neque verò cognominata est arbor scientiæ boni & mali, quòd
eum haberet effectum, vt fructum suum comedentes, boni & mali
scientes faceret: sed ob alias causas paulò infrà exponendas. Illud
etiam fit mihi admodum verisimile, vnicam duntaxat fuisse eam ar-
borem: nam & vna sat erat consilio & proposito Dei volentis per
eam probare hominis obedientiam: & vbicumque Scriptura eam B
nominat, singulari numero eam appellat, necnon & interdictio eius
ad Adamum & Euam tantum pertinebat, & in vna numero arbore
continebatur.

QVAESTIO II.

In qua specie arborum fuerit Arbor scientiæ boni & mali.

HOC, magis curiosam habet cognitionem: sed adhuc in- C
comperram, hac mea quidem sententia inexplicabilem:
ausi tamen quidam sunt eius arboris speciem propriè ac
nominatim indicare. Alij existimarunt fuisse vel vitem
vel frumentum: ea coniectura, quod in pane & in vino
Dominus corpus ac sanguinem suum in sacramento Eucharistiæ no-
bis exhibuerit, ad exoluendam videlicet expiandámque noxam, per
esum illius arboris ab Adamo contractam. Verùm cùm Scriptura eam
nominet arborem vbicũque de ea agit: satis appatet, neque frumen-
tum neque vitem esse potuisse.

Mira narrat Plinius de ficu Indica lib. 12. cap. 5. & de ficu Ægyptiaca, lib. 13. c. 7.

Philoxenes putauit illam arborem fuisse ficum.

MOSES Barcepha in libro suo de Paradiso, auctorem secutus
Philoxenem in oratione de Arbore vitæ, aliósque multos, censet eam D
arborem fuisse ficum: credibile enim esse, simul atque de ea arbore
primi nostri Parentes edissent, tum patrati sceleris animaduersione,
tum pudore nuditatis quæ pudenda ipsis & probrosa esse cœperat,
ex eo quod proximè ad manum erat, subligacula sibi comparauisse
quibus sua obuelarent pudenda. Ea verò ex ficulneis esse facta, te-
statur ipsa Scriptura, nec est simile veri, ipsos proxima eis arbore prę-
termissa ad aliam longius dissitam festinasse, ex cuius foliis subliga-
cula sibi concinnarent, quibus suam contegerent nuditatem. Theo-
doretus q. 28. in Genesim hoc ipsum tanta asseueratione affirmat, vt
extra controuersiam ponat.

TOSTAT

A TOSTATVS tamen super caput 13. Geneseos. quæst. 164. satis probabili argumento confirmat non fuisse ficum, scilicet vel eo ipso, quod ex foliis ficus sibi fecerunt subligacula. Nam cùm statim vt comederunt fructum vetitum, senserint & malum in quod incurrerant, & bonum quo fuerant priuati: haud dubiè ingens eos illius arboris horror & odium cœpit, ex qua tantum damnum accepissent: timuissent igitur eius folia cõtrectare, & sibi in vsum vestis admouere, maius aliquod malum ex ea sibi metuentes. Quid quod in cap. 3. libri Geneseos traditur, Arborem illam fuisse pulchram oculis & visu delectabilem? quod profecto in arborem ficus minimè quadrat. Neque verò necesse est, Euam & Adamum simul ex ea arbore edisse, quinimò perspicuè indicat Scriptura, Euam prius edisse ex ea arbore, posteà B verò fructum eius quem innoxiè comedisse sibi visa erat, ad virum suum detulisse.

Tostatus probat illã Arborẽ non fuisse ficum.

NON defuerunt qui opinati sint eam arborem fuisse Malum, propter id quod scriptum est in Canticis, c. 8. *Sub arbore Malo suscitaui te: ibi corrupta est mater tua, ibi violata est genitrix tua.* At enim verò doctrina illius libri tota est parabolica, quare propriè vocabulorum significationi nequaquam insistendum est: alioqui cogentur isti dicere, arborem crucis, sub qua significatur eo loco naturam humanã à Christo esse suscitatam, fuisse arborem Mali: quamquam nomen Mali generale est, multas arborum species complectens. Denique, non assentior arbitrantibus arborem illam diuersæ speciei fuisse ab omnibus C aliis arboribus: neque enim scientia boni & mali (quæ ratio illos mouit) effectus fuit illius arboris, vt mox ostendemus.

An illa arbor fuerit arbor Malum.

VERVM igitur est quod in principio quæstionis diximus, in qua specie arborum fuerit arbor scientiæ boni & mali, sciri non posse. Sed benè habet, quod id scire, ad intelligenda quæ de ea arbore tradit Scriptura, nihil planè refert. potuit enim ea arbor fuisse vel pyrus, vel prunus, vel quæuis aliarum arborum: nam nec interdicta est homini quod per se mala esset aut ipsi exitialis, sicut docet Augustinus lib. 13. de Ciuitate Dei, cap. 20. nec scientia boni & mali, naturalis ipsius erat effectus: sed ad probandam tantum hominis obediẽtiam, eius fructus ipsi fuerat interdictus. Sed cur appellata sit arbor scientiæ boni & mali, hoc deinceps ostendamus. D

QVAESTIO III.

Cur appellata sit arbor scientiæ boni & mali.

DE CAVSA huius appellationis quatuor esse animaduerto auctorum sententias. Prima sententia est Hebræorum, quibus solenne est in exponendis Sacris litteris ridiculè nugari frequentéque miscere fabulas. Similiter igitur hoc loco fingunt, Adamum & Euam creatos esse simplicissimos, sine vsu rationis infantium similes.

Figmentum Hebræorum.

similes. Quoniam autem arbor illa vim habebat accelerandi vsum rationis & liberi arbitrij, propterea inquiunt appellatam fuisse Arborem scientiæ boni & mali: nam secundum phrasim Scripturæ, scire bonum & malum, idem sonant atque vsum habere rationis. Verùm, insulsum est hoc Hebræorum commentum: etenim Adamus & Eua facti sunt vt corpore robusto, ætatéque perfecta & ad generandum idonea, quippe dictum est eis, *Crescite & multiplicamini*, ita facti sunt perfecta ratione & iudicio, mentéque ad discernendum bonum & malum, & quidnis intelligendum matura. quid enim non modo ad vsum rationis, sed etiam ad rerum omnium scientiam ei potuit abesse, qui cunctis animantibus aptissima & conuenientissimo nomine imposuit? cum quo Deus familiares habuit sermones? qui legem sanxit, capitali pœna violanti eam constitutam? quem diuino prophetiæ spiritu impleuit: quo afflatus Adam, præclarum illud ac nobile edidit vaticinium, *Hoc nunc os ex ossibus meis, & caro de carne mea.*

Arbor illa arbor scientiæ boni & mali.

Iosephi opinio.

ALTERA opinio est Iosephi in primo libro Antiquitatum aientis, ideò sic appellatam esse illam arborem, quòd eius fructus sederis ab homine, vim haberet augendi acumen ingenij, & solertiam ac prudentiam cogitandi: multúmque conferret ad percipiendam scientiam. Iosephum ita refellit Nicolaus de Lyra, fructum eius arboris fuisse corporeum, non igitur vim vllam habere potuisse in mentem & ingenium hominis, quod est incorporeum, & immateriale, cùm quæ corporeum non potest agere nisi per actionem corporalem & materialem; quæ non in alio subiecto nisi corporeo recipi potest. Quinetiam certum est Philosophis decretum a cunctis quæ inter se agunt & patiuntur, communem debere esse materiam. Firma esset hæc ratio Nicolai de agente quòd per se ac directè agit, non autem de eo quod agit indirectè. manifestum enim est vel ipsa experientia, cibis valde vel iuuari vel corrumpi spiritus animales & organa interiorum seu suum, quorum bona constitutio ad bonitatem actionum mentis mirificè confert. Sunt cibi qui valde prosunt, sunt etiam qui nocent plurimum memoriæ & ingenio: quemadmodum etiam nati & viuentes sub cœlo graui & crasso, obtusioris sunt ingenij: sub tenui autem & puro, & acutioris & acrioris. Auctor est Aristoteles in septimo libro Politicorum, homines qui versantur in frigidis regionibus, esse quidem corpore robustiores, sed mente tamen tardiores atque hebetiores: contra verò, qui in calidis sunt regionibus, esse imbecilliores viribus, ingenio tamen solertiores ac sagaciores: qui autem in molli ac temperato cœlo viuant, eos quæ re pariter excellere. denique Isaias capite 7. de Messia loquens, *Butyrum*, inquit, *& mel comedet vt sciat reprobare malum & eligere bonum.* Salomon item in libro Ecclesiastæ capite secundo ait, cogitasse se carnem suam abstrahere à vino, quò liberius sapientiæ studere ac vacare posset, nihil igitur prohibet quin in vsu aliorum ligni boni

Pro varietate alimenti, & cœli, variari etiam hominum ingenia & mores.

Fructus arboris scientiæ boni & mali.

similes.

A bonitatem & præstantiam ingenij potuerit homini proficere.

Refellitur Iosephi sententia.

QVOCIRCA Iosephus aliter confutandus est: nempe, si fructus illius arboris ad ingenij acumen & perceptionem scientiæ profuisset, nunquam Deus eius vsum homini interdixisset. non enim bonis nostris inuidet, nec quæ ad perfectionem hominis pertinent, præsertim spiritualem & intellectualem, prohibere aut impedire vult. Et verò, si talis fuisset fructus illius arboris, fuisset profecto lex Dei eam interdicens, homini grauissima ac durissima: siquidem nihil est quod natura duce ardentius expetant homines, & ad quod maiori naturæ impetu rapiantur, quàm ad cõsecutionem & perceptionem scientiæ. Ad hoc, si ita res haberet, promissum ser pentis datum Euæ fuisset verum: illud dico promissum, *in quocunque die comederitis ex eo;*
B *eritis sicut dij scientes bonũ & malũ*: quod tamẽ promissũ mẽdax fuisse ac fallax, sententia est omniũ Patrũ. Quod si eiusmodi effectũ illius arboris fuissent primi homines in seipsis experti, non tantopere doluissent propter esũ eius, scilicet tãto ingenij bono aucti & locupletati.

Cur dicta sit arbor scientiæ boni & mali secundum cõmunẽ opinionem.

TERTIA sententia est ferè Theologorũ communis, & per omnes scholas peruagata; sic dictam esse illam arborem ab euentu, & ex eo quod esum ipsius consecutum est. accidit enim homini vt tunc experiendo cognosceret discrimen inter bonum quo ante peccatum fruebatur, & malum in quod peccando incurrit; ideoque scientiam haberet boni & mali, videlicet, vt vocant Theologi, experimentalem. nam licet antea speculatiuè nosset Adam discrimen boni & ma-
C li, post peccatum tamen practicè & per experientiã id magis cognouit. Sicut medicus scientia medicinæ cognitam habet differentiam sanitatis & ægritudinis; eam tamen ipse, amissa sanitate & in morbũ delapsus, noua quadam ratione, scilicet per experientiam, melius agnoscit. Hæc est sententia Augustini in libro 14. de Ciuitate Dei capit. 17. & libro 8. de Genesi ad litteram capit. 6. & 15. eadémque est Magistri sententiarum & Theologorum scholasticorum in 2. libro sentent. distinct. 17. Quemadmodum igitur ab euentu appellatus est [a] Puteus iurgij seu calumniæ, & [b] Puteus iuramenti, & [c] Tumulus testis seu Aceruus testimonij, [d] Castra quoque Dei, & [e] Domus Dei, vt videre est in libro Geneseos: sic ab euentu, Arbor scientiæ bo-
D ni & mali appellata est. Alij scientiam experimentalem referunt nõ ad Adamum, sed ad Deum, quem inquiunt imposuisse Adamo illud præceptum, vt experiretur & probaret Adamum de bono & malo, id est, de obedientia & inobedientia: vtrũ scilicet futurus esset obediens, quod ei magno bono fuisset; an inobediens, quod malorum omnium futurum ei erat seminarium.

a *Genes.* 26.
b *Infra* 46.
c *Genes.* 31.
d *Infra* 32.
e *Supra* 28.

Reiicitur prædicta opinio.

SED non fuisse illam arborem sic appellatam ab euentu, & ab eo quod esum ipsius consecutũ est, non desunt argumenta quibus probari queat. Primũ enim, si ex euentis sumenda erat appellatio, simili ratione nominari potuisset Arbor apertionis oculorũ, vel cognitionis propriæ nuditatis, vel cõfectionis subligaculorum: hæc enim

omnia similiter vt experimentalis scientia boni & mali, esum illius A
arboris sunt consecuta. Narrat enim Scriptura, cum primum Adam
& Eua ex ea arbore comederunt, apertos fuisse illis oculos, & se nu-
dos esse magno cum pudore cognouisse, & ad operiendam nudita-
tem fecisse sibi subligacula. Deinde, quò serpens Euam illiceret ad
esum illius arboris, promisit fore, vt si ex ea comederent, efficeren-
tur tanquam dij scientes bonum & malum: Nec serpens significa-
bat scientiam boni & mali experimentalem: cum enim ea mala sit &
fugienda, non eam instar maximi boni maximéque experendi pro-
misisset. Consensu etiam Patrum liquet, serpẽtem in illo suo promis-
so esse mentitum: non esset autem mentitus, si de sciẽtia boni & mali
per experientiam, locutus esset: eam namque scientiam re vera primi B
homines post peccatum satis supérque adepti sunt: nec talis scientia
congruit ipsis diis quorum similes eos fore promisit. Ad extremum,
cum Adam eiiciendus erat ex Paradiso, dictum est de ipso per ironiá
vel ab aliquo Angelo cum aliis Angelis loquente, vel ab vna aliqua
persona Diuina cum aliis duabus sermonem habente, *Ecce Adã quasi
vnus ex nobis factus est, sciens bonum & malum.* manifestum est autem in
hac sententia, per scientiam boni & mali non posse intelligi scien-
tiam experimentalem: hæc enim cum sit mala, nec sine detrimento
contingat ipsam habenti, non potest conuenire in Angelos bonos,
nedum in Diuinas personas.

Probabilior ratio, cur fuerit, dicta Arbor scientiæ boni & mali. Rupertus. Tostatus.

QVARTA sententia, cui equidem plus cæteris assentior, est Ru- C
perti in libro secundo de Trinitate & operibus eius. cap. 27. & To-
stati super caput decimum tertium libri Geneseos, quæstione cente-
sima quinquagesima quarta & quinquagesima quinta: affirmantium
nomen illud *Scientiæ boni & mali*, inditũ fuisse ei arbori propter men-
dacia verba & fallacia promissa serpentis: qui primos illos homines
ad edendum ex ea arbore pellexit & impulit mendacissimis verbis
& fallacissimis promissis, pollicitus eos fore deorum similes scien-
tes bonum & malum. *Hoc lignum*, inquit Rupertus, *ironicè appellatum
est scientiæ boni & mali: vt ipso nomine suo monumentum legentibus repra-
sentet diabolici mendacij. Ex eo igitur quod illo falso promisso decepisset pri-
mos homines, impositum est ei arbori nomen scientiæ boni & mali, vel ab ipso* D
*Adamo, vel à Mose. ac licet in historia Mosis ante congressum serpentis cũ
Eua, bis ea arbor appelletur eo nomine, videlicet scientiæ boni & mali: id fa-
cit tamen scriptor historiæ Moses per anticipationem: re vera enim antea non
habuerat id nominis: sed cum Deus dixit Adæ, ne ex ea arbore commederet, vel
alio nomine eam appellauit, vel quasi digito speciem, & locum eius demon-
strando, eam indicauit.* Augustinus libro 8. de Genesi ad litteram, capite

Augustinus.

15. vult ante sermocinationem serpentis cum Eua, fuisse nomen
hoc ei arbori impositum à Deo: quia per illam arborem denuncia-
uit Deus futurum, vt manifestaretur bonum & malum hominis, hoc
est, obedientia eius, aut inobedientia: vel quia Deus denunciauit
Adamo, quo magis eum ab esu arboris deterreret, fore, vt si ex ea-

com e

A comederet, differentiam boni & mali per experientiam cognoſceret: vel denique quia cogniturus erat diſcrimen boni & mali, tam ſi ex ea arbore momederet, quàm ſi ab eſu eius abſtineret, ratione tamen longè diuerſa. Sed hæc plenius apud Auguſtinum in ſupradicto loco legi & conſiderari poſſunt.

DE QVATTVOR FLVMINIBVS Paradiſi.

GENES. 2. VERS. 10.

Et fluuius egrediebatur de loco voluptatis ad irrigandum Paradiſum, qui inde diuiditur in quattuor capita.

B SI qua extant in Sacris litteris illius paradiſi veſtigia, quibus inſiſtendo ad aliquam loci & ſitus paradiſi notitiam ſine errore peruenire poſſit; ea profecto hæc Moſis hiſtoria de quattuor paradiſi fluminibus potiſſimum continet. quocirca omnia eius verba cum cura & diligentia ſigillatim ponderanda, & ſubtiliter atque enucleatè declaranda ſunt. Cur autem Moſes tam diſtinctè ac minutatim de fluminibus paradiſi ſcripſerit, origines eorum, curſus, terráſque quas præterlabebantur, earúmque terrarum inſignia enarrans; non aliam equidem reor fuiſſe cauſam, niſi vt pateret omnibus, paradiſum fuiſſe locum corporeũ & terreſtrem: & vt aliqua ſigna & indicia daret, quibus in qua parte orbis, in quibus regionibus, apud quas gentes olim fuerit paradiſus,
C cognoſci poſſet.

VERVM expendamus ſuprapoſita verba Moſis: in quibus tria ſubobſcura ſunt, & aliquam deſiderant explanationem. Ante omnia eſt illud, *Fluuius egrediebatur ex loco voluptatis*: nam Hebraicè pro loco voluptatis eſt עדן *Heden*, quam vocem ſupra docuimus aliquãdo ſignificare voluptatem, nonnunquam verò in ſcriptura nomen eſſe proprium certæ cuiuſdam regionis ac loci. Priori modo accepit eam Latinus interpres; quem ſecuti Latini expoſitores, intelligunt ſignificari à Moſe fluuium illum ſcaturiuiſſe ex ipſo paradiſo, & primo ad eum irrigandum, aquas ſuas diffudiſſe. Græci autem interpretes ſecuti tranſlationem Septuaginta; Hebræi quoque ſcriptores vt ſupra,
D ſic etiã hoc loco per עדן *Heden*, intelligunt certã quandã regionẽ, in cuius orientali parte paradiſus erat conſitus. itaque cenſent egreſſum eſſe fluuium illum ex regione Heden, & inde curſum direxiſſe ad locum paradiſi vt eam irrigaret. Viſum eſt quibuſdam, fluuium dici hoc loco pro fluuiis, ſingulari numero poſito pro plurali, exiſtimantibus ex regione Heden multos fluuios ad irrigationem paradiſi confluxiſſe. Non eſt autem neceſſarium illo verbo *Egrediebatur*, ſignificari primum ortum, primámque illius fluuij originem, ſed tantùm indicari flumen illud ex regione Heden profluens, directo itinere & curſu in paradiſum influxiſſe. Eſt enim admodum veriſimile, flumen hoc non fuiſſe aliud quàm Tigrim & Euphratem, ſcilicet

Quis fuerit ille fluuius paradiſi.

vbi mixtis aquis vnum in locum circa Mesopotamiam confluunt, & A
vnius fluminis instar aliquanta terrarum spatia peragrant: ille concursus & confluxus duorum fluminum, & fiebat in regione Heden, & vocabulo vnius fluminis appellatur, cum ante & post duo sint diuersa flumina, quorum fontes & origines, vt infrà dicemus, in montibus Armeniæ maioris apparent & extant.

Quomodo ille fluuius irrigauerit Paradisum.

ALTERVM quod in hac oratione Mosis obscuritatem habet, est illud. *Ad irrigandum Paradisum*, quèadmodum videlicet vnus ille fluuius totum paradisum perluëre atque irrigare potuerit. Verum, id quattuor modis fieri potuisse cogitandum est: vel vt fluuius ille multos sinus & anfractus faciens vsquequaque paradisum allueret & irrigaret: vel, vt ex eo complures aluei ducerentur, & in omnes paradisi partes deriuarentur: vel vt modo Nili ac Iordanis statis anni temporibus augescens; & superfluens paradisum inundaret atque irrigaret: vel denique vt per subterraneos meatus vniuersam paradisi terram humore suo perfunderet ac fœcundaret. B

Vbi facta sit illius vnius fluminis in quattuor alia flumina diuisio.

AD extremum, illud quoque in his verbis Mosis videtur ambiguũ, quod proximè subditur: *Qui inde diuiditur in quattuor capita.* Hoc enim referri potest aut ad locum Heden, vt videlicet in ipso egressu fluminis ex Heden, statim diuideretur in quattuor capita, aut ad paradisum, vt fluuius ille egrediens quidé ex Heden, vnus esset: sed ingressus in paradisum diuideretur in quattuor flumina, quibus omnis terra paradisi commodius irrigaretur: aut denique potest referri ad egressum illius fluminis ex paradiso, vt flumen illud postquam irrigasset paradisum, eius finibus egressum, postea in quattuor fluuios esset dispertitum. Incertum autem est quanto interuallo post egressum eius fluminis ex paradiso, ipsum fuerit in quattuor flumina dissectũ ac diuisum. quocirca non necesse est fontes eorum fluminum bis conspicuos, esse paradiso propinquos. Tostatus, vt suprà ostendimus, duos grauissimos testes excitat Basilium & Ambrosiũ, affirmántes fluuium illum ex paradiso delapsum in maximam planiciem, efficere lacum amplissimum ex quo illa quattuor flumina dimanant. Quosdam etiam non ignobiles scriptores memorat Moses Barcepha in eo libro quem de Paradiso scripsit: à quibus proditum sit, illum fluuium è sublimi loco paradisi præcipitatum mergi in terram & subter Oceani vada delatum in hanc nostram terrã variis ex locis erumpere: quo factũ esse, vt prædicta quattuor flumina nó vno ex loco, sed ex diuersis & longissimè dissitis originem ducere videantur. Verùm ista, vt fabulosis similia, suprà confutauimus. C D

Mirabilis de illo fluuio Paradisi Ruperti sententia.

NON alienum puto adscribere hoc loco memorandam sanè de hoc paradisi flumine & aliorum quattuor fluminum origine, Ruperti sententiam: quam equidem auguror lectori fore mirabilem magis quàm credibilem. Is igitur libro secundo de Trinitate & operibus eius, capite 24. & 29. ita scribit: *Aquarum natura per se salsa est, nec idonea potui, sicut in se ipso ostendit mare. ascendens autem de abysso, qua*

A *quæ est matrix omnium aquarum, in illam quasi magni corporis terræ mammam, id est, Paradisi fontem, quodammodo lacteam assumit dulcedinem, & irrigat vniuersæ terræ superficiem; vt iuxta Psalmistam, potent omnes bestiæ syluæ; & expectent onagri in siti suaziimmo vt dulcescerent omnis terra ad nutri-* Psalm.103.
candam herbam virentem, lignúmque pomiferum quod iussa erat terra producere, atque hoc potissimum valet in terris Orientalibus, non solum panis & vini sed etiam pretiosorum aromatum, metallorum, ac lapidum fertilissimis. Omnes igitur aquæ potabiles & salubres vbicumque fluant, & vndecumque appareant, de fonte Paradisi per occultos meatus originem trahunt, & ex eius dulcedine hoc habent, vt potabiles & salubres sint. Et quemadmodum iecur in corpore animalis fons est sanguinis, vt docent Physici, cunctis per corpus sparsis
B *venis sanguinem dispensans, atque hoc ministerio vitam animalis conseruans: sic ille fons vniuersam terram per occultas venas irrigans vegetat, & in multos redundat fontes ac flumina. Sed eorum omnium ista quatuor sunt capita, id est, principalia. Fontes igitur Tigris & Euphratis, si libet in Armenia demonstrentur, & tamen per viam quam solus nouit auctor fluminũ Deus, de Paradiso secundum veritatem Scripturæ huius manare credantur.* Hæc Rupertus.

DE PRIMO FLVMINE PHISON.

GEN. 2. VERS. 11. & 12.

C *Nomen vni Phison, ipse est qui circuit omnem terram Heuilath, vbi nascitur aurum, & aurum terræ illius optimum est, ibique inuenitur Bdellium, & lapis Onychinus.*

DE vnoquoque dicturi quatuor fluminum quæ Moses ait exire ex flumine Paradisi, conuenit vt prius aliorum interpretationes & sententias exponamus. posteà quod narrationi Mosis, & doctrinæ Sacrarum litterarum rectæque rationi magis consentaneum videtur, explicaturi. In Mosaica descriptione primi fluminis Phison, tres insunt difficultates, non omnino quidem inexplicabiles, sed explicatu tamen
D difficiles. Prima difficultas, Quis fluuius sit פישון *Phison*, ex fluminibus terræ nostræ nobis cognitis: Secunda, quænam terra sit Heuilath, & ad quam partem nostri orbis spectet: Tertia, quid sit Bdellium & lapis Onychinus.

An Phison sit Ganges.

SENTENTIA est omnium ferè Interpretum ac Theologorum probata consensu, fluuiũ qui nominatur Phison, non esse quàm Gangen Indiæ flumen. Hoc tradit Iosephus in primo libr. Antiquitatum: hoc Epiphanius in Ancorato; hoc August. in lib. 8. de Genesi ad litteram cap. 7. & Hieronymus in libro traditionum Hebraicarum in Genesim. Sed quid pergo singulos eius sententiæ auctores nominatim percensere, cum ea omnium fermè sit sententia? Hieronymus in

Epist.4.quam scripsit ad Rusticum monachum, *Ganges fluuius*, inquit, A
quem Phison sancta Scriptura commemorat, qui circumit totam terram Euilath, & multa genera pigmentorum de Paradisi dicitur fonte deuehere: vbi nascitur carbunculus, & smaragdus, & margarita candentia, & vniones quibus nobilium fœminarum ardet ambitio: montésque aurei, quos adire propter gryphes & dracones & immensorum corporum monstra, hominibus impossibile est: vt ostendatur nobis quales custodes habeat auaritia. Hæc ibi Hieronymus.

Origo Gangis secundum Strabonem.

ORIGO Gangis est, auctore Strabone, in Caucaso Indiæ monte: nam libro 15. ad hunc modum scribit. *Tota India fluminibus irrigatur: quorum quædam in duo maxima irrumpunt, Indum atque Gangem: quædam propriis ostiis in mare emittuntur, & omnia ortum habent à Caucaso. Primo ad meridiem delata, posteà alia in eodem permanent cursu, præsertim quæ in* B
Indum influunt: alia flectuntur ad Orientem, quemadmodum Ganges, qui à montibus descendens cum in planitiem peruenerit ad Orientem conuersus, & Palibothra ciuitatem maximam præterfluens, in eius mare progreditur, & vnum ostium habet: quamquam omnium Indicorum flumen maximum sit. Sic Strabo. Plinius verò in libro 6. capite 18. de Gange ita scribit, *Hunc, alij incertis fontibus vt Nilum, rigantémque vicina eodem modo: alij in Scythicis montibus nasci dixerunt: ac influere in eo decem & nouem amnes, ex his multos nauigabiles. Alij cũ magno fragore ipsis statim fontibus erumpere: deiectúmque per scapulosa & abrupta, vbi primum molles planicies contingat, in quodam lacu hospitari: inde lenem fluere, vbi minimum, octo mille* C
passuum latitudine, vbi modicum stadiorum centum, altitudine nusquam minore passuum viginti. Hæc Plinius. Attingamus præterea quæ de eo flumine nostri Theologi prodiderunt, Isidorum dico, Rabanum, Rupertum & Magistrum Historiæ scholasticæ. Quidam aiunt, vocabulum, פישון *Phison*, Hebraicè significare immutationẽ oris ac vultus, quia sæpe est sui dissimilis in cursu, vel in quantitate aliquando latissimè fusus, & aliquibus locis in angustum coarctatus: vel in colore alicubi fluens pellucidus, alicubi turbidus: vel in sensibili qualitate alicubi frigidus, alicubi calidus. Tradunt alij Phison interpretari Latinè abundantiam, quippe abundat piscibus & quidem maximis, anguillis nempe triginta pedum longitudinis, vt libro nono capite tertio tradit Plinius. Isidorus 13. libro Etymologiarum capite D
vigesimoprimo, *Phison*, inquit, *significare caternam, propterea quod decem magna flumina aquas suas in ipsum exonerant: à Græcis Latinisque vocari Gangem, à Gangaro rege Indorum, sicut Tiberis primum est dictus Albula, sed à Tiberino rege postea nomen Tiberis accepit.* Hæc ab istis de fluuio Phison prodita sunt.

Auctor demonstrat Phison non fuisse Gangem.

MIHI diligenter omnia consideranti ac perpendenti, nunquam visum est probabile, Phison esse Gangem. multa sunt meæ opinionis argumenta. primo ex narratione Mosis manifestum est hæc quatuor flumina vt orta ex eodem capite, fuisse inter se vicina: at inter

Gangem

A Gangem & alios duos fluuios Tigrim & Euphratem, interuallum intercedit septuaginta graduum, hoc est, plus quater mille & trecenta milliaria continẽs assignãdo cuique gradui secũdum Ptolomæum sexaginta duo milliaria. posteà, Moses ait, hæc quatuor flumina orta esse ex vno flumine Paradisi, hæc autem quatuor flumina ex remotissimis & inter se longissimè distantibus locis oriri cernuntur: Ganges ex Caucaso monte Indiæ, Euphrates & Tigris ex montibus Armeniæ, Nilus verò ex montibus lunæ versus promontorium vulgo dictum caput Bonæ spei.

NON sum nescius quid respondeat ad hoc Theodoretus in quæstio. 29. super Genesim: *Videre licet*, inquit, *& alia flumina aliundè quidem egredi, deinde in terram quibusdam ductibus fluentia, iterum sursum scaturire: quod & his fluminibus accidit. Exeunt enim illinc, vt ait Scriptura diuina, posteà per quosdam meatus subterraneos transeuntia, ibi originem aliam sumunt. Quod quidem non frustra, omnium Deus, ita dispensauit, sed vt amputaret superfluam hominum curiositatem: nam si paterent omnes eorum meatus, quidam vtique conarentur eorum ripas prosecuti, locum Paradisi perlustrare, sed frustrarentur optatis, & longitudine itineris fessi, atque necessariorum penuria laborantes: modo in aspera loca incidentes, modo in deserta, interdum in manus crudelium & barbarorum hominum deuenirent. Hæc igitur præuidens misericors Deus, ignotos illorum meatus effecit.* Hoc modo respondet Theodoretus. Similiter etiam respondet Augustinus libro 8. de Genesi ad litteram capite septimo.

B

C SED hoc responsum parum esse firmum, nec tam quod cum natura rerum cohæreat, quàm quod ad molestas & odiosas quæstiones defugiendas nonnihil valere videatur, excogitatum, nemo est qui non animaduertat. tanta enim est distantia inter origines istorum fluminum iam inde ab exordio mundi, vt nullam vnius principij communionem habere posse videantur: præsertim cum ipsi non probent, nec possint probare, ista quatuor flumina ante ea loca in quibus nunc nasci videntur & creduntur, vllum habere cursum subterraneum, aut alibi conspici eorum fontes; id quod in iis fluminibus quæ ipsi pro confirmatione suę opinionis adducunt, manifestè conspicitur. Deinde, aut ita se habebant ista quatuor flumina tempore Mosis secundum origines & cursus suos, vt fuerunt in exordio mundi: quare cum tempore Mosis flumina illa non orirentur ex vno flumine, sed ex disiunctissimis locis, similiter quoq; ab exordio mundi non habuissent originem ex vno fluuio: at hoc est cõtra Scripturam: aut tempore Mosis istorum fluminum origines & cursus mutati fuerant, videlicet propter diluuium, & aliter erant quàm fuerant à principio: verum si hoc dicatur, nõ videtur posse excusari Moses quin valdè obscurè ne dicam vitiosè, descripserit locum Paradisi per ista quatuor flumina, non pro vt erant post diluuium, sed provt, fuerant ante, non admonendo lectorem mutationis eorum factæ per diluuium, ne descriptio eius falsa putaretur, cum aliter se habeat

Refellitur Theodoreti responsum.

D

origo

origo istorum fluminum quàm ab ipso traditur. Nec dici potest tempore Mosis similiter fuisse ista flumina vt ab initio fuerant, postea vero eam mutationem quæ nunc cernitur, illis accidisse: tanta enim in maximis orbis nostri fluminibus mutatio non potuit fieri, nisi per generalem aliquam totius orbis terrarum mutationem, qualem per diluuium legimus esse factam. talis autem mutatio post tempora Mosis vsque adhuc nulla fuit. quid quod si aliter se habent post diluuium hæc quattuor flumina secũdum fontes suos & cursus quàm erant ante diluuium, non possunt esse eadem flumina? nam vnitas numerica fluminis propriè debet æstimari ex vnitate fontis & originis suæ. Non igitur qui fuit ante diluuium Phison, est idem qui posteà & nũc est Ganges. Malè præterea Moses flumina illa Paradisi descripsisset per alia flumina fontibus & cursibus diuersissima.

Auctoris opinio.

Qvis igitur, sententia nostra, fluuius erit Phison? Ego facilè patior mihi persuaderi quod à doctis quibusdam viris proditum est; Phison & Gihon, fuisse fluuios ex ipso Tigri vel Euphrate diductos & deriuatos, qui diuersum cursum agentes, alter Æthiopiam, alter vero terrã Heuilath peragrauerint. Etenim ex eo loco vbi simul coëunt Tigris & Euphrates, & instar vnius fluminis mistis aquis aliquantisper decurrunt, rursus facto aquarum diuortio, existunt duo principales fluuij, priora nomina Tigris & Euphratis retinentes: præterhos deriuabantur duo alnei, quorum alterum Moses appellat Phison, alterum Gihon; quos rectè appellaueris eruptiones quasdam seu alueos, vel Tigris vel Euphratis. magnis enim fluminibus sæpe contingit in varios dispartiri alueos, quos vulgus ramos vel brachia appellat, sicut fit in Danubio, Nilo, & Pado seu Eridano. Euphratem autem & Tigrim quodam loco ab accolis appellari Phasim, quæ vox cum vocabulo Phison magnã habet similitudinem, lib. 5. testatur Q. Curtius Plinius libro 6. cap. 27. tradit Tigrim findi in alueos duos, & vbi remeauere aquæ, Pasitigrim appellari. Nec mirum cuiquam accidere debet, hosce fluuios Phison & Gihon, vel nunc non esse, vel non memorari à Cosmographis. etenim constat, complures fluuios aut exaruisse, aut per alia loca cursum suum auertisse & deflexisse: multos item non admodum nobiles & memorabiles præteriri tacitos à Cosmographis. Quid quod propria nomina locorum & fluminum sæpius immutata esse non ignoramus?

Quid de terra Heuilath senserint Scriptores.

Sed venio ad secundam difficultatem de terra Heuilath. Plerique putant, terram Heuilath esse in regionibus Indiæ, scilicet in parte superiori eius, ab Oriente longo terrarum tractu Septentrionem versus porrectam; sic appellatam à filio Iectan, cui nomen Heuila, qui primus eam regionem incolens & posteris suis colendam relinquens, hoc ei nomen imposuit. Hoc nempe necesse fuit dicere eos qui Phison esse Gangem censuerunt: nam si Phison circuit terram Heuilath, Phison autem est Ganges, qui non alibi quàm in India originem, cursum & exitum habet; profecto consequens est, Heuilath

esse

A esse partem Indiæ. Argumentum quoque eius rei trahunt ex 10. capite Geneseos: memorari eo loco aiunt duos fratres Iectan filios, Ophir & Heuila: nec dubium, terram Ophir esse in India, vbi aurum optimum abundabat, id quod liquidò cernitur ex 3. Regum c. 9. 10. & 22. & ex 2. libr. Paralipomenon cap. 8. inde enim magna vis auri deuehebatur ad Salomonem. Accedit testis Iosephus libro 8. Antiquitatum, affirmans Ophir fuisse regionem Indiæ, quam vocabant ipsius tempore Terram Auream, seu Auream Chersonesum, nunc vulgo dictam Malaca. Idem confirmat Hieronymus in epistola 133. ad Marcellam, & ad Principiam virginem epist. 140. Si igitur Ophir dicta ab Ophir fratre Heuila fuit regio Indiæ: credibile admodum est fratrem eius Heuila propinquas ei sedes tenuisse atque

B coluisse, & terram Heuilath quæ ab eo nomen accepit, ad regiones Indiæ pertinuisse.

An Heuilath fuerit regio India.

Quæ regio fuerit Ophir, secũdũ Iosephum & B. Hieronymũ.

VATABLVS in scholiis suis super nonum caput tertij libri Regum, & Benedictus Arias Montanus, vir valdè doctus, in Apparatu suo ad Biblia, & in lib. cui Phalech nomen indidit, arbitrantur terram Ophir eandem esse, quæ nunc vulgo appellatur Peru, vnde tanta vis auri iamdiu per singulos annos aduehitur in Hispaniam. Nam inquiunt in 3. c. 2. lib. Paralipomenon, pro eo quod versio nostra Latina sic habet, *Porro aurum erat probatissimum*, Hebraicè ad verbum est, *Aurum erat de loco* פַּרְוַיִם *Paruaim*: quam vocem etiam Septuaginta Interpretes in translatione sua retinuerunt. Est autẽ Paruaim duale,

C cuius singulare esset Parn seu Peru: ponitur autẽ duali numero ad designandum vtrumque Peru, maius & minus, seu quod propriè dicitur Peru, & quod appellatur Mexico. Sic isti de terra Heuilath.

Peru etiã Iudæorũ tempore notũ fuisse.

VERVM in promptu est ostendere est sacris litteris, terram Heuilath & longissimè abfuisse ab India, nec fuisse procul Palæstina atque Assyria, scilicet Euphrati fluuio vicinam. illud tamen præmonendum, vocem quæ à Latino interprete dicitur Heuilath, secundum Scripturam & pronuntiationem Hebraicam, debere reddi Latinè Chauila. Legimus igitur 25. capite Geneseos, habitationes Ismaëlis & Ismaëlitarum ad hunc modum describi à Mose, *Habitauit Ismaël ab Heuilath vsque Sur, quæ respicit Aegyptum, introeuntibus Assyrios:*

D ex quo loco intelligitur Heuilath nequaquam pertinuisse ad Indiam, sed inter Assyriam & Palæstinam fuisse locatam. Simile quiddam scriptum est in 1. libro Regum c. 15. *Percussit*, inquit, *Saul Amalech ab Heuilath donec venias Sur, quæ est è regione Aegypti*, non est autem Saul persecutus Amalechitas vsque ad Indiam. regio nempè Amalechitarum, vt Palæstinæ Orientem versus proxima, in sacris litteris describitur. Ad hoc, Strabo Geographorum diligentissimus, inter gentes Arabiæ qua parte contingit Mesopotamiam, recenset Nabathæos, quos Scriptura vocat Agarenos & Chaulatæos, haud dubiè per Chaulatæos paululum mutata voce significans Chauilatæos, à regione Chauilath de qua nunc agimus, appellatos. Nec quia

Auctoris sententia de terra Heuilath.

Strabo lib. 16.

in terra Heuilath erat copia auri optimi, propterea fit vt ea fuerit in India: multis enim aliis in locis & Syriæ & prope Palæstinam olim fuisse magnam auri abundantiam, in sacris litteris proditum est. Dauid enim debellatis Syris, Ammonitis & Idumæis, immensam vim auri deportauit, sicut videre est in priori libr. Paralipomenon. c. 22. futuram posteà Salomoni in materiã simul atque sumptus magnificentissimo templo construẽdo. In exordio libri Deuteronomij, traditur tempore Mosis trans Iordanẽ in campestribus Moab inter Tophel & Haseroth fuisse auri plurimum. Nec verò quia Ophir petiit Indiam, ex eo conficitur Heuilath eius fratrem in Indiam quoque profectum esse: siquidem tertius eorum frater memoratur eodem loco Saba, à quo fuit terra gens Sabæorum, nequaquam pertinens ad Indiam.

Ophir nõ esse Peruanã regionem.

ILLVD porrò neutiquam credibile est, Ophir celebratũ in Scriptura, esse regionem nunc dictam Peru, mitto enim alia argumenta, vnum enim illud satis superque est isti refellẽdæ opinioni: In regione Peruana constat nec elephantos esse, nec pauos, nec simias, nec ligna thina pretiosissima, qualia ex Ophir asportari solita narrat Scriptura. Neque consentaneum est Salomonem ex mari Rubro (in eius enim littore erat Asiongaber vnde soluebat classis Salomonis, sicut scriptum est in lib. 3. Regum c. 9. & libr. 2. Paralipomenon c. 8.) relicta India Orientali viciniori atque notiori, multarumque rerum pretiosarum fertiliori, immenso circuitu nauigationem instituisse ad regionem Americanam & Peruensem, præsertim cum ad eam regionem ex Ioppe, vel alio portu maris Mediterranei per fretum Gaditanum, multo breuiori faciliorique & magis vsitata nauigatione, spatio circiter quinque mensium, peruenire potuisset.

Quid sit Bdellium & Onychinus.

RESTAT tertia difficultas de Bdellio & Onychino lapide, paucis expedienda. Bdellium ita definit Plinius libr. 12. c. 9. *In Bactriana Bdellium est nominatissimum, quæ arbor nigra est: magnitudine oleæ, folio roboris, fructu caprifici naturaq;.* deinde subdit eam nasci & in Arabia Indiaque, & Media ac Babylone. Onyx vnde Onychinus lapis, inde appellatus, quod habet in se permistum candorem in similitudinem vnguis humani. Hunc gignit India & Arabia: sed Indicus igniculos habet albis cingentibus zonis: Arabicus autem niger est cum candentibus zonis. Vide Plinium lib. 37. c. 6. Pro his Septuaginta posuerunt *Carbunculus & Prasinus:* est autem Carbunculus lapis pretiosus, & sicut nomine ipso præsefert, ignei fulgoris tanti, vt noctis tenebras illuminare queat: de quo lege quę scribit Plinius c. 7. lib. 37. Prasinus autem, est lapis pretiosus viridantis aspectus, & porracei coloris, vnde

Prasinus.

nomen habet, nam porrum Græci prason vocant: de quo vide Plinium eodem lib. c. 8. Hebraicè sunt duo vocabula, חברלח *Habbedolach* & השׁחם *hasch Soham*, Chaldaicè dicitur Burla, ideſt Beryllus, viridis coloris, de quo multa Plinius c. 5. eiusdem lib.

AVGVSTINVS Eugubinus & Hieronymus Oleaster arbitrantur,

A tur,Bedolach esse id quòd Latini appellant Margaritum seu Vnionem,vulgo Perla:nam in libro Numerorum capite 11.dicitur,Manna fuisse quasi semen coriandri , & colorem eius sicut est color בדלח *Habbedolach*,sic enim ibi est Hebraicè:cum autē color Mannę fuerit albus,necesse est Bedolach fuisse albi coloris sicut est Margaritum. שהם *Soham* autem incertum est quid propriè significet: nam si ductum sit à radice Sadech , significat lapidem vsquequaque teretem & æquabilem , quoniam Sabach Hebræis est æquare. Sed profecto & ipsi Hebræi confitentur,& per se manifestum est,huiusmodi nomina propria pretiosorum lapidum, fluminū , & arborum, quæ sunt in Scriptura Hebraica,quid propriè significent, in obscuro & incerto esse: quo fit vt Scripturæ interpretes tam Græci quàm

B Latini ea sæpè transtulerint non qualia sunt Habraicè,sed qualia reperiebantur apud Græcos & Latinos , illis similitudine aliqua & proportione respondentia.

Bedolach.Soham quid.

DE SECVNDO FLVMIME GEHON.

Et nomen fluuij secundi , Gehon:ipse est qui circumit omnem terram Aethiopiæ.

GENES. 2. VERS. 13.

NVLLVS est fere interpretum,tāta in hoc est omnium consensio , qui non pro certo habeat , hoc nomine גיחון *Gehon*,significatum esse à Mose Nilum.ipse enim est qui peragrat terram Æthiopiæ cui dominatur Pre-

C tiosus Ioannes,vulgo corruptè dicitur,PRETEGIOVAN.Nilum putat Plinius nasci in Mauritania:Lucanus cecinit incertam & incompertam esse eius originem.Sed hoc tempore,vt alia multa comperta sunt veteribus incognita,sic etiam deprehensa sunt primordia Nili ex amplissimis paludibus prope montes lunæ non procul celebri promontorio Bonæ spei,vbi extremum est totius terræ continentis secundum latitudinem versus Austrum. Epiphanius in Ancorato,& in Epistola ad Ioannem Hierosolymitanum, non solum affirmat Gehon esse Nilum,sed contendit hoc tradi in Scriptura,quæ apud Hieremiam c.2.sic habet, *Quid tibi vis in via Aegypti , vt bibas aquam turbidam?*pro quo Septuaginta habent,*Vt bibas aquam Gehon.* Loquitur autem ex eo loco Hieremias de aqua Nili. sed profecto Hebraicè ibi nō est vox Gehon quæ hic ponitur,sed est alia vox,

D videlicet שחור *Sichor*, quæ significat nigrum seu turbidum , quo epitheto etiam à Græcis appellatur Nilus,dicitur enim Melas , hoc est Niger:& ipsa Aegyptus vocatur Melauolos,vt ita vertam Nigrigleba , Nilus enim aquas vehit multo limo turbidas. quare nescio cur LXX.pro Sichor verterint Gehon,nisi fortè postea corrupta sit eorum translatio.

Origo Nili Plinius lib. 5. Lucanus libr. 10. Pharsaliæ.

Locus Hieremiæ cap 2.

SED Gehon non esse Nilū,multa & clara sunt indicia.Primò,Nilus cū Tigri & Euphrate nullā habet affinitatē & communionē : hi enim profluunt è Septentrione , ille autem aquas vehit ex Meridie,

Gehon fluuiū Paradisi, non fuisse Nilum.

infinita propemodum distantia inter eorum primordia: exitus quo- A
que eorum disiunctissimi sunt: nam Tigris & Euphrates in sinum
Persicum aquas exonerant, Nilus verò definit in mare Mediterra-
neum. Posteà, si Moses per Gehon significasset Nilum, volens eum
declarare & notum facere Hebræis, non dixisset, Qui circumit om-
nem terram Æthiopiæ; sed dixisset, Qui peragrat & irrigat Ægy-
ptum: Nilus enim non ex Æthiopia, sed Ægypto notissimus erat Iu-
dæis: quippe qui plus ducentos annos in Ægypto versati essent.
Nilus item quà permeat per Ægyptum, propinquior est Tigri &
Euphrati, quàm quà perluit Æthiopiam. Deinde, si Gehon est Ni-
lus, cur Scriptura toties Nili mentionem faciens, nusquam eo no-
mine eum appellat? bis eum vocat Sichor Isaiæ cap. 23. & Hieremiæ.
2. nec vnquam nominat eum flumen Æthiopiæ, sed appellat sæpis- B
simè fluuium Ægypti. Ad hoc, isti dicunt propterea Mosem memo-
rando Euphratem, non declarasse per quas terras præteruehatur,
quòd Euphrates notissimus esset Hebræis: atqui tempore Mosis
multo notior erat Iudæis Nilus, quàm Euphrates: ob eandem igitur
causam nominando Nilum, non debuisset indicare quas terras ille
præterfluat.

PRÆTEREA Gehon esse Nilum, argumentantur isti eò quod
Moses scribat Gehon circumire Æthiopiam, quam Nilus præter-
labitur. quasi Æthiopia hoc loco à Mose nominata necessariò intel-
ligenda sit Æthiopia Meridionalis, seu Occidentalis quam perluit
Duplex Æthiopia. Nilus, cum potius intelligenda sit altera Æthiopia Orientalis vici- C
na Arabiæ & Mesopotamiæ. Verissimè enim duas fecit Æthiopias
Homerus. Strabo. Plinius. Homerus iudicio Strabonis lib. 1. Geographiæ; & Plinij libro 5. cap.
7. vnam Occidentalem, alteram Orientalem. Fuisse autem Æthio-
piam aliquam vicinam Palestinæ & Syriæ, ex multis Scripturæ lo-
cis intelligi potest. Principio Madianitas vicinos Palæstinis censeri
nomine Æthiopum, constat argumento Sephoræ vxoris Mosis, quę
cum esset Madianitis, vt scriptum est in Exodo, capite 2. ea tamen in
libro Numerorum capit. 12. appellatur Aethiopissa, Hebraicè Chu-
sitis. In Cantico etiam Habacuc ita legimus: *Vidi tentoria Aethiopiæ
turbabuntur pelles terræ Madian.* quo loco Aethiopes & Madianitæ,
vel pro vna gente ponuntur, vel pro gentibus inter se admodum vi- D
cinis ac finitimis. & cum nominentur tentoria & pelles eorum, non
obscurè indicatur eos esse, quos appellant Cosmographi Arabes sce-
nitas sub pellibus atque tentoriis degentes, quorum regio ad Me-
sopotamiam pertinet. In Psalmo item 86. sic est: *Ecce alienigenæ, &
Tyrus, & populus Aethiopum hi fuerunt illic:* per alienigenas, quos Septua-
ginta appellant Allophylos, sine dubio significantur Palæstini: quæ-
re tres gentes Palæstinorum, Tyriorum, & Aethiopum tanquam
confines & vicinæ, hoc loco à Danièle memorantur. In 2. libr. Para-
lipomenon. cap. 14. Narrat Scriptura Zaram regem Aethiopum ve-
nisse aduersus Iudæos cum incredibilis multitudis exercitu quippe
decies

A decies centena millia hominum continebat. non est autem credibile illos venisse vsque ex Aethiopia Meridionali: nã & difficillimum erat tantum exercitum per tam longinqua terrarum spatia ducere, nec ratio vlla erat, cur ex tam remotis regionibus ad belligerandum cum Iudæis proficiscerentur. His adde quod scriptum est in eiusdem libri, c. 21. *Suscitauit*, inquit, *Dominus contra Ioram spiritum Philistinorum, qui confines sunt Aethiopibus, & ascenderunt in terram Iuda, & vastauerunt eam.* In Psalmo item 71. tres gentes, Aethiopum, Arabum, & Sabæorum tanquam sibi inuicem propinquæ & vicinæ commemorantur. Sic enim est: *Coram illo procident Aethiopes, &c. Reges Arabum & Saba dona adducent.* Arabiam autem felicem & Sabęorum terram, Euphrati & Mesopotamiæ non longè abesse certum est.

Quis fluuius fuerit Gehon.

B Ex his facilè intellectu est, non propterea Gehon intelligi debere Nilum, quia Moses dicat Gehon circumire terram Aethiopiæ. Ergo quod supra docuimus de flumine Phison, ipsum fuisse eruptionem quandam, & vt vulgo appellant, brachium seu ramum Euphratis, vel fluuium ex eo loco profluẽtem, vbi Tygris & Euphratis iunctis aquis simul coëunt, diuerso alueo & cursu, terras à Mose nominatas perfluentem: quod, inquam, de Phison dictum est, idem nunc de Gehon sentiendum & dicendum existimamus. Eugubino admodum simile veri fit, hunc Gehon esse eundem illum, cuius mentio fit. 3. lib. Reg. c. 1. cum de Salomone vngendo Dauid hæc præcipit: *Ducite eum in Gehon, & vngat eum ibi Sadoc Sacerdos, & Nathan Propheta*

Locus 3. Regum. cap. 3.

C *in regem super Israël.* Sicut igitur Euphrates attingebat terram promissionis, ceu vnus de terminis eius, quibus Deus eam terram determinauerat: ita Gehon aliquod Iudææ latus attingebat, quo loco tanquam in regni finibus, reges Hebræorum vngi mos erat.

Sed hæc futilia sunt. non enim in antiquo more Hebræorum fuit reges eorum vngi in Gehon: quippè Saul & Dauid non sunt illic vncti, nec post Salomonem, quempiam sequentium Regum fuisse ibi vnctum legimus. Chaldæus quoque eo loco Gihon interpretatus est Siloë: idemque Rabbi Salomon & Nicolaus de Lyra senserunt. Et verò, si Gehon flumen paradisi aliquatenus attigisset terram Chanaam, Moses ipsum declarans, nõ dixisset, *Qui circumit omnem terram Aethiopiæ:* sed dixisset, *Qui alluit terram Chanaam*: hoc enim

D notius futurum erat Hebræis. quid quod ex ipsa Scriptura non obscurè perspicitur Gihon nominatum in 3. Reg. fuisse fontem non procul Hierosolymis? Scriptum enim est in 2. Paralipomenon capite 32. Ezechiam obturauisse capita fontium qui erant extra Hierosolymam, ne Rex Assyriorum hostili exercitu petens Hierosolymam, inueniret aquarum abundantiam. Extremo autem eo capite sic est: *Ipse est Ezechias, qui obturauit superiorem fontem aquarum Gehon, & auertit eas subter ad Occidentem vrbis Dauid.* & in capite 33. *Post hæc*, inquit, *ædificauit Manasses murum extra ciuitatem Dauid, ad Occidentem Gihon in conualle.*

A

DE TERTIO ET QVARTO FLVMINE Tigri & Euphrate.

Nomen verò fluminis tertij, Tigris: ipse vadit contra Assyrios: Fluuius autem quartus, ipse est Euphrates.

APPELLATVS est Tigris secundum Isidorum lib. 13. Ethymologiar. cap. 21. & Rupertum. libr. 2. de operibus Trinitatis c. 29. à celeritate cursus, ducta similitudine à Tigre animaliũ velocissimo: cuius miram in cursu pernicitatem describit Plinius lib. 8. c. 18. Sed verius dictu est quod Plinius lib. 6. c. 27. Q. Curtius lib. 4. & Strabo libr. 11. tradiderunt, dictum esse Tigrim à celeritate sagittæ, quæ lingua Medorum Tigris appellatur. Hebraicè חדקל *Hiddekel* dicitur, vt interpretatur Dauid Chimi, ex eo quod aquæ eius saporem quẽdam acutum reddunt, vel à cursu eius velocissimo. Chaldaicè nominatur דגלת *Diglath*, quo vocabulo significari ait Iosephus eum simul angustum arctumque, & velocem decurrere. Apud Danielem c. 10. appellatur fluuius magnus, valdè nobilitatus Niniue ciuitate quondam maxima & in sacris litteris celebratissima, quam præfluebat. Plinius locum vbi Tigris tardior fluit, appellari, inquit Diglito: quod cum supradicto vocabulo Chaldaico maximè congruit.

B

Iosephus libr. 1. Antiquit.

C

MVLTA de Tigre cum alij, tum Plinius cap. 27. libr. 6. prodidit: *Oritur*, inquit, *in regione Armeniæ maioris, fonte conspicuo in planicie. Cuius qua tardior fluit, Diglito: vnde concitatur, à celeritate, Tigris incipit vocari. Ita appellant Medi sagittam. Influit lacum Arethusam omnia illata ponderasustinentem, & nitrum nebulis exhalantem. Fertur autem & cursu & colore dissimilis, transuectusq; occurrente Tauro monte in specu mergitur: subterq; lapsus, à latere altero eius erumpit. eundem esse manifestum est, quod demersa perfert. Alterum deinde transit lacum qui Thospites appellatur: rursusq; in cuniculos mergitur, & post vigintiquinque millia passuum circa Nympheum redditur. Citra Seleuciam, Babyloniam centum vigintiquinque millia passuum, diuisus in alueos duos, altero meridiem ac Seleuciam petit, Mesenem perfundens: altero ad Septentrionem flexus, eiusdem gentis tergo campos Cauchas secat. Vbi remeauere aquæ, Pasitigris appellatur. Postea recipit ex Media Choaspem: atque, vt diximus, inter Seleuciam & Ctesiphontem vectus, in lacus Chaldaicos se fundit, eosq; septuaginta millia passuum amplitudine implet. mox vasto alueo profusus, dextra Characis oppidi infertur mari Persico decumo ore. Inter duorum amnium ostia vigintiquinque millia passuum fuere, aut (vt alij tradunt) septem millia, vtroque nauigabili.* Sic Plinius de Tigri.

Origo cursus, & exitus Tigris.

D

RESTAT quartus fluuius Euphrates, de quo illud tantummodo Moses dixit, *Ipse est Euphrates*: Hebraicè est, פרת הוא *Hu Perath*, seu *Pherath*, nam vt Genebrardus, linguarũ & optimarum doctrinarum exquisita scientia, hoc nostro tempore meritò laudatissimus, in Isagoge ad

A goge ad doctrinam Rabbinorum ex Hieron.in Comment.super 11. c.Dan.probat Apud Hebræos,פ,sonat vt apud Græcos,φ,vt pronunciandum sit *Pherath*, & quia vocalis, ε, non est clarè efferenda, sed mussitanda:pronunciatur *Phrath*,itaque ex duabus dictionibus altera,הוא,*Hu*,quæ significat,ipse est,altera verò פרת, *Phrath*, composita est,tanquam vna dictio,Euphrates,cum Græcè dici deberet Prates.Vox autem Hebræa,פרת,*Perath*,ducta est à radicè *Paraa*, significãte fructificare,& fœcũdare: quippè Euphrates modo Nili exundans,terras rigat & fœcundat. non rarò in diuina Scriptura tacito proprio Euphratis nomine appellatur, *Magnus fluuius*:non quia terminaret Terram sanctam,vt nugãtur Iudæi,ob eam namque causam maximus omnium censeri deberet Iordanis, qui eam interluit : sed

B quia vnus erat de maximis fluminibus Iudæorum genti notis.

Plinius de origine cursu, & exitu Euphratis.

De huius fluminis origine cursuque & exitu, diligentiores Cosmographiæ Scriptores multa in scriptis reliquerunt.Plinius lib.5.c. 24.& 26.tradit Euphratem oriri in prefectura Armenię maioris Caranitide vel in monte Aba,vel sub radicibus montis quem Capoten appellant.Scinditur Euphrates à Zeugmate octoginta tribus millibus passuum circa vicum Massicem : & parte læua in Mesopotamiã vadit per ipsam Seleuciã,circa eã præfluenti infusus Tigri.dexteriore autẽ alueo Babylonẽ quondã Chaldeæ caput petit, Mediamque permeans,distrahitur in paludes.Increscit autem & ipse Nili modo statis diebus paulũ differẽs,ac Mesopotamiã inundat sole obtinente

C 20.partem Caneri:minui incipit,in Virginem à Leone trãsgresso:in totum autẽ remeat,in 29.parte Virginis. De eodẽ flumine hæc scribit Strabo lib.11.*Taurus Armeniã disterminat à Mesopotamia. hinc fluũt Tigris & Euphrates,qui Mesopotamiã circundãt, & apud Babylonios inuicem cohærẽt,deinde in mare Persicũ emittũt.quorũ Euphrates maior est, & plus regionis flexuoso alueo percurrit.Fõtes habet in parte Tauri Boreali:fluit ad Occidentem per Armeniam quæ maior appellatur, vsque in Armeniam minorem quam à dextris habet,à sinistris verò Lisanam.deinde ad Austrũ flexus confiniis iungitur Cappadocum quæ ad dextram relinquit,ad sinistrã Cõmagenorum confinia,rursumq; à Sicinsina etiã Sophena maioris Armeniæ ad sinistram relicta,progreditur in Syriã.atque iterũ flexum alium capit in Babylonios & Persi-*

D *cum sinum.Tigris ex eodẽ monte Seleuciã illatus ad Euphratem accedit, ibique efficit Mesopotamiam,deinde in eundẽ sinum Persicum intrat. Euphratis ac Tigris fontes inter se distant ad stadia duo millia & quinquaginta,hoc est, trecenta circiter milliaria.Similia horum sunt,quæ de ijsdem fluminibus tradit Q.Curtius lib.5.Inter Tigrim,*inquit,*& Euphratem iacentia,tam vberi & pingui solo sunt,vt à pastu repelli pecora dicantur, ne satietas perimat. Causa fertilitatis est humor qui ex vtroque amne manat,toto fere solo per venas aquarum residante.Ipsi amnes ex Armeniæ montibus profluunt, & magno deinde aquarum diuortio,iter quod cœpere percurrunt.duo millia & quingenta stadia emensi sunt, qui amplissimum interuallum circa Armeniæ montes notauerunt. Idem cum Media & Gordienorum terras secare cœperunt, paulatim in arctius coëunt,*

& quo

& quo longius manant, hoc augustius inter se spatium terræ relinquunt. Vicini A *maximè sunt his campis, quos incolæ Mesopotamiam vocant: Mediam namque ab vtroque latere concludunt. Eadem per Babyloniorum fines in Rubrum mare prorumpunt.* Ita Curtius.

Lucanus & Boëtius eosdē esse Tigri & Euphratis fōtes falso tradiderunt.

LVCANVS libro 3. indicat eos fluuios eodem ex fonte promanare, cum ait,

Quaq; caput rapido tollit cum Tigride magnus
Euphrates, quos non diuersis fontibus edit
Persis, & incertum, tellus si misceat amnes,
Quod potius sit nomen aquæ: sed sparsus in agros,
Fertilis Euphrates Phariæ vice fungitur vndæ,
At Tigrem subito tellus absorbet hiatu,
Occultosq; tegit cursus, rursusq; renatum B
Fonte nouo flumen pelagi non abnegat vndis.

Boëtius quoque libr. quinto de Consolatione philosophica, metro primo, vnum eundemque Tigris atque Euphratis fontem esse declarat his versibus,

Rupis Achæmeniæ scopulis, vbi versa sequentum
Pectoribus figit spicula pugna fugax.
Tigris & Euphrates vno se fonte resoluunt,
Et mox abiunctis dissociantur aquis.

Sed magis credendum est Straboni, Curtio, & aliis Cosmographiæ peritioribus, diuersos esse satisque inter se distantes eorum fluminum fontes affirmātibus: nisi fortè propterea vno ex fonte profluere C dicantur, quòd ex vno Armeniæ maioris mōte Tauro ambo exoriantur. Philostratus lib. 1. de vita Apollonij cap. 14. de Tigri & Euphrate ad hunc modum scribit: *Hanc regionem, quæ propterea Mesopotamia dicitur quod media inter duo flumina posita est, Tigris atque Euphrates ex Armenia & Tauri radicibus diffluentes cingunt. Sunt autem in ea regione ciuitates aliquot: maxima autem ex parte pagis ac vicis incolitur: populi vero partim Armenij, partim Arabes nuncupantur: quorum magna pars sedibus incertis vagatur, tanquam in insula sese clausos arbitrantes. Flumina verò vbi eam quam diximus continentis partem ambierunt, in idem mare decurrunt. Sunt qui dicunt in paludem quandam partem maximam Euphratis dilabi, ita vt ad mare non perueniat, sed in terra cursus sui finem recipiat. Quidam & audacius* D *de eo loquentes asserunt, cum diutius sub terra fluxerit, rursus in Aegypto apparere, & Nilo commisceri.* Hæc Philostratus. Verùm de fluminibus paradisi hactenus disputata, sint satis.

Epilogus omnium, quæ supra de Paradiso disputata sunt.

QVID igitur nos de loco situque Paradisi sentiamus, facile est lectori ex superioribus nostris disputationibus intelligere. Arbitramur enim non solum in hoc nostro orbe, regionibusque terrarum nobis cognitis habitatisque, sed etiam vel in ipsa Mesopotamia vel non inde procul fuisse paradisum: cuius rei supra variis locis multa sparsimus argumenta. primùm enim, Moses dixit ad plagam orientalem regionis Heden locatum fuisse paradisum: terram verò Heden,

A den,locatum fuisse paradisum : terrã verò Heden , Isaia & Ezechiele auctoribus,vel Mesopotamiæ partem , vel ei propinquam fuisse docuimus.Posteà,constat duo flumina paradisi Tigrim & Euphratẽ,habere originẽ in mõtibus Armeniæ;cursum per Mesopotamiã,Assiriã & Chaldæã;exitũ verò,in sinũ Persicũ:quare & reliqua duo flumina nõ inde procul fluxisse,& paradisum circa istas regiones fuisse necesse est. Deinde, cũ Tigrim & Euphratẽ liquidò cõstet ex diuersis fontibus oriri,quod Moses inquit eos dimanare ex vno eo flumine quo rigabatur Paradisus , non aliter videtur posse intelligi , quàm vt per vnum illud flumen significetur locus ille,in quo Tigris & Euphrates mistis aquis simul coëunt,& aliquãtisper vnius fluminis instar habẽt. posteà facto aquarũ diuortio , rursus in proprios alueos separantur:

B nec solùm ipsi,sed etiam duo alia flumina Phison & Gihon indidem deriuantur.quamobrem valdè fit verisimile, circa locũillum quo Tigris & Euphrates confusis aquis specie vnius fluminis decurrunt,cõsitum fuisse paradisum:Prçterea,propensissima videtur ad veritatem eorum sententia,qui existimãt priscos illos homines ante diluuiũ,& post diluuium,Noë ac filios eius vicinas Paradiso sedes tenuisse:tum amore natalis soli humani generis , tum propter eximiam eius terræ bonitatem;terram enim paradiso proximam fertilissimã , saluberrimã,& amœnissimam fuisse credere par est. Noë autem & filios eius eorumq; posteros primum tenuisse loca Armeniæ,supra cuius mon-

C tes arca considentibus diluuij aquis resedit ; tum Mesopotamiæ, Assyriæ,ac Babyloniæ regiones coluisse:indeq; ad alias regiones & terras habitandas & colendas segregatos & profectos esse,legenti decimum & vndecium caput Geneseos , satis manifestum est.

Difficillimam fuisse explicationem historiæ Mosis de Paradiso.

Sed instituta de Paradiso disputatio hunc habeat terminũ. Hæc enim ferè sunt,quę de Paradiso commentati, litteris mandanda iudicauimus : non ignari quàm esset difficile futurum in tanta rerum caligine,vsquequaque verum cernere, & omnia lectori penitus probare ac persuadere; præsertim cum pleraque dicenda essent , quæ non exquisita scientia sed solerti tantum coniectatione, nec certarum rationum firmamentis,sed probabilium modo coniecturarum adminiculis niterentur.Verùm eo mihi iustiorem fore existimaui,si quid er-

D ratum esset, omnis culpæ deprecationem , quo minus facile erat in tantis tenebris nusquam offendere, & in tã obscuris & inciis disputationum locis,nunquam deuia ponere vestigia. Equidem fretus lectoris prudentia & equitate,non solum confido, si quid à nobis peccatum sit,eum procliuem ac facilem ad veniam fore;sed etiam sperare audeo,quod falsas de paradiso opiniones diligenter cõfutauimus: quod planam & compendiariam viã atque rationẽ inuestigandi , paradisum,& ad certã eius notitiã pertendẽdi cõmonstrauimus; deniq; si fortè quò intẽdebamus,minimè peruenimus,quodab eo tamẽ proximè aberrauimus, ipsum æqui boníque facturum,atque hoc nostrũ iudium & laborem etiam laude dignaturum.

BENEDICTI PERERII COMMENTARIORVM IN GENESIM

LIBER QVARTVS,

Qui est de Creatione primorum hominum.

PRAEFATIO.

CREATIS iam cuiusque generis stirpibus & animantibus, vnus deerat homo, omnium rerũ corporatarum longè præstantissimus: eius creationem longiori & splendidiori oratione, scilicet vt hominis dignitas postulabat, Moses descripsit. Mosem autem imitatus videtur Ouidius, qui primo libro Metamorphoseos exposita omnium aliarum rerum procreatione de homine subiecit,

Sanctius his animal, mentisq́, capacius altæ
Deerat adhuc, & quod dominari in cætera posset,
Natus homo est.

VERVM cur, dicat aliquis, postremo loco generatus est homo? An quia ordine generationis quæ perfectiora sunt, ea solent esse posteriora? An quod antea comparandum homini fuerat domiciliũ, & domus omni instructa & ornata supellectile, qui est mundus hic omnium rerum generibus completus? An quia homo rebus omnibus corporeis indiget vel ad vitam agendam tuendamq́;, vel ad doctrinas omnes, artesq́; percipiendas? An propterea vltimus creatus est, quod sit rerum omnium dominus & quasi finis? nos enim omnium rerum, inquit Aristoteles, quasi finis sumus. An, quod erat conueniens prius

Aristoteles lib. 2. Physi. text. 24.

crea

A creari magnum mundum, posterius verò paruum mundum, qui esset totius mundi magni velut perfectum quoddam compendiũ, omnia quæ in magno mundo distinctè ac diffusè continentur, habens in se restricta & coarctata? An deniq; quod homo quædã media inter corporeas res & incorporeas interiecta, & vtriusq; generis naturæ ac propietatum particeps? quod autẽ huius generis medium est, id appellant Philosophi medium per compositionem, seu participationem extremorum: idque posterius extremis quorum est epistola 38. quam S. Ambrosius
B scripsit ad Horontianum, in qua variis argumẽtis, appositísque similitudinibus & exemplis confirmat, fuisse rationi valdè consentaneum, vt homo nouissimus omnium à Deo crearetur.

CÆTERVM, ex Mosaica descriptione creationis primorum hominum, mirabiliter elucet eximia & singularis quædam humanæ naturæ dignitas, cæterarum omnium corporearum dignitatem longissimo interuallo superans. Complures autem & insignes humanæ naturæ prærogatiuas in ea oratione Mosis qua primorum hominum generatio narratur, animaduertere licet. Et prima quidem prærogatiua in eo cernitur,
C quod cùm Moses fecerit Deum omnes alias res præter hominem creasse vel absoluta voluntate, vt cum dixit, *In principio creauit Deus cælum & terram:* vel dicendo ac iubendo, vt cum ait: *Dixit Deus, Fiat lux: Fiat firmamentum: Fiant luminaria: Congregentur aquæ: Appareat arida, Germinet terra, Producãt aquæ, Producat terra,* cum ad hominis creationem ventum est, inducitur Deus noua quadam & singulari ratione atque oratione vti ad creandum hominem. siquidem velut consilio & deliberatione ad concedẽdum hominem accedens: *Faciamus,* inquit, *hominem*
D *ad imaginem & similitudinem nostram.* Tertullianus quidem libro 2. aduersus Marcionem scripsit hominem esse à Deo cõditum non imperiali verbo vt cætera, sed familiari manu, etiã præmisso blandiente illo verbo, *Faciamus hominem ad imaginem & similitudinem nostram. Nosse vis te ipsum?* inquit Basilius homilia 10. in Hexæmeron, *vel hinc auspicium sumito. De nullo enim operum quæ Deus eatenus condiderat, vox ista faciamus in litteras transmissa est: sed simplici verbo & mandato Dei omnia creata sunt. Erudire igitur hinc ô homo, ac edisce, quanti vnus tu æstimãdus venias. Neque enim generationem tuam velut pretij vulgaris,*

Decem prærogatiuæ primi hominis.

communi creaturarum mandato censuit attexendam. In Deo prægreditur consultatio, quemadmodum tantum hoc animal prouehi debeat ad vitam, Faciamus ait. En, consultat sapiens, & quid secum statuerit artifex, proponit decernendum. Per hoc sane quod curam eam condendo homini præmittit Deus, significatur id operis quod facturus erat, eximium & singulare omnibúsque numeris absolutum, & infinitæ artis & sapientiæ suæ clarissimum testimonium & perfectissimum fore monimentum. A

Mysterium Trinitatis primum in creatione hominis indicatū est.

SECVNDA prærogatiua hominis ea fuit, quod principale ac summum Fidei nostræ mysterium, hoc est Sanctissimæ Trinitatis, primùm in hominis procreatione indicatum & patefactum esse legitur. Namque illa Dei verba, *Faciamus* & *Nostram*, significant multitudinem & distinctionem diuinarum personarum: illa verò, *Ad imaginem ac similitudinem*, & quod præmittitur *Dixit Deus*, & quod posteà subditur, *Fecit Deus ad imaginem & similitudinem suam*: Diuinæ naturæ vnitatem apertè demonstrant. Ergo mysterium Sacrosanctæ Trinitatis primùm in generatione hominis reseratum est, quod posteà in eiusdem hominis regeneratione quæ per Baptismum fieri debebat, apertè declarandum, & explicatè agnoscendum & profitendum erat. B C

TERTIA prærogatiua. Cæteras animantes, omnésque stirpes terra & aqua generasse dicuntur: at hominem non terra nec aqua, vllumve aliud corpus procreasse dicitur, sed solus Deus condidisse: nam & si corpus hominis è terra formatum est, sed non à terra, vel à cœlo, vel etiam ab Angelis, verùm à solo Deo qui ex limo corpus humanum quasi manibus suis finxit atque figurauit, & in ipsum vitam & vigorem inspirauit: animámque rationalem non ex materiæ gremio sinúque, vt cæteras omnes formas mortales expromptam, sed extrinsecus infusam, & à solo Deo creatam ex nihilo, corpori à se formato indidit. D

QVARTA prærogatiua. Dedit homini Deus summum ius & imperium in omnes animantes, etiam in eas quæ homine proceriores ac robustiores maximéque terribiles videntur, eásque imperio eius vt domini ac regis, potestatique subiecit. Existimat Ambrosius, hanc cunctarum animantium sub hominis potestatem dominatúmque subiectionem

A iectionem, summæ dignitatis humanæ maximum esse argumentum. Sic enim scribit in cap. 6. libri sexti Hexaemeron: *Videbatur Elephantis nihil habere natura procerius atque robustius, nihil terribilius leone, nihil sæuius tigre: verum hæc seruiunt homini, & naturam suam humana institutione deponunt: obliuiscuntur quod natæ sunt: induuntur quod iubentur. Quid multa? docentur vt paruuli, seruiunt vt famuli, adiuuantur vt infirmi, verberantur vt timidi, corriguntur vt subditi: in mores transeunt nostros, quoniam motus proprios perdiderunt.*

QVINTA prærogatiua. Assignauit homini Deus ad
B habitandum & sese oblectandum, amœnissimum Paradisi domilium & hortum omnium rerum quæ ad vitam humanam commodè & abundanter degendam, vel delicatè, iucundè, beatéque traducendam pertinent, copia instructissimum atque refertissimum.

SEXTA prærogatiua. Creauit Deus hominem tanta integritate animi & innocentia præditum, vt & mens eius subiecta esset Deo, & sensus rationi, & corpus animo, & omnes animantes hominis imperio subderentur. huius autem integritatis & innocentiæ magnum fuit argumentum, eui-
C dénsque testimonium, quod cum Adam & Eua nudi simul versarentur, essentque formosissimi & pulcherrimi, nec suæ nuditatis pudore, nec obscœna mutuæ libidinis aliqua titillatione tangebantur.

SEPTIMA prærogatiua. Iussit Deus coram primo homine sisti cunctas terræ animantes, eisque nomina speciatim ab ipso imponi; quo scilicet, intelligeretur, & quanta eum Deus rerum naturalium scientia & sapientia compleuisset: &
D ipsæ animantes nomina ab eo accipientes, quodammodo cognoscerent ac profiterentur se rege ac Domino suo habere hominem, eiúsque iussis obsequi & deseruire debere.

OCTAVA prærogatiua. Genere quodam immortalitatis etiam corpus hominis donauit: nempe, vt si diuinis præceptis pareret ipse, longissimo æuo in terris acto, ex vita terrena ad cœlestem & sempiternam, nescius mortis, omniúmque malorum expers traduceretur.

NONA prærogatiua. Nec tantùm exquisitissima, ac multiplici rerum naturaliũ scientia eum ornauit, verumetiam dono

prophetiæ affecit. nam cum vidiſſet Euam ex latere ſuo formatam, diuino incitatu & afflatu vaticinatus eſt dicens: *Hoc nunc os ex oſſibus meis, & caro de carne mea,* & cætera quæ ſequuntur: quibus verbis magnum quoddam cõtineri myſterium, in capite 5. Epiſtolæ quæ ſcripta eſt ad Epheſios, teſtificatus eſt Paulus. Quin, exiſtimant nec pauci, nec obſcuri Doctores, fuiſſe tunc ab Adamo & præcognitum & prædictũ incarnationis myſterium Filij Dei: nõ quidem vt ad remiſsionem peccati quod ipſe commiſſurus erat ordinabatur, non enim tunc ſui lapſus erat præſcius, ſed ea tantùm ratione ad glorificationem humanæ naturæ referebatur.

DECIMA prærogatiua. Nec illud in poſtremis Dei erga hominem beneficiis, & dignitatis humanæ argumentis numerandum eſt, quod ei Deus ſæpenumero ſub ſpecie & figura humana (quod magnum erat & ſui amoris indicium & humani incitamentum) præſentiam ſuam declarabat, eúmque familiariſsimo ſermone & intima conſuetudine dignabatur.

EX his igitur quæ dicta ſunt ſatis apparet quanta cum gloria, dignitate, ac poteſtate hominem Deus ab initio condiderit: veréque in libro Eccleſiaſtici capite 16. ſcriptum eſſe, Hominem fuiſſe à Deo multiplici ſcientia & virtute veſtitum & ornatum. Quæ autem fuerint eximia illa primi hominis veſtimenta & ornamenta, declarat Sanctus Bernardus, in primo ſermone eorum quos ſcripſit de Annunciatione Beatæ Mariæ, in hunc in modum ſcribens: *Videre mihi videor quatuor virtutibus his amictum primum hominem ab ipſo ſuæ creationis exordio: & (vt Propheta meminit) veſtimento ſalutis indutum. Eſt enim in his quatuor illa ſalutis integritas, nec ſine his omnibus poteſt conſtare ſalus: præſertim cum nec poſsint eſſe virtutes, ſi ab inuicem ſeparentur. Acceperat ergo homo miſericordiam, cuſtodem ſcilicet, atque pediſſequam, vt ipſa præueniret, ipſa & ſequeretur eum, ipſáque protegeret & conſeruaret vbique. Vides qualem nutritium contulit paruulo ſuo Deus? qualem dedit pediſſequam homini recens ordo? Sed erat illi neceſſarius etiam eruditor tanquam ingenuæ & rationabili creaturæ, vt non ſicut iumentum aliquod cuſtodiretur, ſed tanquam paruulus educaretur. Cui ſanè magiſterio nemo poterat aptior inueniri quàm veritas ipſa, quæ eum in agnitionem ſummæ perduceret aliquando veritatis. Interim verò ne ſapiens inueniretur vt malum faceret, eſſetque*

Quæ fuerint veſtimẽta primi hominis ſecundũ Bernardum. Eſaiæ 61.

A *sétque peccatum ei tanquam scienti bonum & minimè facienti: iustitiam quoque qua regeretur accepit. Adhuc autem & pacem qua foueretur & delectaretur, addidit manus benignissima Creatoris. Pacem vtique duplicem, vt nec intus pugnæ, nec foris timores: id est, nec caro concupisceret aduersus Spiritum: nec esset ei creatura vlla formidini. Nam & bestiis omnibus liberè imposuit nomina, & serpens ipse qui violentia non præsumpsit, fraude magis eum aggressus est. Quid huic deerat quem misericordia custodiebat, docebat veritas, regebat iustitia, pax fouebat?* Sic ibi Bernardus.

Idem Bernardus sermone 14. in Psalmum *Qui habitat*, si-
B milem tractans de dignitate hominis sententiam: *Primum*, inquit, *hoc nobis Deus præstitit vt simus. Siquidem ipse fecit nos, & non ipsi nos. Parum ne tibi videtur istud, quia te fecit? Cogita qualem te fecit, nempe etiam secundum corpus egregiam creaturam sed secundum animã magis, vtpote imagine Creatoris insignem, rationis participem, capacem beatitudinis sempiternæ. Porrò secundum ambo simul præ cæteris creaturis maximè admirandum, cohærentem sibi incomprehensibili artificio, in inuestigabili sapientia conditoris. Itaque tam magnum hoc donum, quàm magna res homo. Sed quàm gratui-*
C *tum putas? Planum est, quia nihil ante promeruit qui penitus nihil fuit. An postea sperabatur gratiam retributurus auctori? Dixi Domino, Deus meus es tu, quoniam bonorum meorum non eges. Non igitur necessariam retributurus gratiam ei qui sic per omnia sibi sufficit, sed deuotas relaturus gratias ei qui sic meruit sperabatur. Quidni gratias agat? Siquis oculorum lumen, si quis vsum aurium, siquis narium, si quis manuum, si quis pedem tibi præpeditum aliquo modo reparasse videretur, si quis sopitam quauis occasione excitasse in te rationem: quis non alius tibi vehementissimè succenseret, si quan-*
D *do forte beneficij huius immemorem aut benefactori deprehendisset ingratum? Enimvero, Dominus tuus ipsa etiam tibi instrumenta largitus, ex nihilo fecit hæc omnia: nec modo fecit, sed & compegit etiam ac formauit, ac suo quæque illustrauit officio. Quomodo non is omni iure sibi exigit gratias ampliores? Nam ne hoc quidem (licet maximo) contentus munere, qui dedit vt esses qui ante non fueras: adiecit etiam vnde subsisteres qui iam eras, Nec minus liberaliter hoc, quàm illud mirabiliter est operatus. Faciamus, inquit, hominem ad imaginem & similitudinem nostram. Quid verò postea?*

Pulchra sententia Bernardi de hominis dignitate atq; præstantia.

Et præ

Et præsit piscibus maris & bestiis terræ, &c. Nam & cælestia sese elementa in vsus creasse tuos, ante docuerat. Nempe facta memorantur vt essent in signa, & tempora, & dies, & annos. Cui putas? nulli vtique nisi tibi. Cæteræ siquidem omnes creaturæ, aut in nullo egent his omnibus, aut non intelligunt ea. Quàm copiosus in hoc secundo beneficio, quàm liberalissimus fuit? Quanta igitur largitus est ad sustentationem, quanta ad eruditionem, quanta ad consolationem, quanta ex hoc iam ad correptionem, quanta etiam ad delectationem? Hæc Bernardus. Sed verba quibus procreatio hominis describitur à Mose, subtiliter, enucleatè, ac diligenter consideranda & explanada sunt.

***

HISTO

A

HISTORIA MOSIS DE CREAtione Adami & Euæ,

EX CAPITE PRIMO ET Secundo libri Geneseos descripta: & eo ordine hic disposita, quo ordine in hoc quarto Commentariorum libro exponetur.

B

ET vidit Deus quod esset bonũ, & ait, Faciamus hominem ad imaginẽ & similitudinem nostrã: & præsit piscibus maris & volatilibus cæli, & bestiis, vniuersæq; terræ, omnique reptili quod mouetur in terra. Formauit igitur Dominus Deus hominem de limo terræ, & inspirauit in faciẽ eius spiraculum vitæ: & factus est homo in animam viuentẽ. Tulit ergo Deus hominem, & posuit eum in paradiso voluptatis, vt operaretur & custodiret illum: præcepitque ei dicens, Ex omni ligno paradisi comede, de ligno autem scientiæ boni & mali ne comedas: in quocunque enim die comederis ex eo morte morieris. Dixit quoque Dominus Dẽus, Non est bonum hominem esse solum: Faciamus ei adiutorium simile sibi. Immisit Dominus Deus soporem in Adam: cumq; obdormisset, tulit vnam de costis eius, & repleuit carnem pro ea. Et ædificauit Dominus Deus costam quam tulerat de Adam in mulierem, & adduxit eam ad Adam. Dixitque Adam, Hoc nunc os ex ossibus meis, & caro de carne mea: hæc vocabitur virago, quoniam de viro sumpta est. Quãobrem relinquet homo patrem suum & matrem, & adhærebit vxori suæ: & erunt duo in carne vna. Creauit Deus

Ex capite. 1.
Vers. 26.
Ex capite. 2.
Vers. 7.
15.
16.
17.
18.
21.
22.
23.
24.
Ex capite. 1.

C D

hominem ad imaginem & similitudinem suam, ad imagi- A
Vers. 27. nem Dei creauit illum: masculum & fœminam creauit eos.
28. Benedixitq; illis Deus, & ait, Crescite & multiplicamini,
& replete terram & subiicite eam: & dominamini piscibus
maris & volatilibus cœli, & vniuersis animantibus quæ
29. mouentur super terram. Dixitque Deus, Ecce dedi vobis
omnem herbam afferentem semen super terram, & vni-
uersa ligna quæ habent in semetipsis sementem generis sui,
30. vt sint vobis in escam, & cunctis animantibus terræ: om- B
nique volucri cœli, & vniuersis quæ mouentur in terra
Ex capite 2. & in quibus est anima viuens, vt habeant ad vescēdum:
& factum est ita. Erat autem vterque nudus, Adam scili-
Vers. 25. cet & vxor eius: & non erubescebant.

Dixit Deus, faciamus hominem ad imaginem & similitudinem nostram. C

VERBVM illud *Faciamus*, μυσθηκότατον est, tria enim vt Patres tradiderunt, denotare videtur. Primo enim videtur significare, Deum quasi cum ratione quadam & consilio ac deliberatione ad creandum hominem accessisse: scilicet vt ea re significaretur, quod creandum erat, id omnibus rebus anteà creatis longè præstantius futurum, nimirum consilij, rationis, & prudentiæ ac sapientiæ particeps, quod cæteris rebus corporatis concessum non fuerat. Audi Gregorium in 27. capite libri 9. Moralium ita hoc explicantem: *Quamuis per coæternum Patri verbum cuncta creata sint, in ipsa tamen relatione creationis ostenditur, quantum cunctis animalibus, quantum rebus vel cœlestibus, sed tamen insensibilibus homo præferatur. Cuncta quippe dixit, & facta sunt: Cum verò facere hominem decernit, hoc quod reuerenter pensandum est, præmittit: Faciamus hominem ad imaginem & similitudinem nostram. Videlicet quia rationalis natura condebatur, quasi cum consilio facta videretur, quasi per studium de terra plasmatur, & inspiratione conditoris in virtute spiritus vitalis erigitur: vt scilicet non per iussionis vocem, sed per dignitatem operationis existeret, qui ad conditoris imaginem fiebat.* Sic Gregorius. D

DEIN

A DEINDE, propterea inducitur Deus quasi consultabundus ad creationem hominis accedere: vt ex eo liceret existimare, quãtę molis futurum erat hominem non tam cõdere quam conditum in sanctitate & felicitate quam à Deo acceperat conseruare, aut eam amissam ei restituere. Prouidebat enim Deus hominem citò peccaturum ac perituru̇m, foréque perquam operosum & laboriosum perditum hominem seruare, & ad finem cuius gratia erat conditus perducere. Itaque si res humana ratione æstimaretur, meritò in cõsultationẽ & dubium vocari poterat, vtrum expediret creari hominem necne. Ergo vt hoc insinuaret Scriptura, inducit Deum Patrem velut cum Filio & Spiritu sancto consultantem de creatione hominis, in quo
B concilio tandem deliberatum & decretum est, vt homo crearetur: sine eo enim mundus hic perfectus & consummatus esse non poterat. Verùm quia multa circa hominem peragenda erant quò posset is ad finem suum perduci: hæc inter se Diuinæ personæ partitæ sunt: Pater quidem sumpsit sibi creationem hominis, vt in qua potissimũ notescat Dei potentia, quæ specialiter tribuitur Patri: Reparationem autem & renouationem eius suscepit Filius tanquam Dei sapientia: At Spiritus sanctus sanctificationem & glorificationem hominis, quæ diuinæ misericordiæ ac bonitatis sunt opera. Non quod hæc tria non à singulis & ab omnibus personis simul æqualiter, atque indifferenter efficiantur, sed quod in singulis eorum operum liceat
C aliquid obseruare, quod specialiter Patri, aut Filio, aut Spiritui sancto assignari queat.

ATQVE hæc quidem commentatio seu interpretatio nõ est nostra, sed Ruperti: qui in exordio libri 2. de Trinitate & operibus eius, hunc in modum scribit: *Faciamus, ait Deus, hominem ad imaginem & similitudinem nostram. Mutauit vocem suam: quippe qui hactenus de singulis dixit, Fiat, & factum est. Producat terra, Producant aquæ, & factum est. Nũc autem tanquam à circuitu terræ, cœli, & maris, lassabundus resederit, & inter respirandum in mentem illi venerit, adhuc vnum deesse quod deceret vel oporteret fieri: Faciamus, inquit, hominem ad imaginem & similitudinem nostram. Domine, inquit Propheta, consilium tuum antiquum, verum fiat. An tibi parum videtur consilium Sanctæ Trinitatis, his paucis dictiunculis esse signifi-*
D *catum? Magnum planè consilium in illo sapientiæ concilio, in illo talium personarum Patris, Filij & Spiritus sancti, non tam Senatu, quàm soliloquio venerando de nobis peccatoribus habitum est. An putas eorum quicquam quæ circa nos acta vel agenda sunt, illic defuisse? Plane ibi omnis nostra in medio causa posita est, mors vel perditio nostra quæ futura erat, illic perspecta est: & inde totum consilium habitum, vt vnaquæque persona suam operis partem susciperet, vt scilicet (sicut iam dictum est) tunc quidem Pater conderet, postea in plenitudine temporis Filius perditum redimeret, Spiritus sanctus remissionem peccatorum & carnis resurrectionem perficeret. Atque ita communi Trinitatis consilio reædificarentur in homine deserta sæculorum, & fundamenta generationis & gene-*

tionis ſuſcitarentur. *Laus ſapientiæ Creatoris, honor gratiæ Liberatoris, gratiarum actio potentiæ Illuminatoris, adoratio vni indiuiſæ creatrici, liberatrici, & gubernatrici, omnium Trinitati.* Hæc Rupertus. A

An his verbis inſinuatum ſit myſterium S. Trinitatis.

CAETERVM, quòd obſeruarunt Patres denotari verbo illo *Faciamus*, in primis conſiderandum eſt. Cenſent enim hunc eſſe primũ Scripturæ locum, in quo expreſsè indicatum eſt myſterium Sanctiſſimę Trinitatis diuinarũ perſonarũ in vnitate atque idemtitate ſubſtantiæ. Nam illud *Faciamus*, & illud *Ad noſtram*, perſpicuè indicant multitudinem & diſtinctionem perſonarum: at verò illud, *Ad imaginem & ſimilitudinem*, & illud *Dixit Deus*, & illud item *Creauit Deus ad imaginem & ſimilitudinem ſuam, ad imaginem Dei creauit illum*, ſubſtantiæ diuinæ vnitatem apertè declarant. Voluit autem Deus myſterium Trinitatis in creatione hominis potiſſimum ſignificari, quòd B in homine expreſſior atque illuſtrior diuinæ Trinitatis, quàm in omnibus aliis rebus corporatis imago cernatur, videlicet in memoria, intellectu, & voluntate: & in mente fœcunda, in verbo cordis quod ex ea procedit, & in amore qui ex vtroque producitur. Nam Verbum diuinum & Spiritus ſanctus per modum intellectus & voluntatis; & ad ſimilitudinem verbi & amoris humani, produci & procedere intelliguntur.

Falſæ huius loci interpretationes confutantur.

SED impij Sanctæ Trinitatis hoſtes, Iudæos dico & quoſdam alios hæreticos, quò clariſſimæ luci veritatis tenebras offunderent, varias, ſed omnes planè friuolas & abſurdas commenti ſunt rationes, cur Deus dixerit pluraliter *Faciamus hominem*. Etenim quidã dixerunt, ſic Deum eſſe locutum quaſi ſecum loquentem, & ſeſe ad agendum excitantem ac determinantem. Alij, Deum eſſe locutum cum terra quaſi cum altero principio hominis: namque vt Deus effector eſt humani animi, ita humani corporis quod terrenum eſt, principium eſſe terram. Verùm hæc vſque eò futilia & ridicula ſunt, vt contemptum magis & irriſionem, quàm ſeriam confutationem mereantur: ponam tamen hic verba S. Baſilij ex nona homilia eius in Geneſim, quibus ille primam reſponſionem facetè refellit. Sic enim, inquit, *Quo mihi iam conſpicitur loco Iudæus, qui in iis quæ ante dicebantur quaſi per feneſtras ingrediente & intermicante luce Theologia, perſonámque ſecundam innuente, nondum autem perſpicuè inclareſcente eadem, veritati repugnabat: ipſumque Deum ſecum diſſerere, ſéque alloqui dicebat. Ipſe enim dixit, aiebat, & ipſe fecit. Fiat, inquam, lux, & facta eſt lux: Erat igitur & tunc in iis quæ dicere Iudæus ſolet, cuiuis obuia & cognoſcibilis omnibus abſurditas. Quis enim faber aut ærarius, aut lignarius, aut certè coriarius ſutor ſolus ipſe quidem, nec alio quoquam ſibi cooperante ſtipatus, intérque ſuæ artis inſtrumenta deſidens, quis inquam ſibi ſoli admurmurat dicens, Faciamus gladium, aut compingamus aratrum, aut conficiamus calceamentum: ac non potius ſilentio, ſuam cum libuerit accommodatam ad artem exequitur operationem? Sunt enim inſignes profectò nugæ, vnum aliquem inueniri qui ſibi imperet, ſiue præceptorem deſideret ac heri-*

C D

liter

A liter seipsum vehementérque vrgere & adhortari. Verum enimverò, qui summo studio calumniis persecuti sunt Dominum ipsum, nec vnquam eos puduit huius, quid non dixerint? quid non finxerint, exercitam paratámque linguam semper ad quoduis falsum dicendum habentes? hæc tamen vox præsens penitus ipsorum os opillat: Et dixit Deus, Faciamus hominem. Nunquid & nunc etiam, dic mihi Iudæe, sola, perinde vt tibi placet, atque vnica est ipsa persona? Non enim scriptum est, fiat homo, sed Faciamus hominem. Hactenus nondum apparuit qui doceretur: atque ideò in abysso diuinæ cognitionis præconium hoc celabatur ac tegebatur: deinceps iam ipsius ortus hominis certò expectatur, detegitur parumper ipsa fides, & apertius indicatur istius veritas Diuini decreti, Faciamus hominem. Audis, ô tu qui bellum indixisti perpetuum Christo, Deum ipsum, suum in creandis rebus socium alloqui,
B per quem fecit & sæcula, qui portat omnia verbo potentiæ suæ. At non cum silentio & quiete, regionis rectæ sententiam perfidus Iudæus acceptat. Sed vt ferarum ea quæ summo persequuntur hominem odio, cum viuariis includuntur, circùm suæ illius caueæ sepimenta frendunt dentibus & circumfremunt, amarulentiam feritatémque naturæ ostendentes, cum non queant conceptum explere furorem: Sic & inimica gens veritatis, Iudæi in angustũ intrusi, Multæ sunt, inquiunt, personæ & non vna, ad quas oratio Dei dirigitur, Angelis enim adstantibus, Faciamus hominem dicit. Iudaicum profecto hoc est figmentum: & ex illorum odio in Christum deliræ istius & futilis fabulæ excogitatio deriuatiua est. Isti enim, vt ne vnum nempe Christum admittant, innumeras introducunt personas: & per hoc quod filium habent despicatui, seruis ipsam con-
C sultationis tribuunt dignitatem, conseruósque nostros auctores nostræ creationis efficiunt. Homo enim vt primum statum assequitur suæ perfectionis, ad Angelorum rectà reducitur dignitatem. At, quænam tandem creatura suo adæquari vnquam Creatori possit? Considera autem id quod continenter sequitur: Ad Imaginem nostram. Quid ad hæc dicere paras? Num vna & Dei & Angelorum imago est? Prorsus filij patrísque forma eadem vt sit necesse. Formam hic vt intelligamus necesse sit, quæ diuinam addeceat maiestatem: hoc est non lineamentis constantem corporeis, sed in peculiari Numinis proprietate consistentem. Quin tu qui ex noua ista circuncisione es, audi: audi, inquam, tu qui Christianismi prætextu nihil habes quod Iudaismo ducas charius, cui dicit, Ad imaginem nostram? Cui quæsò te alij quàm ei qui splendor est gloriæ &
D figura substantiæ eius, & qui est imago Dei inuisibilis? Suæ igitur imagini propriæ quæ viuit, & quæ dixit, Ego & Pater vnum sumus, & qui me vidit, vidit Patrem: huic dicit, Faciamus hominem ad Imaginem nostram. Vbi vna est imago, quem ibi locum obtinet dissimilitudo? Et fecit Deus hominem, non dixit fecerunt. Euitauit hoc loco personarum similitudinem. Per illam namque Iudæum erudiebat: per hæc verò Gentilium excludens errorem, securè admodum ad vanitatem recurrit, vt & Filium simul cum Patre intelligas, & multitudinem deorum longè periculosissimam effugias. Hactenus S. Basilius.

COMPLVRES alij dixerunt, eum locutum esse cum Angelis,

quippe qui creando homini etiam nauarunt operam suam: atque hæc A
est sententia Philonis in libro de Opificio sex dierum, & in libro de
Profugis, affirmantis animum hominis creatum esse à Deo, corpus
Augustinus. autem & partes animi alentis atque sentientis, ab Angelis esse for-
matas: id quod sumpsit Philo ex Platonis Timæo, in quo Deus in-
ducitur, creato hominis animo, loquens cum diis secundis, id est, An-
gelis, eisque mandans vt Opificium eius imitati, procreent ipsi cæ-
teras animantes, hominisque corpus formẽt. Hanc interpretationem
Basilius, Theodoretus & Chrysostomus hoc loco, & Augustinus lib.
16. de Ciuitate Dei. cap. 6. & Cyrillus lib. 1. aduersus Iulianum, vt ma-
ximè impiam detestantur, & vt manifestè falsam & absurdam, ac di-
uinæ Scripturæ euidenter contrariam, valdè confutant.

ETENIM, quinque rationibus istorum opinio falsitatis coargui B
& conuinci potest.

Illud, Faciamus, non esse dictum Angelis, probatur quinque rationibus.

PRIMA ratio sit hæc: Cum Deus dixit *Faciamus hominem*, procul-
dubio locutus est cum iis personis quæ ad procreationem hominis
simul cum ipso paritérque debebant concurrere: sed Angeli ad pro-
creationem hominis minimè concurrerunt: illud *Faciamus*, non di-
xit Deus Angelis. Non concurrisse autem Angelos ad creationem
animi hominis, eo patet argumento, quod animus cum sit incorpo-
reus & immortalis, ex nihilo creatus est: at creatio cuiuslibet rei ex
nihilo, quia sine infinita potentia fieri nequit, solius Dei propria est.
Nec ad formationem humani corporis concurrisse Angelos, perspi-
cuè ostendit Moses, cum cap. 2. narrat Deum ipsum fuisse qui forma- C
uerit hominem de limo terræ, & inspirauerit in faciem eius spiracu-
lum vitæ, atque ita factus sit homo in animam viuentem. Neque hoc
tantùm docet Scriptura, sed ratio etiam idem fateri cogit: nam cum
hominis corpus formatum sit ex limo terræ sine causis secundis na-
turaliter humani corporis effectricibus & formatricibus, semen dico
virile ac sanguinem muliebrem: Angelus verò nullum effectum na-
turalem per se ac sua vi generare possit, sed per causas tantùm natu-
rales cuiusque effectus proprias, eas scilicet applicando inuicem &
coaptando: hinc necessario concluditur, corpus primi hominis non
esse ab Angelis fabricatum.

SECVNDA ratio. Personas illas quibus Deus dixit *Faciamus ho-* D
minem, non fuisse Angelos, sed vnum eundémque Deum cum eo qui
dixit, *Faciamus*: apertè demonstrat Moses post hæc verba subiungẽs,
Creauit Deus hominem: & in exordio capitis quinti. *In die*, inquit, *qua*
creauit Deus hominem: denique Scriptura nusquam hominis creatio-
nem tribuit Angelis, sed soli Deo.

TERTIA ratio. Illud quoque refellit istam opinionem quod ad-
ditur, *Ad imaginem & similitudinem nostram*: non enim Angelus est idea
& exemplar hominis, nec in sacris litteris vspiam reperitur, hominem
dici imaginem Angeli, vel ad imaginem Angeli factum: sicut non se-

mel

A mel legimus hominem dici imaginem Dei, & ad similitudinem & imaginem Dei factum.

QVARTA ratio. Hoc etiam conuincit illud, *Ad imaginem nostram:* non enim Dei atque Angelorum est vna eadémque imago, sicut nec est vna eadémque natura, quinimo in infinitum diuersa: proprietates enim naturæ diuinæ, sunt oppositæ proprietatibus naturæ Angelicæ. Deus enim secundum naturam suam est æternus, est simplicissimus, est mutabilis, est omnino independens, est in se & ex se substantialiter perfectus & beatus, est vbique, est infinitæ scientiæ ac potentiæ & bonitatis: his autem proprietatibus diuinæ naturæ, planè oppositas habet Angeli natura. *Proprietates naturæ Diuinæ.*

B QVINTA ratio. Tam apertè & expressè ostendit Moses hominem factum esse ad imaginem Dei, nō autem Angelorum, vt omnem ea de re ambigendi occasionem præciderit. postquam enim dixit, *Faciamus hominem ad imaginem & similitudinem nostram,* mox subiecit, *Et creauit Deus hominem ad imaginem & similitudinem suam: ad imaginem Dei creauit illum.* Et cap. 5. *In die qua creauit Deus hominem, ad similitudinem Dei fecit illum:* Et cap. 9. *Ad imaginē quippè Dei factus est homo:* idémque traditur in libro Sapientiæ cap. 2. & in lib. Ecclesiastici cap. 17.

VERVM ENIMVERO, quæ aduersus istos disputauimus, ea clarissimis duorum Patrum Augustini & Ambrosij sententiis confirmanda & illustranda sunt. S. Augustinus in cap. 6. libri 16. de Ciuitate Dei, verba hæc Mosis: *Faciamus hominem ad imaginem & similitu-*
C *dinem nostram,* tractans & perpendens: *Poterat,* inquit, *& illud quando factus est homo de Angelis intelligi quod dictū est,* Faciamus hominem: *quia non dixit,* Faciam: *sed quia sequitur* Ad imaginem nostrā, *nefas est credere ad imaginem Angelorum hominem factum, aut eandem esse imaginē Angelorum & Dei; & ideo rectè illic intelligitur pluralitas Trinitatis. Quæ tamen Trinitas quia vnus est Deus, etiam cum dixisset,* Faciamus: *Et fecit,* inquit, *Deus hominem ad imaginem Dei: non dixit, Fecerunt dij, aut ad imaginem deorum.* Sic Augst. Verùm, paulò illustrius est Ambrosij testimonium, cuius in cap. 7. lib. 6. Hexaemeron, hæc sunt verba: *Cui dicit Deus, Faciamus hominem ad imaginem & similitudinē nostram? Non sibi vtique, quia non dicit, faciam, sed faciamus. Non Angelis, quia ministri sunt, serui autē cum Do-*
D *mino & optra cum auctore non possunt operationis habere consortium. sed dicit Filio, etiam si Iudæi nolint, etiam si Arriani repugnent. Sed & Iudæi conticescant, & Arriani cum suis paribus obmutescant, qui dum vnū à consortio diuinæ operationis excludunt: plures inferunt: & prærogatiuam quam filio negant, seruulis donant. Sed isto, vt adminiculo seruulorum ad operandum Deus vobis indiguisse videatur: si operatio communis est cum Angelis Deo, nunquid Deo & Angelis imago communis est? nunquid Angelis, diceret, Faciamus hominē ad nostram imaginem & similitudinē? Sed quid sit imago Dei, audi dicentem, Qui est imago Dei inuisibilis, & primogenitus vniuersæ creaturæ. Ipse est imago Dei Patris qui semper est, & erat in principio. Denique, imago est, qui dicit,*

Philippe

Philippe qui videt me, videt & Patrem, Imago Dei est solus ille qui dicit, Ego &
Ioan. 14. *& Pater vnum sumus: Ita habens similitudinem Patris, vt diuinitatis & plenitudinis habeat vnitatem. Vbi dicit, Faciamus, quomodo inæqualitas? Cum iterum dicat, Ad similitudinem nostram, vbi dissimilitudo?* Hæc Ambrosius.

Nec puduit quosdam affirmare, cum Deus dixit *Faciamus hominem ad imaginem & similitudinem*, de se solo locutum esse pluraliter, more magnatum & principum qui quò auctoritatem suam & maiestatem ostendant, de se pluraliter loquuntur dicentes, Nos volumus, mandamus, decernimus, concedimus. Verùm istos refellit Theodoretus quæstione 20. in Genesim quòd ob eam causam oportuisset Deum loqui de se pluraliter vel semper vel plurimum: quod tamen contra fit. præsertim verò decuit Deum loqui de se pluraliter cum in monte Sina legem dedit Iudæis, tunc enim conuenientissimum fuit B auctoritatem, potentiam, & maiestatem suam quam maximè declarari: at eo tempore semper numero singulari de se locutus est. In quinque duntaxat Scripturæ locis obseruauimus, Deum loqui de se numero plurali. Primus est hic locus quem nunc tractamus, *Faciamus hominem*: alter est infra cap. 2. *Faciamus Adæ adiutorium simile sibi*: tertius est in capite 3. *Ecce Adam quasi vnus ex nobis factus est*: quartus est in capite 11. *Venite descendamus & confundamus ibi linguam eorum*: quintus est apud Esaiam in capite 6. *Audiui*, inquit Isaias, *vocem Domini dicentis, Quem mittam, & quis tibi nobis.*

In quinque locis Scripturæ legitur, Deum de se locutum numero plurali.

Ex hoc igitur Scripturæ loco validum excluditur argumentum ad probandam multitudinem, & distinctionem diuinarum personarum aduersus Iudæos: quo vsi sunt omnes Patres aduersus Iudæos C & Hæreticos, quicumque Filij diuinitatem, & Sanctæ Trinitatis per omnia æqualitatem negauerunt. An verò hic locus, eos conuincat, acutè disputat Tostatus in tractatu quem edidit de Trinitate, & est in tomo operum eius qui inscribitur Defensorium. Ergo Dei hæc oratio, *Faciamus hominem*, apertè demonstrat, auctorem & parentem hominis fuisse Deum, quod etiam ab Ethnicis cognitum & scriptis testatum est. Nam vt missum faciam Trismegistum qui de creatione hominis simillima Mosi prodidit: sanè quicumque veterum senserũt animum hominis esse immortalem, eius quoque originem & principium, cæleste & diuinum esse tradiderunt. Ouidius in primo libro D Metamorphoseos varias de hominis principio efficiente sententias his versibus perstrinxit.

Natus homo est, siue hunc diuino semine fecit
Ille opifex rerum, mundi melioris origo:
Siue recens tellus, seductáque nuper ab alto
Aethere, cognati retinebat semina cœli.
Quam satus Iapeto mistam fluuialibus vndis,
Finxit in effigiem moderantum cuncta deorum.

Et Cicero in 1. libro de Legibus, *Hoc*, inquit, *animal prouidum, sagax, multi*

A *multiplex; memor, plenum rationis & consilij, quem vocamus hominem, præclara quædam conditione à supremo Deo esse generatum.*

Cæterùm, in eo quod dicitur, *Faciamus hominem*, declarandum est quid vocabulo hominis significetur hoc loco. Latinè dictum hominem multi existimant, vel quia ex humo fictus est, vel quod solus omnium animantium ad humanitatem colendam natus, factusque sit: Græcè nominatur ἄνθρωπος (si Platoni de nominum Etymologia in Cratylo differenti creditur) à verbo ἀναθρεῖν quod significat, habere os sublime, sursumque aspicere: quod cum natura cæteras animantes, vt Cicero inquit libro primo de Legibus, abiecisset ad pastum, solum hominem erexit, & ad cœli quasi cognationis domicilijque pristini conspectum excitauit. quod eleganter illis versibus

De Etymologia nominũ, quibus homo Latinè, Græcè, & Hebraicè appellatur.

B expressit Ouidius libro primo Metamorphoseos:

Pronaq; cum spectent animalia cætera terram,
Os homini sublime dedit, cœlumq; videre
Iussit, & erectos ad sydera tollere vultus.

Hebraicè appellatur אדם *Adam*, quod est nomen commune, sicut apud Latinos Homo; licet propriè dictum sit id nominis in primo homine. Adam verò dicitur à voce אדמה *Adama*, quę significat terram, & quidē rubram, quod ex terra sit factus homo; & vt opinatur Iosephus hoc loco, ex terra rubra: talem enim esse credit ipse terram rudem atque intactam, & vt vulgo dicunt virginem. Voluit autem

Iosephus libr. 1. Antiquitatum.

C Deus hoc nomen imponere homini, vt memor ille semper esset suæ originis, eiusque humilitatis ac vilitatis recordatione modestum ac demissum animum; Deoque omnino subiectum perpetuo gereret; & agnosceret se opus esse Dei, ab ipso velut à figulo fictum ex luto: qua similitudine frequenter vtitur Scriptura ad deprimendam hominis arrogantiam, sicut videre est apud Isaiam capite 45. Hieremiam decimooctauo, & apud Paulum ad Romanos nono.

Eusebius porrò in 4. cap. libr. 11. de Præparatione euangelica (quo loco de commodissima nominum apud Hebræos impositione copiosè disputat) de notione & interpretatione huius vocabuli Adā, hunc in modum scribit: *Quæ Plato*, inquit, *de nominum impositione in Cratylo multis verbis disputat, ea multo ante Platonem Moses, veluti sapientissimus & eloquentissimus, re ipsa præstitit. Nam & nomen ipsum Adam, terrigenam aut terrenum potest significare. Adam enim apud Hebræos humus dicitur, quamuis per translationem, rubram corporeamq; naturam significet: ita terrigenam atque terrenum, seu corporalem hominem hac appellatione signauit. Verum, etiam hominem illi* אנוש *Enos appellant: quo vocabulo non terrenam sed rationalem naturam significant. Propriè autem si verbum de verbo Latinè exprimas, Obliuiscentem Enos denotare videtur: qualis certè natura rationalis corpori alligata efficitur. Quod enim verè incorporeum, diuinum, & rationale est; non solum transacta meminit, sed futurorum etiam propter sublimitatē speculationis prænotionem habet: quod autem carni coniunctum est, & carnis pondere*

D

premitur; vt ignorantia & obliuione inuolutum, rectè Iudæorum sermo אנוש A
Psalm.8. Enos, id est, obliuiscentem appellauit. Ita enim est apud quendam Prophetam: Quid est אנוש Enos, quod memor es eius? aut filius hominis, quia visitas eum? quasi dicat, Quis est iste homo, iste dico obliuiscens, quod tu qui es Deus, memor es eius quamuis sit ipse obliuiosus? aut filius Adam, id est, terrenus homo? Itaque carnalis homo, nomine Adam, rationalis autem vocabulo Enos significatur apud Hebræos. Plato autem hominem, id est, Græcè ἄνθρωπον à verbo ἀναθρεῖν, quod est videre vel recogitare, dictum opinatur, vt dictus sit ἄνθρωπος, quod recogitet ea quæ vidit. Hactenus fuerunt Eusebij verba. Cyprianus in libro de Sina & Sion aduersus Iudæos (quamquam eius libri auctor non videtur fuisse Cyprianus) & Augustinus tractatu 9. & 10. in Euangelium Ioannis, tradunt nomen Adam si Græcè scribatur, quattuor litteris constare, à quibus incipiunt quattuor dictiones significantes quattuor mundi partes, videlicet Ἀνατολὴν, id est, Oriens, Δύσις, Occidens, Ἄρκτος, Septentrio, & Μεσημβρία, Meridies: quod Adami posteritas per omnes mundi partes dispergenda erat, vel quod ea terra ex qua formatum est corpus hominis, ex omnibus quattuor mundi partibus sumpta fuerit. B

Quid significetur vocabulo hominis cũ dicitur faciamus hominem.

VERVM enimverò, illud in præsentia posset ambigi quidnam significetur vocabulo hominis, cum dicitur *Faciamus hominem.* Namque aliqui existimarunt hic significari tantummodo virum, non autem fœminam, eius quippe procreationem infra cap. 2. enarrari. Hos euidenter redarguit quod mox subiungit Moses: *Creauit Deus hominẽ ad imaginem & similitudinem suam, masculum & fœminã creauit eos.* Idem- C
que repetit in exordio capitis quinti. Philo in libro de Mundi opificio affirmat, hominem, cuius creatio his verbis describitur, non esse intelligendum hominem sensibilem, scilicet quales nos sumus, sed

An vocabulo Hominis sit intelligẽda idea hominis.

intelligibilem, hoc est, ideam & exemplar hominis, qui Græcis dicitur αὐτὸς ἄνθρωπος, ipse homo. In quo voluit quidem Philo Platonis doctrinam de Ideis sequi, verùm quod ad hunc locum pertinet, non falso tantùm, sed etiam inscienter, ineptè, & absurdè. Idea enim hominis, ad cuius similitudinem homo generatus est, cum sit in mente diuina, nec reipsa sit aliud quàm Deus ipse, necesse est esse quiddam æternum, diuinum, & increatum atque increabile: nõ igitur in illam

Idea cur creari ad alterius ideæ imaginẽ non possit.

ideam quadrat quod hic dicitur; *Faciamus hominẽ,* & paulo post, *Creauit Deus hominem:* nec ideæ conuenit creari ad imaginem & similitudinem alterius, sic enim ideæ esset idea, & res iret in infinitum: Iustinus tamen martyr in exhortatorio ad Gentes sermone, huius sententiæ Philonis, auctorem facit Platonem. D

An sit tãtùm intelligendus homo interior.

S. AVGVSTINVS in libro 3. de Genesi ad litteram cap. 22. refert quorundam, tacitis eorum nominibus, opinionem, qui existimarunt vocabulo hominis intelligi debere hoc loco solum hominem interiorem, id est, spiritum & animum hominis, cuius quidem creatio hoc loco describatur, sicut formatio corporis humani nar-

ratur

A ratur infra capite 2. siquidem homo qui gerit imaginem & similitudinem Dei, non est homo noster exterior, id est corpus, sed spiritus tantùm & animus hominis. In hac sententia fuisse sanctum Basilium & Ambrosium, qui leget illius homiliam 10. in Genesim, huius autem caput 8. libri sexti Hexæmeron, perspicuè intelliget. Neque huic sententiæ officit, quod non dixit Deus, Faciamus animum hominis, sed, *Faciamus hominem*: namque, vt probat Basilius, non semel in Scriptura nomen hominis ponitur pro homine interiori, id est, pro animo vel spiritu hominis: sicut apud Paulum in capite 4. posterioris epistolæ ad Corinthios, *Licet is qui foris est noster homo corrumpatur, tamen is qui intus est, renouatur de die in diem.* & ad Colossenses 3. *Expoliantes vos veterem hominem cum actibus suis, & induentes nouum eum*

B *qui renouatur in agnitionem Dei, secundum imaginem eius qui creauit illum,* & Ambrosius confirmat, quemadmodum vocabulum animæ & vocabulum carnis vsurpantur ad significandum totum hominem, ita vocabulum hominis adhiberi nonnunquam ad significandam vel carnem vel animum hominis.

Nomẽ hominis in scriptura sæpè pro interiori homine vsurpatur.

Sed nihilominus tamen falsam esse hanc opinionem, & meritò censet supradicto loco Augustinus, & verba quæ subiungit Moses non obscurè demonstrant. Subdit enim, *Masculum & fœminam creauit eos. Benedixitq; illis dicens, Crescite & multiplicamini, & replete terram. Ecce dedi vobis omnem herbam afferentem semen super terram, & vniuersa ligna, &c. Vt sint vobis in escam.* Distinctio vero sexus in marem & fœ-

C minam, generatio & multiplicatio prolis, denique fructuum & herbarum esus, non ad interiorem hominem, id est, ad spiritum, sed potius ad exteriorem, id est, ad corpus pertinent. Non est igitur dubitandum, quin vocabulum hominis cuius hic explicatur creatio, integrum totumque hominem significet ex corpore & animo constitutum.

Genesis 1.

Ad imaginem & similitudinem nostram.

D Ebraice ad verbum sic est: *Faciamus hominem in imaginem nostram secundum similitudinem nostram.* Qui autem sagaciter indagant & subtiliter expendunt Hebræarum vocum proprias notiones & significationes, annotarunt super hoc loco, pro duabus illis vocibus Latinis *Ad imaginem & similitudinem nostram*, Hebraicè legi duas alias voces, צלם *Selem* & דמות *Demuth*, צלם *Selem* autem significat propriè vmbram vel similitudinẽ vmbratilem, id est, similitudinẽ deficientem & transeuntem, sicut intelligi potest ex his locis Scripturę in quibus ea vox ponitur, qualis est ille Psal. 33. *Verumtamẽ in imagine pertransit homo*, id est, cito transit ad modum vmbræ breui vanescẽtis: & ille locus Ps. 101. *Dies mei sicut vmbra declinauerunt, & ego sicut fœnũ arui*: & ille Psal. 106.

Sicut vmbra cum declinat ablatus sum. Altera verò illa vox דמות *Dimuth*, licet incertæ videatur significationis, quamobrem variæ notiones Hebræi assignant, affirmantes radicem eius esse דמה *Damath*, quod significare dicunt assimilare, succidere, deficere, expectare, recogitare, & silere: propriè tamen videtur significare, assimilare. Et quia similitudo cito transit, significat etiam transire seu deficere. Voluit ergo Deus his verbis significare hominem factum esse similem Deo, quanta maxima similitudo esse potest inter opificem & tale opus. Sed quia Deus infinitæ perfectionis est, propterea necesse fuit similitudinem Dei quæ est in homine, infinitis partibus imperfectiorem esse pulchritudine & præstantia diuini archetypi: quemadmodum vmbra, est quidem similitudo & imago corporis cuius vmbra est, sed obscura tamen & imperfecta.

Res variis modis Deo dici possunt similes.

Illvd autem *Ad imaginem & similitudinem nostram*, dupliciter intelligi potest: vel de imagine quæ sit in Deo, ita vt Dei natura fuerit tantum exemplar ad cuius similitudinem homo sit conditus, vt sit hæc sententia: Faciamus hominem talem quales nos sumus: Vel vt intelligatur de imagine creata quæ est in homine, vt sit hic verborum Dei intellectus: Faciamus hominem adeo similem nostri, vt sit ipse velut nostra imago & effigies, nostram naturam, vim, sapientiam, prouidentiam in corpore mortali & in terris repræsentans. Multis enim modis, vt docet Augustinus in libro octogintatrium quæstiouum, q. 51. dici res possunt similes Deo: *Aliæ enim res & virtutis & sapientiæ participes sunt, aliæ duntaxat vitæ: aliæ tantum existentiæ. Quæ igitur tantummodo sunt, nec viuunt aut sapiunt, non perfectè, sed exiguè sunt ad similitudinem Dei, quia & ipsæ bonæ sunt in nomine suo, cum sit ipse super omnia bonus à quo omnia bona procedunt. quæcunque autem viuunt & non sapiunt, paulo amplius participant similitudinem Dei: quæ vero sapiunt, ita Deo similitudine proxima sunt, vt in creaturis nihil sit propinquius. quare cum homo possit particeps esse sapientiæ, secundum se ipsum: ita est ad imaginem Dei, vt nulla natura interposita formetur, & ideo nihil sit Deo coniunctius. Et sapit enim, & viuit, & est: qua creatura nihil est melius.* Sic Augustinus.

An hic differat similitudo ab imagine. Basilius blasphemiam putat, dicere verbum aliquod in Scriptura esse ociosum & superuacaneum.

Qvid porrò discriminis esse inter imaginem & similitudinem hoc loco intelligi debeat, deinceps tractandum est. Etenim Basilius in homil. 10. in Genesim, eas voces diuersæ putant esse significationis: dicere enim verbum aliquod esse in Scriptura ociosum & superuacaneum, blasphemiam esse censet Sanctus Augustinus in libro quæstionum super Deuteron. quæstione 4. tranctans illa verba Domini, *Ne forte decepti faciatis vobis similitudinem aut sculptam imaginem*, de differentia quæ est inter imaginem & similitudinem hoc modo scribit: *Quid interfit inter similitudinem & imaginem quæri solet: sed hic non video quid interesse voluerit, nisi aut duobus istis vocabulis vnam rem significauerit: aut similitudinem dixerat, si verbi gratia fiat statua vel simulachrum habens speciem humanam, non tamen alicuius hominis exprimantur lineamenta*

A *menta, sicut pictores vel statuarij faciunt intuentes eos quos pingunt vel fingunt: Hanc enim imaginem dici nemo dubitauerit: secundum quam distinctionem omnis imago etiam similitudo est, non omnis similitudo etiam imago est. Vnde si gemini inter se similes sint, similitudo dici potest alterius cuiuslibet in altero, non imago. Si autem patris filius similis sit, etiam imago rectè dicitur, vt sit pater prototypus vnde illa imago expressa videatur: quarum aliæ sunt eiusdem substantiæ sicut filius: aliæ non eiusdem, sicut pictura. Vnde illud quod in Genesi capite primo scriptum est, Fecit Deus hominem ad imaginem Dei: manifestum est ita dictum vt non eiusdem substantiæ sit imago quæ facta est: si enim eiusdem esset, non facta sed genita diceretur. Sed quod non addidit & similitudinem, cum superius dictum esset, Faciamus hominem ad imaginem & similitudinem nostram, quibusdã visum est, similitudinem aliquid amplius esse quàm imaginem,*

B *quod homini reformando per Christi gratiam postea seruaretur. Miror autem si non propterea postea imaginem solam voluit commemorare, quia vbi imago, continuo & similitudo est. Vnde hic Moyses similitudinem & imaginem fieri vetat, secundum eam fortasse rationem quam diximus.* Hæc Augustinus.

An imago pertineat ad naturalia, similitudo autẽ ad supernaturalia.

MVLTORVM est atque grauium auctorum, sententia, hominem factum esse ad imaginem Dei secundum dona naturalia, mentem dico, voluntatem, memoriam, ac liberum arbitrium: & hanc esse imaginem Dei naturalem communiter in cunctis hominibus expressam, qua bestiis præcellimus, & quę nullo peccato deleri ac perdi potest: non enim hæc pendet ex nobis, sed ex Deo tota pendet. Similitudinem autem Dei ad quam factus dicitur homo, spectari

C putant in donis gratuitis & supernaturalibus, vti sunt iustitia, sanctitas, innocentia: & hæc imago non solum ex Deo pendet, sed nostrum quoque studium, conatum & culturam exigit: hac boni viri differunt ac præstant improbis: hæc peccando infuscatur ac deletur. Et hanc quidem similitudinis & imaginis distinctionem, Origenes libro tertio, Periarchon cap. 6. Basilius homilia 10. in Genesim super hoc loco, Ambrosius libro 6. Hexæmeron cap. 7. & 8. Nyssenus in homilia de Creatione hominis, Eucherius libro 1. Commentariorum in Genesim super hoc loco, Victorinus S. Hieronymi in Rhetoricis præceptor, in Disputatione quam scripsit aduersus Arium, Theodoretus in quæstionibus in Genesim, quæstione 20. Rupertus lib. 2. de Trinitate & operibus eius capite 3. & 5. B. Thomas

Qui hanc imaginis & similitudinis distinctionem probauerint.

D prima parte quæst. 93. Magister sententiarum in 2. distinctione 16. & ibidem Scholastici, denique complures alij tam veterum quàm recentiorum tradiderunt.

Refellit illa distinctio imaginis & similitudinis.

VERVM hanc distinctionem non esse satis firmam, nec diuinæ Scripturæ admodum cõsentaneam, probari potest tribus argumentis. Etenim, vt hoc loco dicitur homo factus ad imaginem & similitudinem Dei, similiter infra capite quinto legitur Adam genuisse filium Seth ad imaginem & similitudinem suam: vbi cum duæ illæ voces imago & similitudo ponãtur, inter eas tamẽ distinctio à præ-

dictis auctoribus tradita locum nõ habet. Deinde, vocabulum imaginis non semel vsurpat Paulus pro similitudine quæ in donis gratuitis & supernaturalibus maximè cõsistit. Siquidem in prioris Epistolæ ad Corinthios capite decimoquinto, *Sicut portauimus*, inquit, *imaginem terreni, portemus & imaginem cœlestis*: & ad Coloss. 3. *Expoliantes vos veterem hominem cum actibus suis, & induentes nouum eum qui renouatur in agnitionem Dei, secundum imaginem eius qui creauit illum.* Ad extremum, idem animaduertere & existimare licet ex modo loquendi quo vtitur Scriptura diuersis locis, cùm significare vult hominem esse similem Dei: vtitur enim variis modis loquendi, omnibus tamen planè idem significantibus. Aliquando enim ponit vtrumque nomen imaginis & similitudinis, & in eodem casu vt hic, *Faciamus hominem ad imaginem & similitudinem nostram.* Aliquãdo ponit vtrumque nomen, sed in diuerso casu, vt in capite 2. libri Sapientiæ: *Creauit Deus hominem inexterminabilem: Ad imaginem similitudinis suæ fecit illum.* Interdum autem omittitur nomen similitudinis, posita tantùm voce imaginis: sic infrà legitur capite 9. *Ad imaginem quippe Dei factus est homo.* & in libro Ecclesiastici cap. 17. *Deus creauit de terra hominem, & secundum imaginẽ suam fecit illũ.* Manifestum igitur est ex his quæ diximus, harum vocum imaginis & similitudinis, eandem esse vim & significationem, easque hoc loco ad idem significantius, expressius, & illustrius declarandum esse positas.

Variis modis in Scriptura vsurpari nomen imaginis & similitudinis.

Sentẽtia Ruperti de imagine & similitudine.

VERVMENIMVERO, non committam vt tacita præteream hoc loco quæ disputat Rupertus de harum vocum imaginis & similitudinis diuersis notionibus: sunt enim noua, mira, nec lectori studioso atque curioso cognitu indigna, licet vsquequaque vera, aut etiam verisimilia. Rupertus igitur lib. 2. de Trin. cap. 2. disputat quid interfit inter imaginem & similitudinem, & cur vox imaginis præposita sit voci similitudinis: cẽsebat enim vocabulo imaginis designari Filium Dei, voce autẽ similitudinis Spiritum sanctum. Sic autem scribit: *Imago & similitudo hoc differunt, quod imago vnius imago est: similitudo autem nunquam minus quàm duorum similitudo est. Est autem imago Dei, Filius eiusdem Dei Patris, sicut de illo Apostolus, Qui est*, inquit, *imago Dei inuisibilis. Imago, inquam, Dei inuisibilis est Filius æque inuisibilis. Multis tamen modis imago dicitur, est enim imago hominis, vel equi, pictura in pariete, vel sculptura in ligno, vel lapide: videtur in puteo imago solis vel lunæ, non sic imago Dei dicitur Filius, sed ita vt (sicut in alio loco dicit Apostolus) figura substãtiæ eius: quia videlicet sicut substantia quælibet ex conspecta figura sua cognoscitur, sic Deus Pater per verbum suum quod est Filius, cognoscitur. Dicitur tamẽ & imago hominis proprietas substantiæ eius: quo sensu illud de primo homine dictum necessario intelligitur, Vixit autem Adam centum triginta annis, genuitq; filium ad imaginem & similitudinem suam, & vocauit nomẽ eius Seth. Est ergo Filius imago Patris, sanctus autem Spiritus similitudo Patris & Filij. communis enim bonitas siue caritas est Patris & Filij. Ergo non rectè dici putes potuisse, Faciamus*

Coloss. 1.

Hebræo 1.

Genesis 5.

A *ciamus hominem ad imaginem & similitudinem nostram: quia profectò Filius sicut non Patris simul & Spiritus sancti, sed solius Patris Filius est: sic non Patris & eiusdem Spiritus sancti, sed solius Patris imago est. E contrario rectissimè dictum est, Ad imaginem & similitudinem nostram: quia videlicet Spiritus sanctus sicut Patris & Filij communis bonitas vel dilectio: sic eorundem communis similitudo est.*

Post hæc declarans Rupertus, quo modo imago Dei in homine ad dona Dei naturalia, similitudo verò ad dona gratuita pertineat, capite sequenti subiungit: *Quid tandem est, Faciamus hominem ad imaginem, & similitudinem nostram, nisi Faciamus hominem, qui trinæ operationis nostræ in semetipso habeat euidentiam? Nam aspice hominem quempiam*
B *benè constitutum, verbi gratia, qualis est is ipse qui scripsit hæc, immo quales erunt electi omnes à quibus beata Trinitas in gloria sua videnda est: vtique viuunt, quod commune illis est cum iumentis: & discernunt, quod commune illis est cum hominibus reprobis, vel etiam malignis spiritibus: & sancti vel iusti sunt, quod proprium est filiorum Dei. Ergo quod ait, Faciamus hominem ad imaginem & similitudinem nostram, hoc dicere est, Faciamus hominem viuentem, rationalem, Deo similem. Paulo antè de brutis animantibus loquens, Producat terra animam viuentem in genere suo, eiusmodi animam duplici honore præcellit hominis conditio, dum dicitur, Ad imaginem & similitudinem nostram. Ad imaginem videlicet, vt sit rationalis: ad similitudinem nostram, vt rectus sit sectando iustitiam Dei. Horum altero, scilicet, rationalitate, carere non potest; alterum, id est, diuinæ rectitudinis vel iustitiæ similitudinem, nisi per gratiam assequi non potest. Sed ea qua carere non potest homo facultas rationabilitatis, in-*
C *strumentum est, siue oculus quidam ad quærendam similitudinem Dei. Est ergo inexcusabilis, cùm ad similitudinem Dei non peruenerit, quia videlicet, bono instrumento ad hoc propter quod sibi datum est, vti noluit. Verùm cùm primum fecit Deus hominem, non solùm rationalem, sed & similitudinis suæ fecit honore pollentem. Deus enim, inquit scriptura, fecit hominem rectum, ipse verò implicuit* Eccles. 7.
se multis quæstionibus. Nunc autem seductus perdidit quidem honorem similitudinis Dei: sed facultas rationis in eo remansit, per quam reuocantem audire, & ad restaurationem sui ducem ac præceptorem valeat sequi. Denique Rupertus, quærens cur vox imaginis præposita sit voci similitudinis, sic respondet subsequenti capite: *Igitur rationalem & sanctitatis suæ par-*
D *ticipem Deus hanc esse volens creaturam, Faciamus, inquit, hominem ad imaginem & similitudinem nostram. Non dixit Scriptura, quia dixit Deus, Fiat homo ad imaginem & similitudinem nostram, & factus est homo, sicut dixit, Fiat lux, & facta est lux. Quare? videlicet, quia non repente, sed operosè agendum erat, vt consummatus homo, staret ad Creatoris sui imaginem & similitudinem. Angelica namque creatura semel facta, iam nec in illis qui ceciderunt, in antiquum restituetur. At verò homo post primam sui facturam casurus, & miserantis recreatione erat innouandus: idcirco tres personæ quasi mutuò se cohortantur: dicendo, Faciamus.*

SCIEN

SCIENDVM *tamen quod & illa pauciora verba quibus dictum est, Fiat* A
lux & facta est lux, & hæc plura, Faciamus hominem ad imaginem & simili-
tudinem nostram, parem Angelorum & hominum electorum dignitatem vel
gloriam significant. Nam & electus Angelus quia lux est, ad imaginẽ & si-
militudinem Dei factus & perfectus est. Et homo quia ad imaginẽ & similitu-
dinẽ Dei factus & refectus est, lux est. Et quia vterque rationalis est, ad ima-
ginem Dei factus est. Et quia bene constitutus ac Deo subditus est, ad similitu-
dinem Dei factus est. Proinde sicut ille, lux vel Angelus lucis, sic & iste, lux di-
citur & filius lucis. Nihilominus sicut quod dictũ est, Fiat lux, solos electos An
gelos Creatori curæ esse innuit, & Angelos tenebrarũ excludit, quanquam &
ipsos creauerit: sic & ista dictio, Faciamus hominẽ ad similitudinem nostram,
solos eos amplectitur, quos prædestinauit ad vitã, nec illos admittit, qui super- B
fluè de vitiata postmodũ radice super numerũ nascituri erant. Itaque si quæra-
tur, cur intulerit Scriptura Deum sic dicentẽ, Fiat lux, dum dicere posset, Fiãt
Angeli vel Fiant spiritus: Interrogemus cur hoc totum dixerit idem Deus, Fa-
ciamus hominem ad imaginẽ & similitudinem nostram, cum dicere posset so-
lummodo, Faciamus hominẽ, & intellectui cõmuni sufficere posset ad indican-
dum quod eam, quæ nos sumus, substantiam, significaret. Paria namque sunt, vt
vtrinque rectè respondeas, quod ad os Domini nõ pertinuerit mandare de illis
quos ipse nescit. Nullo autem nomine solos qui ad se pertineant, melius expri-
mere debuit Angelos vel spiritus, quàm nomine lucis: nulla nihilominus defi-
nitione illos homines quos præordinasset ad vitam æternam, melius designasset
quàm ista, Faciamus hominẽ ad imaginem & similitudinem nostram. Igitur C
hic & ille suos Angelos, suos homines congruis Deus vocibus in Scriptura
sua, per hunc interpretem suum expressit, & ab aliis qui ad se non perti-
nent, sufficienti sermonis parcitate distinxit. Hucusque sunt verba Ruperti.

Refellitur interpretatio Ruperti.

VERVM vt hæc à Ruperto acutè cogitata, & doctè ac piè scripta esse non inficior, sic existimo parum esse proposito ac sententiæ verborum Mosis, & modo loquendi quo vti solet Scriptura vbicunque docet hominem creatum esse ad imaginem Dei, consentaneum: id quod facilè intelliget atque credet, qui secum reputauerit ea quæ nos paulò supra de imaginis & similitudinis differentia disputauimus. Illud præterea contra Rupertum facit, quod postquam Moses dixit hominem esse factum ad imaginem & similitudinem Dei, con- D
tinuò subdit, *Et præsit piscibus maris & volatilibus cœli*: haud dubiè significãs eo ipso quod homo factus est ad imaginẽ & similitudinem Dei, habere eum vt præsit & dominetur cũctis animãtibus: nõ habet autem homo dominatũ & imperiũ in animalia propter similitudinem quam habet cum Deo secundum gratiam & virtutes cœlestes, sed propter excellentiam rationis, consilij, solertiæ, prudentiæ, atque industriæ, quibus rebus id consequuntur homines, vt cunctas animantes etiam immanes atque feroces obsequio & seruitio suo subiiciant.

A subiiciant. Denique hanc potestatem & dominationem hominis in animalia, non ex præstantia virtutum, sed ex dignitate naturæ rationalis homini accidere, ipsemet Rupertus vltro fatetur in 5. cap. eius libri quem nominauimus, ita scribens super illis verbis: *Et præsit piscibus maris, & volatilibus cœli, &c. Hæc diuinæ dictionis pars latius patet, quàm illa quæ prædicta est.* Faciamus hominem ad imaginem & similitudinem nostram. *Omnem enim hominem hæc complectitur: Vnde enim animalibus homo præest nisi ex eo quod rationalis est, illa autem irrationalia sunt? non enim quomodocumque illis præest, vt tantummodo dignior illis sit, sed ita etiam vt omnium illorum naturas domare possit. Ergo ad hoc vt illis præsit homo rationalem esse illum satis est. Itaque quod dictum est:* Præsit volatili-
B bus cœli. *&c. latius patet quàm illud:* Faciamus hominem ad imaginem & similitudinem nostram, *quia videlicet iumentis omnes homines præsunt: ad imaginem autem simul & similitudinem Dei soli electi facti, immo & perfecti sunt. Præsint igitur natura homines iumentis: ipsis autem hominibus gratia præsint homines Dei.* Sic Rupertus.

Quæstio Ruperti.

SVB HAEC autem, idem auctor in capite sexto, quod proximè sequitur, hanc quæstionem ponit, cur Moses cùm retulisset dixisse Deum: *Faciamus hominem ad imaginem & similitudinem nostram,* proximè subiungit, hominem esse factum ad imaginem Dei, illud *Ad similitudinem* tacitus præteriens, neque enim id ab eo vel casu, vel obliuione in præteritis relictum esse, fas est existimare. Ad hanc igi-
C tur quæstionem breuiter ipse respondet. *Scienter,* inquit, *Moses, quid Deus intendisset: in verbis eius expressit, & quid accidisset, ipse in suo sermone prudenter obseruauit. Cum enim diceret Deus,* Faciamus hominem, *ipse vtique illum ad imaginem & similitudinem suam facere intenderat. Cum autem hoc Moses scriberet, homo per peccatum similitudinem Dei amiserat. Et quidem nouerat ille quod illud Dei propositum nullus euertere posset: verumtamen certa non tunc persona consurrexerat, in qua absque vlla contradictione recuperata monstraretur illa diuinæ similitudinis gloria, quæ in primi hominis persona deperierat. Erant sancti & iusti quorum ex præcipuis erat ipse Moses, sed non nisi ex fide & spe venturi hominis qui sic ad imaginem Dei, & similitudinem fieret nascendo de Virgine, vt in filiis Adæ perditam Dei similitudinem refunderet, sibique consimiles suosque filios*
D *efficeret, abolita vetere, reddita noua origine. Proinde ergo cum scripsisset dixisse Deum.* Faciamus hominem ad imaginē & similitudinē nostrā, *hoc solummodo subscripsit.* Creauit Deus hominem ad imaginem suam, *vt subaudias, recreaturus aliquādo ad similitudinem suam, nam illum quodāmodo nondum fecerat ad imaginem & similitudinem, sed tantum ad imaginem suam, qui euanuerat & perdiderat diuinæ similitudinis gloriam.* Hæc Rupertus.

Solutio quæstionis secundum Rupertum.

RVPERTI sententiam, vel certè simillimam eius refellit Augustinus in libro de Genesi ad litteram imperfecto extremis eius libri verbis, hunc in modum scribens: *Nonnulli putant ideo non repetitam à Mose similitudinem, neque dictum: Et fecit Deus hominem ad*

Opinio D. Augustin.

imaginem & similitudinem Dei, sed tantùm ad imaginem Dei: quia verò hic A
homo tantummodo ad imaginem Dei sit factus. Similitudo autem illi postea
seruabatur in resurrectione mortuorum donanda. Quasi verò possit esse imago
aliqua in qua similitudo non sit. Si enim omnino similis non est, proculdubio
Iacobi 3 *nec imago est. Veruntamen ne sola ratione id agere videamur, & auctoritas*
Iacobi Apostoli adhibenda est, qui cum de lingua hominis loqueretur ait, In
ipsa benedicimus Deum, & in ipsa maledicimus homines qui ad similitudinẽ
Dei facti sent. Sic Augustinus.

Quid de dicta quæstione censerit Basilius.

AT Beatus Basilius homilia decima in Genesim, propterea putat omissum secundo loco nomen similitudinis, quod hæc ad virtutes & morum sanctimoniam pertineat, quæ non solo Dei munere nobis donatur, sed nostro etiam studio labore ac diligentia comparari debet. Verba Basilij sic se habent: *Ab ipsa mox creatione obtinui* B
illud, Ad imaginem, destinato autem ac liberiore animo proposito, ad id pro-
uehor, Ad similitudinem. Tua igitur aliqua ex parte est gratia, quare merito
ingredieris coronatus. Totum enim tuus si tibi prærogasset opifex, qua tan-
dem gratia tibi nihil commerito cœlestis regni fores reseratæ fuissent? Nunc
verò quiddam contulit, quiddam reliquit perficiendum, vt id in te ipso cum
ad perfectionem promoueris, pronunciere nihil indignus, qui mercedem in-
sumptæ operæ Deo repignerante recipias. Quo igitur pacto effingimur ad si-
militudinem Dei? nimirum per Euangelia. Christianismus quid est? Assimi-
latio Dei, quatenus eam assequi potest humanæ fragilitas naturæ. Votine
reus es te Christianum fore? ne cunctere Deo fieri similis, Christum in-
due. Quo nam pacto indues Christum? Baptisma qui non accepit, qui in- C
dumento incorruptibili se nondum amicuit, vtique is à se excussit & able-
gauit Dei similitudinem. Tibi proinde si dixissem, Huc ades, Regi assimilis
esto: me ne censeres de te præclare meritum? Cum verò ipse percupiam compo-
nere te, & effingere ad similitudinem Dei, eam vitabundus aduersaris do-
ctrinam quæ te possit æmulum reddere diuinæ virtutis, auresque mox tuas
obsepis, ne salutaris sermo meus aditum inueniat ac penetret. Hæc Basilius.

Illud Ad imaginem nostrã, non significare Filium Dei.

CAETERVM illud *Ad imaginem & similitudinem nostram*, quattuor excludit atque reiicit opiniones, quarum prima fuit Origenis & quorundam aliorum, qui illud: *Ad imaginem nostrã*, propriè referri debere putauerunt ad Filium Dei, quem Paulus ad Colossenses primo, vocat imaginem Dei inuisibilis, & ad Hebræos primo figuram D
substantiæ Patris: nomen enim imaginis soli Filio inter diuinas personas propriè assignatur à Theologis. existimant igitur isti, hominem esse factum similem filio Dei, sicut Paulus ad Romanos octauo affirmat electos prædestinasse Deum conformes fieri imaginis Filij sui. Verùm hanc opinionem refellit illa particula *Nostram*: Si enim factus esset homo ad similitudinem Filij Dei tantùm, Deus Pater loquens cum Filio suo non dixisset: *Faciamus hominem ad imaginem nostram*, sed ad imaginem tuam. Adiice quod homo non potuit fieri similis Filio Dei, nisi secundum dona naturalia vel supernaturalia

A naturalia: at secundum vtrauis æque similis est toti Trinitati: vtraque enim à tota Trinitate æqualiter atque indifferenter efficiuntur & donantur homini. Merito igitur hanc opinionem refellit Augustinus libro septimo de Trinitate capite sexto, & in libro imperfecto de Genesi ad litteram capite decimosexto, & vltimo aduersus eã ita disputans: *Satis quidem quæ superius dicta sunt, secundum id exponunt hæc verba Scripturæ, in quibus legimus dixisse Deum.* Faciamus hominem ad imaginem & similitudinem nostram: *vt similitudo Dei ad quam factus est homo, ipsum Dei Verbum, hoc est, vnigenitus Filius accipi possit, non vtique vt ipse sit eadem imago & similitudo æqualis Patri. Est tamen & homo imago Dei sicut apertissimè ostendit Apostolus, dicens:* Vir quidem 1.Cor.11.
B non debet velare caput, cum sit imago & gloria Dei. *Sed hæc imago ad imaginem Dei facta, non est æqualis & coæterna illi, cuius imago est, nec esset etiã si numquã omnino peccasset. Ille autem sensus est potius in his diuinis verbis eligendus, vt ideo non dictum intelligamus singulariter, sed pluraliter.* Faciamus hominem ad imaginem & similitudinem nostram, *Quia non ad solius Patris, aut solius Filij, aut solius Spiritus sancti, sed ad ipsius Trinitatis imaginem factus est homo, quæ Trinitas ita est Trinitas, vt vnus Deus sit: ita est vnus Deus, vt Trinitas sit, Non enim ait Filio loquens: Faciamus hominem ad imaginem tuam, aut ad imaginem meam, sed pluraliter ait. Ad imaginem & similitudinem nostram, à qua pluralitate Spiritum sanctum separare quis audeat? Quæ pluralitas quoniam non tres dij, sed vnus est Deus, ideo intelligendum est posteà Scripturam singulariter intulisse atque di-*
C *xisse.* Et fecit Deus hominem ad imaginem *Dei, vt non sic accipiatur tanquam Deus Pater ad imaginem Dei, hoc est, Filij sui: alioquin quomodo verum est quod dictum est,* Ad imaginem nostram, *si ad Filij solius imaginem factus est homo? Ac per hoc quia verum est quod ait Deus. Ad imaginem nostram, ita dictum est. Fecit Deus hominem ad imaginem Dei, tanquam diceretur, Ad imaginem suam, quod est ipsa Trinitas.* Sic Augustinus.

Augustinus refellit supra dictam opinionem.

ALTERAM opinionem habet Glossa quæ citatur in Catena Lippomani in Genesim, ex omni æternitate prædestinatum & constitutum fuisse à Deo, vt Verbum æternum suo tempore
D naturam humanam assumeret in vnitatem personæ diuinæ: & ad imaginem & similitudinem huius naturæ humanæ à Filio Dei assumendæ factum esse primum hominem. Verùm dura nimis est, & coacta & violenta interpretatio, Nusquam enim Scriptura significat hominem esse factum ad imaginem & similitudinem filij Dei., sed illud potius non semel dicit, Filium Dei in similitudinem hominum esse factum. Namque Paulus ad Romanos octauo. *Deus*, inquit, *Filium suum mittens in similitudinem carnis peccati, &c.* Et ad Philippenses, 2. *Formam serui accipiens, in similitudinem hominum factus, & habitu inuentus vt homo.* Et ad Hebr. 2. *Quia ergo pueri communicauerunt carni & sanguini, & ipse similiter participauit eisdem.* Quid quod illa particula: *Ad imaginẽ nostram.* isti opinioni planè ad-

An illud Ad imaginem nostram denotet filium Dei, prout speciem & naturam hominis assumpturus erat.

uersatur? nam cum sola persona Filij carnem humanam assumptura esset, Deus pater loquens, cum Filio, non dixisset: *Faciamus hominem ad imaginem nostram*, sed *ad imaginem tuam*. A

Opinio Eugubini & Oleastri confutatur.

TERTIA fuit opinio Eugubini in Cosmopœia, & Oleastri super hoc loco, qui existimant Deum vt crearet hominem, & cum eo sermonem & colloquium humano more ac modo miscere posset, induisse formam humanam, & ideo dixisse: *Faciamus hominem ad imaginem & similitudinem nostram.* Verum vt taceã temerariam esse ineptam, absurdámque istius opinionis nouitatem, quam crediderim equidem à nullo auctore probato cogitatam, nedũ scriptis esse proditam, vt non dicam sententiam esse B. Dionysij Areopagitæ Theologorum assensu comprobatam, omnes Dei manifestationes & apparitiones quas in Scriptura legimus, sub aliqua specie sensibili hominibus esse factas: eas proximè & (vt in scholis loquũtur) immediatè per angelos esse factas: ita vt qui in illis apparebãt & loquebãtur, Angeli essent, Dei tamen auctoritatem, maiestatem, & verba sæpe referentes. Sed vt hæc, inquam, missa faciam, illud vnum aduersus istos vrgebo: Vel natura illa humana quam in exordio mundi Deus assumpsit, fuit vera natura, & verè assumpta in vnitatem personæ, quod si dicerẽt fateri cogerentur, bis factam esse incarnationem Dei, semel in fine sæculorum, & prius in exordio mundi. Et tũc quidem tota Trinitas esset incarnata: nõ enim aliter verè diceretur: *Faciamus hominem ad imaginem nostram.* cum illud *Nostram*, non ad vnam tantum personam diuinam, sed ad omnes æquè pertineat. Vel non fuit vera illa natura humana quam assumpsit Deus à principio, sed fuit tantùm vmbra quædam, spectrum, & similitudo naturę humanæ, quemadmodum Angelos legimus sæpe assumpsisse corpora humana: hoc si dicatur, non erit verum illud: *Ad imaginem nostram:* non enim illa similitudo naturæ humanæ erat Dei imago, cum nihil ad ipsum pertineret: nec verè dictum esset, Adamum qui erat verus & perfectus homo, esse factum ad imaginem Dei, si per imaginẽ vt diximus, intelligamus non veram naturam hominis, sed eius tantum vmbram quandam & similitudinem. B C

An illud ad imaginem nostram, significet ideam hominis.

QVARTA opinio est illud: *Ad imaginem Dei*, denotare ideam & exemplar hominis quod est in mente Dei, ad cuius similitudinem Deus hominem sensibilem creauit. Sed hoc ineptè ac futiliter dicitur: tum quod hac ratione nihil de homine eximium ac singulare diceretur: simili enim ratione dici posset equum esse factum ad imaginem Dei, id est, secundum ideam equi quæ est in Deo, idémque liceret de quibuslibet aliis rebus dicere, tum quod idea hominis quę est in Deo, non est imago Dei: sed est imago & exemplar hominis, non igitur verè dictum esset, hominem esse factum ad imaginem & similitudinem Dei. D

DISPV

A

DISPVTATIO.

De imagine Dei ad quam creatus est homo.

CÆTERVM, de hac imagine Dei ad quam factus est homo; nonnullas præterea quæstiones, quæ ad hanc Mosis sententiam expressius declarandam atque illustrandam conducunt, explicare oportet.

B

QVAESTIO I.

Qua potissimum in re sit posita ratio imaginis Dei, ad quam homo creatus esse dicitur.

TOSTATVS refert hoc loco quæstione 28. Iudęos, cur homo dicatur factus ad imaginem Dei, hunc in modum explicare. Sicut Deus, inquiunt, replet totum mundum, sic anima totum corpus: sicut vnus Deus præest vniuerso mundo, sic vna anima præest toti corpori: sicuti Deus non inquinatur sordibus mundi in quo est, ita nec vlla corporis labe inquinatur anima: sicut Deus videt omnia & à nullo videtur, sic anima videt & non videtur: denique sicut Deus numquam dormit, sed perpetuo vigilat: *Non enim*, inquit, *Dauid dormiet, neque dormitabit qui custodit Israël*, Sic etiam animus noster. Verùm hoc falsum est si per somnum intelligatur vacatio ab omni functione sensuum exteriorum quinimo somnus, si propriè ac philosophicè loqui volumus, animæ potiùs quàm corporis affectio dicenda est. Et ista quæ dicunt Iudæi referente Tostato, non minus in animam asini quàm hominis verè dici & competere possunt.

In qua potissimum re cõsistat ratio imaginis.
Sententia Tostati.
Sentẽtia Hebræorum.
Psalm. 120.

C

FVERE nonnulli, qui propterea existimarunt hominem factum esse ad imaginem Dei, quia persuasum habebant Deum esse corporatum, & humana forma & figura præditum, in qua scilicet apparuisse eum Patriarchis & Prophetis proditum est in Sacris litteris. Cum enim isti non possent cogitare, aut animo suo representare Deum nisi sub aliqua imagine corporali & sensibili, nec vlla esse videretur pulchrior & præstantior quàm humana, hanc Deo assignandam esse censuerunt, Isti damnati sunt ab Ecclesia vt Hæretici, & ab errore opinionis suæ appellati sunt Anthropomorphitæ. Legenda sunt quæ de istis scripsit Nicephorus libro 11. cap. 14. & lib. 13. cap. 10. Hanc verò suam opinionem illi probare contendebant tum eo argumento quod Scriptura multifariam Deo tribuit omnia cor-

Error Anthropomorphitarum.

D

poris humani membra, eorúmque membrorum functiones & offi. A
cia: tum etiam quod Scriptura hic dicat non tantùm animam hominis, sed ipsum hominem factum ad imaginem Dei: non igitur animo tantùm, sed etiam corpore similis Deo est homo. Quasi verò non eadem Scriptura paulò infrà dicat, Deum formasse hominem ex limo terræ, & Euam esse formatam ex costa Adæ: Et Adæ dixit Deus; *Puluis es, & in puluerem reuerteris*, quæ quidem licet de toto homine dicta sint, attamen non nisi propter corpus ei conueniunt. Etenim vsitatum est tam in Philosophia & in Sacris litteris quàm in vulgari sermone, totum aliquod appellari tale vel tale ex eo quod vni alicui parti eius principali conuenit Theodoretus in q.20. in Genesim laudat Melitonem aduersus istos hæreticos hoc argumẽto vtentem: Si propterea existimatur Deus habere corpus, quale habet homo, quia Scriptura describit eum tanquam instructum & præditum membris humanis: simili ratione concluderetur; hominem non esse similem Deo, nec ad eius imaginem & similitudinem factum. Etenim Zacharias cap. 4. describit Deum septem oculos habentem, cum nos duos tantùm habeamus, & Psal.90. inducitur Deus habens pennas & alas, quibus nos caremus, & multa alia per metaphoram Deo attribuit Scriptura, quæ si propriè & ad veritatem exigerentur, Deum facerẽt enormem atque monstrosum, & longè dissimillimum hominis. Non igitur, ait Melito, imago Dei quærenda est in hominis corpore, sed in animo, qui vt Deus, sic ipse rationis, consilij, & sapientiæ compos & capax est. B C

Melito apud Theodoretũ.

THEODORETVS hoc loco vehementer laborat inuestigando quæ sit & in quo sit ista imago Dei ad quam factus est homo. & cùm varias commemoret explicandi vim & naturam huius imaginis rationes. nullam tamen earum sibi animum explere & omninò satisfacere præ se fert. Cur autem tantam in hoc difficultatem senserit Theodoretus, causa fuit quod putaret, id quod dicitur esse factũ ad imaginem Dei, soli homini & viro conuenire, nec ad Angelos, nec ad fœminam pertinere: quod tamen falsum esse, infrà ostendemus. Epiphanius tractans hæresim 70. eadem de re cum multa disputasset, tandem in eam deuenit opinionem, vt arbitretur, sicut certum est imaginem Dei esse in homine, ita qua in parte hominis vel qua in re ea imago sit posita, incompertum esse atque incomprehensibile, soliq́ue Deo notum, quod propterea Epiphanio cõtigit, quia putauit ipse per imaginem Dei hoc loco significari perfectam Dei similitudinem sine admistione vllius dissimilitudinis, quam mirum non fuit in homine non potuisse ab eo reperiri. D

Falsa existimatio Theodoreti & Epiphanij.

S. BASILIVS hom.10. in Genesim, Nyssenus homilia de Creatione hominis, & Chrysostomus super hoc loco Geneseos, propterea censent hominem esse factum ad imaginem Dei, quia sicut Deus omnibus rebus, ita & homo cunctis animantibus dignitate præcellit, & potestate atque imperio dominatur. Augustinus in libro de

Quanti

A Quantitate animæ cap. 2. scribit, animum nostrum eò dici similem Deo, quod sit immortalis atque indissolubilis. Idem extremis verbis eius libri qui inscribitur de Ecclesiasticis dogmatibus, qui licet non videatur esse Augustini, cuiuscumque sit magnæ tamen est apud Theologos auctoritatis, ita scribit: *Propter nouelles Legislatores qui ideo animam tantùm ad imaginem Dei creatam dicunt, vt quia Deus incorporeus rectè creditur, etiam incorporea anima esse credatur, liberè confitemur, imaginem in æternitate, similitudinem in moribus inueniri.* Idem Augustinus tractatu octauo in primam Epistolam Ioannis sic ait: *Vbi factus est homo ad imaginem Dei? In intellectu, in mente, in interiore homine: in eo quod intelligit veritatem, diiudicat iustitiam & iniustitiam, nouit à quo factus est, potest intelligere Creatorem suum, laudare Creatorem suum. Ideo*
B *multi cum per cupiditates malas detererent in se imaginem Dei, & ipsam quodammodo flammam intelligentiæ peruersitate morum extinguerent, clamat illis Scriptura: Nolite fieri sicut equus & mulus, quibus non est intellectus, hoc est dicere, Præposuit te equo & mulo, te ad imaginem meam feci, potestatem tibi super ista dedi, quare? Quia non habent feræ rationalem mentem, tu autem rationali mente capis veritatem, intelligis quod suprà te est, subdere ei qui supra te est, & infrà te erunt illa quibus præpositus es.* Denique in libris de Trinitate multifariam disputans Augustinus de hac Dei imagine ad quam factus est homo, docet eare hominem referre imaginem Sanctæ Trinitatis, quod intelligat seipsum, & intelligendo se producat in corde suo verbum intelligibile sui ipsius expressiuum, & hinc procedat amor, quod mirificè adumbrat duas in Sancta Trinitate processiones, vnam Filij per modum verbi intelligibilis, alteram Spiritus sancti per modum amoris. Gregorius Nyssenus in Hexameron, *Homo*, inquit, *eo factus est ad imaginem Dei, quod factus est omnis boni capax: bonitatis enim plenitudo diuinitas est.* Damascenus libro secundo Orthodoxæ fidei, capite duodecimo. Hominem ait ad imaginem Dei esse, significat ipsum esse intellectualem, & liberi arbitrij, & per se potestatiuum. Magister sententiarum distinctione decima sexta. *Factus est*, inquit, *homo ad imaginem & similitudinem Dei secundum mentem, qua irrationalibus antecellit: sed ad imaginem, secundum memoriam, intelligentiam, & dilectionem, ad similitudinem autem, secundum innocentiam & iustitiam, vel imago in aliis*
D *omnibus, similitudo in essentia, quia immortalis, & indissolubilis est, & catera.* Psal. 31.

Sanctvs Bernardvs sermone octuagesimo super Cantica, copiosè ac luculentè disputat, quemadmodum homo sit imago Dei. Idem in tractatu de libero arbitrio cum triplicem in homine distinxisset libertatem, vnam arbitrij, alteram consilij, tertiam complaciti, concludit in his tribus consistere imaginem Dei, ita scribens: *Puto in his tribus libertatibus ipsam ad quam conditi sumus conditoris imaginem, Atque similitudinem contineri, & imaginem quidem in*

libertate

libertate arbitrij, in reliquis autem duabus bipertitam quandam consignari A *similitudinem. Hinc est fortassis, quod solum liberum arbitrium sui omnino defectum seu diminutionem non patitur, quod in ipso potissimum æternæ & incommutabilis diuinitatis substantia quædam imago impressa videatur. Nam etsi habuerit initium, nescit tamen occasum, nec de iustitia vel gloria capit augmentum, nec de peccato siue miseria detrimentū. Quid æternitati similius, quod non sit eternitas? Porro in aliis duabus libertatibus, quoniam non solum ex parte minui, sed & ex toto amitti possunt, accidentalis quædam magis similitudo sapientiæ atque potentiæ diuinæ imagini superducta cognoscitur.* Idem Bernardus in libro de Anima, seu in Meditationibus de humanæ conditionis cognitione capite primo, sic ait: *Ad imaginem Dei facti sumus, hoc est, ad intellectum & notitiam Filij, per quem intelligimus &* B *cognoscimus Patrem, & accessum habemus ad eum. Tanta cognatio est inter nos & Dei Filium, quod ipse imago Dei est: & nos ad imaginem eius facti sumus; quam cognationem etiam ipsa similitudo testatur: quoniam non solùm ad imaginem, sed ad similitudinem eius facti sumus. Oportet itaque id quod ad imaginem est, cùm imagine conuenire, & non in vacuum nomen imaginis participare. Repræsentemus ergo in nobis imaginem eius in appetitu pacis, in intuitu veritatis, & in amore caritatis. Teneamus eum in memoria, portemus in conscientia, & vbique præsentem veneremur. Mens siquidem nostra eo ipso eius imago est, quo eius capax est, eiusque particeps esse potest. Non propterea eius imago est, quia sui meminit mens, seque intelligit ac diligit, sed quia potest meminisse, intelligere ac diligere à* C *quo facta est. Quod cum facit, sapiens ipsa fit. Nihil enim est tam simile illi summæ sapientiæ, quàm mens rationalis quæ per memoriam, intelligentiam, & voluntatem in illa Trinitate ineffabili consistit: consistere autem in illa non potest, nisi eius meminerit, eámque intelligat ac diligat. Meminerit itaque Dei sui ad cuius imaginem facta est, eúmque intelligat diligat atque colat, cum quo potest semper esse beata.* Hactenus Sanctus Bernardus. Beda in expositione allegorica libri Geneseos, refert secundum Origenem, rationem imaginis consistere in æternitate & in moribus: secundum verò Faustinum, sex modis animum nostrum esse similem Deo, videlicet quia est immobilis, velocissimus, inuisibilis, incorporeus, subtilis, æternus.

Sex modis anima nostra Deo similis dicitur secundum Faustinum Auctoris sententia, in quo propriè sit ratio imaginis.

CAETERVM, vt ego quoque breuiter distinctè ac dilu- D cidè dicam quod hac de re sentiendum existimo, equidem puto duplicem tradi posse rationem cur dicatur homo ad imaginem Dei factus. Et vna quidem ratio præcipua & principalis est, altera verò minus principalis. Ac principalis quidem ratio in eo est, quod homo secundum naturam suam supremum naturæ gradum attingit, in quo gradu Deus est: habet enim in se naturam rationis & intelligentiæ compotem. Etenim quatuor sunt generales gradus naturæ, & quatuor summa rerum genera; aliæ namque res tantùm habent esse, vt lapides & metalla: quædam præterea vitam nactæ

sunt,

A sunt, vt stirpes : nonnullæ super hæc motum & sensum obtinent, vt animalia : denique sunt aliæ in supremo naturæ fastigio collocatæ, quæ præter hæc, mente, ratione & sapientia pollent, in quo gradu Deus est, itemque Angelus, atque homo. Ac licet in eodem gradu sit homo atque Deus : attamen quantum ad eius gradus perfectionem attinet infinito interuallo immensisque spatiis homo distat à Deo. Hic autem gradus naturæ intelligentis, eximias & admirabiles sex proprietates secum naturaliter & necessario coniunctas habet, quas omnes in animo nostro cernere licet. Vna est, esse animum nostrum incorporeum & indiuiduum, altera, esse immortalem : tertia intellectu voluntate ac memoria esse præditum : quarta, pollere libero arbitrio: quinta capacem esse sapientiæ, virtutis, diuinæ gratiæ, & felici-

Sex proprietates naturæ intelligentis.

B tatis æternæ, quæ est in clara Dei visione collocata: sexta, cunctis animantibus non solum dignitate præcellere: sed etiam potestate dominari. Propter hunc igitur gradum naturæ intelligentis, & prædictas sex proprietates quæ eum gradum naturaliter consequuntur & perpetuò comitantur, verissimè dictum est, hominem ad imaginem & similitudinem Dei esse factum. Nec diuersa est hæc nostra sententia à sanctis Patribus & auctoribus quos paulò supra memorauimus, nisi eo tantum, quod illi vnam aut alteram de supradictis proprietatibus ad rationem imaginis declarandam attulerunt, cum omnes illæ proprietates ad constituendam atque complendam propriam & perfectam imaginis rationem concurrant.

C ALTERA ratio propter quam dicitur homo ad imaginem Dei factus, sed minus tamen quàm quæ dicta est principalis multiplex est. Etenim propterea homo dicitur similis Dei, quod sicut in Deo omnia sunt eminenter & causaliter, ita sunt in homine quodammodo omnia tum per participationem, habet enim communem cum rebus inanimatis existentiam, cum stirpibus vitam, cum animalibus sensum ac motum, cum Deo & Angelis mentem atque intelligentiam: tum etiam propter intellectionem, siquidem intelligendo omnia, fit quodammodo omnia. Etenim intelligens actu & intelligibile actu, auctore Aristotele, vnum sunt, quapropter idem Philosophus dixit animam nostram esse quodammodo omnia. Deinde, sicut Deus reue-

Altera imaginis ratio minus principalis.

Aristoteles 3. de anima.

D ra potest omnia facere, sic homo potest quodammodo facere omnia vel per artem imitando naturam & similia veris faciendo, vel imaginatione fingendo, vel cogitatione mentis informando. Posteâ sicut Deus finis est omnium rerum, ita videtur & homo quodammodo finis esse rerum omnium corporatarum. Si enim cœlestes globos & astra quę in rebus corporatis principatum dignitatis obtinent, in ministerium & seruitium hominis esse à Deo cõdita, grauissimus auctor in quarto capite Deuteronomij scriptum reliquit Moses, quanto verius idem de aliis rebus corporeis existimari & dici poterit? Ad hæc, sicut animus hominis præest ac præsidet corpori, ipsum viuificans mouens ac regens, & est totus in toto corpore, & totus in qua-

libet eius parte sine vlla sui diuisione diminutione aut inquinatione sic Deus habet se ad vniuersum mundum. Denique: sicut in Deitate credimus esse Patrem qui est ingenitus,& Filium qui est ex Patre genitus,& Spiritum sanctum qui ex Patre Filioque spiratur atque procedit,ita & in genere hominum simile quippiam animaduertere licet Adam enim à nullo generatus est, Eua ex solo Adam formata est, Seth autem ex Adam & Eua procreatus est.

QVAESTIO II.

Vtrum in Mundo perfectiori modo sit imago Dei quàm in homine.

ALTERA quæstio quæ hoc loco tractari potest, illa est: Vtrum Mundus perfectiori ratione habeat in se imaginem Dei quàm homo, sicut existimauit Philo in exordio eius libri quem de Opificio sex dierum edidit. Ad hanc quæstionem B.Thomas in 1.part.q.93.artic.3. hoc modo respondet, Diuinam imaginem dupliciter posse considerari: Aut secundum extensionem & diffusionem,qua ratione Mundus diuinæ bonitatis imaginem magis quàm homo repræsentat:quod ambitu suo complectatur omnem illam rerũ creatarum multitudinem de qua dictum est à Mose,*Vidit Deus cuncta quæ fecerat, & erant valdè bona:* Aut secũdum intensionem & perfectionis collectionem:quo quidem modo magis diuinæ maiestatis imaginem refert homo quàm mundus,quod diuinæ felicitatis capax sit homo, & quòd in eo tanquam in breui compendio,& in paruo quodam mundo omnia maioris mundi miracula inclusa contentaque cernantur.

Philonis sententia.

RESPONDERI etiam potest,vel mundi vocabulo comprehendi hominem & Angelum,vel non comprehendi.Si dixeris non comprehendi:dicam ego, mundum non habere in se imaginem Dei siquidem remoto Angelo & homine, non remanet in mundo natura aliqua intelligens,in qua tamen sola,vt diximus propria imaginis ratio fundatur ac nititur.Sin autem dixeris vocabulo mundi etiam hominem & Angelum comprehendi,sane inepta erit comparatio: non enim rectè totum cum parte aliqua sua comparatur:Et tunc quidem licet extensiuè,& secundum aliquam suam partem mundus illustriorem habeat in se Dei imaginem quàm homo,eo tamen nomine vincitur ab homine, quod mundus non est vna aliqua natura sicut est homo,sed est,vt loquuntur Scholastici Philosophi & Theologi, aggregatum quoddam ex multis diuersisque naturis. Quod si vera esset opinio Stoicorum & Platonicorum affirmãtium mundum esse vnum quoddam animal,cuius corpus sit ex elementis globisque cœlestibus coagmen

Opinio Stoicorũ, & Platonicorum de mundo.

A coagmentatum, animus vero sit à quo totus mundus viuificatur mouetur ac regitur, quem mundi animam appellauere Platonici: Si hæc, inquam, opinio vera esset, quam esse tamen falsam supra libro secundo, ostendimus, nequaquam à veritate Philo aberrasset.

QVAESTIO III.

An Angelus magis ad Dei imaginem sit factus quàm homo.

B RESPONDEO, imaginem & similitudinem Dei posse in Angelo & in homine spectari vel secundum dona naturalia vtriusque, vel secundum grauita & supernaturalia. Et secundum naturam quidem cõsiderari potest in vtroque vel propria & principalis ratio imaginis, vel minus propria & principalis: quam distinctionem supra exposuimus. Angelus igitur secundum naturam & secundum propriam rationem imaginis, perfectius habet in se imaginem Dei quàm homo: habet enim præstantiorem naturæ intelligentis gradum propter quem Dauid Psalmo 8. dixit de homine, *Minuisti eum paulominus ab Angelis:* principalis autem ratio imaginis in eo posita est quod habet naturam rationis atque intelligentiæ compotem. Confirmat hoc Sanctus Gregorius in homilia 34. super Euangelia ita scribens: *Vnde & ipsi Angelo* Ezech. 28.
C *qui primus est conditus per Prophetam dicitur, Tu signaculum similitudinis, plenus sapientia, & perfectus decore, in deliciis paradisi Dei fuisti, vbi notandum est, quod non ad similitudinem Dei factus, sed signaculum similitudinis dicitur, vt quo in eo subtilior est natura, eo in illo imago Dei similius insinuetur expressa.* Sic Gregorius.

QVOD si spectetur minus illa principalis ratio imaginis, quam supra in prima quæstione quinque partitò distinximus, clarius hæc in homine quàm in Angelo elucet, vt manifestum sit perpendenti, quæ paulò superius à nobis dicta sunt. Denique, Si ratio imaginis æstimetur in homine & in Angelo ex donis supernaturalibus gratiæ &
D gloriæ quæ in vtroque sunt, habent se homo & Angelus sicut excedens & excessum, vt loquimur in scholis: Siquidem aliqui Angeli secundum gratiam & gloriam sunt Deo similiores quàm plerique homines, & contra nonnulli homines similiores Dei sunt quàm multi Angeli. Potest tamen simpliciter & absolutè dici homo similior Deo quàm Angelus, in eo scilicet, quod in genere hominum sit deipara semper virgo Maria, quæ secundum gratiam & gloriam omnes Angelos longissime superat, ac proinde similior Deo est quàm sit vllus Angelorum.

QVAESTIO IIII.

An mulier facta sit ad imaginem Dei.

CAVSAM dubitandi affert Beatus Paulus, qui in prioris epistolæ ad Corinthios capite vndecimo, sicut expressè dicit virum esse imaginem Dei, ita videtur significare mulierem non Dei, sed viri esse imaginem: hoc enim modo scribit, *Vir quidem non debet velare caput suum, quoniam imago & gloria Dei est: mulier autem gloria viri est.* Et in Decretis 33.qu.3.Augustini & Ambrosij testimoniis probatur, mulierem non esse ad imaginem Dei. B

VERVM contra hoc facit, quod Moses postquàm induxit Deum dicentem, *Faciamus hominem ad imaginem & similitudinem nostram*, mox subdit, *Masculum & fœminam fecit eos*, apertissimè significans vtrumque sexum ad imaginem & similitudinem Dei esse creatum. Tractat fusè hanc quæstionem Augustinus libro duodecimo, de Trinitate capite septimo, Breuiter autem ad eam responderi potest: Si spectetur propria & principalis ratio imaginis quæ attenditur secundum gradum naturæ intellectualis, & secundum illas sex proprietates cum ea natura necessariò coniunctas, haud dubiè ratio imaginis æqualiter est in muliere atque in viro. Nam esse rationis & intelligentiæ participem, immortali animo & libero arbitrio præditum, & supernaturalium bonorum ac felicitatis æternæ capacem, æquè inest vtrique. Sin autem spectetur minus propria & principalis ratio imaginis, quam supra, tractando primam quæstionem exposuimus, propterea dicitur vir imago Dei, fœmina autem viri, quod sicut Deus est principium & finis ex quo & propter quem vir factus est, ita vir principium & finis est fœminæ: ex viro enim, & propter virum mulier facta est. Id quod apertissimè indicauit eo in loco Paulus: quippe cùm dixisset virum esse imaginem & gloriam Dei, mulierem autem viri, mox eius rei velut rationem subiiciens: *Non enim*, inquit, *vir ex muliere, sed mulier ex viro. Etenim non est creatus vir propter mulierem, sed mulier propter virum.* Iam verò, si Dei similitudo in viro ac fœmina consideretur non secundum dona naturalia, sed supernaturalia dona gratiæ & gloriæ, habent se vir & mulier sicut excedens & excessum: nonnullas enim fœminas reperire licet meliores similioresque Deo multis viris, & contra viros aliquos multis fœminis meliores Deoque propiores, quamquam negari non potest, inter mulieres reperiri aliquam, beatissimam dico virginem Mariam, quæ longè perfectiorem Dei similitudinem in se habeat quàm vllus vir, loquor autem de viro qui sit purus homo, vt excipiam Christum Dominum, qui simul homo & Deus fuit. C D

Imago Dei quomodo æqualiter esse dicatur in viro & in muliere.

Mulier quomodo dicenda imago viri.

1.Cor.11.

ATENIMVERO, quæ de hac quæstione scholastico modo præcisè

A præcisè disputauimus, latiori & luculentiori Sancti Basilij oratione exornanda & illustranda sunt. Is enim homilia decima in Genesim super illis verbis, *Masculum & fœminam fecit eos*, cum dixisset, propterea hæc verba subtexuisse Moses ne quis fortè suspicaretur quod dictum fuerat, *Faciamus hominem ad imaginem & similitudinem nostram*, non ad fœminam, sed ad solum virum pertinere, subiungit. *Habet*, inquit, *& mulier nihilo minus quàm vir, quod ad imaginem Dei facta est: honor vtrique naturæ nihilo dispar, æquales virtutes, vtrique in agone virtutis decertanti propositum par præmium, consimilis vtrique peccanti decreta condemnatio. Nolim dicat mulier, Imbellis sum & infirmæ conditionis: Isthæc infirmitas carnis est, nam in anima sibi sedem fixit virtus firma ac potens. Diuina igitur imago hæc cum in vtroque sexu peræq; honoretur, sit & compar in vtroque virtus quæ per bona opera*
B *vim suam exerat & explicet.* Et paucis interpositis: *Habet igitur*, ait, *bona mulier illud Ad imaginem: Nolim isti externo homini animum admoueas tuum, quod velut quoddam animi tectorium est: delitescit anima intus sub hoc integumento sessitans, & corpore molliusculo, quæ tamen in viro & fœmina pari honore insignita est: tantum reperitur in istis externis integumentis discrimen.* Sic Basilius.

QVAESTIO V.

C An imago Dei sit etiam in corpore hominis, non tantum in animo.

FACILLIMVM est propositam quæstionem breuissima distinctione dissoluere. Siquidé propriè loquendo imago Dei qui est incorporeus, immortalis, immutabilis, non potest esse in corpore terreno mortali, & in horas singulas mutabili: est tamen in eo tanquam in signo, vel est in eo, sicut in scholis loquuntur Theologi, arguitiuè & significatiuè. Corpus enim hominis ita est
D conformatũ figuratumque, vt euidenter arguat & significet, animum qui in ipso est, ad imaginem Dei esse factum: recta namque humani corporis statura, os sublime, & erectus in Cœlum vultus, perspicuè indicant animum eius corporis habitatorem cœlesti esse satum origine. Deique similẽ & æternitatis atque diuinitatis capacem. Verùm hæc testimoniis Patrum confirmanda sunt. Non esse hominem propter corpus ad imaginem Dei factum, & Basilius homilia decima in Genesim, & Ambrosius in capite octauo libri sexti Hexameron disertis verbis ostendunt. Quod autem imago Dei aliquo modo etiam in corpore hominis eluceat, declarat his verbis Augustinus capite duodecimo libri sexti de Genesi ad litteram: *Si & hominem de*

Dei imago quomodo in humano corpore esse dicatur optimo D. Augustini.

terra, & bestias de terra ipsa formauit, quid habet homo excellentius illis A nisi quod ipse ad imaginem Dei creatus est? Nec hoc habet secundum corpus, sed secundum intellectum mentis. Quanquam in ipso corpore habeat quandam proprietatem quæ hoc indicet, quod erecta statura factus est, vt hoc ipso admoneretur non sibi terrena esse sectanda velut sectantur pecora quorum voluptas omnis ex terra est, vnde in aluum cuncta pecora prona atque prostrata sunt. Congruit ergo & corpus hominis animæ rationali, non secundum lineamenta figuráſque membrorum, sed potius secundum, id quod in Cœlum erectum est ad intuenda quæ in corpore ipsius mundi superna sunt, sicut anima rationalis in ea debet erigi quæ in spiritalibus natura maximè excellunt, vt quæ sursum sunt sapiat, non quæ super terram. Idem Augustinus capite decimo septimo, prioris libri de Genesi contra Manichæos, B cum refutasset Manichæos insultantes Catholicis, quasi credentibus hominem esse factum ad imaginem Dei quasi Deus figuram haberet humani corporis, ostendisséque hominem Dei gerere imaginem non corpore, sed animo, subdit: *Quamuis etiam corpus nostrum sic fabricatum sit vt indicet nos meliores esse quam bestias, & propterea Deo similes: omnium enim animalium corpora, siue quæ in aquis, siue quæ in terra viuunt, siue quæ in terra volitant inclinata sunt ad terram, & non sunt erecta sicut hominis corpus. Quo significatur, etiam animum nostrum in superna, id est, in aterna spiritualia erectum esse debere. Ita intelligitur per animum maximè, attestante etiam erecta corporis forma, homo factus ad imaginem & similitudinem Dei.* Hæc Au- C gustinus.

NON committam vt hoc loco præteream, quæ in eandem sententiam piis admodum & disertis, suauissimisque verbis scripsit Bernardus in sermone vigesimo quarto, super Cantica: scribit autem hoc modo: *Ergo secundum animum, non secundum terrenam & feculentam materiam Deus hominem rectum fecit: Ad imaginem quippe & similitudinem suam creauit illum. De ipso autem Deo cecinit Dauid: Rectus Dominus Deus noster, & non est iniquitas in eo. Porro iniquitas cordis est non carnis vitium, vt per hoc noueris in spirituali portione tui & non in crassa luteaq; substantia, Dei similitudinem conseruandam fore siue reparandam. Spiritus enim est Deus, & eos qui volunt similes ei vel perseuerare vel fieri, oportet intrare* D *ad cor, atque in spiritu id negocij actitare: vbi reuelata facie speculantes gloriam Dei, in eandem imaginem transformentur de claritate in claritatem, tanquam à Domini spiritu. Quanquam & corporis staturam dedit homini Deus rectam: forsitan vt ista corporea exterioris vilioriſque rectitudo figmenti, hominem interiorem illum qui ad imaginem Dei factus est spiritualis siue seruandæ rectitudinis admoneret, & decor limi deformitatem argueret animi. Quid enim indecentius quàm curuum recto corpore gerere animum? Peruersa res est & fœda, luteum vas quod est corpus de terra, oculos habere sursum, Cœles libere suspicere, Cœlorumq; luminaribus oblectare aspectus: spiritualem vero cœlestemq; creaturam suos è contrario oculos, id est, internos sensus atque affectus trahere in terram deorsum, & quæ debuit nutriri in cœleis, herere luto tan-*

quam

A *quam vnam de suibus, complexarique stercora. Erubesce anima mea diuinam in pecorinam commutasse similitudinem. Erubesce volutari in cœno, quæ de Cœlo es: Erubesce anima, ait corpus, in mei consideratione. Creata similis creanti recta, me quoque accepisti adiutorium simile tibi, vtique secundum lineamenta corporeæ rectitudinis, Quocunque te vertas siue ad Deum sursum, siue ad me deorsum (nemo siquidem carnem suam vnquam odio habuit) vbique occurrit tibi species decoris tui, vbique pro statu tuæ dignitatis habes de magisterio sapientiæ familiarem admonitionem. Me ergo meam quam tui gratia accepi retinente & seruante prærogatiuam, tu quomodo non confunderis amisisse tuam? Cur suam in te conditor intuetur abolitam similitudinem, cum tuam in me tibi conseruet assidueq; repræsentet? Iam omne adiutorium quod tibi ex me debebatur vertisti tibi in confusionem: abuteris obsequio meo, indi-*

B *gnè humanum corpus inhabitas, brutus & bestialis spiritus.* Hactenus sunt melluiflui Bernardi quæ ad rem præsentem pertinet, mellitissima verba.

QVAESTIO VI.

C

An discrimen aliquod constituendum sit inter esse imaginem Dei, & esse ad imaginem Dei.

PLERISQVE Theologis & nonnullis Patribus visum est ea differre inter se. Siquidem Filius Dei dicitur esse imago Dei: Sic eum appellat Paulus ad Colossenses primo, nusquam autem dicitur esse ad imaginem Dei: at homo dicitur esse ad imaginem vel secundum imaginem Dei fa-

D ctus. Putant igitur isti, esse ad imaginem vel similitudinem Dei, denotare imperfectam diuinæ similitudinis participationem, qualis nempe reperitur in homine, quoniam autem Filius Dei perfectissima est paternæ substantiæ imago, idcirco non potest dici esse ad imaginem Dei: illud enim *Ad*, significat accessum ad aliquid, à quo tamen distat. Audi Ambrosium super vigesimum secundum caput Lucæ ita scribentem: *Solus Christus est plena imago Dei propter expressam in se paternæ claritudinis vnitatem: Iustus autem homo ad imaginem Dei est, si propter imitandam diuinæ conuersationis similitudinem, mundum hunc Dei cognitione contemnat.*

Augusti

Sententia D. Augustini de propositaquæstione quã ipse retractauit.

Augustinus vero in libro Octogintatrium quæstionum, qu. 51. significat filium Dei, quia substantialiter & perfectissimè refert Deum Patrem, propterea verissimè appellari imaginem Dei: non autem ad imaginem Dei: hominem autem quoniam imperfectè refert similitudinem Dei, ideo nõ dici imaginem Dei, sed ad imaginem Dei. Verùm hoc posteà correxit Augustinus in lib. 1. Retractationum c. 26. quippe legerat apud Paulum prioris epistolæ ad Corinthios c. 11. Virum appellari imaginem Dei, quocirca & illo loco, & disertius libro 7. de Trinitate cap. vltimo docet hominem quia similitudinem gerit Dei, appellari imaginem Dei: quoniam autem ea similitudo imperfecta est, ad id ostendendum, dici eum ad imaginem Dei esse factum, quod tamen nunquam in filio Dei dictum inuenimus. A

Theologi Scholastici.

ATQVE hęc sententia Augustini adeo placuit scholasticis Theologis, vt fere ab omnibus probata sit & inscriptis prodita. Lege Magistrum in secundo sententiarum distinctione decima sexta, & super eam distinctionem scholasticorum Theologorum disputationes, nec non & Sanctum Thomam in prima parte quæstione nonagesimatertia. Verùm hoc quod diximus, appositione verborum Augustini fiet illustrius. In 7. igitur libro de Trinitate capite vltimo sic habet: *Sed quia non omnino æqualis fiebat illa imago Dei tanquam non ab illo nata, sed ab eo creata, huius rei significandæ causa ita imago est, vt ad imaginem sit, id est, non æquatur paritate, sed quadam similitudine accedit. Non enim locorum interualli, sed similitudine acceditur ad Deum, & dissimilitudine receditur ab eo. Sunt enim qui ita distinguunt, vt imaginem velint esse Filium, hominem vero non imaginem sed ad imaginem. Refellit autem eos Apostolus dicens, Vir quidem non debet velare caput suum, cum sit imago & gloria Dei. Non dixit ad imaginem, sed imago: Quæ tamen imago, cum alibi dicitur Ad imaginem, non quasi ad Filium dicitur, quæ imago æqualis est Patri, alioquin non diceret, Ad imaginem nostram. Quomodo enim nostram, cùm Filius solius Patris imago sit? sed propter imparem, vt diximus, similitudinem dictus est homo ad imaginem, & ideo nostram, vt imago Trinitatis esset homo: non Trinitatis æqualis sicut Filius Patri, sed accedens, vt dictum est, quadam similitudine, sicut in distantibus significatur quædam vicinitas, non loci sed cuiusdam imitationis.* Sic Augustinus. B C

1. Corin. 11.

D

Iudicium Auctoris quid sit esse ad alterius imaginẽ.

AT enim non videtur ea distinctio perpetuò seruari in Scriptura, quinimo alicubi legimus in Sacris litteris, aliquid esse ad imaginem alterius, quod habet illius perfectissimam similitudinem, eique adæquatur. Siquidem in capite quinto libri Geneseos scriptũ est. Adam genuisse filium Seth ad imaginem & similitudinem suam, constat autem filium esse substantialem, perfectamque patris imaginem. Cur igitur Filius Dei nunquam in Scriptura dicitur esse ad imaginem Patris? credo equidem, esse ad imaginem alicuius, significare idem quod habere illius similitudinem siue perfectam siue imperfectam, sed habere tamen eam in diuersa natura expressam: diuersam dico

vel secun

A vel secundum speciem, vt est inter hominem & Deum, vel secundum numerum, vti est inter patrem & Filium. Quoniam autem Filius Dei eandem omnino naturam habet atque Pater, propterea nunquam dicitur esse ad imaginem Patris, sed dicitur tantummodo esse imago Patris.

QVAESTIO VII.

An Imago Dei quæ est in homine, propter peccatum penitus deleri ac perdi queat.

B EPIPHANIVS in Epistola quam scripsit ad Ioannem Hierosolymitanum Episcopum, inter alios complures Origenis errores, & hunc recenset, dixisse ipsum, perdidisse hominem propter peccatum imaginem Dei, quod refellit Epiphanius tribus Scripturæ testimoniis, ex 9. capite lib. Geneseos, ex Psalmo trigesimo octauo, & ex capite vndecimo prioris Epistolæ ad Corinthios, quibus in locis dicitur homo etiam post peccatum esse ad imaginem Dei. Verùm de quo Epiphanius reprehendit Originem, id aliquando sensisse videtur Augustinus, & scriptum reliquisse libro secundo, C contra Adimantium Manichæum, capit. 5. libro octogintatrium, quæstionum, quæstione 67. & libro 6. de Genesi ad litteram capite 27. & 28. sed hoc posteà retractans correxit Augustinus, vt videre est apud ipsum libro primo Retractationum capite 26. & libro secundo capite 24.

Error Origenis apud Epiphanium.

CAETERVM paruo negotio & proposita quæstio enodari, & istorum auctorum dicta ad rectam sententiam deduci possunt. Dupliciter enim de imagine Dei quæ est in homine, loqui possumus: vel prout ea consideratur secundum dona naturalia, & posita est in eo quod est habere naturam rationis & intelligentiæ compotem: & hac ratione non magis peccato perditur imago Dei, quàm perD datur natura ipsa rationalis seu intellectualis, non enim peccatum corrumpit & tollit dona naturalia: aut consideratur imago Dei secundum dona supernaturalia, scilicet diuinæ gratiæ & cœlestis gloriæ, quæ quidem est naturalis imaginis absolutio & consummatio: & huiusmodi similitudo & imago Dei peccando penitus diletur atque destruitur. Origenes igitur & Augustinus perdi imaginem Dei peccando intellexerunt. non secundum substantiam, sed quantum ad eius pulchritudinem & perfectionem vel id non de imagine naturali, sed de gratuita & supernaturali ab illis dictum est.

Solutio quæstionis.

***

QVAESTIO VIII.

An quæ ratione carent, gerant imaginem Dei: aut dici queant ad imaginem Dei esse facta.

RESPONDENDVM est negando rem vllam præter Angelum & hominem, si propriè loqui velimus, esse ad imaginem Dei, non enim quælibet similitudo etiá si expressa sit ex alio, sufficit ad rationẽ imaginis constituendam. Si enim similitudo ea sit secundum genus tantùm, aut secundum accidens aliquod commune, non constituet ea similitudo rationem imaginis: non enim vermis ex homine natus, & secundum genericam naturam animalis ei similis, dicetur imago hominis: nec si quid fiat album ad similitudinem alterius quod sit album, propterea dici poterit esse imago illius, vel ad illius imaginem. Necesse igitur est, quo verè dicatur aliquid esse imago alterius, vt gerat in se illius similitudinem ex ipso expressam, similitudinem dico vel secundum speciem, quemadmodum imago regis est in filio eius, vel certè secundum aliquod accidens proprium illius speciei, præsertim verò secundum figuram, quemadmodum imago regis dicitur esse vel in tabula depicta, vel in argento, vel alia quauis materia expressa. Similitudo autẽ speciei spectari debet secũdum vltimum gradum & differentiam rei. Res igitur rationis & intelligentiæ expertes: assimilari quidem Deo possunt secundum existentiam, vitam, & infimum cognoscendi modum qui est per sensus: supremum autem gradum mentis & intelligentiæ nequaquam attingũt, in quo tamen gradu, vt supra dictum est, propriè consistit ratio similitudinis quæ est inter Deum atque hominem.

Quid constituat verã rationem imaginis.

Quid sit vestigium Dei.

EX QVO licet intelligere quæ vim intelligendi non habent, in iis non esse imaginem Dei: ea tamen dicuntur habere vestigium Dei, sic enim in scholis loquuntur Theologi: namque hoc discrimis putant illi esse inter imaginem & vestigium, quod imago repræsentat rem secundum similitudinem speciei: vestigiũ autem repræsentat per modũ effectus, qui sic refert causam suam, vt eius tamen similitudinem speciei minimè assequatur. Impressiones enim quæ ex motu animalium relinquuntur in arena vel puluere, vestigia eorum appellantur: & vastitas ac desolatio alicuius regionis, vestigium est hostilis exercitus qui eam deuastauit. Homo igitur, quia non solum est, viuit & sentit, sed etiam, vt Deus, intelligit & sapit, gradum diuinæ naturæ attingens: propterea imago Dei iure appellatur. Animalia verò, cunctæq; res prẽter hominẽ corporatę, quia vim non habent intelligendi, non gerunt imaginem Dei, sed cernitur in eis quasi vestigium quoddam diuinitatis, earum enim dispositionem, determinationem, & mirabilem omnium inter se consociationem

tionem

A tionem contemplantibus manifestum fit, eas diuina ratione, intelligentia, & sapientia, ab initio esse constituras, & perpetuò contineri atque gubernari. mentem enim, eámque sapientissimam fuisse necesse est, quæ tot tantásque & inter se tam diuersas res, è quibus hic mundus mirabiliter coagmentatus existit, in pondere & numero & mensura condiderit, & admirabili quodam fœdere velut prouidentiæ suæ fræno astrictas tenens, suo arbitrio regat atque moderetur.

DIGRESSIO MORALIS.

B Cur Deus fecerit hominem ad imaginem suam.

CÆTERVM, libet hoc loco superiorum quæstionũ quas de imagine Dei explicauimus, velut clausulam, adiicere moralem quandam disputationem de causis cur Deus hominem ad sui imaginem & similitudinem effinxerit. Et complures quidem, valdéque probabiles eius rei causas afferre possumus.

SIT igitur PRIMA CAVSA. Fecit Deus hominem sui similem, vt palam esset quantum interfit inter Dei bonitatem ac benignitatem, atque hominis malignitatem & inuidiam. Homo enim si re aliqua excellat, velut diuitiis, potentia, nobilitate, honoribus, ac sapientia, nollet quemquam aliorum hominum sibi ea re parem, C aut etiam similem esse: at Dei tanta est bonitas, támque omnis expers inuidiæ, vt quibus rebus excellit ipse, earum capacem & participem fecerit hominem: Et quibuscumque modis homo similis Deo esse poterat, iis omnibus hominem sibi fecerit similem: Fecit enim eum sibi similem secundum naturam, prouehendo eum ad summum gradum naturæ in quo ipse est, naturam scilicet rationis compotem ei dando: deinde secundum bona supernaturalia & diuina: faciendo eum suæ gratiæ, sapientiæ, & felicitatis participem atq; consortem: denique naturam hominis secum coniungendo in vnitatem personæ diuinæ: ita vt non tantùm homo similis Deo sit, sed etiam Deus & nominetur, & sit.

Septem causæ cur Deus hominem fecerit ad imaginem suam.

D SECVNDA CAVSA. Vt res omnes corporales reuererentur hominem, vt qui tam illustrem & expressam Dei omnium conditoris & dominatoris imaginẽ in se gereret. Sic Deus dixit Noë, Gen. 9. *Terror vester ac tremor sit super cuncta animalia terræ, & super omnes volucres cœli, &c.* Et ne cœli atque astra inseruire homini, aut etiam Angeli ei ministrare dedignarẽtur, denique ne dæmones hominẽ lędere auderent, néve propter hominis rebellionem aduersus Deũ, omnes creaturę in ipsum insurgerẽt: sua hominẽ imagine Deus insignire & munire voluit. Figura eius rei fuit quod legitur libri Geneseos cap. 4. posuisse Deum signũ super Cain, ne qui inueniret ipsum, signúmque Dei in eo videret, interficere eum auderet. Et quemadmodum

Ioseph patriarcham Aegyptij, & Mardochæum Iudæum Persæ ac Medi honorabant ac venerabantur, quod insignia Regum, ille Aegypti, hic Persarum ac Medorum gereret, sic omnes creaturæ, hominem effigie Dei insignitum & decoratum, colunt ac reuerentur. A

TERTIA CAVSA. Omnia Deus homini donauerat, sed ipsum tamen hominem diuini iuris & possessionis esse voluit: quocirca vt agnosceretur, hominem esse quid Dei proprium & peculiare, obsignauit eum sigillo suæ imaginis, tam altè ac tenaciter impressæ, vt, salua hominis natura, signaculum illud auferri nullo modo possit. Quemadmodum memoriæ proditum est, nobilissimum illum Phidiam fecisse clypeum Mineruæ, atque in eum tanta arte effigiē suam inclusisse, vt ea integro clypeo non posset eximi. Homo igitur gestat Dei imaginem vt filius sui patris, cui debet amorem & pietatem, vt mancipium domini sui, quem timere ac reuereri debet, vt miles sui ducis & imperatoris, cui fidem & obedientiam præstare oportet, denique vt minister & dispensator bonorum heri & domini sui, cui rectum vsum creaturarum quæ dispensationi eius commissæ sunt, exhibere debet.

Opus Phidiæ nobilissimum.

B

QVARTA CAVSA. Quemadmodum quia nullum animalium inueniebatur simile Adæ, cum quo societatem & amicitiam & familiaritatem habere posset, creauit Deus Euam tanquam eius sociam, ita creatis rebus omnibus corporeis, cum nulla esset Dei similis, & cum qua Deus societatem & familiaritatem inire posset, fecit hominem sui similem, vt esset quē Deus amaret & à quo vicissim amaretur amore amicitiæ: & de aliis quidem rebus, cùm eas Deus à se factas cerneret, approbasse eas dicitur, *Vidit Deus*, inquit, Scriptura, *cuncta quæ fecerat, & erant valde bona*, de homine autem multo aliter locutus est Deus per Salomonem, Prouerbiorum octauo. dicens, *Deliciæ meæ esse cum filiis hominum*. Cætera igitur vt bona laudauit & approbauit Deus, solum autem hominem, vt amicum amare, & velut cum familiari consuetudinem habere, & suæ felicitatis consortem esse voluit. Merito igitur Iob. cap. 7. tantam Dei erga hominem beneuolentiam & benignitatem admirans, exclamauit: *Quid est homo quia magnificas eum? aut cur apponis erga eum cor tuum? visitas eum diluculo*, &c. illud *Visitas*, denotat societatem, conuersationem & familiaritatem Dei cum homine: illud autem, *Apponis erga eum cor tuum*, significat amorem amicitiæ quo Deus hominem dignatur atque complectitur. Verùm admirationi Iob rectè possumus respondere, propterea Deum visitare hominem, & apponere erga eum cor suum, quia Deus fecit hominem ad imaginem & similitudinem suam. Similitudo enim amorem conciliat & amicitiam conglutinat.

C

D

QVINTA CAVSA. Omnia quæ à Deo creata sunt & Mundi ambitu continentur, hominem ea vt par est contemplantem, ad cogni

A cognitionem Dei eorum opificis perducunt. Namque *inuisibilia Dei*, vt Paulus testatur, *à creatura mundi, per ea quæ facta sunt intellecta conspiciuntur, sempiterna quoque virtus eius & diuinitas.* Verùm, ne cogeretur homo cognitionem Dei extra se & è longinquo quærere ac petere, posuit Deus intra hominem in ipso eius animo pulcherrimam sui effigiem & imaginem, quæ quidem sola expressius quàm aliæ res omnes simul, Dei vim & naturam declararet. Hanc igitur Dei imaginem intra se intuens homo, per eam cognoscit qualis sit Deus: nam quia hominis animus similis Deo est, qualis imperfectè animus est, talem perfectè, remotáque omni imperfectione Deum esse existimare oportet. Itaque, sicut animus noster, ita Deus est intelligens, libero arbitrio pollens, plenus virtute, gratia, & sa-
B pientia, mundum conseruans, regens, atque continens, sicut animus corpus suum.

Sexta causa. Ideo factus est homo ad imaginem Dei, vt posset homo esse æternitatis, infinitatis, & diuinitatis quodammodo capax: nullúmque esset tantum bonum, vt non id auderet homo petere à Deo, & impetraturum se ab eo sperare. Possumus enim Deo fidenter dicere: Domine, imple bonis tuis infinitam hanc nostræ mentis & voluntatis capacitatem, quam dedisti nobis: nam si tu non pateris esse aliquid vacuum in natura, sed omnia loca vis esse obsessa & impleta corporibus, quanto minus velle te putandum est aliquid
C esse in animo nostro? Tu igitur qui solus potes *replere in bonis desiderium nostrum*, reple nostram voluntatem, quam nulla res præter vnum te explere & satiare potest. Quemadmodum igitur vas rotunda figura præditum non potest omni ex parte repleri, nisi à corpore similiter rotundo: ita nec animus hominis ad imaginem Dei factus, nisi à solo Deo, cuius similis est, repleri & satiari potest.

Septima causa. Quemadmodũ Rex condita à se ciuitate, in medio eius loco celebri imaginem suã collocat ex materia quapiam eximia & pretiosa confectã, vt manifestum sit omnibus eam intuẽtibus, quis fuerit eius ciuitatis conditor: ita Deus fabricato à se mundo, effigiem suam posuit in medio eius, id est, in homine, qui est medium quiddam inter res à Deo conditas, vt ex eius aspectu & con-
D templatione, in aperto & manifesto sit omnibus qualis fuerit huius mundi fabricator & opifex. Et sicut Apelles simulacrum Veneris inchoatum, morte occupatus non potuit absoluere, nemoque postea pictor qui succederet operi ad præscripta lineamenta inuentus est, oris enim pulchritudo, reliqui corporis imitandi spem auferebat, vt tradit Cicero in exordio lib. 3. de Officiis, & Plinius lib. 35. cap. 10, simili ratione Deus per creationem homini dedit imaginem suam, sed imperfectam, quam tamen nulla res alia præter Deum, ne ipse quidem homo, aut etiam Angelus posset perpolire & absoluere: id enim proprium Dei est, qui quam imaginem inchoauit per crea-

tionem,eam polit & ornat per iustificationem,& absoluit atque consummat per glorificationem. Quemadmodum igitur reus læsæ maiestatis haberetur, & dignus extremo supplicio, qui regis imaginem loco publico & celebri positam deturbaret iniurioseque tractaret, ita qui Dei imaginem in se positam & expressam sceleribus fœdat ac maculat, & quantum in ipso est,destruit ac delet, quasi in Deum iniurioſus & contumelioſus grauissima meretur supplicia.

CAP. 1. & VERS. 26.

Et præsit piscibus maris,& volatilibus cæli,& bestiis, vniuersæque terræ, omnique reptili quod mouetur in terra.

QVOD vesana quadam regnandi libidine tantopere concupiuerat Alexãder Magnus, vt totius Orbis imperium consequeretur, hoc ipsum & multo quidẽ amplius primo homini,statim vtis creatus est,à Deo fuit cõcessum. Aptè verò Moses,postquam dixerat hominem esse factũ ad imaginem Dei, proximè posuit, datum esse ei dominatum & imperium in omnes animantes, siquidem conuenientissimum erat vt quem Deus fecerat sui similem dignitate naturæ, etiam dominandi auctoritate potestatéque similem sui faceret,dignitas enim,potentiæ præsidio destituta,velut inermis & infirma est, paulatimque vilescit. Deinde, hoc vno maximè argumento declarare voluit Moses, hominem esse factum ad imaginem Dei:quod sicut Deus toti mundo præsidet atque imperat,ita quasi Dei vicarius, cunctis animalibus præest ac dominatur homo. Quid quod ea ipsa re qua imaginem Dei gerit homo,etiam præsidet & dominatur animalibus, mentem dico,rationem,& prudentiam? Non enim animalibus præstat homo vel proceritate corporis,vel robore,vel agilitate,vel diuturnitate vitæ,vel sensuum præstantia, nempe his rebus inferior est multis animalibus, at ratione, consilio, & prudentia omnibus antecellit.Ergo non corporis sed animi robore, & rationis ac prudentiæ viribus, cuiusque generis animalia etiam valentissima, callidissima, & ferocissima capit, domat, ad suos vsus accommodat, sibique parere ac seruire cogit.

Cur dominatus in omnes animãtes datus fuerit primo homini.

NEC illud vacat, quod inter animalia quibus hominem à Deo præfectum narrat Moses,pisces primo loco memorat. Videlicet quod hi omniũ animantium minimè dociles, miniméque humani imperij capaces, & nostræ consuetudinis atque disciplinæ participes esse videantur. Quod si eis tamen præest homo, quanto magis eum cæteris animalibus præesse credendum est? Et huius quidem in pisces humani imperij etiam nunc nec pauca, nec obscura extant indicia. Namque homine propter aquam ingrediente, visa eius vmbra, trepidant

Cur pisces primo loco dicantur subiecti homini.

A pidant pisces, fugámque capessunt, velut serui tumultuantes domi, inopinato heri aduentu & aspectu: id quod multis & disertis verbis nona in Genesim homilia persequitur Basilius. Delphini, incredibilis animal pernicitatis magnarúmque virium, mirificè amant & obseruant hominem, eique quoquomodo gratificari, obsequi, & deseruire gestiunt. Quid, illud nonne summæ admirationis est, quod narrat Plinius libro octauo, cap. 25. de Tentyritis, ab insula Nili in qua gens illa habitat appellatis? qui cùm paruo sint corpore, terribilissimo tamen omnium animalium Crocodilo, maximo terrori sunt: quinetiam flumini innatantes, dorsóque Crocodilorum ad similitudinem equitantium impositi, hiantibus resupino capite ad

Mirę vis gẽtis Tentyritarum aduersus Crocodilos.

B morsum, addita in eos claua, dextráque ac lęua tenentes extrema eius vtrinque, vt frœnis in terram agunt captiuos: ac voce etiam sola territos, cogunt euomere recentia corpora ad sepulturam. Itaque vni ei insulæ Crocodili non adnatant, olfactúque eius generis hominum vt Psyllorum serpentes, fugantur.

Theodoretus in quæstionibus quas scripsit in Genesim, quæstione vigesima arbitratur, ingentes illos pisces quos vocamus Cetos & Balænas non esse factos propter hominem nec eius subiectos imperio. Adscribam hic verba eius. *Animaduertendum est*, inquit, *non vniuersa animalia propter hominem creata esse, sed ea demum quibus dominari dicitur: nempe pisces maris, volucres cœli; & pecora*

Theodoretus refellitur putans Cetos nõ esse factos propter hominẽ, nec eius imperio subiectos.

C *terræ, fortasse etiam & reptilia terræ propter necessarium vsum pharmacorum quæ ex illis conficiuntur: non tamen facta sunt propter hominem cete illa grandia & ferę terrestres.* Et interiectis quibusdam ita concludit Theodoretus: *Non igitur dominatur homo Cete illis grandibus, neque bestiis, quæ fortasse ab initio non propter ipsum creata sunt. Et simile eorum quæ hic dicuntur à Mose, tradit Dauid in octauo Psalmo, dicens:* Omnia subiecisti sub pedibus eius, oues & boues vniuersas, insuper & pecora campi, volucres cœli & pisces maris, qui perambulant semitas maris. *nam & hic Cete & ferę prætermissę sunt.* Sic Theodoretus: Cuius sententia nequaquam probanda est, siquidem propter quam causam homo dominatur animalibus, nempe propter mentem, ra-

D tionem, & prudentiam: propter eam causam dominari cunctis animantibus fateri necesse est. Etenim ratione & prudentia, æque feris & cetis quàm aliis animantibus antecellit homo. Cetos autem comprehendit Moses vocabulo piscium maris, sicut vocabulo bestiarum etiam omnes feras. Negare autem, cetos & feras esse propter hominem, cum Moses Deuteronomij quarto, dicat etiam solem & lunam, omniáque sydera in ministerium & seruitium hominis esse à Deo creata, & cum non rarò videamus cetos & feras ab homine capi & domari, & ad vsus eius accommodari, nullo modo probabile est.

Legere potuisset Theodoretus & reuereri Basilium, sanctitatis & sapiẽtię gloria apud omnes clarissimũ, huic suæ opinioni manifestè aduersan

aduersantem. Is enim homilia decima in Geneſim cùm de poteſtate quæ homini data eſt in piſces verba faceret, ipſum hominem alloquens ita ſcribit: *Cum tantam indultæ tibi rationis vim perſpicias, nihil non meantem ac penetrantem, omniáque peruincentem, quo modo non etiam imperitandi Balænis facultas tibi ſuppetet? Equidem vidi admirabilem hominum in capiendis Balænis ſolertiam & ingenioſum valde artificium.* Poſtquam autem miram capiendi Balænas rationem & artem enarrauit: Baſilius ſubdit: *Atque ita Cetus hic tam immanis & ferus nullo propè negotio per hamum tenacius inhæreſcentem captiuus adducitur, hominis ingenio & induſtria domitus & expugnatus, prædáque factus piſcatorio, exiguo ingens, immanis imbelli. Qua id gratia? Homo ſanè per opulentam & prædiuitem vim rationis principatu in quæuis animalia donatus, quaſi facinoroſos ac refugas ſeruos atque rebelles, ad obedientiam ſeruitutémque redire cogit. Quæ igitur animalia naturali feritate non cicurantur, hæc vel ipſa neceſſitate coguntur ſuo vt famulentur & ſeruiant Imperatori. His ſane argumentis eluceſcit, ab ipſo Deo vim cæteris omnibus imperandi delatam eſſe homini, vbiuis gentium conſtituto. Atque hinc factum eſt, vt Balænæ omniáque maris monſtra vel ſolis nominibus horrenda, ſub hominis ditionem atque dominatum ſubiecta & ſubſtrata ſint.* Hæc Baſilius.

CONFIRMAT hanc noſtram & Baſilij ſententiam auctoritas B.Iacobi qui cap. 3. Epiſtolæ ſuæ affirmat, Omnem naturam beſtiarum,& volucrum,& ſerpentium,cæterorúmque domari,& domitam eſſe à natura humana.

DISPVTATIO DE IMPERIO hominis in animalia, ante & poſt peccatum.

VERVM enimverò, de imperio hominis in animalia, ſubtilius hoc loco & accuratius diſputandum eſt, illáque tractanda quæſtio. Quale fuerit hoc imperium hominis in ſtatu innocentiæ ante peccatum, & quale poſt peccatum in eo remanſerit. Sed ante omnia, illa præ-

Ius hominis ſuper amātes in ſtatu innocentiæ.

notanda eſt dominij diſtinctio in ius ſeu poteſtatem dominij, atque in eius vſum ſeu executionem. De iure & poteſtate dominij hominis ſuper animantes in ſtatu innocentiæ, nullo modo dubitandum eſt. Hoc nempe perſpicuis verbis docet Scriptura hoc loco, dicens: *Præfit piſcibus maris & volatilibus cœli*, & Pſalmo octauo. *Gloria & honore coronaſti eum, & conſtituiſti eum ſuper opera manuum tuarum. Omnia ſubieciſti ſub pedibus eius:* & in libro Eccleſiaſtici capite decimoſeptimo vbi deſcribitur qualis à Deo creatus ſit homo inter alia & hoc dicitur. *Dedit illi poteſtatem eorum quæ ſunt ſuper terram, poſuit timorem illius ſuper omnem carnem, & dominatus eſt beſtiarum & volatilium.* Hoc ipſum declarare & comprobare voluit Deus, cum adduxit cunctas

A cunctas animantes ad Adamum, vt is omnibus & singulis nomina imponeret: hoc actu velut possessionem Adamo tradens eius dominij quod habebat in animalia; & quasi faciens vt cunctæ animantes suum quæque nomen ab Adamo accipientes, ei quodammodo subiectionem, obedientiam, & seruitutem spõderent. Illud quoque eius rei indicium simul & argumentum est, quod Eua non horruit aspectum, congressum, & colloquium serpentis: videlicet sciebat illa omnes animantes fuisse id temporis innoxias homini, & sub eius dominatum atque seruitutem esse à Deo subiectas.

Accedit ad id confirmandum, firma & probabilis admodum ratio. Rectitudo enim ordinis naturalis, & ratio diuinæ prouidentiæ id postulat, vt quæ imperfectiora sunt, subiiciantur perfectioribus,
B & inferiora regantur per superiora. Cernimus materiã esse propter formam, & imperfectiores formas propter alias perfectiores: Elementa ipsa propter mistum, mistáque inanimata propter animalia: idemq; perspicitur in ipsarum rerum vsu. Namq; elementa & mista cedunt in vsum alimenti stirpium: stirpes nutrimento sunt animalibus, & vtraque hominibus. Adiice, quod ad dominandum atque imperandum ratione, & prudentia, & consilio opus est: hæc in brutis vel nulla sunt, vel diminuta & adumbrata tantùm, in homine est vera, expressa, & vniuersalis prudentia. Quemadmodum igitur inter homines, vt Aristoteles tradit primo Politicorum, æquum est eos
C præesse & dominari aliis, qui ratione & prudentia præstant, sic inter animalia, iure debuit homini principatus & imperium demandari. Atque hanc ob causam homo procreatus à natura est nudus & inermis omniúmque rerum inops, quod ad eum vestiẽdum, armandum, instruendum, ornandúmque, & animalia, & aliæ res omnes corporales à Deo factæ & comparatæ sint.

Ius dominij in Animalia remansit in homine etiã post peccatum.

Hæc autem potestas & ius dominij, remansit etiam in homine post peccatum, siquidem hæc homini debetur propter naturæ rationalis excellentiam: huiusmodi autem naturæ dignitatem non perdidit homo propter peccatum: peccatum enim non destruit bona naturalia, nec peccando amittit homo imaginem Dei in ani-
D mo eius naturaliter expressam, propter quam potissimùm cunctis animalibus præesse & dominari dicitur. Quid? quod etiam post diluuium dixit Deus Noë & filiis eius, *Terror vester ac tremor sit super cũcta animalia terræ, & super omnes volucres cœli, cum vniuersis quæ mouentur super terram: omnes pisces maris manui vestræ traditi sunt.* Et verò, nisi post peccatum haberet homo potestatem in animalia, non esset licita cuique homini syluestrium animalium venatio & occisio, sicut Aristoteles affirmat in primo Politicorum: atqui iustum & licitum est eiusmodi animalia capere & occidere, & tanquam id quod naturaliter est suum, prout quisque vult, in vsus suos conuertere. Ergo peccatum, potestas & imperium remansit in homine.

Genes. 9.

Sequitvr vt deinceps de possessione & vsu imperij huius

in animalia dicamus. Et quidem ante peccatum & in beato ſtatu illo innocentiæ pleniſſimus erat & ampliſſimus huius dominationis vſus, miniméque laborioſus aut difficilis: nam nec quantum ad hominem, vllum erat impedimentum & difficultas, neque vlla in animalibus repugnantia. Hoc ſenſere, & ſcriptis prodidere Patres quicunque hunc locum editis Commentariis interpretati ſunt, & quicunque Theologi de hoc imperio & dominatu hominis diſputarunt. Etenim docent fuiſſe homini animalia in ſtatu innocentiæ ſubiecta & obedientia, vt erat pars inferior hominis ſuperiori parti, id eſt, rationi ac voluntati ſubiecta. Sicut igitur tunc ratio pleniſſimè atque omnino dominabatur ſenſibus & affectibus, ita dominabatur animalibus homo. Ac nequando fortaſſe videretur hoc poſteris incredibile, aliqua eius rei ſigna & argumenta dedit ante & poſt peccatum Deus. Cunctas enim animantes adducere ad Adamum, quid aliud fuit quàm ſignificare eum principem & dominum eſſe animalium, illius eſſe dominari & imperare animantibus, illarum verò ſubiici & ſeruire homini, eiúſque iuſſa capeſſere? Poſt peccatum etiam, cuiúſque ſpeciei animalia ducta ſunt ad Noë, & in arcam illata, vbi non tantùm ei non fuere nocentia, ſed etiam ſubiecta & obedientia. Eliſeo & paruere vrſi in vltionem puerorum qui eum contumelioſè appellauerant, & Daniel familiariter, nedum innoxiè cum famelicis leonibus multos dies verſatus eſt. Legimus S. Franciſco & Antonio Patauino, piſces, aues, atque alias quaſdam animantes dicto fuiſſe audientes atque obedientes. Verùm hoc interfuit inter ſtatum hominis ante peccatum & poſt peccatum, quòd hæc animalium obedientia, ante peccatum fuiſſet perpetua, & vt vocant Theologi, ordinaria & ſine miraculo, & erga cunctos homines, poſt peccatum autem, extraordinaria eſt, nec fit ſine magno miraculo & ad breue tempus, & niſi apud quoſdam viros ſanctiſſimos.

A

B

C

4. *Reg.* 2. *Da.* 6. & 14.

Quomodo animalia omnia erãt ſubiecta & obedientia homini ante peccatum.

CAETERVM, habet illud difficultatẽ quomodo in ſtatu innocentiæ animalia humani imperij eſſent capacia, quomodo etiã quæ ferociſſima ſunt, homini tamen obedirent. Neque enim exiſtimandũ eſt fuiſſe tunc, ac futura fuiſſe animalia ratione prædita, vt intelligerent & quid imperaret homo, & quemadmodum imperium eius & iuſſa exequi oporteret. nó enim propter peccatum natura hominis, nedum animalium, vlla ex parte mutata eſt. ſed hic nodus dupliciter exolui poteſt. Poſſumus enim exiſtimare, ſumma hominis ſolertia, prudentia & induſtria factum eſſe, aut fieri debuiſſe in ſtatu innocentiæ, vt cunctæ animantes imperio eius ſubiicerentur. Fuiſſet enim in homine excellens animi ſagacitas & ſolertia, perfecta prudẽtia, ſumma induſtria, abſolutiſſima naturæ proprietatum & morũ cuiuſque animalium ſcientia: nouiſſet vtique homo ingeniũ & vim cuiuſque animalis: percaluiſſet omnes vias rationéſque quibus animalia etiam ferociſſima atque ſæuiſſima mitigari, domari, & ſub poteſtatem

D

A testatem hominis subiici possent. Certissimis enim experimentis compertum est quædam mitigari, & nullo negotio capi atque tractari, vel per incantationes, vt serpentes, sicut de aspide traditur Psalmo 57. vel per succos herbarum, aliósve potus aut cibos medicatos: hausto enim hordei succo Elephanti ferociam demitigari, auctor est Plinius libro octauo. Hac igitur ratione homo in statu innocentiæ sic imperasset cunctis animantibus, vt nunc imperat animalibus maximè domesticis & familiaribus vt cani & equo.

Eliphantum quomodo mitigari tradat Plinius.

Sciendvm autem est, quattuor modis effici posse, vt animal quantumuis sæuum & truculentum, cicuretur & sub potestatem & vsum hominis redigatur. Primo, vt diximus, per arcanos quosdã mo-
B dos, qui certis quibusdam verbis & carminibus constant, & appellantur incantationes, vt patet in serpẽtibus. Deinde, commutatione cœli, & variatione consueti victus: Si enim leones in regiones præfrigidas transferantur, & molliori melioriq; cibatu alantur atq; saginentur, paulatim ferocia leonini ingenij remittetur, roburq; & ardor, animi minuetur, fiétque pigrior indies & ignauior atque inualidior. Præterea, rabiem suam & ferociam exuũt aduersus eos à quibus curantur, aluntur & benignè tractantur, quibus non modo nihil nocent, sed cum illis etiam ludunt familiariter, eísque blandiuntur: quinimo ab illis se verberari patiuntur, cuius rei exempla in leonibus & elephantis permulta miráque commemorat Plinius libro octauo. Et cum nullum sit genus animalis infestius magisque inimicum homini serpentibus, & in his aspide, de qua scriptum est in
C cantico Mosis Deuteronomij 32. Venenum aspidum insanabile: nihilominus tamen narrat Plinius libro 10. capite 74. miram de quadam aspide familiarissimè apud quendam viuente historiã. Sic ille scribit: *De aspide miraculum Philarcho reddatur: Is enim auctor est, cum ad mensam cuiusdam veniens in Ægypto aleretur assidue, enixam catulos, quorum ab vno filium hospitis interremptum: illam reuersam ad consuetudinem cibi, intellexisse culpam, & necem intulisse catulo, nec postea in tectum id reuersam.* Ita Plinius. Postremo, tantum potest ars, industria, & consuetudo, vt non solùm animalia cogantur parere homini, sed
D ei quoque ad verba, singulósque nutus morem gerere, & imperata facere condocefiant: quinimo etiam picas & psittacos docuimus humana verba loqui.

Quattuor modis posse animalia etiam sæuissima, mitigari & subiici homini.

Mira historia Aspidis.

Altera ratio qua existimari potest fuisse in statu innocẽtiæ animalia homini subiecta, tota sumitur & pendet ex singulari quadã erga hominem in statu innocentiæ constitutũ Dei prouidentia & cura, qua mirabiliter factum esset vt animalia non solum homini non nocerent, sed subiecta essent atque obedirent. Quemadmodũ enim, quod homini tunc nulla res quicquam vel detrimento, vel molestiæ afferre posset, id referendum est ad specialem quandam Dei custodiã & protectionem, ita quoque de subiectione & obedientia cunctarum animantium sentire oportet. Hanc autem tam singulare prouidentiam

dentiam circa animalia exercebat Deus per Angelos, quorum mini- A
sterio fiebat, vt hominis voluntati & imperio, quãtum opus erat, si-
ne impedimento, sine difficultate, & sine repugnantia subessent atq;
obtemperarent animalia, Per Angelos enim credimus animãtes ad-
ductas esse ad Adamum vt singulis ipse nomina imponeret, & ad
Noë vt eas in arcam illatas ab exitio diluuij vindicaret atque con-
seruaret. Et quod ad illustrandam seruorum suorum sanctitatem, cũ
ingenti miraculo nonnunquam fecit Deus, vt illis ad voluntatem &
ad nutum obedirent animalia, id fuisset in statu innocẽtiæ erga om-
nes homines factitatum atque vsitatum.

Quomodo post peccatum diminutum sit hominis imperium in animalia.

CAETERVM post lapsum Adæ, & naturam humanam illius pri- B
mæuæ innocentiæ & iustitiæ originalis gratia spoliatam, maiorem
in modum hoc imperium hominis in animalia, quantum ad eius
vsum & executionem, diminutum atque coanguſtatum est: nam &
paucis animalium imperare possumus, nec his sine magno labore.
Hugo de S. Victore in suis Annotationibus super Genesim annota-
uit, propter peccatum amisisse hominem dominium in duo genera
animalium, in maxima scilicet animalia, vti sunt Leones, Tigres, Pá-
theræ, quo videlicet intelligeret se illa excellenti potestate domina-
tionis quam à Deo acceperat fuisse priuatum: deinde, etiam in mi-
nima & vilissima animalia, veluti sunt muscæ, pulices & culices,
quę minus quàm maiora illa & ferociora domari possunt & imperio
nostro submitti: vt hinc agnosceremus quantam in vilitatẽ propter
peccatum delapsus & abiectus esset homo. Quocirca, Deus vt puni- C
ret Ægyptios, non misit aduersus eos Leones aut Tigres, sed mus-
cas, cynipes & locustas. Elucet nihilominus tamen in hac ipsa Dei
animaduersione & abiectione hominis, mira quædam eius erga ho-
minẽ bonitas ac benignitas. Namque vt rectè animaduertit Chryso-
stomus homilia 12. in Genesim, ita Deus hominis imperio subtra-
xit animalia, vt quæ ad declarandam magis hominis excellentiam
potestatis quam ad vtilitatem eius pertinebant, vt sunt magna & fę-
ua animalia, obedientiæ eius subduceret; relinqueret autem ea quæ
homini vel emolumento, vel adiumento, vel ornamento, vel etiam
oblectamento esse poterant: cuiusmodi sunt oues & boues, canes, &
Caietanus in Genesim. equi, simiæ & psittaci, atque alia id genus quam plurima. Caietanus D
ex eo quod refert Moses, Deum dixisse de homine, *Præsit vniuersæ terræ*. argumentatur, nullam esse partem terræ non subiectam homi-
nis dominationi: non ex eo tamen concludi posse vult, omnem par-
tem terræ esse habitabilem vel habitandam esse ab homine. Non
enim vniuersa terra cuius aliquis dicitur esse dominus, ab eo habi-
tatur, sed partem ipse habitat, partem relinquit serendis frugi-
vineis, arboribus, oletibus, partem pascuis, partẽ habitationi ani-
malium, partem denique nemoribus & syluis ad rem lignariam. Apud
Ciceronem libro secundo de Natura deorum benè longa, doctâ &
eleganti oratione probat Balbus cunctas animantes propter homi-
nem

A nem esse generatas, earumque complures sine hominis rectione & curatione, aut nullo modo esse, aut bene esse non posse.

An in statu innocētiæ homo homini dominaretur.

AT enim, quæret fortasse quispiam, An in statu innocentiæ non tantùm homo brutis, sed homo etiam homini dominaturus fuerit? Videtur enim ex hoc loco duci posse argumentum ad probandum, hominem in eo statu non imperaturum alij homini, propterea quod Deus declarans imperium quod habiturus esset homo, dixit, eum imperaturum piscibus, auibus & terrestribus animalibus: de imperio autem quod habiturus esset in homines, nullum verbum fecit, haud dubiè dicturus, si quod futurum esset in eo statu hominis in hominem imperium. Deinde, ratio cur homo dominatur brutis, ea est vt
B supra ostendimus, quod homo sit rationalis & ad imaginem Dei factus: at hoc in cunctis hominibus æqualiter inerat: nulla igitur ratio erat cur homo homini imperaret. Ad hæc, subiici aliorum imperio, & ex alieno iudicio & voluntate pendere, cum sit contra naturalem libertatis appetitum, non potest nó esse homini inuoluntarium, violentum, acerbum, atque odiosum: procul igitur fuisset ab illo felicissimo statu. His accedit, quòd seruitus inter homines nata videtur ex peccato: namque vt scriptum est capite nono libri Geneseos, primus omnium Noë propter peccatum filij sui Cham, posteros eius pœna seruitutis puniuit: & Euæ in pœnam peccati dictum est: Sub viri potestate eris, & ipse dominabitur tui. Videtur etiam in hac sententia
C fuisse Augustinus, quippe qui libro 19. de Ciuitate Dei capite 15. hoc modo scribit: *Rationalem factum ad imaginem suam noluit nisi irrationalibus dominari, non hominem homini, sed hominem pecori. Inde primi iusti pastores pecudum magis quàm reges hominum constituti sunt: vt etiam sic insinuaret Deus quid postularet ordo creaturarum, & quid exigat meritum peccatorum. Conditio quippe seruitutis iure intelligitur imposita peccatori. Proinde nusquam Scripturarum legimus seruum, antequam hoc vocabulo Noë iustus peccatum filij vindicaret, nomen itaque istud culpa meruit, non natura.* Sic ex Augustino.

Etiam in statu innocentiæ alios alis imperaturos fuisse.

VERVMTAMEN futurum in illo statu innocentiæ fuisse quorundam hominum in alios homines imperium, nec paucis nec infirmis rationibus persuaderi potest. Principio, cum in statu illo numero-
D sè multiplicandum esset genus humanum, cumque natura sua homo sit animal sociabile, id est, gaudens societate hominum, amánsq; humanum conuictum & consuetudinem; meliúsque sit homini ad omnem vitæ vsum cultúmque, ac iucunditatem viuere in societate, quàm in solitudine, proculdubio futura erat tunc hominum cum hominibus congregatio & consociatio: & ne qua perturbatio & confusio in tanta hominum multitudine inesset, aliquem in ea ordinem superiorum & inferiorum, regentium alios & ab aliis rectorum, denique imperantium & imperata facientium esse oportebat: præsertim verò cum in illo etiam statu, futuri essent alij prudentia & probitate præstantiores aliis, aptioréque ad regendū: ergo consentaneum

erat vt illi potius præessent & dominarentur aliis. Deinde, in Angelis sanctissimis, sapientissimis & beatissimis constat esse alios superiores & alios inferiores, & illos quæ agendà sunt imperare, hos iussa eorum exequi. Siquidem inter ordines Angelorum, quatuor à principatus & dominatus excellentia nomen acceperunt, Archangelos dico, Principatus, Potestates & Dominationes. Daniel præterea capite octauo, & Zacharias capite secundo, inducunt Angelos, alios imperantes aliis. Et verò, negari non potest quin eo in statu patres potestatem & imperium habituri fuerint in filios; hoc enim natura ipsa postulat: mariti quoque in vxores suas, affirmante Paulo virum esse caput mulieris, & mulierem ex viro & propter virum esse factam. Status autem innocentiæ non destruebat aut funditus euertebat statum & ordinem naturæ.

Duplex dominium hominis in homines vnum seruile, alterũ ciuile ac liberale.

VERVM quò breuius & facilius argumenta initio proposita, & huic nostræ opinioni contraria diluamus, scire conuenit duplex esse dominium hominis, alterum in seruos, alterum verò in liberos qui sponte sua vnum aliquem vel multos elegerunt, à quo vel à quibus secundum præscriptas leges regerentur atque gubernarentur. Duplex autem inter hæc duo genera dominandi animaduertere licet discrimen. Siquidem imperium in seruos, coactum & violentum est, atque idcirco inuoluntarium & acerbum: in liberos autem voluntarium & iucundum est, vtpote ab illis vtilitatis suæ causa vltro electum & assumptum. Imperium præterea in seruos, totum planè refertur ad bonum & emolumentum dominantis; quapropter non potest non esse onerosum & odiosum subditis: Est enim contra naturalem hominis appetitum, vt quicquid agit & laborat, non in suam sed in alterius vtilitatem cedat: Imperium verò in liberos refertur non ad bonum dominantis sed subditorum, vel potius ad bonum publicum & commune. In statu igitur innocentiæ alij præfuissent aliis, non dominatione seruili sed ciuili, quæ scilicet nihil violenti, inuoluntarij, & acerbi mistum habuisset. Ad eum nempe modum tunc imperassent homines, quo modo iustos viros imperare aliis docet Augustinus libro decimonono de Ciuitate Dei capite decimoquarto. *Non enim*, inquit, *iusti dominandi cupiditate imperant, sed officio consulendi, nec principandi superbia, sed prouidendi misericordia. Hoc naturalis ordo præscribit, ita Deus hominem condidit.* Cur igitur (nam & hoc roget aliquis) non dixit Deus, Dominamini hominibus, sed animalibus? Hoc videlicet imperium in animalia conuenit cuilibet homini ea ratione vt homo ad imaginem Dei creatus est, cunctisque hominibus æqualiter competit. At verò imperium aliorum hominum in alios homines, non cuique homini conuenit, sed quibusdam tantum certis hominibus: nec illis conuenit quà homines sunt, sed propter eorum vel dignitatis, vel potentiæ, vel prudentiæ, vel probitatis excellentiam.

SED cur subiectio mulieris sub potestatem viri irrogata est ei à Deo

A Deo in pœnam peccati, si etiam in statu innocentiæ sub imperio viri mulier fuisset? Ad hoc ita breuiter respondendum est: Subiectio mulieris sub viri potestatem in statu innocentiæ fuisset mulieri voluntaria & iucunda, atque omnis expers molestiæ: tum quod vir nihil imperasset mulieri nisi rectum & honestum, idque magna cum æquitate & benevolentiâ, mulier autem sua sponte amasset quicquid rectum & æquum esset, & quicquid à se fieri ratio postulasset, id feciſſet ipsa voluntariè, libenter, atque gaudenter. Fuisset enim in vtroque natura integra, ratio recta, atque ad bonum valdè propensa voluntas, quo factum esset, vt imperium viri mulieri molestum & odiosum nequaquam accideret. Post peccatum autem euenit vt hæc subiectio sit mulieri inuoluntaria & acerba, & in peccati pœnam ei B acciderit: idque duabus de causis contingit: tum quod sæpenumero mariti inhumanius & durius quàm par est tractant vxores, eis præter æquum & bonum imperantes: tum etiam quod mulieres corrupta natura, deprauatáque voluntate, vel propter naturalem quandam leuitatem ingenij & iracundiam animi, ægrè ferunt regi se à viro, eiusque imperio esse subiectas. Hæc autem prauitas & peruersitas tam imperantis viri, quàm mulieris obedientis, ex peccato nata est: & molestia quam habet adiunctam, pœna est peccati inflicta mulieri: & de hoc genere subiectionis locutus est Dominus cum dixit Euæ, *Sub viri potestate eris, & ipse dominabitur tui.*

An in statu innocêt æ Mulier fuisset sub viri potestate.

C VERVM concludamus hanc Mosis de imperio hominis in bruta doctrinam, adiuncta breui quadam tropologica interpretatione, nec inepta nec iniucunda, opinor, futura lectori. Quemadmodum homini, quia rationalis est, propterea datum est imperium in bruta, ita pars superior hominis in qua mens & ratio quæ propria hominis est, viget, præesse & dominari debet parti inferiori, id est, sensibus & affectibus carnalibus, quos cum aliis animantibus communes habemus. Et sicut Moses quatuor genera animalium exposuit, quibus homo præesse debebat dicens, Præsit piscibus & volatilibus, & bestiis, & reptilibus, denique etiam vniuersæ terræ: ita scire oportet, quatuor esse in parte hominis inferiori affectus vi- D tiosos & quasi ferinos, quos ratio in potestate sua habere debet, & velut quodam suæ dominationis fræno astrictos tenere & arbitratu suo regere. Ac per Pisces quidem qui demersi aquis perpetuò viuunt, significatur mollicies carnis & æstus libidinum: per Aues, immodica gloriæ & honoris cupido: per Reptilia, nimium coaceruandi diuitias bonáque terrena studium: per Bestias & feras, ardens vindictæ & vltionis appetitus, & implacabilis ira atque odium aduersus eos qui re aliqua nos læserunt: illud autem *Vniuersæque terræ*, denotat omnem sensum & affectum carnalem, terrenásque cupiditates domare ac rationi subiicere oportere, sicut rectè monet Paulus ad Colos. 3. *Mortificate*, inquit, *membra vestra quæ*

Digressio. Moralis de hominis principatu, & imperio in animalia.

sunt

sunt super terram. Hæc autem seu castigatio seu mortificatio affectuum, post peccatum Adæ facta est homini laboriosa, acerba, & odiosa: ante peccatum autem facillima erat, quod in statu innocentiæ affectus hominis erant in potestate eius tripliciter; Primo quidem quantum ad excitationem eorum: non enim commouebantur nisi quando, & vbi volebat & imperabat animus hominis: Deinde, quantum ad eorum durationem, tandiu enim durabant, quandiu homò volebat, Denique, quantum ad intensionem & remissionem, namque remissio & intensio eorum, ex præscripto & iudicio rationis atque ex imperio voluntatis pendebat. Et quia his tribus modis desiere affectus & passiones hominis esse in potestate eius post peccatum, idcirco arduum est, magníque laboris eos imperio rationis regere & sub voluntatis potestatem subiicere, pro magno enim habetur si voluntas eis repugnet, & quantum potest, reprimere eos ac restinguere conetur. Placet mihi similitudo illa qua Aristoteles vsus est in extremo 1. lib. Ethicorum, ostendens ita se se habere huiusmodi affectus vitiosos ad imperium rationis & voluntatis, vt se habent membra paralytica ad voluntatem hominis mouere ea cupientis, non enim ea quando vult, vel quomodo & quantum vult mouere potest. Et ne lector Aristotelis verba desideret adscribã ea hoc loco, *Planè*, inquit, *quemadmodum resoluta corporis membra si ad dexteram mouere volueris, è contrario in sinistram deferuntur: sic quoque in anima contingit: In contrarias enim partes incontinentium appetitiones feruntur. Sed in corporibus quidem, quod præter voluntatem fertur, videmus: in anima non ita videmus: fortasse autem nihilominus in anima esse quoque aliquid præter rationem existimandum est, quod ei aduersetur ac resistat: quod tamen etiam ipsum rationis capax esse potest: velut esse cernimus in viro continenti, atque etiam magis in temperanti ac forti, in quibus eiusmodi affectus rationi consentientes & obedientes sunt.* Sic Aristoteles.

In statu innocentiæ affectus humani erant in potestate hominis tripliciter.

Pulchra similitudo Aristotelis.

A B C D

CAP. 2. VERS. 7. & 8. *Formauit igitur Dominus Deus hominem de limo terræ, & inspirauit in faciem eius spiraculum vitæ, & factus est homo in animam viuentem.*

SVPRA *iam dixerat Moses*, inquit Rupertus capite 10. libri 2. de Trinitate, *quia creauit Deus hominem, sed non dixerat, quomodo, & vnde fecit eum, Dixerat quod masculum & fœminam creauit eos: sed non dixerat quod fœminam fecit de masculo. Si igitur nihil amplius de creatione eorum dixisset, forte opinati essemus simul eos esse creatos & repentè exortos sibi mutuos præbuisse conspectus: sicut verbi gratia, de sole & luna hodiéque inter doctos diuersa sententia est: aliis dicentibus quod lunam creans Deus, statim plenam*

ostēn

A *ostenderit soli oppositam dimidia parte cœli aliis contra asserentibus, quod vtrumque vt simul fecit, ita & coniunxerit: vt paulatim luna de coniunctione solis emergeret cum incremento mutuati luminis. Sed sublata est huiusmodi dubitatio historica Mosis narratione quæ sic inchoatur, Formauit igitur Dominus Deus hominem de limo terræ. Solum namque masculum hic intelligi oportet, quia paulò post de masculo fœminam esse formatam dicet.* Atque hoc modo Rupertus : quæ hoc loco scribit Moses de formatione hominis, cum iis quæ supra de eiusdem conditione dixerat, putat esse connectanda. Sed nos hoc ipsum plenius & distinctius dicamus. Supra Moses enarrans opus sexti, diei summatim, memorauerat creationem hominis : ea duntaxat ratione
B vt homo pertinebat ad opus sexti diei, quo scilicet die tam homo quàm animalia terrestria procreata sunt. Absoluta igitur sex illorum dierum historia: de integro Moses creationem hominis tam viri quàm fœminæ subtiliter, distinctè & accuratè describendam suscipit : tum quod in generatione hominis multa sanè præclara, eximia & singularia obseruanda & admiranda sint : tum quod propter hominem precipuè scriptio huius libri à Mose susceptа esset.

Quattuor causæ hominis indicantur à Mose.

QVEMADMODVM autem cæteratum omnium rerum naturalium, ita hominis quoque quattuor sunt causæ ; Materia, Forma Finis & Efficiens : quas omnes Moses generationem hominis
C describens indicauit: Efficientem quidem dicens, *Formauit igitur Dominus Deus hominem:* Materiam: cum subdit, *De limo terræ:* Formam: cum addit. *Inspirauit in faciem eius spiraculum vitæ* : denique Finem: dicens. *Factus est homo in animam viuentem.* Quanquam formam simul & finem hominis significantius & expressius supra declarauit cum dixit: Factum esse hominem ad imaginem & similitudinem Dei. Siquidem ea est germana & propria forma hominis, quæ Dei similitudinem & imaginem gerit; hæc autem est anima rationalis : Finis autem hominis is est vt Dei gratia adiutus, omnique studio & diligentia sua contendens, quàm maximè fieri potest similis fiat Deo ; quod non nisi per visionem Dei beatificam nobis contingit, quemadmodum dilectus Iesu discipulus
D docuit nos dicens : *Scimus quoniam cum apparuerit, similes ei erimus, & videbimus eum sicuti est.* *1. Ioan. 3.*

Varietas lectionum.

OBSERVANDA est varietas lectionum huius loci. Namque ad verbum Hebraicè & Chaldaice sic est : *Finxit Deus hominem pulueremè terra.* Septuaginta Interpretes ita verterunt: *Formauit Deus hominem, pulueremaccipiens è terra:* scilicet apertius explicantes sententiam lectionis Hebraicæ : hoc enim significat, hominem esse factum puluerem de terra, id est, factum esse puluereum : sumpto puluere ex ipsa terra. Dicitur autem homo puluis è terra : quia primus homo ex puluere & ex terra formatus est : atque hoc spectauit Paulus prioris epistolæ ad Corinth. capite decimo quinto

cum dixit, *Primus homo de terra terrenus:* quibus verbis, vocis Hebrææ A
אדם *Adam*, vim & notionem verbis Græcis expoſuit. Adam enim
nomen ductum eſt ex אדמה *Adama*, id eſt, terra, quòd ex terra cor-
pus primi hominis confectum ſit à Deo. quocirca Græcè tam à
Mercurio Trimegiſto: quàm à priſcis poëtis homo appellatus eſt
γηγενὴς id eſt: Terrigena, quaſi è terra generatus. Et in cap. 7. libri Sa-
pientiæ primus homo duobus epithetis inſignitur: nominatur enim
γηγενὴς καὶ πρωτόπλαστος. Latini etiam poëtæ appellare ſolent homi-
nes, Terrigenas; niſi fortè putet quiſpiam ad fabulam Deucalionis
& Pyrrhæ eos alluſiſſe.

Pro verbo *Formauit*, Hebraicè eſt ויצר *vaiizer*, propriè ſignifi-
cans fingere, quod eſt figulorum. Sanctus Auguſt. libro 13. de Ciui- B
tate Dei capite 24. lectionem huius loci excutiens & expendens;
ita locum hunc citat & declarat; *Formauit Deus hominem puluerem de terra*, quæ quidem ad verbum, vt diximus, eſt lectio Hebraica. Sub-
iungit Auguſtinus: *Hoc quidem plenius interpretandum putantes, dixerunt: Finxit Deus hominem de limo terræ: quoniam ſuperius dictum fuerat: Fons aſcendebat de terra, & irrigabat omnem faciem terræ: vt ex hoc limus intelligendus videretur, humore ſcilicet terráque concretus. Vbi enim hoc dictum eſt, continuo ſequitur. Formauit Deus hominem puluerem de terra, ſicut Græci codices habent, vnde in Latinam linguam Scriptura ipſa conuerſa eſt.* Verùm Græci codices qui nunc extant non ſic habent vt citat eos Auguſtinus, ſed eo modo quo ſupra memorauimus. *Formauit Deus hominem puluerem accipiens de terra, vel, puluere ſumpto* C
de terra. Deſideratur igitur in citatione Auguſtini, ſi noſtri codi-
ces veri ſunt, illud participium *Accipiens.* Subdit vero Auguſti-
nus: *Siue autem*, inquit, *formauit ſiue finxit, quis dicere voluerit, quod Græce dicitur ἔπλασεν, ad rem nihil intereſt: magis tamen propriè dicitur, finxit. Sed ambiguitas viſa eſt deuitanda iis qui formauit, dicere maluerunt: eo quod in Latina lingua illud magis obtinuit conſuetudo, vt ij dicantur fingere, qui aliquid mendacio ſimulante componunt.* Hæc Au-
guſtinus.

Pro illo *de limo terræ*, Hebraicè eſt עפר *Aphar*, ſignificàs puluc-
rem & terram: nec quemlibet puluerem, ſed valdè tenuem ac mi-
nutum: vt ex multis Scripturæ locis licet cognoſcere: veluti in ſecũ- D
do Regum. 23. cap. *Comminuit*, inquit, *in puluerem*: & Geneſeos 13.
Si quis poteſt hominum numerare puluerem terræ. Nec tantùm ſignificat
terræ puluerem, ſed etiã auri & argenti, vel cuiuſcũque alterius rei.
Nam in Exodi 32. capite, dicitur Moſes puluerem vituli aurei proie-
ciſſe in torrentem. Inducit igitur hoc loco Moſes Deum quaſi
quendam figulum, puluerem vnde facturus erat hominem colle-
giſſe & præparaſſe: & ex eo feciſſe hominem, quemadmodum fi-
gulus vas aliquod facturus comparat materiam ex luto vel argilla.
Noſter interpres non puluerem ſed limum vertens, declarare vo-
luit, materiam ex qua formatum eſt corpus hominis, non fuiſſe

A purum puluerem, quippe qui nimium tenuis & dissipabilis sit, nec sua vi solidum aliquod in corpus compingi queat: sed fuisse puluerem mistum cum aqua vel terram limosam ac cœnosam, quali nempè vti solent figuli.

ATQVE huius nostræ originis contemplatio, subinde nos admonere deberet nostræ fragilis & caducæ, ac breui perituræ conditionis naturæ: quocirca eius rei frequens nobis recordatio in Sacris litteris renouatur atque inculcatur. Hoc ipsum more suo disertè ac piè tractans Rupertus in capite 20. libri 2. de Trinitate: *Duo*, inquit, *à Mose dicta sunt, quæ diligenter aduertere operæ pretium est: quia videlicet formauit Deus hominem, & non vndecunque, sed de limo*
B *terræ formauit. Hoc namque, sicut dignum erat, perpendentes Homines sancti, hunc ipsum creatorem suũ, Plastem, seipsos autem lutum appellauerunt eleganti confessione & lacrymosa declamatione: & nunc Domine, inquit Isaias capite sexagesimo quarto. Tu Pater noster es, & nos lutum: & fictor noster, & opera manuum tuarum omnes nos. Et apud Hieremiam capite 18. Loquitur idem plastes noster Deus, Nunquid sicut figulus iste non potero vobis facere domus Israël? Ecce sicut lutum in manu figuli, ita vos in manu mea: ostenderat enim illi figulum facientem opus suum super rotam: & dissipatum est, inquit, vas quod ipse faciebat è luto manibus suis: conuersusque fecit illud, vas alterum, sicut placuerat in oculis eius vt faceret. Hinc idem qui supra dicit Isaias, Væ qui cõtradicit fictori suo, testa de samiis*
C *terræ. Hæc & illis similia sciens ille iurisperitus cœlestis Paulus ait ad Rom. 9. O homo tu quis es qui respondeas Deo? nunquid potest figmentum dicere ei qui se finxit, Quare me fecisti sic? aut nunquid non habet potestatem figulus facere de eodem luto aliud quidem vas in honorem: aliud vero in contumeliam? Itaque & nos cùm legimus quia formauit Deus hominem de limo terræ: non discutiendum nobis est cur ita fecerit, sed potius illud timendum vnicuique nostrum de se ipso, ne vas quod fecit ipse, dissipetur in manibus eius & hoc abiecto, faciat aliud vas sicut placuerit in oculis eius.* Sic Rupertus.

POST hæc autem ponit hanc quæstionem Rupertus: *Attamen* *Quæstio Ruperti.*
inquit, *sobriè quærere id est, mirari licet cur Deus cum posset ruinas Angelo-*
D *rũ nouis à se creatis Angelis reædificare, & totidem quot ceciderunt creare & in cœlum leuare; vt vnius generis esset plebs cuncta, omnisq; nobilitas cœlestis patriæ: cur inquã homines alterius naturæ vel conditionis fecerit, quos reponeret pro Angelis, & non cunctos aut multos simul sed vnũ tantummodo de terra plasmauerit de quo pro pagarentur cæteri?* Ad hanc Ruperti quęstionẽ ita responderi potest, hominẽ primò & principaliter non esse creatũ ad reparandas Angelorũ ruinas: nã etsi nullus cecidisset Angelus nihilominus tamẽ creatus esset homo: quippe qui rerũ omniũ corporaliũ sit pręstãtissimus, qui si deesset mũdo, nequaquã is cõpletus & absolutus censeri posset. Non enim homo duntaxat est species quædam rerum naturalium, vti sunt variæ species stirpium & animalium, sed est principalis quidam gradus naturæ. Sunt enim tres

generales & principales gradus naturæ: vnus & primus ac summus, A naturæ penitus incorporeæ: alter infimus, naturæ tantum corporeę, tertius medium dignitatis locum tenens, ex vtroque mistus & quasi temperatus; quod genus, vnus duntaxat homo & constituit & implet, partim corporeus, partim incorporeus. Cur autẽ è terra primũ hominem Deus finxerit, eadem ratio fuit, qua finxit è terra omnes terrestres animantes. Namque in corporis humani compositione temperatione ex materia elementari, plus terræ inest quàm cuiusque aliorum elementorum: & cum humanum corpus corrumpitur, in terram resoluitur, denique ex terra victum & vestitum capit, & in terra vitam degit.

Originem hominis è terra etiam Gentibus fuisse notam.

HANC porro ex terra originem hominis, etiam prisci poëtæ B apud Gentiles quodammodo intellexerunt. Ouidius certè in 1. libro Metamorphoseos antiquissimorum Theologorum de generatione & origine hominis sententiam his versibus expressit.

Natus homo est: sive hunc diuino semine fecit
Ille opifex rerum, mundi melioris origo:
Sive recens tellus, seductaq́, nuper ab alto
Aethere, cognati retinebat semina cœli.
Quam satus Iapeto mistam fluuialibus vndis
Finxit in effigiem moderantum cuncta deorum.
Sic modo quæ fuerat rudis, & sine imagine tellus.
Induit ignotas hominis conuersa figuras.

De Prometheo, poëtarũ figmentum.

FINXERVNT enim veteres illi poëtæ, Prometheum compe- C gisse corpus hominis ex terra, ignem autem cœlestem à Diis furatũ esse, quem pro anima in corpus humanum indidit: ad quod alludens Poëta dixit,

Igneus est ollis vigor, & cœlestis origo
Seminibus,——

GRAECI autem Promethea vocant: prouidentem, sagacem & sapientem. Lucretius quoque libro quinto philosophiam Epicuri pertractans, homines ab initio è terra generatos esse confirmat.

Virgilius libr. 6. Aeneid.

Error Auicennæ.

Non est dissimulandus error Auicennæ in tantam progressi veritatis insciti am, vt arbitraretur hominem etiam naturaliter, hodiéque ex terra generari posse. Verùm nos eius opinionem multis argumentis confutauimus in libro octauo eius operis quod de Principiis & affectionibus rerum naturalium ante tredecim annos euulgauimus. D

Duobus modis intelligi posse hominẽ è terra factũ.

CVM autem dicitur corpus primi hominis è terra formatum, id quidem potest duobus modis intelligi: Vel Deum pro materia corporis formandi terram duntaxat sumpsisse, vel terram cum aqua mistam, in qua ipse tamen posteâ formas & qualitates cæterorum duorum elementorum, aëris inquam & ignis, produxerit: corpus enim Adæ non minus quàm omnium nostrum corpora, ex quatuor elementis constabat, Vel intelligi potest, Deũ pro materia corporis accepisse misturam quattuor elemẽtorum, eã tamen nominari vocabu

A vocabulo limi,id est, terræ & aquæ, quod hæc duo in compositione & temperatione corporis humani secundum molem cæteris præcellant,sintque ipsis sensibus magis conspicua:at reliqua duo occultiora sunt, & sicut mole sunt minora : ita sunt potentia & efficacitate maiora. Hac enim ratione mistio reducitur ad quandam æquabilitatem,cum quorum elementorũ minor est vis,eorum maior est in compositione,materię portio:quorũ autem efficacior est potestas agendi, eorum minor est in mistione moles. Caietanus annotauit, rectè dici in Scriptura Hebraica, hominem esse factum ex puluere, quo videlicet significetur non esse coagmentatum corpus hominis ex crassa & impura terra,sed ex tenui & pura,qualis nimirum vocabulo puluueris denotatur. Cum enim corpus hominis esse oporteat probè mistum

Caietanus in Genesim.

B & exquisitè temperatum,& item excelsum & erectum, ad vtrumque magna terræ tenuitate opus fuit, vt ea cum cæteris elementis benè permisceri ac temperari posset, neue ipsa crassitudine & grauitate sua obstaret corporis rectitudini quam efficit multus & efficax calor materiam sursum attrahendo : quæ si nimis crassa & ponderosa esset, vel non in sublime trahi, vel in excelso loco ægrè & cum periculo corporis teneri posset.

An in compositionem corporis humani veniat aliquid ex natura cœlesti.

Svnt qui putant, præter quatuor elementa, aliquid etiam ex quinta essentia id est, ex natura cœlesti venire in cõpositionẽ humani corporis : & hoc sensent velut mediũ quoddã vinculum, per quod incorporeus & immortalis animus cum terreno ac mortali corpore

C copuletur atque colligetur:aliter enim si res esset, nulla videretur esse proportio & conuenientia inter corpus & animam rationalem. Et illam quidem materiam cœlestem existimant isti secum ferre animum, cùm per mortem è corpore demigrare cogitur, & in ea pœnas apud inferos luere sceleribus suis promeritas. Illam porrò materiam vocabulo nescio cuius lucis appellant & adornant. Verùm hęc vt falsa & sanæ doctrinæ contraria damnant Theologi, Philosophi verò etiam derident vt pueriles nugas & amiles fabulas. Cum enim cœlestis substantia sit planè incorruptibilis nihil ex ea decerpi & desecari, neque cũ aliis elementis permisceri,aut in rei patibilis & mortalis compositione adhiberi potest. Siquidem mistio non fit, auctore

D Aristotele, nisi alteratis & corruptis aliquatenus his quæ miscentur. Appellat quidem Aristoteles libro secundo de Gener. Animal. cap.3.spiritum & calorem qui est in animantibus, cœlestem, non tamen natura ipsa,sed quadam proportione & similitudine:habet enim proprietates quasdam & effectus calori syderum, ratione quadam respondentes.

***

A

DISPVTATIO DE FORMATIONE & præstantia humani corporis.

CÆTERVM, quo planiùs intelligatur quàm aptè & decenter, quantoque artificio & sapientia opificis Dei, conformatio humani corporis designata & perfecta sit, libet hoc loco nonnullas hac de re quæstiones disceptare.

QVAESTIO I.

B

An Deus homini dederit corpus naturæ eius, dignitati & præstantiæ aptum atque conueniens.

NON videtur Deus tale dedisse homini corpus quale oportebat: conueniétius enim fore videbatur, si corpus humanum ex materia cœlesti esset conflatum. Namque vt animus est immortalis, ita quoque decebat corpus eius animi capax immortale esse, inter materiam enim & formam, vt in secundo Physicorum docet Aristoteles, proportio esse debet. Adiice, quod vt animus humanus circulariter mouetur intelligendo, quemadmodum scribit Aristoteles 1. libro de anima text. 46. ita cœlum motu corporali in orbem versatur. Deinde, nobilissimę formæ debebatur corpus nobilissimum, sed humanus animus est formarum omnium nobilissimus, ergo corpus eius omnium corporum oportebat esse nobilissimum. Cœleste autem corpus quatuor rebus dignitate præstat omnibus aliis corporibus: quia est incorruptibile: quia est causa vniuersalis omnium, quia circulari motu perpetuò circumagitur: denique propter cœlestem lucem. Nec verò humanum corpus à cœlesti duntaxat corpore dignitate vincitur, sed multis etiam rebus, corporibus cæterarum animantium inferius videtur. Primò quidem perfectione sensuum exteriorum, acutior enim aquilæ est visus; acrior vulpi & talpæ auditus; cani sagacior odoratus, gallinæ exquisitior gustatus, quippe quæ sine succi expressione statim quæ rostro vel leuissimè tetigerit, digna indignáve sentit vt vel esitet vel respuat: quinetiam limaces ostreásque vegetiore tactus pollere sensu arbitratur Iulius Scaliger in Opere quod scripsit aduersus Cardanum exercitatione 247. Namque vt citius sentit defectus neruus quàm cute obductus, ita citius hæ sentiant animantes, quæ tenuiore quàm homo cute operiuntur, necesse est, argumenti enim vis & fundamentum est in analogia medij. Deinde, corporis robore tauris cedit homo; proceritate elephantis; longæuitate

C

D

A gæuitate coruis: velocitate tigribus. Quid, quod aliorum animalium corpora naturalibus operta sunt tegumentis, vel pilis, vel coriis: vel testis, vel squamis? naturalibus item instructa & munita sunt armis & præsidijs: quædam armata suut cornibus, alia vel vnguibus, vel dentibus, vel spinis, vel aculeis: quibus & se tueri, & hostes suos ferire ac profligare queant: soli homini corpus nudum & inerme, & ad oppugnandum, æquè atque propugnandum, imbecillum & inualidum est datum.

Præstãtia humani corporis.

A T enim vero, sine dubitatione vlla credendum & dicendum est, corpus humanum, aptissimum & decentissimum naturæ hominis à Deo esse fabricatum. Et enim, quanto verius de homine existimare
B par est, id quod de quibuslibet rebus naturalibus dixit Aristoteles Deum, & naturam in omnibus rebus semper ex his quę fieri possunt, quod melius est facere: & vt quodque aptum est optimè fieri, sic esse factum à natura, nec posse quicquam melius fieri, quàm ab ipsa natura non impedita factum sit. Oportebat autem corpus hominis tale fieri, vt esset capax sensuum, siquidem cùm anima rationalis creanda esset nuda & expers omnis scientiæ, eamque deberet ipsa per sensus aucupari & acquirere: necesse fuit corpus hominis omnibus sensibus instructum & ornatum esse. Omnium verò sensuũ quasi fundamentum est tactus, qui in quadam mediocritate & æquali temperatione primarum qualitatum est constitutus: Quemadmodum igitur sensus
C tactus, ita & alij sensus qui ab eo diuelli nequeũt, nisi in corpore patibili & mortali esse non possunt. Ex quo apparet, cum substantia cœlestis omnino expers sit primarum qualitatum, sitque penitus impatibilis & immortalis, ideoque sensuũ minimè capax; ex ea corpus hominis coagmentari non potuisse. S. Bonauentura in secundo Sententiarum distinct. 17. art. 2. non fuisse conueniens humanũ corpus constare materia cœlesti, multis rationibus probat, siue homo consideretur in ordine ad Deum, siue ad Angelos, siue ad creaturas corporales, siue ad vniuersum, siue in ordine ad seipsum. Quamuis autem corpus hominis suapte natura mortale esset, huic tamẽ mortalitatis defectui occurrerat Deus dono immortalitatis, quo Adam munitus si
D non peccasset, lõgissimo & beatissimo æuo in terris, fruẽs posteà mortis nefcius in cœlestem & æternam vitã & fœlicitatẽ translatus esset.

Sensuũ quasi omnium fundamentũ est tactus.

Cur corpus hominis ex cœlesti materia fieri non potuerit ex Bonauentura.

Corpus humanum præstantius esse corporibus omnium animalium.

Triplex causa cur corpus humanũ sit erectum.

E S S E autem corpus hominis longè præstantius corporibus aliorum animalium, tribus ex rebus liquidò cerni & iudicari potest. Principio, hoc manifestè indicat recta humani corporis species & figura, cum cæterarum animantium prona sint & in terram depressa corpora. Rectitudinis autem humani corporis triplex causa est, Efficiens quidem, est abundantia caloris quo pollet vis illa in semine virili residens, quæ corpus humanum tanta solertia architectatur, tãtaque arte membratim fingit ac figurat. Materia est valde mollis & delicata temperies eius materiæ ex qua conflatur corpus humanum. denique Finis seu vsus eius rectitudinis, quadruplex est, Primus,

quò

quò functiones sensuum exteriorum qui ferè vigent in capite, me- A
lius administrari queant: non enim vt cæteris animalibus, sic homini propter cibum & potum modò & præsentis tantùm vitæ conseruationem sensus assignati sunt, sed præcipuè ad comparandam scientiam omnium rerum, præsertim verò cœlestium, quarum scilicet contemplatione prouehitur humanus animus ad ipsius Dei rerúmque diuinarum cognitionem: quocirca congruum fuit, vt sensus maximè verò auditus & visus, qui præter cæteros cognoscendis rebus adminiculo & adiumento sunt, essent in loco excelso & ad cœlũ erecto. Alter vsus rectitudinis humani corporis, pertinet ad maiorem perfectionem sensuum interiorum, qui materiam ad intelligendum proximè subministrant humanæ menti: hi autem sensus, B
si caput hominis depressum esset in terram, nimis crassi, hebetes, & tardi fuissent. Tertius vsus continet innumerabiles manuum commoditates, quibus careret humana vita, si recto corpore non fuisset homo. Si enim prono corpore esset, vti eum manibus ad ingrediendum modo aliorum animalium necesse foret: quapropter tot tamque præclaræ manuum vtilitates quibus nunc fruimur, ex manibus homini non potuissent accidere. Quartus vsus spectat ad formandum sermonem: Si enim homo ad similitudinem animalium curuo esset corpore, necesse fuisset eum ore cibum capere; quamobrem fuisset illi datum os nimis oblongum, diductum & apertum, lingua item nimis dura, crassáque labia: non igitur humanum sermonem & orationem, qua secundum mentem nihil melius homini à Deo con- C
cessum est, fingere potuisset.

SECVNDO loco, præstantia humani corporis æstimari potest ex præstantia sensuum tam interiorum quàm exteriorum. Interiores appello sensus, ipsum sensum communem & vim imaginandi, memoriam item ac reminiscentiam, denique quam in animalibus Philosophi vocant æstimatiuam, in homine autem cogitatiuam, suprematn nimirum omnium facultatum sentiendum. Sensus autem interiores esse perfectiores in homine quàm in animalibus, extra cõtrouersiam est. Nam & vis imaginandi potentior in eo est & efficacior, & memoria firmior atque capacior, & potestas reminiscendi nulli animalium concessa, ipsáque vis cogitandi seu quæ dicitur cogitatiua; ratio D
quædam particularis est, & ab Aristotele nonnũquam intellectus appellatur. Quid plura? ipse appetitus animæ sentientis licet per se sit irrationalis, fit tamen quodammodo rationalis cum rationis humanę imperij & moderationis capax sit; ideoque plurimarum ac præstantissimarum virtutum sedes existat. Quemadmodũ autem sensuum etiam exteriorũ præstantia cæteræ animantes vincantur ab homine; facilè demonstrari & probari potest, adhibita distinctione illa quam in libro 5. de Generatione animalium cap. 1. tradit Aristoteles; excellentiã cuiusque sensus duabus ex rebus æstimari posse, vel ex perceptione rei sensibilis; vel ex iudicio eiusdem rei. In perceptione rei sensibilis

Omnia Animalia sensuũ tam interiorum, quàm exteriorũ præstantia vinci ab homine.

Notabilis distinctio circa præstantiam sensuum ab Aristotele tradita.

A bilis sensus vnius animalis quattuor modis vincere potest sensum eiusdē rationis qui est in alio animali, vt visus visum, auditus auditū. Primo si rem sensibilē celerius, tum si lōginquius percipiat, deinde si minutiora & tenuiora sensilia comprehendat, denique si vehemētius & exuperantius sensile nulla sui offensione aut difficultate capiat & sustineat: atque his quatuor modis visus aquilæ superat visum aliorum animalium: nec inficiari possumus hominem hac ratione multis sensibus vinci ab animalibus, Verùm altera excellentia sensus in diiudicatione rerum sensilium, earúmque differentiis omnibus exploratè distinctéque cognoscendis atque discernendis posita est: & hac ratione censemus hominem anteire sensibus cæteras animantes. Esto, citius & longinquius colores etiam minutos &
B exiles cernat aquila, & odores sentiat vultur, homo tamen omnem varietatem, omnesq; differentias colorum, siue in lapidibus illi sint, siue in metallis, siue in herbis & floribus aliisue quibuslibet in rebus distinctius certiúsque visu dignoscet.

TERTIO loco perspicuè cognoscitur excellentia humani corporis ex præstantia temperamenti seu vt vulgò appellant complexionis: quod quidem in homine cæterorum animalium corporibus propius accedit ad æqualitatem & ad mediocritatem, longiusq; remotum est ab excessu primarum qualitatum, cùm aliorum animalium corpora vel nimis terrea sint vel nimis aquea. Quo fit, vt habere naturalia indumenta & arma vti habent animalia: imperfectam,
C arguat corporis eorum constitutionem: nam istiusmodi proueniūt ex magna terrestris vel aqueæ materiæ copia. Nec vero decebat, hominis, cuius est tam multiplex & multiforme ingenium, & cui pro varietate regionum (nam totius orbis terrarum spectator & habitator atque cultor esse debebat) varios esse mores variamque victus rationem esse oportebat, vnum aliquem certum & immutabilē victus, vestitus, & armorum modum naturaliter habere sicut habent animalia. Sed eorum omnium vice quæ naturaliter non habet homo habent autem animalia, Deus homini duas res dedit, Rationem
D & Manum: vt per illam, omnia quæ homini ex vsu essent futura, excogitare & adinuenire, per hanc, eadem conficere sibique comparare facile posset.

Excellentia temperamenti corporis humani.

Vice omnium quæ habēt animalia, Deus homini dedit rationem & manus.

SED ne longius faciam, concludam hunc locū, appositis duabus luculentissimis sententiis, altera Senecæ, & altera Lactantij, quibus hoc ipsum quod docuimus mirificè illustrabitur. Seneca igitur eos reprehendens, qui de natura & Deo quæruntur, quod ab his maligné tractatus sit homo, aut certè minus liberaliter & benignè quàm animalia, in 29. c. lib. 2. de Beneficiis hoc modo scribit: *Vide quàm iniqui sunt diuinorum munerum æstimatores. Et quidem professi sapientiam, quæruntur quod non magnitudine corporis æquemus elephantes: velocitate ceruos, leuitate aues, impetu tauros: quod solidior sit cutis belluis, decentior damis, densior vrsis, mollior fibris: quod sagacitate nos narium canes vincant,*

Præclara sententia Senecæ de Diuina prouidentia.

quod acie luminum aquilæ, ſpatio ætatis coruì, multa animalia nandi facili- A
tate, Et cum quædam ne coire quidem in idem natura patiatur, vt velocita-
tem corporum & vires pares animalibus habeamus: ex diuerſis ac deſſiden-
tibus bonis hominem non eſſe compoſitum, iniuriam vocant: & in negligen-
tes noſtri deos querimoniam iaciunt, quod non bona valetudo & virtus inex-
pugnabilis data ſit: quod nõ futuri ſcientia. Vix ſibi temperant, quin eo vſ-
que impudentiæ prouehantur, vt naturam odorint: quod infrà Deos ſumus,
quod non in æquo illis ſtetimus. Quanto ſatius eſt ad contemplationem tot tan-
torúmque beneficiorum reuerti, & agere gratias quòd nos in hoc pulcher-
rimo domicilio voluerunt ſecundas ſortiri, quod terrenis præfecerunt. Aliqui
ea animalia comparat nobis quorum poteſtas penes nos eſt? Quicquid nobis
negatum eſt, dari non potuit. Proinde quiſquis es iniquus æſtimator ſortis
humanæ: cogita quanta nobis tribuerit parens noſter: quanto valentiora ani- B
malia ſub iugum miſerimus, quanto velociora conſequamur, quam nihil ſit
mortale non ſub nutu noſtro poſitum. Tot virtutes accepimus, tot artes, ani-
mum denique, cui nihil non eodem quo intendit momento peruium eſt, ſyde-
ribus velociorem, quorum poſt multa ſæcula futuros curſus antecedit: tantum
denique frugum, tantum opum, tantum rerum aliarum ſuper alias accruata-
rum. Circumeas licet cuncta: & quia nihil, totum inuenies quod eſſe te mal-
les, ex omnibus ſingula excerpas quæ tibi dari velles. Ita bene æſtimata natu-
ræ indulgentia, conſitearis neceſſe eſt, in deliciis te illi fuiſſe. Hęc Seneca, non
minus profecto verè ac ſapienter, quàm eleganter ac diſertè.

VERVM, nec verborum elegantia, nec grauitate ſententiarum
inferiora cenſeo quidem tractans argumentum in libro de opifi- C
cio Dei diſputat Lactantius. Ego de multis pauca, velut delibanda
lectori, hoc loco adſcribam. Sic igitur ille cap. 2. ſcribit: *Dedit*, inquit,
*homini artifex ille noſter ac parens Deus ſenſum atque rationem, vt ex eo
appareret nos ab eo eſſe generatos, quia ipſe intelligentia, ipſe ſenſus ac ratio
eſt. Cæteris animantibus, quoniam rationalem iſtam vitam non attribuit,
quemadmodum tamen vita eorum tutior eſſet ante prouidit. Omnes enim
ſuis ex pellibus texit, quò facilius poſſent vim pruinarum ac frigora ſuſtinere.
Singulis autem generibus, ad propulſandos impetus externos, ſua propria mu-
nimenta conſtituit: vt aut naturalibus telis repugnent fortioribus, aut quæ
ſunt imbecilliora, ſub trahant ſe periculis pernicitate fugiendi: aut quæ ſimul-
& viribus & celeritate indigent, æſtu ſe protegant aut latibulis ſepiant. Ita-
que alia eorum, vel plumis leuibus in ſublime ſuſpenſa ſunt, vel ſuffulta vn-
gulis, vel inſtructa cornibus: quibuſdem in ore arma ſunt dentes, aut in pedi- D
bus adunci vngues, nulliq; munimentum ad tutelam ſui deeſt. Si qua vero in
prædam maioribus cedunt, ne tamen ſtirps eorum funditus interiret, aut in
eam ſunt relegata regionem vbi maiora eſſe non poſſunt, aut acceperunt vbe-
rem generandi fœcunditatem, vt & beſtiis quæ ſanguine aluntur victus ſup-
peteret ex illis: & illatam tamen cladem ad conſeruationem generis multi-
tudo ipſa ſuperaret. Hominem autem, ratione conceſſa & virtute ſentiendi
atque eloquendi data, eorum quæ cæteris animantibus attributa ſunt, fecit
expertem. Et quia ſapientia reddere poterat quæ illi naturæ conditio dene-*

Diſertiſſima Lactantij ſẽtentia, de perfectione humani corporis.

gaſſet,

A gasset, statuit nudum & inermem, quia & ingenio poterat armari & ratione vestiri. Ea verò ipsa quæ mutis data & homini denegata sunt, quam mirabiliter homini ad pulchritudinem faciant, exprimi non potest. Nam si homini ferinos dentes, aut cornua, aut virgulas, aut caudam, aut varij coloris pilos addidisset, quis non sentit quàm turpe animal esset futurum, sicut muta, si nuda & inermia fingerentur? Quibus si detrahas vel naturalem sui corporis vestem, vel ea quibus ex se armantur, nec speciosa poterunt esse nec tuta: vt mirabiliter si vtilitatem cogites, instructa, si speciem, ornata videantur: adeo miro modo consentit vtilitas cum decore. Hominem verò quem æternum animal atque immortale fingebat, non forinsecus vt cætera, sed interius armauit, nec munimentum eius in corpore sed in animo posuit, quoniam su-
B peruacuum fuit, cum illi quod erat maximum tribuisset, corporalibus eum tegere munimentis, cum præsertim pulchritudinem humani corporis impedirent. Et capite sequenti. Denique cum & corporis non magni homo, & exiguarum virium & valetudinis sit infirmæ, tamen quoniam id quod est, maius accepit, & instructior est cæteris animalibus, & ornatior. Nam cum fragilis imbecillisque nascatur, tamen & à mutis animalibus tutus est, & ea omnia quæ firmiora nascuntur, etiam si vim cœli fortiter patiuntur, ab homine tamen, tuta esse non possunt. Ita fit, vt plus homini conferat ratio, quàm natura mutis, quoniam in illis nec magnitudo virium, neque firmitas corporis efficere potest quo minus aut opprimantur à nobis, aut nostræ subiecta sint potestati. Potéstne igitur aliquis, cum videat etiam boues aut vaccas aut equos cum immanissimis corporibus seruire homini, quæri de opifice rerum Deo
C quòd modicas vires, quod paruum corpus accepit, nec beneficia in se diuina pro merito æstimat, quod est ingrati, aut (vt verius loquamur) insani Melius igitur plato, vt hos (credo) ingratos refelleret, naturæ gratias egit quod homo natus esset, quod & ipsum quale sit, non est huius materiæ ponderare. Quanto melius & sanius, qui sentit conditionem hominis esse meliorem, quam isti, qui se pecudes natos esse maluerint: Quos si Deus in ea fortè conuerterit animalia, quorum sortem præferunt suæ: iam profecto cupiant re-
migrare, magnisque clamoribus conditionem pristinam flagitent, quia
non est tanti robur ac firmitas corporis, vt officio linguæ ca-
reas: aut auium per aërem libera discursatio, vt manibus
indigeas: plus enim manus præstant quàm leuitas
D vsusq; pennarum: plus lingua quam totius cor-
poris fortitudo. Quæ igitur amentia est
ea præferre, quæ si data sint acci-
pere detrectes? Hæc
Lactantius.

***

QVAESTIO II.

Num aliqua ex parte Angeli concurrerint ad procreationem hominis.

DE creatione quidem animæ rationalis, nullo modo dubitandum est eam non potuisse ab Angelis proficisci. Cum enim animus hominis sit immaterialis & immortalis, nec aliter quàm ex nihilo, nec ab alio, nisi à Deo creari potest. Creare enim rem vllam, vt docet Augustinus cap. 15. libri 9. de Genesi ad litteram, tam nullus Angelus potest, quàm nec se ipsum. De corpore autem primi hominis, num ad eius formationem operam suam Angeli contulerint, propterea videtur in quæstionem vocari posse, quod omnis materia & creatura corporalis, auctore Augustino capit. 24. libri 8. de Genesi ad litteram, Angelorum voluntati & imperio subiecta sit: & quemadmodum ipsi corpora humana sæpe formarunt sibique assumpserunt, vt in his apparerent hominibus, ita corpus primi hominis fingere & figurare potuerunt.

Angelos non fuisse effectores corporis humani.

VERVMTAMEN, proculdubio dicendũ est, corpus primi hominis nec ab Angelis formatum esse, nec formari potuisse: siquidem Angeli cum sint incorporei, nullam vim & potestatem habent per se generandi rem aliquam corpoream, nisi tantùm ministrando, adhibendo, & inuicem coaptando causas naturales per quas corpora naturalia generari possunt, eo scilicet modo quo agricola segetes creare & vinum generare: medicus itẽ propulsare morbos & sanitatem efficere dicitur. His enim exemplis ad idem confirmandum vtitur Augustinus in cap. 15. lib. 9. de Genesi ad litteram: quo loco affirmatè dicit, neq; corpus Euæ ex costa Adami, nec ipsius Adami corpus ex puluere terræ Angelorum potestate formatum esse, quanquam inibi non negat Augustinus aliquod ministerium in formatione corporis Adami vel Euæ Angelos exhibere potuisse: quale autem fuerit illud ministerium, *quis audeat*, inquit, *affirmare?* Si igitur Angelus nõ potest corpus aliquod generare, nisi per naturales causas generatrices & effectrices: causa autẽ naturalis efficiẽs & formãs corpus humanum, est vis illa mirabilis residens in semine virili, quã in scholis vocant virtutem formatiuam: hæc autem ante generationem primi hominis nulla fuit, quæ ab Angelis adhiberi posset conficitur ergo, corpus primi hominis ab Angelis non potuisse formari.

NON tamen negauerim, potuisse Angelos ad eius corporis formationem aliquid ministrare: sed quod illud, aut quale fuit ministerium, Non audet quicquam statuere Augustinus: sed alij audentiores non dubitant dicere, collegisse puluerem, Angelos compegisse materiam, eamque in speciem & similitudinem humani corporis confor

A conformasse atque figurasse : quam materiam humana specie figuratam, Deum animasse ac viuificasse inspirando in eam animum rationalem. Sed vt ita factum sit, non est putandum tamen simulacrum illud corporis humani fictum & formatum ab Angelis, verè corpus humanum fuisse : non enim in eo erat talis mistio elementorum, taléque temperamentum quale corporis humani esse oportet : nec habebat carnes, ossa, neruos, viscera, nec calorem naturalem, nec spiritus animales & vitales, sine quibus rebus corpus humanum constare non potest. Quod si anima per mortem à corpore digressa, corpus quod remanet non est verè corpus hominis, sed tantum æquiuocè, cum tamen substantiam carnis, ossis, aliarúmque partium retineat:
B quanto minus dici potuit corpus hominis illud fictum & figuratum ab Angelis ? quippe quod neque carnis, neque ossis, neque aliarum partium formas & naturas haberet.

QVAESTIO III.

An creatus sit Adam à Deo perfectus secundum ætatem & secundum molem corporis.

C DE ætate quidem quæstionem eandem ponit Augustinus in capite 13. libri 6. de Genesi ad litteram ita scribens : *Sed quomodo fecit hominem Deus de limo terræ. Vtrum repente in ætate perfecta, hoc est, virili atque iuuenili, an sicut nunc vsque format in vteris matrum ? vt illud tantum proprium habuerit Adam, quod non ex parentibus natus est, sed factus ex terra eo tamen modo vt in hoc perficiendo & per ætates augendo hi temporum numeri complerentur quos naturæ humani generis attributos videmus. An potius hoc non est requirendum ? Vtrumlibet enim fecerit, hoc fecit quod Deum & omnipotentem & sapientem posse ac facere congruebat. Ita enim certas temporum leges generibus qualitatibúsque rerum in manifestum ex abdito producendis attribuit, vt eius voluntas sit super omnia. Potentia quippe sua numeros creaturæ dedit, non ipsam potentiam eisdem numeris alligauit : nam Spiritus eius*
D *ita faciendo mundo superferebatur, vt & facto superferatur, non corporalibus locis, sed excellentia potestatis.* Sic Augustinus.

His verbis Magister sententiarum in secundo distinction. 17. significari putauit Augustinum sensisse primum hominem in ætate perfecta creatum esse à Deo. Sic enim scribit: *Augustinus super Genesim dicit, quod Adam in virili ætate continuò factus est, & hoc secundum superiores non inferiores causas, id est, secundum voluntatem & potentiam Dei quam naturæ generibus non allegauit : qualiter & virga Mosis conuersa est in draconem. Nec talia contra naturam fiunt, nisi nobis quibus aliter naturæ*

cursus innotuit: Deo autem naturæ est quodcumque facit. Sic ergo factus est A
Adam: non secundum inferiores causas quia non erat in rerum causis seminalibus vt ita fieret, sed secundum superiores non contra naturam operantes: quia in rerum causis naturalibus erat vt ita posset fieri. Et Magister quidem hactenus. Sed profectò si quis Augustini verba quæ hoc loco Magister indicat, & nos paulò suprà commemorauimus bene perpenderit, facilè animaduertet Augustinum quæstionem quidem de ætate qua creatus est Adam posuisse, & in vtramque partem tractasse, sed expresè tamen & affirmatè neutram quæstionis partem definiuisse.

Adamū perfecta ætate creatum esse.

QVAMQVAM non potest negari, quin ad eam partem quę Adamum perfecta ætate creatum facit, propensior Augustinus esse videatur: & meritò sanè. Prima enim illa Dei opera quæ in mundi mo- B
litione proximè ab eo facta sunt perfecta esse decuit: Sicut igitur cæteras animantes corporis mole ætateque perfectas condidit, itidem quoque ac multo etiam magis, quanto scilicet maior est hominis quàm aliarum animantium dignitas, hominem imperfecta ætate condidisse existimandum est. Cui rei magno esse debet argumento, quod statim vt creati sunt Adam & Eua, dixit eis Deus: *Crescite & multiplicamini & replete terram:* quo licet intelligere Adamum & Euā firma iam ætate & ad generandum idonea esse procreatos. Opinantur igitur nonnulli, eos fuisse creatos ætate iuuenili, qua videlicet ætate Dominus noster Iesus Christus è mortuis resurrexit, hoc est, inter trigesimum & quadragesimum annum. Verùm vt ita fuerit, credibilius tamen est eo tempore ætatē hominis perfectam non ante C
quinquagesimum annum futuram fuisse: cùm enim tunc longissima esset hominis vita, hoc est, decuplo fermè longior quàm nunc est, singulę etiam ætates pariter longiores erant quàm nunc sunt, longior igitur erat pueritia & adolescentia: & priori ætate longius producta, proximè consequens ætas tardius accedebat. Comparatione igitur & proportione totius vitæ nongentesimum annum supergressæ, iuuenilis ætas primi hominis non ante quinquagesimum annum contingere ei potuisset. Ex quo nonnulli argumentantur, Adamum longissimam omnium mortalium vitam egisse, longiorem nempe ipso Mathusalem, quem Sacræ litteræ perhibent ad nongentos sexaginta nouem annos vitam produxisse. Adam enim cum ętate perfecta creatus sit, id est, ea ætate quæ respondebat quinquagesimo anno, postea verò vixerat nongentos triginta annos: concluditur, si ætatis eius ratio habeatur, vltrà nongentos octoginta annos vixisse. D

In exordio mundi vt vita hominis, ita singulæ ætates eius longiores erant quam nunc sunt.

Adam longæuissimus omnū mortalium.

Adamū perfecta corporis statura esse, creatum.

DE mole autē corporis qua creatus est Adam, similiter dicendum est, atque dictum est de ætate, eum factū esse perfecta corporis magnitudine, quę scilicet naturalis viuentium accretionis terminus esse solet, & quæ homini perfecta in ætate cōtingit. Primū enim hominē & Scriptura non obscurè significat, & Patres concordi sententia cōfirmant, perfectū animo & corpore, beatúmque (quanta nempe homi-

nis in

A nis in terris viuentis beatitudo esse potest) à Deo esse procreatum.

An Adam fuerit gigas omnium qui fuerunt maximus, vt putauit Ioannes Lucidus.

Ioannes Lucidus in lib. 1. de emendatione temporum cap. 4. existimat Adamum proceritate corporis fuisse gigantem, quinimo omnium gigãtum qui vnquam fuerũt maximum, idque probare vult ex libro Iosue, in cuius capitis 14. extremis verbis ita scriptum est: *Nomen Hebron ante vocabatur Cariatharbe: Adam maximus ibi inter Enacim situs est.* Enacim autem fuisse gigantes, manifestum est ex his quæ speculatores Iosue explorata terra Chanaan reuersi dixerunt, sicut traditur cap. 13. lib. Numer. *Populus*, inquiunt, *quem aspeximus, proceræ staturæ est, ibi vidimus monstra quadam filiorum Enac de genere giganteo, quibus comparati quasi locustæ videbamur.* Si igitur Adam maximus erat cõparatione Enacinorum gigantum, liquet eum fuisse maximum gigan-

B tem. Quod autem Scriptura eo loco de Adam loquatur qui parens fuit generis humani, confirmatur auctoritate B. Hieronymi qui super 27. caput Matthæi asseueranter scribit, Adamum non in monte Calvariæ, vt multi putarunt, sed in Hebron vt tradit Iosue (eo scilicet loco quem memorauimus) sepultum esse. Adstipulantur prẽterea huic

Hieronymus putauit Adamum in Hebron fuisse sepultum.

sententiæ auctores illi quos refert Moses Barcephas in libro quem scripsit de Paradiso, à quibus proditum est, cum Adamus in Paradiso terrestri, qui immenso Oceano interfuso à nostro orbe disiũctus erat, locatus à Deo esset: eum posteà propter peccatũ è Paradiso eiectum, suis pedibus (tanta erat proceritate corporis) transmisso Oceano in

C hunc nostrum orbem venisse.

Refellitur Lucidus.

Sed profectò parum firma parúmque probabilis est hæc opinio, quin etiam parum consentanea diuinæ Scripturæ, ex cuius narratione quæ est in capite sexto libri Geneseos facilè est intelligere, gigantes non ante mortem Adami, cùm videlicet genus humanum immanissimis flagitiis atque sceleribus maiorem in modum corrumpi cœperat, extitisse. Sic enim ibi est: *Gigantes erant super terram in diebus illis. Postquam enim ingressi sunt filij Dei ad filias hominum, illæque genuerunt, isti sunt potentes à sæculo viri famosi.*

Quando gigãtes esse cœperint.

Nec locus ille Iosue istorum iuuat opinionem: vt enim taceã eum locum multo aliter vertisse LXX. Interpretes, his scilicet verbis: *Nomen autẽ Chebronis olim vrbs Arbe, præcipua vrbs Enacim ista*, quibus verbis significatur, vrbem illam fuisse metropolim eius regionis quam

Explicatur locus Iosue c. 14. de Adami sepultura.

D inhabitabat gens Enacinorum: Certè in translatione nostra vocabulum illud *Adam*, non est proprium primi illius hominis, sed est commune, idem significans apud Hebræos, quod apud Latinos vocabulũ hominis, vt sit hæc sententia illius loci: Propterea vrbem Hebron olim esse dictam Ciuitatem Arbe, quod Arba maximus homo fuerit inter Enacinos: Maximus autem fuisse dicitur, vel nominis celebritate & rerum gestarum gloria, vel principatus amplitudine, potentia, aut diuturnitate, vel denique quod illius Vrbis conditor; Aut gentis Enacinorum sator & parens fuerit, Atque hanc sententiam expressam reddit Scriptura Hebraica eius loci, quæ ad verbum Latinè

reddita

reddita sic habet, *Nomen Hebronis olim fuerat Cariatharbe, is fuerat homo inter Enacinos maximus.* Non igitur de primo homine loquitur ibi Scriptura: nec potest ex eo loco probari Adamum inibi fuisse humatum, præsertim cum ex antiquissima traditione, sepultũ esse Adamum in monte Caluariæ confirment multi & magni Patres: velut, Cyprianus in sermone de resurrectione Christi, Epiphanius lib. 2. contra hæreses ca. vlt. Augustinus sermone LXXI. qui est de Immolatione Isaac, Paula & Eustochium in Epistola ad Marcellam quæ fertur inter Epistolas Hieronymi, quamquam Isidorus & Carthusianus super illo loco Iosue Hieronymum secuti sunt. Verum, esto Scripturam eo loco de Adamo, id est, primo homine loqui, tamen is appellatus est maximus non proceritate corporis, sed dignitate, propter duas scilicet prærogatiuas quibus cunctos homines antecelluit, alteram originis, quod proximè à Deo supernaturali modo creatus, origo fuit & seminarium totius generis humani: alteram verò singularium munerum & beneficiorum quibus ornatus & cumulatus à Deo est, iustitiam dico originalem, scientiam rerum omnium, immortalitatem, & domicilium Paradisi terrestris. Illud autem *Inter filios Enacim*, nõ significat Adamum fuisse maximum corpore comparatione gigantum qui erant ex genere Enacim, inepta enim fuisset ea comparatio, sed illud potius significat, Adamum fuisse conditum & humatum inter filios Enacim, id est, in ciuitate Hebrom (vt Hieronymus Isidorus, & Hebræi censuerunt) quæ, vt dixerunt LXX. Interpretes, fuit metropolis gentis Enacim. Non me fugit, in antiquis Hebræorum commentariis quæ illi nominant Berescithraba, legi ideo nomen Arba quod significat quatuor, illi vrbi esse impositum, quia priscis sæculis quatuor illic viri habitauerunt, Aner, Escol, Mamre, & Abraham, iidem illic sint circumcisi: quatuor item matronæ celeberrimæ ibidem sepultæ fuerint, Heua, Sara, Rebecca & Lia: & quatuor Patriarchæ, Adam, Abraham Isaac, & Iacob: & quod ex eo loco Abraham quatuor reges insecutus percusserit. Verùm vt plurima quæ sunt in illis Commentariis fictitia esse constat, sic hęc parum firma & probabilia esse debent.

Traditio Hebræorum.

A B C D

QVAESTIO IIII.

An corpus primi hominis prius tempore formatum sit, quàm sit creata anima & corpóri infusa.

NEc paucorum, nec ignobilium auctorum & olim & nostro sæculo sententia fuit prius tempore factum esse corpus Adæ quàm creata sit anima rationalis & cum corpore coniuncta: hoc enim tradit Gennadius explanans hæc Mosis verba quæ nunc tractamus: & Chrysostomus in Genesim homilia

A homilia 12. & 13. id videtur etiam innuere Augustinus libro decimo tertio, de Ciuitate Dei, capite vigesimoquarto, Tostatus item & Ioannes Ferus super hoc loco Geneseos, Alfonsus de Castro libro secũdo contra hæreses vbi disputat de Anima, Augustinus Eugubinus in Cosmopœia & in Annotationibus suis in Pentateuchum super his verbis Mosis, idemque sensisse videtur auctor libri quarti Esdræin eius libri capite tertio, ad hunc modum scribens: *Tu Domine dedisti Adæ corpus mortuum, sed & ipsum figmentum manuum tuarum erat, & insufflasti in eum spiritum vitæ, & factus est viuens coram te.* Verùm lubet hic adscribere Chrysostomi verba quibus hoc apertissimè ab eo traditur. In homilia igitur 12. sic ait: *Cogita obsecro formationis Adæ ordinem, &*
B *expende tecum antequam inspiraretur à Domino spiraculum, vitæ, quis erat formatus ille? Simpliciter inanimis quædam imago, operatione carens, & ad nihil vtilis. Id autem quod hominem in tantum prouehit honorem non aliud est nisi spiraculum illud vitæ à Deo inspiratum.* Idem in homilia 13. hoc ipsum illustrioribus verbis declarat hunc in modum scribens; *Et fortè diceret aliquis. Quare si anima dignior est corpore, indignius primo formatum est, & posteà quid eminentius? Non vides dilecte quod & in creaturis hoc idem vsu venit. Sicut enim cœlum & terra & Sol & Luna, & cætera omnia formata sunt, & irrationalia animalia, & post hæc omnia homo, horum principatum susceperturus; ita & in hac hominis formatione prius corpus producitur, & posteà anima quæ est dignior. Et sicut animalia ministerio hominis vtilia futura ante hominem formantur, vt paratum haberet ministrum is ad cuius vsum creabantur, ita etiam*
C *corpus ante animam formatur, vt cum secundum ineffabilem conditoris sapientiam anima produceretur, posset secundum suas potentias operari per corporis motionem.* Sic Chrysost. Videtur etiam hoc significare narratio ipsa Scripturæ cum hoc loco dicit: *Formauit Dominus Deus hominem de limo terræ, & inspirauit in faciem eius spiraculum vitæ, & factus est homo in animam viuentem.* Quibus verbis indicare videtur Scriptura, priùs formatum esse corpus humanum de limo terræ, & in ipso iam formatum & figuratum, inditum esse spiraculum vitæ quo illud corpus euasit in hominem viuentem. Et in naturali quidem hominis generatione idem ordo seruari videtur: nam priùs tempore particulatim formatur corpus
D humanum, deinde creatur anima & in ipsum infunditur.

Simul esse formatũ corpus Adæ & creatum animum.

Ex aduerso autem, corpus humanum non esse formatum ante animum, sed simul, id est, eodem puncto temporis & corpus & animum & hominem ipsum esse factum, censent viri doctissimi maximæque auctoritatis, veluti est Gregorius Nyssenus in libro de homine capite 29. & 30. & Damascenus in libro secundo, de Fide Orthodoxa capite duodecimo, & Sanctus Thomas prima parte, quæstione nonagesima prima, idemque videtur innuere Augustinus libro de Genesi cõtra Manichæos capite octauo, quæ iam pridem est in scholis Theologorum recepta sententia, quam licet ex verbis Mosis colligere: ait enim Deum formasse hominem ex limo terræ. Si igitur formando corpus humanum dicitur formasse hominem, & corpus

non est homo sine anima, efficitur cum formauit corpus, simul etiam creasse animum: & ita verum est formatum esse hominem, licet enim & formatio corporis, & creatio animæ, & procreatio totius hominis vno & eodem puncto temporis perfecta sint, distinctè tamen & seorsim explicanda erant. Et prius quidem formatio corporis, quoniam præcedit ordine generationis, idem enim punctum temporis, seu vt in scholis loquuntur, instans terminat vltimam dispositionem & formationem corporis, & inchoat ac metitur creationem & infusionem animæ rationalis & generationem hominis. Nec pro nihilo ducenda est ea ratio qua Beatus Thomas vtitur ad id confirmandum, *Hæc*, inquit, *natura est partium, siue vt vocant essentialium, siue integralium, vt inuicem disiunctæ, & extra totum quod constituunt positæ sint in statu imperfecto. Cum enim pars sit propter totum, hinc fit vt bonum & perfectio partis extra totum ei non possit contingere. Cùm igitur Deus in prima illa rerum procreatione omnia fecerit in statu perfecto, incongruum erat vel corpus sine anima, vel animã sine corpore seperatim efficere: vtrumque nimirum in statu imperfecto.* Quod si animum non creauit Deus ante corpus, vt mox dicemus, nec corpus ante animam creasse eum fas est credere: magis enim corpus pendet ab anima quàm animus à corpore: animus enim à corpore seiugatus & seiunctus, æquè quàm in corpore substantiam & existẽtiam suam tuetur & conseruat. Corpus autem digressa ab eo anima, non est corpus hominis nisi æquiuocè, & paulatim dissoluitur atque corrumpitur. Nihil tamen prohibet opinari, corpus primi hominis secundum aliquas dispositiones fuisse prius formatum: sed tunc non erat corpus hominis nisi in potentia remota, statim verò vt habuit vltimam dispositionem per quam verè ac propriè est corpus hominis, accepit à Deo animam rationalem: idemque seruatum est deinceps ac seruatur quotidie in generatione cuiuslibet hominis.

Ratio B. Thomæ.

A B C

CAP. 2. GENES. VERS. 7. *Et insprauit in faciem eius spiraculum vitæ, & factus est homo in animam viuentem.*

QVONIAM Moses hac oratione figurata & metaphorica significare voluit creationem animæ rationalis & infusionem eius in corpus, quæ res grauissima est & ad agnitionem animi pulcherrima, diligenter eius verba explananda sunt. Primo ait, *Insprauit*: Verbum Hebræum נפח *Napach*, significat inspirare, insufflare, seu flatum emittere, siue dum quis viuit, siue dum moritur: nam etiam Latinè dicimus, exhalare seu efflare animam. Cur autem creatio animæ rationalis, vocabulo inspirationis seu insufflationis insinuetur, multas licet afferre causas. Primò quidem, vt placet Theodoreto, quò intelligatur tam facilem Deo esse creationem animæ rationalis, quàm facilè homini est flatum ex ore suo mittere. Deinde, vt appareat animam rationalem non expromi & educi ex potentia

Cur creatio animæ rationalis, & infusio in corpus appelletur Insufflatio.

D

A tentia materiæ, sed extrinsecus aduenire corpori ex nihilo scilicet à Deo creatam, atque idcirco immaterialem & immortalem esse. Posteà, vt notum esset animam simul creari & infundi in corpus, Deus enim creando eam infundit & infundendo creat, siquidem vtrumque fit eodem puncto temporis: quamquam ordine naturæ priùs est animam creari quam infundi corpori. Ad extremum, ea ratione significatur, animam quodammodo prodiisse ex ore Dei, vt ex eo intelligeretur, animam rationalem eo maximè cæteris animalibus præcellere quod ipsa capax & particeps est vitæ, gratiæ, ac sapientię Dei. Legimus enim in 24. cap. libri Ecclesiastici diuinam sapientiam prodiisse ex ore Dei.

An humanus animus sit ex substãtia Dei.

B VERVM, quia flatus prouenit ex corpore flantis, propterea quidam putarunt animum hominis ex substantia Dei esse procreatum, quo circa M. Tullius Platonicorum sententiam vsurpans, sæpe dicere solet animos humanos ex diuina natura esse libatos, haustos, tractos, & decerptos. Multi etiam Patres ob eam causam censent, cum vellet Christus Spiritum sanctum dare Apostolis, insufflasse in eos, vt ea ratione declararet, Spiritum sanctum sibi consubstantialem esse & de sua substãtia procedere. Et animum quidem hominis ex ipsa Dei natura esse productum, sensisse videtur Lactantius libro 2. Diuin. Instit. Verùm ridicula & absurda hæc opinio est, non tantùm falsa: non enim illa Dei inspiratio fuit corporalis, sicut nec fuit locutio corporalis, cum Deus dixit, Fiat lux, aut Fiat firmamentum: quamquam Eu-

C gubinus & Oleaster, quos suprà refutauimus, crediderint, Deum humana forma indutum corporaliter & insufflasse & formasse corpus hominis, & locutum esse, & alia fecisse ac dixisse, quæ ab eo facta dictaque narrat Moses. Non esse autem animum hominis è substantia Dei, facillimum est cuiuis & intelligere, & probare. Certè id à B. Thoma in 1. part. q. 90. & à Bonauentura in 2. sent. distin. 17. art. 1. quæst. 1. copiosè & accuratè tractatum est, vt superuacanea sit futura eius rei in præsens retractatio.

QVOD autem proximè sequitur *In faciem eius*, Hebraica phrasis est, nam vox Hebræa אַף *Aph*, vt placet Oleastro descendit à radice אָנַף *Anaph*, & propriè significat iram, sed quia ira maximè in naso

D ostenditur, consequenter etiam nasum seu nares significat, vt in Psal. 113. *Nares habent, & non odorabunt.* Adhibetur quoque eadem vox ad significandam faciem, velut infrà capit. 19. *Incuruauit se in faciem suam.* Verum non videtur significare faciem nisi propter nares quæ in ea sunt, præcipuè autem Moses nominauit faciem seu nares, quia in facie maximè apparet vita quæ per inspirationem & respirationem oris & narium fit. Deinde, quia in facie potissimum vigent sensus tam interiores quàm exteriores. Denique, quia in facie interiores animi motus & affectus extant & innotescunt. Alij pro illo *In faciem*, vertunt ex Hebræo *In nares:* quam lectionẽ secutus Caietanus, propterea putat Deũ in nares insufflasse spiraculũ vitæ, quòd nasus sit organũ respira-

Caietanus in Genes.

tionis, & quidem longè commodius atque purius quàm ipsum os. A
Et huius rei duo esse ait signa, quod nasus à natura factus sit patens & apertus, os autem clausum, quo fit vt dormientes etiam clauso ore abundè, vel certè quantum satis est, per nares spiritum ducant: alterum verò signum, quod aër in ipso ore inquinatur, vaporibus è stomacho in os exhalatis, vt manifestum est in his quibus os & anhelitus fœtet: qui autem per nares trahitur spiritus, absque vlla cõtagione sordium & immundiciæ purus ad pulmonem perlabitur, & inde purus itidem redditur.

Spiraculum vitæ.

PRo spiraculo Hebraicè est vox נשמה *Neshemha*, significans halitum, idque videtur inter נשמה *Neshamah*, & רוח *ruah* (quæ vox significat ventum) interesse, quod ventus est sine colore & inuisibilis, halitus verò & spiritus ad modum fumi seu nubis est aspectabilis. B

Cur anima hominis dicta sit spiraculũ. נשמת חיים *nischmath chaim.*

Propterea verò animam rationalem appellauit spiraculũ vitæ, quod tantisper viuit homo dum spirat, simulque vt deficitur respiratione, etiam vita destituitur & ab anima deseritur: quinimo, in tribus præcipuis linguis, Hebræa, Græca & Latina, anima appellatur à respiratione seu refrigeratione quæ fit per respirationem: nam Hebraicè dicitur נפש *Nephes* à spirando & sufflando: Latinè appellatur *Anima*, à Græca voce ἄνεμος, id est, ventus: Græcè ψυχὴ à ψυχάζω, refrigero, *Nam quia*, inquit Plato in Cratylo, *cum anima in corpore est, causa ipsi est vt viuat, respirandi vim ei præbens: simul autem vt respiratio desinit, corpus interit & homo moritur, propterea mihi videntur animam veteres ψυχὴν appellasse.* C

Cur Hebraicè dictum sit spiraculũ vitarum.

ILLVD autem *Spiraculum vitæ*, Hebraica phrasi positum est pro eo quod est, Spiraculum vitale seu viuificans: nec est in Hebræo singulariter, Spiraculum vitæ, sed pluraliter Spiraculum vitarum. Cur autem pluraliter dictum sit Spiraculum vitarum, variæ sunt explanatorum coniecturæ. Quidam referunt ad duas nares per quas spiritum vitalem ducimus. Alij putant ea re significari longissimam vitam quam acturus erat homo in statu innocentiæ, & quam primæui homines egerunt ante diluuium. Nonnulli denotari existimant duplicẽ vitam, cuius solus omnium animalium homo capax est, præsentẽ scilicet quæ temporalis est, & futuram quæ est æterna. Nec desunt qui opinentur Mosen his verbis voluisse indicare duplicem viuendi modum, quem habet anima rationalis, vnum prout ipsa est in corpore, ipsum informans, animans, viuificans, & ad operandum mouens: alterum pro vt ipsa à corpore seiuncta per se subsistit, & sine corporis adminiculo actiones suas perficit. Illud quoque placet quibusdam, insinuari hoc loco duplicem hominis vitam, vnam corporalem & naturalem, alteram spiritualem & supernaturalem, illam præstat anima naturali D

A naturali vi & potestate sua, hanc non nisi singulari gratia & auxilio Dei instructa & adiuta.

CAIETANVS subtilius hæc scrutatus atque commentatus, significari putat triplicem vitam quam anima rationalis tribuit homini, nam licet ea sit vna tantum secũdum substantiam, potentia tamen & ipso effectu triplex est. Siquidem præstat homini vitam vegetatiuam, sensitiuam, & intellectiuam: ad easque vitas tuendas & exercendas triplici vtitur spiritu velut instrumento, Spiritum dico vitalem in corde, naturalem in iecore, animalem in capite generatum atque in vniuersum corpus permanantem. Caietanus porrò argumentatur ex hoc loco Mosis, vnam dumtaxat in homine animam esse secundum substantiam, nempe rationalem, quę tamen eminenter & virtualiter,
B vt in scholis loquimur, duas reliquas animas vegetatiuam & sensitiuam continet. Quod autem in homine virtus vegetatiua distincta nõ sit à sensitiua eo patet argumento, quod virtus vegetatiua efficit organa sensitiua, hoc autem opus excedit omnem vim animæ vegetatiuæ: quocirca necesse est vires vegetatiuas reuera esse ipsius animæ sensitiuæ, & eius virtute operari. Sensitiuas præterea vires in homine non esse ipsius animæ sensitiuę sed rationalis eo manifestum fit, quod suprema facultas sensitiua in homine quam in scholis appellamus, Cogitatiuam, iam est aliqua ex parte rationalis: per hanc enim homo reminiscitur & ratiocinatur circa res singulares, ex vno singulari discurrẽs ad aliud singulare. Idem quoque cernitur in altera parte ani-
C mæ sensitiuę quam vocamus Appetitiuam, appetitus enim sensitiuus in homine est quodammodo rationalis, vt confirmat Aristoteles in extremo primo Ethicorum libro, potest enim ei accommodari ad præscriptum rationis, eique subiectus & obediens fieri, quamobrem etiam capax esse virtutum moralium: namque temperantia & fortitudo, illa in concupiscibili, hæc in irascibili parte suas habent sedes.

ILLVD porrò: *Et factus est homo in animam viuentem*: Hebraismum continet qui sic explicari debet: *Factus est homo habens animam facientem ipsum viuere:* vel animæ vocabulo significatur hic, vt sæpè aliàs in Scriptura, ipse homo, vt sensus sit: *Per illam Dei inspiratione qua anima est infusa corpori, factus est Adam in hominem viuentem*, id est, *homo viuens*. Chal-
D dæus paraphrastes vertit: *In Spiritum loquentem:* quo loquẽdi modo tria significantur. Primo id ipsum quod diximus Adam scilicet factũ esse hominem viuentem: nam loqui & sermocinari, manifestũ est signum vitæ humanæ. Deinde, significat Adamum accepisse tunc animam nõ quamlibet sed rationalem, cuius nempe proprium est humanum sermonem & orationem fingere. Ad hoc, indicat hominem creatum esse ætate perfecta, siquidem aptè ac prudenter loqui, non cuiuslibet ætatis est. Atque hoc velut typum quemdam prætulit eius quod postea euenit in die Pẽtecostes, quo die Ecclesia Christi quasi per Spiritum sanctum regenerata, facta est in Spiritum viuificantem, & fideles cœperunt loqui variis linguis magnalia Dei.

Caietanus in Genes.

Vnam dumtaxat in homine esse animam, quomodo argumentetur Caietanus.

Act. 2.

A

DISPVTATIO DE CREATIONE *animæ rationalis.*

VERVM super his verbis quibus Moses creationem animæ rationalis adumbrauit, tres quæstiones tractandæ sunt.

QVAESTIO I.

B

An anima Adami creata fuerit prius quàm corpus eius formaretur.

Sentẽtia Platonis & Aristotelis de origine animæ rationalis.

EX nobilioribus Philosophis, Plato quidem in Timæo dixit omnes animas rationales fuisse à Deo in mundi exordio creatas: posteà verò summum & omnium patrem Deum mandasse secundis diis, vt quod reliquum erat hominis, id est, corpus & animam alentem atque sentientem, ipsi fabricarent. De sentẽtia Aristotelis lis est inter Peripateticos, multis enim visum est Aristotelem fecisse animam rationalem priorem, & antiquiorem corpore: is enim disputans in libro secundo, de Generatione animalium capite tertio, vtrum omnis anima sit ante corpus; tandem decernit animam rationalem ante corpus esse, & extrinsecus aduenire quod ipsa & eius propria actio sit incorporea. Alij opponunt istis sententiam eiusdem Aristotelis affirmantis in lib. 12. Metaphysicorum text. 17. fieri non posse vt forma sit ante compositum: vt autem aliqua forma post compositum remaneat, nihil prohibere, cuiusmodi est anima, non omnis sed intellectus. C

Ex doctoribus Christianis, Origenes in eo fuit errore, vt censeret omnes animas rationales ab initio esse creatas ante corpora, & propter errata & scelera quæ in eo statu admiserunt, ad luendas eorum pœnas in varia corpora pro varietate meritorum, tanquam in carcerem esse detrusas: quem errorem etiam Beato Hieronymo impingere voluit Ruffinus, sed immeritò & falsò. Namque vt alios Hieronymi locos taceam, certè Hieronymus in Epistola 139. ad Cyprianum scripta, qua Psalmum 89. explanat, apertis verbis dogma hoc Origenis, tacito eius nomine condemnat: Et in epist. 61. quam dedit ad Pammachium, hunc ipsum errorem assignat Ioanni Episcopo Hierosolymitano, eumque validissimè confutat. Nec videtur Augustinus abhorruisse ab hac opinione, quippe qui libro septimo, de Genesi ad litteram capite vigesimoquarto, significat animam primi Hominis creatam esse simul cum Angelis primo die mundani opificij: D

corpus

A corpus autem posteà esse formatum, eiq́ue infusam animam. Verùm hoc ille non dicit affirmatè, mox enim subdit: *Credatur ergo, si tamen nulla Scripturarum auctoritas seu veritatis ratio contra dicit.* Hugo de Sanctus Victore, & auctor Historiæ Scholasticæ, Magister item sententiarum, & alij quidem Theologi, hoc de anima quidem primi hominis in dubio relinquunt: de aliis tamen omnibus non dubitant affirmare, eas non ante corpus, sed simul cum corpore creari.

Animã primi hominis non ante corpus esse creatam.

At verò, animam primi hominis non ante corpus esse creatam sed simul cum corpore, quemadmodum cæterorum etiam omnium animæ cum suo quæque corpore simul procreantur, equidem non tantum similius vero, sed planè verùm certumq́ue censeo, hoc etiam tradit Gregorius Nyssenus in libro de Homine capite vigesimo no-
B no, & trigesimo, & Damascenus libro secundo, de fide orthodoxa, capite duodecimo, & Hieronymus vt suprà memorauimus in Epist. 61. ad Pammachium de erroribus Origenis, & 139. ad Cyprianum, Leo item Epistola 71. Et in hanc sententiam propensior est Augustinus in 23. capite libri duodecimi, de Ciuitate Dei, ita scribens: *Fecit ergo Deus hominem ad imaginem & similitudinem suam, talem quippe illi animam creauit, qua per rationem atque intelligentiam omnibus esset præstantior animalibus. Et cum virum terreno formasset ex puluere, eiq́; animam qualem dixi, siue quam iam fecerat, sufflando indidisset, siue potius sufflando fecisset, eumq́; flatum quem sufflando fecit, animam hominis esse voluisset.* Idem sentit B. Thomas. 1. part. q. 90.

C Atque hæc fere Theologorum sententia est, quæ tribus argumentis confirmari potest. Anima enim rationalis est pars essentialis ipsius hominis, ergo extra Hominem statum habet imperfectũ, sicut omnes partes, cùm à toto cuius partes sunt, separatæ sunt. Non est autem credibile, Deum in prima rerum constitutione rem aliquam fecisse in statu imperfecto, præsertim vero animum hominis omnium rerum, exceptis Angelis, longè præstantissimũ. Quod si post primum Hominem, cæterorum Hominum animæ simul procreatæ sunt cum corporibus: cur non idẽ sentiamus de anima primi Hominis? siquidem similis ratio est omnium animarum, nec causa fuit vlla, cur vellet Deus animam primi hominis ante corpus creare. Deinde, aut na-
D turale est animæ rationali esse coniunctam cum corpore, aut hoc ei est contra naturam & violentum: Si est naturale, & Deus ab initio res condidit prout cuiusque rei natura postulabat concluditur, animam primi hominis non esse creatã ante corpus eius, sed simul cum corpore copulatam. Sin autem est animæ rationali contra naturam, & violentum esse in corpore, ergo generatio hominis non est naturalis, sed contra naturam, & excellentissima species omniũ quas natura habet (hominem dico) cõtra naturã esset. Et è contrario dissolutio hominis & mors esset naturalis & secundum naturam, ob idque cuilibet Homini optabilis & iucunda, quod falsum esse, nostris aliorumq́; experimentis exploratissimũ & compertissimũ est. Quinimo, si

ita

ita esset, resurrectio mortuorum, vt bene argumentatur Sanctus Hieronymus, violenta esset nec optanda homini sed aduersanda & fugienda, cum tamen ea pertineat ad consummatam hominis felicitatem, & in Sacris litteris promittatur velut amplissimum bonum maximeque optandum homini. Quocirca Paulus ad Romanos 8. *Et nos inquit, ipsi primitias Spiritus habentes, & ipsi intra nos geminus, adoptionem filiorum Dei, expectantes redemptionem corporis nostri.* Idem in capite quinto, posterioris Epistolæ ad Corinthios: *Nam & qui sumus*, ait, *in hoc tabernaculo ingemiscimus grauati: eò quod nolumus expoliari sed superuestiri, donec absorbeatur quod mortale est à vita.* Et in capit. 15. priotis Epistolæ ad Corinthios Paulus argumentatur, si non esset futura resurrectio mortuorum, Christianos fore omnium mortalium miserrimos maximeque miserandos. Quin Aristoteles in primo libro de Anima, tex. 49. istam opinionem velut per ironiam, nec sine irrisionis significatione commemorans, sic ait: *Laboriosum autem est animæ commistam esse corpori non potentem absolui, & præterea fugiendum. Siquidem melius est intellectui non cum corpore esse, quemadmodum & consuetum est dici & multis placet.* Postremo, ex sententia Theologorum status hominis ad bene vel malè merendum non est nisi dum animus hominis est in corpore: quod quidem satis apertè indicat Paulus cap. 5. posterioris Epistolæ ad Corinthios, affirmans omnes homines manifestari oportere ante tribunal Christi, vt referat vnusquisque propria corporis, prout gessit, siue bonum, siue malũ, id est, vt his quæ dum fuit in corpore, vel bene vel male egit, digna referat vel præmia vel supplicia. Si igitur anima rationalis fuisset ante corpus, proculdubio aliquid eo tempore meruisset; aliquid enim egisset vel boni vel mali, quippe quæ libero arbitrio prædita fuisset, nec dum aut beata aut damnata, quapropter eius actio fuisset vel meritoria vel demeritoria, & sic delaberemur in errorem Origenis censentis animas rationales propter peccata quæ ante corpus fecerant, fuisse ad ipsum corpus velut ad custodiam & carcerem damnatas atque detrusas.

Quam sit optabilis hominì resurrectio ad vitam immortalem ex sententia Pauli.

Cur sicut animus noster post corpus existit, non itẽ existat ante corpus.

VERVM roget me aliquis, sicut anima rationalis post mortem hominis remanet extra corpus existens, cur non itidem conueniens sit eam creari & existere ante generationem hominis? sed facilè & in promptu responsum est. Quod enim animus post mortem hominis supersit, id accidit ex necessitate naturæ tam corporis humani quàm animæ rationalis, cum enim homo sit mortalis, animus verò noster immortalis, extincto homine animum superesse & omni æuo permanere necesse est: at verò cum anima rationalis sit forma naturalis & pars ipsius hominis, nulla est ratio cur ante generationem hominis creari & existere debeat. Cæterum, ad ea quæ de proposita quæstione disputauimus, non alienum fuerit addiicere quæ Sanctus Bonauentura eadem de re differit in 2. sent. dist. 17. artic. 1. quæst. 3. *Licet, inquit, congruum videri cuipiam posset, animam Adæ creari debuisse ante eius corpus, vt ita declararetur animam rationalem non pendere ex corpore, nec educi*

A *educi ex potentia materiæ, sed per se subsistere, & à solo Deo creatam ex nihilo extrinsecus corpori adiungi, eáque ratione demonstraretur animæ nostræ cũ Angelis conuenientia tam naturalis in eo quod est habere in se imaginẽ Dei quam supernaturalis in eo quod est ad eundem finem supernaturalem, & per similia media supernaturalia ordinari: attamen multo congruentius fuit eam simul cum corpore produci: Tum quia anima vnitur corpori vt perfectio naturalis eius, & vt cum quo facit vnum compositum essentiale quod est, homo, quo fit vt naturaliter appetat esse cum corpore, & extra ipsum esse sit illi præter naturam & quodammodo pœnale: tum etiam vnitur anima corpori vt motor mobili, adeo vt extra ipsum nihil mereri aut demereri queat. Quocirca non conueniebat ipsam produci ante corpus, ne produceretur in statu imperfecto & præter naturam, ne ante culpam sentiret pœnam, nec absque corpore mereretur vel demereretur. Nam si producta esset ante corpus, cum tunc habuisset vsum liberi arbitrij, nec obstaret quicquam, proculdubio, vel meruisset vel demeruisset: quare corpus non esset particeps omnis meriti aut demeriti animæ: & falsum esset quod dixit Apostolus. Omnes recepturos mercedem suam prout in corpore gesserint siue bonum siue malum. Neque vero ad declarandam animæ rationalis immortalitatem, præexistentia eius quicquam contulisset: Siquidem illa eius præexistentia nemini per rationem naturalem, sed ex ipsa duntaxat Scriptura id tradente notum esse potuisset. Atqui sine illo multi sunt alij Scripturæ loci, ex quibus id posset demonstrari.* Hactenus ex Bonauentura.

C

QVAESTIO II.

An ex hoc loco Mosis demonstrari possit immortalitas animæ rationalis.

NON est dubitandum, ex his paucis verbis quibus Moses creationem animæ rationalis indicauit, demonstrari & probari posse animum hominis esse immortalem: quod etiam multifariam & hoc libro, & aliis suis libris Moses significauit. Quocirca vehementer miror Sadducæos qui negabant immortalitatem animi nostri, omnemque
D spiritum incorporeum & immortalem de medio tollebant, non modo toleralos esse, verum etiam auctoritate, operibus, atque honoribus apud Iudæos floruisse. Quanquam ne hoc quidem mirandum accidere debet, cogitanti etiam in populo Christiano tot hæreses tam apertè contrarias diuinæ Scripturæ multis esse persuasas, tanta est hominum vel ignoratio veritatis, vel stupor animi, vel ad possima quæque ingenij procliuitas, vel arbitratu suo viuendi & quodlibet sentiendi libido ac licentia, vel Principum qui hæc vetare & punire deberent socordia. Eusebius libro sexto Historiæ Ecclesiasticæ c. trigesimo, tradit in partibus Arabiæ exortũ esse quorũ-

Hæresis Arabum quorundam de immortalitate animæ.

dam errorem dicentium, occidente homine simul etiã interire animum, sed eum postea in resurrectione mortuorum iterum reuiuiscere ad vitam tamen immortalem. Sectatores huius erroris à gente in qua primum viguit, Arabicos nominari posse putat Augustinus, in libro de Hæresibus numero 83. A

An anima nostra sit ex traduce.

IN simili errore fuisse necesse est, quicunque putarũt animas rationales non creari à Deo ex nihilo, sed à parentibus proseminari & propagari, nõ aliter quàm ipsum corpus: vt quemadmodum corpus ex corpore propagatur, sic animus ex animo multiplicetur, scilicet ad similitudinẽ luminis quod ex alio lumine accẽditur. Cuius erroris auctores in libr. de Ecclesiasticis dogmatibus capite decimo tertio, & 14. Lucifariani, Cyrillus item & aliqui Latinorum appellãtur. B Augustinus item in libro de Heresibus, numero 86. memorans opinionem Tertulliani facientis animam hominis corpoream, hæc subdit: *Dicit sane ipse animas hominum pessimas post mortem in dæmones verti statum autem animæ credit per traducem propagari.* Non tamen censet Augustinus Tertullianum propter primam aut vltimam opinionem damnatum esse ab Ecclesia tanquam hæreticum, sed quia adhæserit errori Cataphrygarum secundas nuptias non aliter quàm adulterium condemnantium. Certè Augustinus ipse, licet animam ex traduce propagari non audeat affirmare, non putat eam tamen ex diuina Scriptura vt falsam & hæreticam confutari posse. Quin ipse in ea quæstione quæ est de Origine animę, dubius & incertus est quẽadmodum apertè ostendit in Epistola 7. & 28. quas scripsit ad S. C Hieronymum, & in 157. quam misit ad Optatum. & libro tertio, de Baptismo paruulorum cap. 10. & 1. libro Retractationum capite 1. & libro 10. de Genesi ad litteram primis quattuor capitibus, in quorum quarto capite scribit, opinari animas omnium hominum ex nihilo creatas esse, nimis esse durum & violentum, cùm Scriptura doceat, Deum creasse omnia simul & cessasse die septimo ab omni opere, ex quo effici, omnes animas hominum posteà creatas, fuisse aliquo modo in anima primi hominis. Si autem singulæ crearentur ex nihilo, non magis aliæ animæ fuissent in anima primi hominis, quàm illa in aliis. Illud tamen vehementius Augustinum vrgebat, atque premebat, quod non videbat ipse, si posteriorum hominum D animæ non propagabantur ex anima Adæ, sed ex nihilo singulæ creabãtur, qua ratione peccatum Adæ per generationem carnalem in omnes eius posteros transfunderetur: cum peccatum originale propriè non sit in corpore, sed in anima. Quod si animæ aliorũ hominum nullo modo pendent ex anima Adami, nulla ratione videtur peccatum eius in alios homines deriuari potuisse. Tractat hanc quæstionem S. Thomas Prima parte quæst. 118. art. 2. sed accuratissimè Bonauentura in 2. sententiarum distin. 18. quæst. vltima, & Alphonsus de Castro libro 2. aduersus Hæreses vbi agit de Anima, quintum errorem confutans.

VERVN

A VERVNTAMEN B. Hieronymi constans perpetuáque fuit sententia, animas rationales in singulorũ hominum corporibus creari singulas, non aliter quàm creata sit anima primi hominis: atque hanc doctrinam tota deinceps secuta est Ecclesia. Nam quia anima rationalis est incorporea & indiuisibilis, nõ potest ex alia anima propagari: quia vero est immaterialis, non potest ex vlla materia procreari & multiplicari. Id quod D. Thomas multis rationibus addicit libro 2. contra Gentes capit. 86. idémque significauit Dauid Psalmo 32. illis verbis, *Qui finxit singillatim corda eorum*, & Zacharias cap. 12. *Cum* inquit, *Dicit Dominus extendens Cœlum, & fundans terram, & fingens spiritum hominis in eo*: quibus verbis vt in eorum explanatione scribit Hieronymus, indicatur, quemadmodum Cœlum & terram.
B ita animum hominis & à solo Deo & ex nihilo creari. Apud Ecclesiasten quoque ca. 12. sic legimus, *Puluis reuertatur in terram suam vnde erat, & spiritus redeat ad eum qui dedit illũ*, cuius testimonij vim aduersus facientes animas aliorum hominum propagari ex anima primi hominis, in lib. 10. de Genesi ad litteram capit. 9. conatur quidem Augustinus, sed frustra conatur tamen, eludere atque infirmare.

Quibus ex verbis Mosis ostendatur immortalitas animæ nostræ.

VERVM age, indicemus quibus in locis & quibus verbis Moses docuerit animum hominis esse immortalem. Principio, id manifestè ostendit cùm dixit, solum animalium omnium hominẽ ad imaginem & similitudinem Dei esse factum. Si enim animus hominis non esset incorporeus & immaterialis, intelligendi sciendíque omC nia potens atque idcirco immortalis, non vere solus homo diceretur ad imaginem Dei factus. Atque hanc rationem similitudinis humani animi cum Deo, validissimum Plato in Alcibiade & in Phædone, ad probandam immortalitatem animi nostri putauit argumentum. Et profecto esse omnium rationum quæ ad id persuadendum afferri possunt firmissimum ac probabilissimum argumentum, multis verbis docet Porphyrius lib. 1. ad Boẽtũ, vt in li. 11. de Præpar. Euangelica refert Eusebius. Hæc autem hominis & Dei similitudo quattuor in rebus potissimum enitet. Primo in quadam infinita capacitate mentis, quæ habilis & idonea est ad cognoscẽdas omnes res. Deinde, in appetitu voluntatis humanæ sic infinito, vt nullo
D bono præter infinitum, id est, Deũ, omnino expleri & satiari queat. Posteà, in libertate voluntatis, & vt loquuntur in scholis, in quadã indeterminatione ad quælibet particularia & finita bona. Denique, in quadam naturali cupiditate æternitatis quam sibi expetit animus, suam ea re æternitatem & immortalitatem satis prodens ac probans.

Quæ ratio Platonis & Porphyrio visa sit validissima ad probandam animi nostri immortalitatem.

Quattuor in rebus similitudo hominis & Dei posita est.

ALTER locus Mosis ex quo animę rationalis immortalitas enotescit, est superiori proximus, quo dixit Moses hominem esse cunctorũ animalium principem & dominũ à Deo constitutum: quo declaratur, hominem esse superioris ordinis & gradus naturæ quã sint cætera animalia. Tertius locus est is quem in præsens tractamus:

Cum enim Moſes ait Deum inſpiraſſe in corpus hominis animam A
rationalem, non obſcurè indicauit eam extrinſecus aduenire homini & à ſolo Deo creari, neque ex materia vlla neque ab alio efficiente generari. Cum enim Moſes memoraret generationem aliorum animalium, refert dixiſſe & iuſſiſſe Deum vt terra & aqua producerent animas terreſtrium & aquatilium animantiũ: ea oratione ſignificãs, animas cæterorum animalium ex materia elementati eſſe productas. De anima verò hominis multo aliter loquitur, dicens eam eſſe à Deo inſufflatam ſeu inſpiratam, vt intelligatur eam diuerſæ conditionis eſſe, cuius non ex re aliqua corporea, ſed ex ſolo Deo ſit origo. Quartus locus eſt in capite quarto libri Geneſeos: quo loco ſcriptum eſt, Deum dixiſſe Cain, *Sub te erit appetitus tuus, & tu dominaberis illius:* quibus verbis perſpicuè oſtenditur libertas humaB
næ voluntatis, cui etiam immortalitas animi neceſſariò connexa eſt. Quintus locus eſt in cap. 37. Geneſeos, vbi ſic loquitur Iacob, *Deſcendam ad filium meum lugens in infernum:* nec per infernum interpretari poſſumus ſepulchrum vbi cõditum eſſet corpus Ioſephi, ſiquidem Iacob crediderat Ioſeph dilaceratum & deuoratum eſſe à feris: debet igitur intelligi de inferno propriè dicto, in quem omnium hominum etiam iuſtorum animæ ante aduentum Chriſti deſcendebant. Sextus locus eſt cap. 3. Exodi: ſcriptum enim eſt eo loco dixiſſe Deum Moſi, *Ego ſum Deus Abraham, & Deus Iſaac, & Deus Iacob,* Quod Dominus noſter in Euangelio commemorans adiecit, *Non eſt Deus mortuorum, ſed viuentium.* Septimus locus eſt in ca. 4. DeuteC
ronomij quo loco dicitur Solem & Lunam & omnia Cœli aſtra eſſe à Deo facta & deſtinata miniſterio cunctarum gentiũ: at ſi homo eſſet omni ex parte materialis & mortalis, eſſet profecto ignobilior aſtris, nec aſtra propter eum facta eſſe dicerentur. Pater igitur, animum noſtrum immortalem, ſignificatum eſſe à Moſe tum hoc loco vbi de creatione hominis agit, tum aliis Pentateuchi locis.

Matth. 22. An animus hominis ſit immortalis natura ſua, an tantum Dei voluntate & gratia.

SED illud dubio verti poteſt, An animus rationalis ſit immortalis natura ſua, an tantum per Dei gratiam? Hoc enim affirmatè dicitur in 6. Synodo ſeſſione 11. in epiſt. Sophronij Patriarchæ Hieroſolymitani, quæ in eiuſdem concilij actione 14. ab vniuerſa Synodo eſt approbata, quinetiam S. Hieronymus libro 2. contra Pelagia- D
nos, & Damaſcenus lib. 2. de Fide orthodoxa capite 3. & 12. tradunt Angelos non ſua natura, ſed per Dei gratiam habere immortalitatem: id quod etiam Pauli confirmatur teſtimonio, qui in prioris ad Timotheum epiſtolæ extremo capite ſcribit ſolum Deum habere immortalitatem. Nec id videtur non vidiſſe Plato cum ſcribit in Timæo ſecundos deos natura ſua diſſolubiles eſſe voluntate tamen Dei fore immortales. Verumtamen, ſine dubitatione vlla dicere oportet, animam rationalem natura ſua eſſe immortalem, cũ ſit natura quædam ſimplex, immaterialis, & per ſe ſubſiſtẽs. Quod autem Patres dixerunt de animo hominis & de Angelis, eos non ſua natura

A tura, sed per gratiam Dei esse immortales, sic intelligi debet, eos non habere ex se vel à se immortalitatem, sed à Deo, qui quantum ad actualem eorum existentiam, potuit eos & creare & non creare, & creatos in nihilum redigere, quia ergo possunt esse & non esse extrinsecus, id est, respectu habito ad omnipotentiam Dei, propterea Patres dixerunt eos non habere immortalitatem ex sua natura, sed ex Dei gratia. Atque hac etiam ratione interpretari conuenit illud Pauli dictum, solum Deum habere immortalitatem: quamquam Chrysostomus in eius loci explanatione putat solum Deum esse dictum immortalem à Paulo comparatione Regum terrenorum, siquidem proximè ante dixerat, *Solus potens, Rex regum, & Dominus dominantium*, Sanctus autem Augustinus libro tertio, contra Maximinum cap. 12. vocabulum immortalitatis interpretatur positum pro immutabilitate, vt significetur solum Deum esse immutabilem. Nec aliena est significatio hæc immortalitatis: nam in omni mutabili natura, nonnulla mors est ipsa mutatio, quia facit aliquid in ea quod non erat. Simile quippiam scribit Leo sermone 1. de Resurrectione Domini: *Vnicuique*, inquit, *homini qui ex alio in aliud aliqua conuersione mutatur, finis est non esse quod fuit, & ortus est esse quod non fuit.* Nec hoc non maximè congruit cum Aristotelis doctrina, cuius in libro octauo Physicorum, textu 24. hæc sunt verba: *Fere autem & ipsum moueri, fieri quippiam & corrumpi videtur omnibus: in quod enim mutatur, fit hoc, aut in hoc: ex quo autem mutatur, corrumpitur hoc, aut hinc.*

Locus Pauli 1. ad Timoth. cap. vltimo.

B

C

Non solum autem ex hac doctrina Mosis discimus animam hominis esse immortalem, sed etiam veram esse ac naturalem eius formam, & suam cuique hominum esse animam, scilicet pro multitudine hominum qui generantur multiplicatam. Hoc satis indicauit Moses cum appellauit eam, *spiraculum vitæ*, & cùm dixit, per eam factum esse hominem viuentem. Si enim anima rationalis homini est causa vitæ & viuendi, necesse est ipsam esse formam hominis. Forma enim definitur qua res est id quod est, & à qua esse rei accidit Si igitur viuere prouenit homini ex anima rationali, ergo etiam esse: nam viuere viuentibus est esse, vt benè disputat Aristoteles in libro 2. de Anima tex. 36. Moses quoque, cùm dixit Deum fecisse hominem ad imaginem & similitudinem suam, quod pertinet ad animam & formasse hominem ex limo terræ, quod pertinet ad corpus: apertè ostendit, hominem substantialiter constare ex anima & corpore. Si autem anima rationalis est substantialis forma hominis, ex eo cõcluditur eam multiplicari pro multitudine hominum: neque enim potest multiplicari compositum substantiale, nisi multiplicatis eius partibus substantialibus, præsertim verò forma, ex qua potissimum & vnitas & distinctio composito accidit.

Ex doctrina Mosis colligi animam rationalem esse formam hominis & vnã in vno quoq;

D

Illvd præterea ex verbis Mosis licet argumentari, in homine vnam duntaxat esse animam secundum substantiam, & hanc esse

Vnam tãtum animam esse in homine.

animam rationalem, quæ tamen potestate aliarum animarum vices A
& munera abundè implet: dat enim homini esse sensitiuum & vege-
tatiuum multo excellentiori modo, quàm seorsim præstent anima
sensitiua & vegetatiua. Sed quibus verbis hoc indicauit Moses? vide-
licet cum narrans creationem animæ rationalis, appellauit eam sim-
pliciter spiraculum vitæ: quasi triplex vita quæ est in homine, vege-
tatiua, sensitiua, & intellectiua, à sola præstetur anima rationali. Nec
tantùm dixit hominem esse factum viuentem animà humana & in-
tellectiua, sed dixit per eam præcisè ac simpliciter factum esse viuen-
tem, quasi ab ea acceperit omne genus vitæ, & omnem viuendi gra-
dum quem in se habet. Videtur etiam aperte id significasse Dominus
cum dixit vt refert Matthæus cap. 10. *Nolite timere eos qui occidunt cor-*
Locus Mat-thæi cap. 10. *pus animam autem non possunt occidere*: quibus verbis non modo signi- B
ficatur animam hominis esse immorralem, sed vnam etiam dunta-
xat in vnoquoque homine esse: nam quia non dixit. Animam au-
tem rationalem non possunt occidere, sed dixit simpliciter, *animam*
non possunt occidere, satis indicauit nullam esse in homine animam quæ
occidi queat. at si præter animam rationalem essent in homine ani-
ma vegetatiua & sensitiua, quæ sunt mortales & simul cum corpore
intereunt, non illud simpliciter verè dictum esset, *animam autem non*
possunt occidere. In hac etiam sententia videtur fuisse B. Hieronymus: is
enim explanans ea verba quæ sunt in Oratione Azariæ apud Dan.
cap. 3. *Sed in anima contrita & spiritu humilitatis suscipiamur: Et ex præsenti*
loco, inquit, *& ex eo quòd sequitur. Benedicite spiritus, & animæ iustorum Do-* C
Psalm. 50. *mino: Et in psalmis, Sacrificium Deo spiritus contribulatus: cor contritum &*
humiliatum Deus non despicies: sunt qui alium velint esse spiritum in homine,
excepto Spiritu sancto, & aliam animam: Sed laborandum eis erit quomodo
absque carne & gratia Spiritus sancti, duæ substantiæ & duo interiores homi-
nes in vno homine esse dicantur, Sic Hieronymus.

Ad idem confirmandum, afferunt nonnulli quod in libro de Ec-
clesiasticis dogmatibus capite 15. scriptum est, vbi damnantur qui
ponunt in vno homine duas animas: & sententiam octauæ Synodi
generalis, quæ est in canone 11. vbi dicitur, *impium esse duas animas*
vno homine ponere: cum & vetus & nouum Testamentum, omnesque Eccle-
siæ Patres vnam animam rationalem habere homines asseuerent. Adducunt D
etiam testimonium Augustini ex libro de duabus animabus aduer-
sus Manichæos. Alij tamen docti viri, vt verum censent vnam esse
tantum animam in homine, ita putant id non esse vnquam definitum
secundum Fidem Catholicam, vt contraria sententia sit damnanda
tanquam hæretica: dummodo enim ponatur talis esse anima ratio-
nalis in homine, qualem facit eam Fides Catholica, scilicet immor-
talem, formam essentialem hominis: & multiplicatam pro multitu-
dine hominum, vtrum præter eam sint in homine anima sensitiua &
vegetatiua illi subordinatæ, quæ dèt homini esse vegetatiuum & sen-
sitiuum necne, nihil omnino referre arbitrantur ad rationem Fidei

Catholicæ

A Catholicæ. Neque enim hoc vsquam expressum est vel in Scriptura, vel in Conciliis, neque à Patribus vt dogma Fidei traditum est: neque Theologi Nominales, qui tres animas in quolibet homine esse cẽsent, vllo tempore sunt damnati ab Ecclesia vt hæretici. Nam quod in supradictis locis dicitur, non esse duas animas in homine, facilè intelligitur sermonem haberi de duabus animabus, quarum vna sit viuificans, altera verò non viuificans, sed tantum rationem ministrãs, & quasi assistens: vel quarum vna sit à Deo & de substantia Dei, altera verò sit ab alio quodam principio sicut dicebant Manichæi. Non autem damnantur qui multas animas ponunt in homine eo modo quo supra exposuimus, & quemadmodum opinantur Nominales.

B *Tulit ergo Dominus Deus hominem, & posuit eum in Paradiso voluptatis, vt operaretur & custodiret illum.* CAP. 2. VERS. 15.

SVPRA Moses describere aggressus Paradisum, cùm dixisset eum in regione Heden ad plagam eius Orientalẽ esse cõsitum, inseruit mentionem hominis, scribens in eo positum esse hominem à Deo: id nempe dicens per anticipationem, vt ostenderet solius hominis causa Paradisum esse à Deo conditum. Posteà verò absoluta Paradisi descriptione subiunxit quemadmodum & cur Deus posuerit hominem in
C Paradiso, id videlicet suo narrans loco. Verum quantũ ad verba Mosis, scire conuenit illud. *Tulit Deus hominem*, tribus modis posse nos interpretari. Primo, vt Deus interiori monitu docuerit quo esset cũdum Adamo, scilicet in locum Paradisi, velut in domicilium sibi à Deo paratum ad habitandum: quemadmodũ legimus apud Matthæũ capite quarto Dominum nostrum à spiritu ductum esse in desertum. Deinde, possumus intelligere, sicut Henoch, Habacuc, & Philippum proditum est spiritu Dei esse abreptos & in longinqua loca delatos: ita Adam, ex eo loco vbi creatus erat, in locum Paradisi spiritu Dei esse transiatum. Denique, illud quoque opinari licet, per Angelum humani corporis specie indutum, esse Adam quasi manu deductum
D in Paradisum, sicut Angelus Raphaël ducebat Tobiam: & hoc Augustino mihique verisimilius sit. Deum enim vel potius Angelũ qui Dei verbis loquebatur, legimus infra locutum esse cum Adamo, & Adamum audiuisse vocem Dei deambulantis in Paradiso.

Quomodo Adam sit à Deo collocatus in Paradiso. Genes. 5.

Danielis 14. Actorum. 8.

CAYSAM vero cum statim vt creatus est Adam in Paradisum à Deo sit illatus, supra in libro tertio qui est de Paradiso aperuimus, cùm doceremus cur Deus Paradisum tanta pulchritudine & amœnitate condidisset, in quo tamen Adam breuissimo tempore & post eum nullus mortalium mansurus erat. Annotauit Augustinus lib. 8. de Genesi ad litterã c. 11. hoc loco primum fuisse Deum appellatum vocabulo Domini cũ, dicitur, *Dominus Deus*, nec id temere. Namque hoc loco

Quando primum Deus appellatus est nomine Domini.

hoc loco primum Deus legem homini posuit: qua re declarauit se A
dominum esse hominis, hominémque ad seruiendum & obediendum Deo esse factum: eóque seruitio & obedientia æternam vitam ac fœlicitatem consecuturum. Sed parum firma est hæc annotatio, Siquidem ante hunc locum in Hebraica & Latina Scriptura quater, bis autem in translatione LXX. Interpretum vocabulum Domini tribuitur Deo. Pro illo autem verbo *Posuit* Hebraicũ verbum וינחהו *Vuiannichehu*, est multo sane significantius: significat enim dimisit seu reliquit: quo significatur Deum non duxisse Adamum in Paradisum vt ei Paradisi pulchritudinem & magnificentiam tantum ostenderet & mox inde eum abduceret, sed inibi dimisit & reliquit eum tanquam in loco eius habitationi destinato. B

Adamũ non esse creatum in Paradiso, & cur.

Illvd porro intelligendum est ex eo quod dicitur, Deum tulisse hominem & posuisse in Paradiso, liquidò cognosci hominem non esse creatum intra Paradisum, sed extra, si enim intra Paradisum esset creatus, non rectè diceretur, Deum tulisse hominem & posuisse in Paradiso. Idemque apertius significatur infra capite 3. vbi sic est: *Eiecit Deus Adam ex Paradiso vt operaretur terram de qua sumptus est*: Adam igitur creatus est ex terra quæ erat extra Paradisum. Sed cur Deus noluit creare hominem in Paradiso? Primo quidem, quia habitatio Paradisi non conueniebat homini secundum eius naturam, sed propter donum immortalitatis quod ei Deus in statu innocentiæ permanenti concessurus erat: illlud autem donum immortalitatis non erat naturale homini, sed gratuito Dei munere ei tributum, quo C
igitur manifestius intelligeret Adam eum locum non esse sibi naturaliter debitum, sed sola Dei gratia concessum, congruum erat Adam creari extra Paradisum. Deinde, si Adam creatus esset in Paradiso, nec ante vidisset alia loca, forte putasset eum locum sibi conuenire ac deberi naturaliter: at creatus extra Paradisum, ex comparatione aliorum locorum clarius agnoscens præstantiam Paradisi, sine dubitatione intellexit eximiam Dei erga se beneuolentiam ac beneficentiam, qui tam felici eum loco ac domicilio dignatus esset. Ad hæc quo Adam cautior esset & ad obsequendum Dei voluntati promptior, atque in custodiendis iussis & præceptis eius diligentior atque curiosior: certissimè sciens tantispser sibi esse in Paradiso commorandum, dum ipse Dei præceptis obtemperaret. Postremò, vt nullam habere posset iure dolendi & de Deo conquerendi causam, cum ex Paradiso propter peccatum eiiceretur, quasi loco sibi naturaliter debito & conuenienti deturbatus esset: cùm tamen Deus propter peccatum naturalibus bonis hominem multare ac priuare minime soleat. D

Verum roget aliquis, Cur igitur Deus Angelos in Cœlo condidit? cur item cæteras animantes in suo quamque loco vbi habituræ ac vitam acturæ erant, procreauit? cur denique Euam quæ Adamo ignobilior erat formauit intra Paradisum? Sed ad hæc facilè

est hunc

A est hunc in modum respondere. Ad primum respondeo, cœlum empyreum in quo sunt Angeli creati, locum fuisse naturaliter maximè conuenientem dignitati naturæ Angelicæ, quippe quæ longè superior & præstantior sit omnibus corporibus eisque præsideat. Excellentia verò Paradisi excedebat naturæ hominis conditionem, nec ei aliter quàm propter donum innocentiæ & immortalitatis congruebat. Simile quid respondendum est ad secundam obiectionem. Etenim loca in quibus generata sunt animalia, non superabant conditionem cuiusque animalis, quinimo cuiusque eorum naturæ admodum conueniebant: non sic autem habebat se Paradisus comparatione hominis. Ad tertium responderi posset negando Euam esse creatam in Paradiso sed extra, & simul cum Adamo esse à Deo introductam in Paradisum. Ita enim sensit Iosephus in 1. libro Antiquitatum capite 1. & Rupertus libro secundo de Trinitate & eius operibus vicesimosecundo capite.

Cur Angeli creati sunt in Cœlo.

An Eua creata sit in paradiso.

B

Hoc etiam sensit Tertullianus libro secundo contra Marcionem eo loco quo disputat, verba illa Ezechielis capite 28. *Tu signaculum similitudinis plenus sapientia, & perfectus decore. In deliciis paradisi Dei fuisti:* vel vt ipse Tertullianus legit, *In deliciis paradisi Dei tui natus es,* verba, inquam, illa licet sub nomine regis Tyri dicta sint, verè tamen de eo non posse intelligi sed de Lucifero, id est, diabolo qui è Cœlo cecidit propter superbiam: sic enim argumentatur Tertullianus: Propheta dicit regem Tyri natum esse in Paradiso; atqui nullus mortalium ne ipse quidem Adam in Paradiso Dei natus est, ergo non debet illud intelligi de rege Tyri, sed sub eius nomine putandum est significari Luciferum cui omnis eius loci prophetia mirificè congruit. At enim propius vero est & diuinæ scripturæ Patrumque doctrinæ conuenientius, arbitrari Euam formatam esse in paradiso: id enim non obscurè indicat contextus narrationis Mosaicæ, & Basilius docet Homilia de Paradiso, & pro certo tradũt Scholastici Theologi in secundo Sententiarum distinct. 18. & B. Thom. Prima parte quæstio. 102. articulo quarto. Cur autem Eua formata sit in Paradiso, hęc ratio potest reddi. Formari enim debebat velut ex principio, ex ipso Adamo: primum autem principium totius alicuius generis oportet esse perfectum: decebat igitur ex Adamo, prout erat in statu perfecto secundum animum & corpus & secundum habitationem procreari Euam, & vt sic palam esset originalia illa bona animi, corporis, & habitationis Adamo tributa, cæteros omnes qui ex eo deinceps procrearentur, propter solius eius vel obedientiam vel inobedientiam, aut percepturos esse, aut perdituros.

Cur creata sit Eua in paradiso.

C

D

Vt operaretur & custodiret illum.

HÆc verba visa sunt Augustino duplicem posse sensum reddere: alter sensus est, quem ipse magis probat, vt duo illa verba, *Operaretur & custodiret*, referantur ad Deum;

illud autem Pronomen, *Illum*, quod geminatur Hebraicè (sic enim A est Hebraicè *Vt operaretur illum, & custodiret illum*) referatur ad hominem, & hic sit eorum verborum sensus, Deum ob eam maximè causam collocasse Adamum in paradiso, vt ipsum Adamum magis ac magis indies operaretur, id est, excoleret, & perficeret iustiorem melioremque indies reddens, & ad præstantiora virtutum opera efficienda inuitaret pariter atque adiuuaret. *Et vt custodiret illum*, corpus nempe seruans ab omni corruptione & offensione liberum, animum verò ab omni malo purum integrumque custodiens, quoad scilicet voluntas eius cum Dei voluntate consentiret, & diuinis præceptis obtemperaret. Non enim ad consequendam æternam vitam & felicitatem satis est hominem iustum & sanctum effici; nisi is permaneat in iustitia, & vsque ad extremum in benè agendo perseueret. Ponam hic Augustini verba, vt quod de sententia eius diximus, propriis ex verbis eius apertius & certius lector agnoscat. Sic igitur in capite decimo libri octaui de Genesi ad litteram scribit Augustinus. *Est alius in his verbis sensus quem puto non immeritò præponendum, vt ipsum hominem operaretur Deus & custodiret. Sicut enim operatur homo terram, non vt eam faciat esse terram, sed vt cultam atque fructuosam: sic Deus hominem multo magis, quem creauit vt homo sit, eum ipse operatur vt iustus sit, si homo ab illo per superbiam non abscedat. Quia ergo Deus est incommutabile bonum, homo autem & secundum animam & secundum corpus mutabilis res est; nisi ad incommutabile bonum quod est Deus conuersus substiterit, formari, vt iustus beatusq; sit, non potest. Ac per hoc Deus idem qui creat hominem vt homo sit, ipse operatur hominem atque custodit, vt etiam bonus beatusq; sit. Quapropter, qua locutione dicitur homo operari terram quæ iam terra erat, vt ornata atque fœcunda sit: ea lotutione dicitur Deus operari hominem qui iam homo erat, vt pius sapiensq; sit; eumq; custodire, quod homo sua potestate in se quàm illius supra se delectatus dominationemq; eius contemnens tutus esse non possit.* Sic Augustinus.

A T enim, hanc Augustini interpretationem excludit ac reiicit Scriptura Hebraica. Nam etsi illud Pronomen *Illum*, Græcè & Latinè ambiguam habeat relationem & ad hominem & ad paradisum, Hebraicè tamen nulla esse potest ambiguitas, quia pronomen illud ponitur in fœminino genere, & necessario coniungitur cum vocabulo paradisi. Est igitur alter horum verborum intellectus, minus quidem quàm prior Augustino probatus, sed nobis tamen magis probandus: vt hæc sit illorum verborum sententia, Posuit Deus Adam in paradiso, vt ipse Adam sua opera cura & industria eum, id est, paradisum operaretur, id est, excoleret, varia scilicet opera faciendo quę ad eius loci culturam & ornatum pertinebant, simul etiam vt eum custoditet & conseruaret.

An operatio hominis in Paradiso fuisset laboriosa vel superuacanea.

S E D duplex hoc loco existit quæstio, altera, Munus à Deo iniunctum Adamo operandi in paradiso, laboriosum & operosum erat, siquidem id post peccatum in eius pœnam iniunctum atque inflictum

A ctum homini est à Deo,non igitur tranquillissimo, iucundissimo, & felicissimo innocentiæ statui conueniens erat. Deinde superuacanea erat futura operatio hominis in paradiso,quippe qui spõte sua abundè ferret ac suppeditaret quæcunque ad victum hominis necessaria,vtilia,aut etiam iucunda esse poterant. Altera quæstio, Quid paradiso ante peccatum opus fuerit custodia hominis? à quo enim custodiendus paradisus?non enim ab animalibus, quibus aditus ad paradisum minime patuisset, & omnia animalia ad nutum homini paruissent:non ab aliis hominibus, cum locus ille commune omnium hominum futurum esset domicilium,nec in statu innocentiæ vlli homini quicquam ab alio quouis homine timendum fuisset:non à dæmonibus,quia illos Deus ingressu paradisi prohibuisset, non enim
B ad eos arcendos custodia hominis valuisset:dæmon enim natura sua prudentior fortiorque est omnibus hominibus, & quia incorporeus est, nec vllo sensu humano comprehensibilis, quemcunque in locum voluerit, inscio homine, seipsum ingerere atque insinuare potest.

VERVM facilè est priorem quæstionem expedire.Cultura enim paradisi,non fuisset homini in statu innocentiæ operatio laboriosa & molesta, sed facilis & iucunda; perquam nimirum varia sibi loca in paradiso ad habitandum comparasset,viasque & semitas per quas commodè & cum voluptate ingredi & spatiari posset, sine labore strauisset atque concinnasset. Ac licet terra nihil non bonum atque
C vtile sponte sua edidisset;accedente tamen hominis cultura, eadem illa & vberiora & meliora extulisset.Cumque etiam id temporis, vitam animalem acturus esset homo, nec potuisset perpetuo intentus & defixus esse Dei contemplationi, subinde iuuisset eum multas & varias actiones per membra corporis obire:inter quas ea quæ in colenda terra versatur, plenissima fuisset voluptatis atque iucunditatis.His adde,quod cultura terræ mirabiliter animum nostrum excitat ad obseruationem & admirationem diuinæ prouidentiæ, quæ multis ex rebus quas agricultura tractat elucescit. Contulisset etiam plurimum ad periclitandas experiendasque tam diuersas terrarum vires,omniumque ex terra nascentium. At vero post hominis peccatum laboriosa extitit agricultura: tum quod ad eam colendam necessitate cogimur;ob indigentiam scilicet cibi quem nisi multo labore parare non possumus:tum quod non omnis terra quæ colitur fructifera est,& si qua est fructifera, ea tamen non nisi diu multumque à nobis elaborata,quæ vitæ degẽdæ sunt necessaria suggerit:& quod laborem & tædium maiorem in modum auget, plurima fert inutilia & noxia,quibus resecandis extirpandisque magnum perpetuumque laborem subire necesse est.

Solutio prioris quæstionis.

POTVISSE autem eo tempore culturam terræ citra laborem & molestiam ab homine exerceri,satis argumenti est,etiam nunc tanta cum voluptate à quibusdam suscipi & tractari,vt magna eis pœna sit

Voluptas, & vtilitas agriculturæ.

inde abstrahi & ad alia euocari. Audiat lector Augustinum octaui de Genesi ad litteram elegantissimis verbis ea de re disputantem: namque explanans ea ipsa verba Mosis quæ nunc tractamus, Adam esse positum à Deo in Paradiso vt operaretur eum, cum obiecisset, Deum hominem ante peccatum damnasse ad labores & molestias agriculturæ, hæc subiungit: *Ita sane arbitraremur, nisi videremus cum tanta voluptate animi agricolare quosdam, vt eis magna pœna sit inde ad aliud auocari. Quicquid ergo deliciarum habet agricultura, tunc vtique longè amplius erat, quando nihil accidebat aduersi vel terra vel cœlo. Non enim erat laboris afflictio, sed exhilaratio voluntatis, cum ea quæ Deus creauerat, humani operis adiutorio lætius feraciusque prouenirent: vnde Creator ipse vberius laudaretur, qui animæ in corpore animali constitutæ rationem dedisset operandi ac facultatem quantum animo volenti satis esset, non quantum inuitum indigentia corporis cogeret. Quod enim maius mirabiliusque spectaculum est, aut vbi magis cum rerum natura humana ratio quodammodo loqui potest, quàm cum positis seminibus, plantatis surculis, translatis arbusculis, insitis malleolis, tanquam interrogatur quæque vis radicis & germinis quid possit, quid-ve non possit: vnde possit, quid in ea valeat numerorum inuisibilis interiorisque potentia, quid extrinsecus adhibita diligentia: inque ipsa consideratione perspicere, quia neque qui plantat est aliquid, neque qui rigat, sed qui incrementum dat Deus: quia & illud operis quod accedit extrinsecus, per illum accedit, quem nihilominus creauit, & quem regit atque ordinat inuisibiliter Deus. Hinc iam in ipsum mundum velut in quandam magnam arborem rerum, oculus cogitationis attollitur, atque in ipso quoque gemina operatio prouidentiæ reperitur, partim naturalis, partim voluntaria. Naturalis quidem per occultam Dei administrationem quæ etiam lignis & herbis dat incrementum; voluntaria verò per Angelorum opera & hominum. Secundum illam primam, Cœlestia superius ordinari inferiusque terrestria, luminaria syderaque fulgere, diei noctisque vices agitari, aquis terram fundatam interlui atque circumlui, aërem altius superfundi, arbusta & animalia concipi & nasci, crescere & senescere, occidere, & quicquid aliud in rebus interiore naturalique motu geritur. In hac autem altera signa dari, doceri & discere, agros coli, societates administrari, artes exerceri: & quæque alia siue in superna societate exercentur, siue in hac terrena atque mortali, ita vt bonis consulatur etiam per nescientes malos.* Sic Augustinus, qui multis deinceps verbis idem argumentum luculentissimè tractat.

Præclara sententia Augustini.

Duplex operatio diuina prouidentiæ.

A B C D

Xenophon porro dixit, vt Cicero scribit in libro de Senectute, nihil sibi tam regale videri quàm studium agri colendi. Quin Cyrus Persarum rex ingenio præstans & tanti gloria imperij clarissimus, agrum ipse sibi conserebat, arboresque sua manu satas dimetiebatur & in ordinem disponebat. Proceres illos Romanæ nobilitatis & antiquitatis viros, ex agris ad imperia & dictaturas accersiri mos fuit: quibus illi cum essent perfuncti, ad priores agriculturæ exercitationes reuertebãtur. Homerus Laërtem Vlyssis patrem heroica corporis maiestate præditum, quem ex filij absentia senectuteque

A &uteque ingraueſcente mœrorem capiebat, eum ſolatio colendi agri lenire ac mitigare facit: in qua occupatione poſt tot annorum exilium reuerſus Vlyſſes verſantem inuenit. Hinc apparet primam humanarum artium fuiſſe agriculturam: hæc enim prima homini & in ſtatu innocentiæ iniuncta eſt, & poſt peccatum ſola ei indicta, quam exercuit Adam & poſt diluuium Noë, nec id mirum: naturali enim ordine prima omnium occurrit agricultura, neceſſaria ſcilicet parando victui degendæque vitæ ſuggerens. Quo licet intelligere errorem poëtarum Gentilium & hiſtoricorum, qui, vt AVGVSTINVS tradit libro ſeptimo, de Ciuitate Dei capite decimonono memoriæ prodiderunt, agriculturam poſt regnum Saturni eſſe inuentam: ſiquidem in ætate aurea quæ ſub Saturno rege floruit, nullam fuiſſe
B dicunt culturam agri: tunc enim vt canit Virgilius libro primo Georgicorum,

Antiquitas agriculturæ.

Mendacium Poëtarũ gentilium, & hiſtoricorum de origine agriculturæ.

——Ipſaque tellus
Omnia liberius, nullo poſcente ferebat.

& Ouidius primo libo libro Metamorphoſeos,

——natos ſine ſemine flores,
Mox etiam fruges tellus inarata ferebat.

& alio loco Virgilius,

Ante Iouem nulli ſubigebant arua coloni.

TRADVNT enim Saturnum pulſum Creta à Ioue filio veniſſe in Italiam, & inibi Ianum atque Italos agriculturam docuiſſe. Videat
C lector quæ ſub finem libri ſeptimi de inuentoribus Agriculturæ tradit Plinius.

Solutio poſterioris quæſtionis quorſum opus fuerit paradiſo cuſtodia hominis.

NEC magis operoſum fuerit explicare poſteriorem quæſtionem. Exiſtimamus enim illam hominis cuſtodiam paradiſo fuiſſe neceſſariam ad arcendas ab eo loco beſtias. Nam fuiſſe in paradiſo animalia, cenſent Ioſephus libro primo Antiquitatum Iudaicarum capite primo. Baſilius Homilia vndecima in Geneſim, Auguſtinus libro decimo quarto de Ciuitate Dei, capite vndecimo: Damaſcenus libro ſecundo, de Fide orthodoxa capite decimo. Si igitur paradiſus fuiſſet ab homine deſertus atque incuſtoditus; animalia quæ
D inibi erant, pulcherrima quæque eius loci pedibus conculcaſſent, diſſipaſſent, fœdaſſent, ac vaſtaſſent; patuiſſetque aditus ad paradiſum etiam cæteris animalibus quæ extra ipſum erant. Deinde, cuſtodia illa paradiſi non tam neceſſaria erat ipſi paradiſo quàm homini: debebat enim eum ſibi diligenter cuſtodire diuinis obediendo præceptis, ne ſcilicet propter inobedientiam tanta eius loci amœnitate & felicitate priuaretur. Debebat præterea cuſtodire paradiſum aduerſus dæmones; non quidem vt eos acceſſu ad paradiſum prohiberet, ſed ne aurem præberet fallacibus dæmonum conſiliis, quibus deceptus à Dei obedientia recederet, ob eamque cauſam paradiſi habitatione deturbaretur atque exterminaretur. Atque hinc præclarum quoddam & ſalutare nobis documentum ſuppetit; Non

Non esse homini satis bene agere nisi bona quæ habet diligenter custodiat.

satis esse homini benè agere, nisi bona quæ agit & in se habet, magna A cura & diligentia custodiat, ne perdat ea, vel ad contraria mala delabendo, vel de bonis quæ agit & in se habet, inaniter gloriando & superbè seipsum efferendo. Audiat lector pulcherrimam hac de re Gregorij sententiam quæ est in capite duodecimo, & decimotertio, libri decimi noni Moralium: *Magnopere oportet*, inquit, Gregorius, *Et bona semper agere, & ab ipsis nos bonis operibus cautè in cogitatione custodire: ne si mentem, eleuent, bona non sint quæ non auctori militant sed elationi. De qua re non inordinatè agimus, si ex libris licet non canonicis sed tamen ad ædificationem Ecclesiæ editis, testimonium proferamus: Eleazar namque in prœlio elephantem feriens strauit sed sub ipso quem extinxit occubuit. Quos ergo iste significat quem sua victoria oppressit, nisi eos qui vitia superant, sed sub ipsa quæ subijciunt superbiendo succumbunt? quasi enim sub hoste quē prosternit moritur, qui de culpa quam superat eleuatur: Pensandum ergo magnopere est, quia bona prodesse nequeunt, si mala quæ subrepunt non cauentur: perit omne quod agitur sinon solicitè in humilitate custoditur. Vnde benè quoque de ipso primo parente dicitur: Posuit eum Dominus in paradiso voluptatis, vt operaretur & custodiret illum. Operatur quippe qui agit bonum quod præcipitur, sed quod operatus fuerit non custodit, cui hoc subrepit quod prohibetur.* Hæc ille.

Egregia sentētia Gregorij.

1. Mach. 6.

B

CAP. 2. VERS. 16 & 17.

Præcepitque ei dicens: Ex omni ligno paradisi comede: de ligno autem scientiæ boni & mali ne comedas. In quocunque enim die comederis ex eo, morte morieris.

C

An datum sit Adamo præceptum comedendi ex omnibus aliis arboribus paradisi.

ARBITRATVR S. Thomas in 1. part. quæst. 97. art. 3. & in Opusculo 3. c. 188. sicut datum est Adæ præceptum non comedendi ex arbore scientiæ boni & mali, ita datum ei præceptum esse comedendi ex omni alia paradisi arbore: tum quia perspicuè supradictis verbis significatur Deum præcepisse Adamo vt comederet ex omni arbore paradisi: namque verbum illud *Præcepit*, totam sequentem narrationem vi sua comprehendit: quapropter æquè pertinet ad comedendū ex omni arbore, quam ad non comedendum ex arbore scientiæ boni & mali: tum etiā quod si homo non comedisset, proculdubio in mortē aliaque mala vel præcurrentia, vel comitantia, vel consequentia mortē corporis incurrisset: quæ tamen mala nisi propter peccatū prius admissum nequaquā homini contigissent: Opus igitur homini fuit præcepto comedendi, ne obnoxius tot tantisque malis existeret. His quidam addūt, in illo statu innocentiæ nunquam hominem vel esurientē ad manducandū, vel sitientem ad bibendū accessurum. Siquidem fames & sitis molestiam afferunt & pœnā: quicquid autē molestiæ aut pœnæ est, longè ab illo felici statu remotum fuisset. Cùm igitur in eo statu nec fames nec sitis

D

A sitis incitaret hominem ad comedendum aut bibendum, oportebat diuino eum præcepto ad id agendum incitari.

VERVM hæc nec vera sunt, meritoque reprobantur à Tostato in Quæstionibus 206.207.208.& 209.super 13.caput Geneseos, sane ad id refellendũ multa possunt argumenta proferri. Principio, non opus erat homini præcepto diuino ad comedendum, cùm id homo nullo etiam iubente sponte naturæ suæ facturus esset: quippe cùm naturali eius rei desiderio teneretur, ratioque doceret, eum nisi comedisset haud dubiè moriturum, ob idque peccaturum grauissimè. Sciebat itẽ se principem & Dominum cunctarum animantium, multoque magis ipsarum stirpium à Deo esse constitutum; videlicet vt ex vsu suo suaque voluntate illis vesci posset: Deinde, tam necessarius erat homini

Tostatus refellit opinionẽ S. Thomæ.

B ad tuendam vitam potus quàm cibus: horum enim alterutro deficiente, necessario periisset: quare si dandum erat præceptum comedendi, dandum itidem bibendi præceptum fuisset. Posteâ, si idcirco impositum est homini præceptum sumendi cibi, vt is declinaret incommoda quæ sibi penuria & defectus affert; ob eandem profecto causam præcipiendum fuisset homini vt euitaret alia permulta incommoda quæ ei vel ex terra & aqua, vel ex aëre & igne, vel aliis ex rebus accidere potuissent: quod si ad hæc cauenda non opus fuit nouo & singulari præcepto, sed satis erat ipsa hominis ratio prudentiaque, & specialis Dei erga hominem in statu illo constitutum prouidentia: idem planè de præcepto comedendi sentire ac dicere oportet.

C Ad hæc, minimè congruum erat præcipere vt comederet Adam ex omni arbore paradisi: tum quod ad effugienda incommoda & mala quæ defectionem cibi consequuntur, non erat opus edere ex omni arbore paradisi, sed satis fuisset ex aliqua vel aliquibus arboribus comedere: tum quod id laborioſum & iniucundum accidisset homini: quippe qui maluisset ex certis aliquibus paradisi arboribus comedere, quàm ad comedendum ex omnibus, Dei præcepto astringi. Adiice, quod ex verbis quæ dixit Eua respondens serpenti, videmur nobis, id quod nunc dicimus posse nos argumentari. Cum enim serpens dixisset Euæ, *Cur præcepit vobis Deus vt non comederetis ex omni ligno paradisi* Sic ei respondit Eua, *De fructu lignorum quæ sunt in paradiso vescimur:*

D *de fructu vero ligni quod est in medio paradisi, præcepit nobis Deus ne comederemus:* quibus ex verbis licet intelligere, permissum esse voluntati eorum, vt ex qualibet aliarum arborum paradisi comederent, tantumque ne comederent ex arbore scientiæ boni & mali, præcepto Dei esse illis interdictum. Denique facilius fuisset serpenti persuadere Euæ, vt in tanta paradisi arborum copia ab vna aliqua earum abstineret, eaque re si diuino præcepto comedendi ex omni arbore tenebantur, in peccatũ caderet, quam persuadere ei vt comederet ex vnica illa arbore scientiæ boni & mali: quamobrem illud potius quàm hoc persuadere ei aggressus esset.

NEC magni negotij est contrarias rationes diluere. Licet enim verbum

Solutio rationum opinionis S. Thomæ.

verbum illud *Præcepit*, præponatur toti orationi subsequenti, in qua A
est de comedendo ex omnibus paradisi arboribus, & de non comedendo ex arbore scientiæ boni & mali: propriè tamen ad hoc posterius duntaxat referri debet; vt hæc sit eius orationis sententia, Præcepit Deus Adamo ne comederet ex arbore scientiæ boni & mali; ex omni autem alia paradisi arbore vt comederet, supple tu, concessit, vel potestatem dedit. Similis quidam loquendi modus reperitur hoc ipso in libro Geneseos c. 15. quo loco scriptum est prædixisse Deum Abrahæ, fore vt semen eius peregrinum esset in terra aliena & subijceretur seruituti, & affligeretur quadringentis annis. Namque hoc quod vltimo loco dicitur de quadringentis annis, nullo modo refert. ri potest ad seruitutem & afflictionem seminis, seu posterorum B
Abrahæ, sed ad peregrinationem eorum in terra aliena tantummodo referri debet, siquidem ab ingressu Iacob cum filiis suis in Ægyptum vsque ad egressionem Mosis ex Ægypto cum populo Hebræo, non plures ducentis quindecim annis numerantur, è quibus præterea detrahendi sunt septuaginta anni vitæ Ioseph exacti, postquam Iacob venit in Ægyptum; quo tempore Hebræi tranquillè & feliciter apud Ægyptios versati sunt: restant igitur anni duntaxat centum quadragintaquinque, quibus annis Hebræi dura seruitute ab Ægyptiis pressi & conflictati sunt. Nec vero inficior, in statu innocentiæ debuisse hominem comedere ac bibere, & peccaturum fuisse eum, nisi cum ei opus erat comedisset & bibisset: verum obligatio illa comedendi & bibendi non proueniebat ex aliquo præcepto positiuo, C
sed ex ipso præscripto, & vt vocant, dictamine rationis & legis naturalis: nec id non faciens homo, contra aliam legem peccasset quàm naturalem.

Homines in statu innocentiæ nec famis nec sitis expertes futuros.

Illvd porrò falsum est, hominem in eo statu sine vlla fame ac siti manducaturum ac bibiturum, non enim cibus & potus non esurienti & sitienti iucundus fuisset aut etiam salubris; neque congruum erat edere aut bibere sine vlla indigentia cibi aut potus, hanc verò indigentiam, famis & sitis necessario consequebantur. Hæc igitur prout significant appetitum frigidi & humidi qui est sitis, aut calidi & sicci qui est fames, etiam homini in statu innocentiæ accidis- D
sent: vt autem hæc, cum non satisfit naturali indigentiæ adiunctam secum habent molestiam & cruciatum; ea ratione nequaquam homini eo tempore contigissent. Cæterum roget me quispiam, si non est datum Adamo præceptum edendi ex omni arbore, sed duntaxat non edendi ex arbore scientiæ boni & mali, satis fuisset hoc vnum tantummodo exprimere: cur igitur illud de comedendo ex omni arbore paradisi adiunctum est? An fortasse, ne quia interdictum erat homini esu vnius arboris, eum religio incesseret non edendi ex aliis arboribus? Vt igitur omnis ei scrupulus eximeretur, perspicuis verbis copia edendi ex omnibus aliis arboribus facienda erat homini. An potius illud adiunctum est, quò manifestũ esset quàm leue esset & facile obseruatu

A seruatu quod homini Deus interdixerat, abstinentia scilicet vnius duntaxat arboris, cum amplissimam ei ex innumerabilibus aliis paradisi arboribus edendi potestatem fecisset? Si quis porrò quærat ex nobis, cur hic arborum duntaxat mentio fiat, non autem herbarum, cum supra extremis verbis primi capitis scriptum sit, Deum homini dedisse potestatem vescendi fructibus arborum, omníque genere herbarum? Respondebimus, Quia inter herbas, nullius earum esu fuerat homo prohibitus, sicut inter arbores interdictum est illi esu vnius arboris; ideo propter vnius arboris prohibitionem, adiungere oportuit facultatem edendi ex aliis omnibus, quod nulla ratio erat
B vt de ipsis herbis exprimeretur.

DISPVTATIO DE PRAECEPTO dato Adæ non edendi ex ligno scientiæ boni & mali.

QVo sit horum verborum Domini explicatior & absolutior intelligentia; quattuor enodandæ sunt quæstiones, quarum tractatu multa scitu digna lectori enotescent.

C *De ligno autem scientiæ boni & mali ne comedas.* IBIDEM.

QVAESTIO X.

An præceptum non comedendi ex arbore scientiæ boni & mali soli Adæ sit datum, an simul etiam Euæ.

D CErtè non solum Adam sed Euam quoque eo præcepto esse obstrictam, constat vel confessione ipsius Euæ, quæ dixit serpenti, *De ligno quod est in medio paradisi, præcepit nobis Deus ne comederemus.* Nec sanè, si eo præcepto non esset astricta Eua, peccasset comedens fructum illius arboris, nec à Deo tantoperè reprehensa & punita esset. Si autem eo præcepto obligabatur, necesse est id esse impositũ & denunciatũ ipsi. Verũ illud habet difficultatẽ, quomodo præceptũ hoc datum sit Euæ quæ nondũ creata erat, vt series ipsa narrationis Mosaicæ demonstrat: sub hæc enim verba memoratur ratio qua ductus est Deus ad procreandã Euam, & quẽadmodum ea sit ex Adamo formata. Tripliciter igitur Euę datum esse hoc præceptũ cogitari potest: vel vt simul vtrique datum sit, id est, Adamo & Euæ: vel vt primò datum sit Adamo, posteâ vero per ipsum Adamum denuntiatum indictúmque sit Euæ: denique

Præceptum quomodo datum sit Euæ nondũ creatæ.

Tripliciter intelligi potest Euæ datũ præceptum.

vt primùm Adamo, tum simul ipsi & Euæ lex hæc lata & sancita sit. A

AVGVSTINVS in capite decimoseptimo libri octaui de Genesi ad litteram, secundum modum de tribus prædictis sibi magis probari significat. Tostatus idem censet super decimũtertium caput libri Geneseos quæstione 217. atque hoc potest hisce argumentis persuaderi. Principio, non est recedendum ab ordine & serie historiæ & narrationis diuinæ Scripturæ sine necessaria ratione: sed Moses proximè quam dixerat hominem esse à Deo positum in paradiso, subiecit datum esse ei hoc præceptum, semper de homine loquens numero singulari, post hæc autem commemorat generationem Euæ: ergo præceptum hoc datum est soli Adæ, priusquam Eua procrearetur, quanquam verba quibus præceptum hoc expressum est, in lectione Græca quam citat Augustinus, partim habent numerum singularem, partim verò pluralem. sic enim se habent, vt ea citat Augustinus. *Ex omni ligno paradisi comedes; de ligno autem scientiæ boni & mali ne comedas: in quacumque enim die comederetis ex eo, morte moriemini.* Græci autem Codices qui nunc sunt in manibus, habent etiam numerum pluralem in illis verbis, *De ligno autem scientiæ boni & mali ne comedatis.* Gregorius autem libro tricesimo quinto Moralium capite decimo, totum hunc locum legit numero plurali, sic eũ citans: *Ex omni ligno paradisi comedite: de ligno autem scientiæ boni & mali ne tetigeritis.* At enim nec Hebraicè nec Chaldaicè aliter est quàm in nostra translatione Latina, in qua omnia hæc verba singulari numero efferuntur. B C

Varia lectio huius loci.

DEINDE, prius Adam collocatus est in paradiso, posterius vero creata est Eua, vt narratio Mosis ostendit. Conueniens autem erat statim vt homo introductus est in paradisum, legem ei quam seruaturus erat imponere; vt quamprimum agnosceret Deum esse dominum suum & se illius seruum, & iam inde ab initio consuesceret diuinæ legi obedire: bonum enim est viro, vt dixit Hieremias, portare iugum Domini ab adolescentia sua. Ad hæc, cum Deus Adamum propter esum fructus vetiti obiurgaret, illud ei exprobrauit, quod edisset fructũ à quo iusserat eum abstinere: id autẽ non dixit Euæ, cum eam increpauit, non igitur datum est ei præceptũ. His accedit, si non statim vt Adam positus est in paradiso, accepisset præceptum illud nõ edendi ex arbore scientiæ boni & mali, fieri potuisset vt ederet ex ea arbore: quare posteâ serpenti dempta esset occasio & opportunitas tentandi hominem, non enim potuisset ei iam experto effectum eius arboris persuadere, fore vt si ex ea comederet, velut quidam Deus sciens bonum & malum existeret. Postremò, simul vtrumque denunciatum est Adæ, & vt non ederet ex arbore scientię boni & mali, & vt ederet ex omni arbore paradisi: sed hoc posterius denunciãdum ei fuit statim vt positus est in paradiso, propter naturalem indigentiam cibi, ergo & prius illud tunc ei denunciatum est, videlicet prius quam Eua procreata esset. Sic igitur D

secun

A secundi modi de illis tribus quos supra memorauimus, probabilitas ostendi & confirmari potest.

Vtrique id est Adamo & Euæ simul dæ tum esse illud præceptum.

SED enim primum modum nec sua carere probabilitate, ita demõstrari posset: supra in extremo 1. cap. narrauit Moses Deum Adamo & Euæ dixisse *Ecce dedi vobis omnem herbam afferentem semen super terram, & vniuersa ligna, &c. vt sint vobis in escam.* quærendũ est, quando hoc illis dixerit? an prius quàm daret hoc præceptũ, an posterius. an verò eo ipso tempore quo præceptum dedit? Si prius, ergo iam condita erat Eua ante illud præceptũ: quod negant qui secundũ illum modum probant ac defendunt. Nec verò id credibile est, non enim Deus tam præcisè & absolutè fecisset eis copiam comedẽdi ex om-
B ni arbore, periculum enim fuisset ne comederent ex ea arbore, à qua iussurus erat eos abstinere. Si autem illa verba dixit Deus Adamo & Euę postquam id præceptum dederat Adamo: certè non videbatur congruum Deum tam vniuersè & absolutè illud eis dicere, sed cum exceptione illius arboris vetitæ, ne videretur legem à se latam abrogare. Si autem simul illa verba dixit vtriq;, & præceptum nõ edendi ex arbore illa dedit, concluditur illud præceptum nõ soli Adamo, sed ipsi & Euæ datũ esse. Atq; hęc est sententia tum aliorũ, tum in primis Ruperti in lib. 2. de Trinitate & operibus eius ca. 32. Cur igitur solius, Adę cui datum fuerat præceptũ, nomen expressit Moses? Quia nempe soli Adamo principaliter datũ est, ex cuius scilicet obseruãtia aut violatione cõseruatio felicitatis quàm à Deo acceperat, vel eius
C amissio, & sui totiusq; posteritatis exitium pendebat. Si enim Adam præceptũ custodiuisset, licet Eua id non seruasset, nihil mali tamen Adamo & posteris eius cõtigisset. Cõtra verò, peccante Adamo, licet Eua nõ peccasset, eadem tamẽ mala quę vtrisq; peccãtibus euenerunt, nihilominus tamen posteris eorum accidissent. Vterq; igitur modus probabilis est, mihi tamen secundus magis probatur.

Cur soli Adæ hoc præceptũ principaliter datum sit.

QVAESTIO II.

Cur Deus hanc legem non edendi ex illa arbore imposuerit Adæ.

Lex imposita Adæ secundũ Tertullianum fuit velut matrix, & seminarium aliarũ legum.

D TERTVLLIANVS sub initium eius libri quem scripsit aduersus Iudæos, affirmat hanc legem datam Adæ, fuisse velut matricem & fontem aliarum omnium legum, quæ multis post sęculis per Mosen latę sunt Hebrę is. Sic enim scribit, *Deus in principio mundi ipsi Adæ & Euæ legem dedit, ne de fructu arboris plantatæ in medio paradisi ederent, quod si contra fecissent, morte morerentur: quæ lex eis sufficeret si esset custodita. In hac enim lege Adæ data, omnia præcepta cõdita recognoscimus, quæ postea pullulauerũt data per Moysen, id est, Diliges Dominũ Deum tuũ de toto corde tuo & ex tota anima tua, &c. & Diliges proximũ tibi tanquã te: & Non occides, Nõ mœchaberis, Non furaberis, Non fraudaueris, Falsum testimonium non dices: Honora patrem*

tuum & matrem tuam, & alienum non concupiſceſes Primordialis enim A *lex data eſt Adæ & Euæ in paradiſo quaſi matrix omnium præceptorum Dei. Denique, ſi Dominum Deum ſuum dilexiſſent, contra præceptum eius non feciſſent: ſi proximum diligerent, id eſt, ſemetipſos, perſuaſioni ſerpentis non credidiſſent, atque ita in ſemetipſos homicidium non commiſiſſent, excidendo de immortalitate, faciendo contra Dei præceptum: à furto quoque abſtinuiſſent, & de fructu arboris clam non degustaſſent, nec à conſpectu Domini Dei noſtri ſub arbore deliteſcere geſtiſſent. Nec falſum aſſeueranti diabolo participes efficerentur, credendo ei quod ſimiles Deo eſſent futuri. Atque ita nec Deum offendiſſent vt patrem, qui eos de limo terræ quaſi ex vtero matris figurauerat. Si alienum non concupiſcerent, de fructu illicito non guſtaſſent. Igitur hac generali & primordiali Dei lege quam in ar-* B *boris fructu obſeruari Deus ſanxerat, omnia præcepta legis poſteriori ſpecialiter indita fuiſſe cognoſcimus, quæ ſuis temporibus edita germinauerunt. Eiuſdem eſt enim poſteà docere legem, qui ante præmiſerat præceptum: quoniam & ipſius eſt erudire poſteà, qui ante inſtos formare inſtituerat. Quid enim mirum ſi is auget diſciplinam qui inſtituit: ſi is perficit qui cæpit?*

Hæc Tertullianus.

Quinque genera legũ diuinarum.

VERVM, ſcire conuenit quinque genera legum diuinarum reperiri, Diuinas leges appello quæ ab ipſo Deo latæ ſunt hominibus. Eſt enim lex naturalis quam Deus cunctis hominibus ſimul cum ipſa natura ingenerauit: quæ quidem naturali humanæ mentis lumine, & ipſo rationis iudicio manifeſta eſt notaque omnibus, cunctóſque pariter obligans. Altera eſt lex ſupernaturalis fidei C ſpei & caritatis, cunctos quidem homines & omni tempore ſimpliciter obligans, non tamen naturali modo, ſed ſupernaturali Dei munere & gratia hominibus data. Tertia fuit lex Moſaica, quam Deus non omnibus ſed vni tantùm genti Hebræorum tulit: cuius videlicet obſeruantia cæteræ gentes minime obligabãtur. Loquor autem de lege Moſis quantum ad ceremonialia & iudicialia eius præcepta. Quarta lex diuina non quidem omni tempore nec ſimpliciter obligans, ſed tantùm ex inſtitutione Dei poſt Euangelij promulgationem omnes gentes obſtringens, vt eſt lex ſuſcipiendi baptiſmi. Quinta lex eſt priuata quam Deus vni aut alteri, paucis ve hominibus impoſuit: & huius generis fuit ea lex qua Deus interdi- D xit Adæ eſu illius arboris ſcientiæ boni & mali: hac enim lege certũ eſt, aſtrictós eſſe Adam & Euam. An vero eorum poſteri, ſi ſtatus innocentiæ permanſiſſet, eadem lege obligandi fuiſſent, incertum eſt, & vt opinor, inexplicabile.

Cur præter legẽ naturalẽ & ſupernaturalem hæc ſpecialis & poſitiua data ſit Adæ.

CVR autem præter legem naturalem, & illam ſupernaturalem fidei ſpei & charitatis, quibus Adam & Eua ſtatim vt creati ſunt aſtricti tenebantur; hac etiam lege ſpeciali, vt vocant, poſitiua, non edendi ex illa arbore, eos Deus obligare voluerit, triplex cauſa & ratio afferri poteſt. Prima ratio, vt ea re declararet Deus ſe Dominũ eſſe hominis, & homo intelligeret ſe creaturam & ſeruum eſſe Dei

cui

A cui obedire & seruire deberet : & cui obedientia & seruitus Deo exhibita non vtilis, modo sed etiam necessaria erat. Verè enim dictum illud est ab Augustino libro 8. de Genesi ad litteram capite vndecimo, *Dominationem Dei non ipsi sed homini vtilem esse : Deus enim nostra seruitute non eget, nos autem sine eius dominatione esse non possumus.* Nec enim ipso non creante nos esse, ipso non conseruante permanere, nec ipso non regente rectè viuere possemus. Quamobrem solus ipse verus est Dominus, cui non ad suam, sed ad nostram vtilitatem salutémque seruimus. nam si nobis indigeret, eo ipso non verus esset Dominus, cum per nos eius adiuuaretur necessitas, sub qua & ipse seruire. Quocirca verissimè Dauid illud cecinit, *Dixit Domino, Deus meus es tu, quoniam bonorum meorum non eges.* In psalmo autem 9. idem *Psal 15.*

B dixit, *Constitue super eos legislatorem, vt sciant Gentes quoniam homines sunt:* quasi aliquem ferre leges aliis, certissimum sit & illius dominationis, & horum subiectionis atque seruitutis argumentum. Ob eam præterea causam arbitror legem illam esse impositam Adamo, vt ea re declararet Deus hominem à se factum, liberi arbitrij facultate præditum esse, & in eius potestate & voluntate fuisse quodlibet agere & non agere. Si enim ea voluntatis libertate caruisset Adam, ridiculum & absurdum fuisset ei legem imponere:& non obseruanti pœnam ac supplicium comminari.

His porrò tertia ratio adiungi potest, vt scilicet materiam hominis præberet Deus exercendi obedientiæ virtutem, quæ Deo gra-

C tissima hominique vtilissima est : atque idcirco, vt vidit acutè Augustinus libro 8. de Genesi ad litteram capite decimo tertio : non est datum homini præceptum de re quæ per se mala esset, id est, quę licet à Deo non esset vetita, per se tamen mala esset ac fugienda : sed ea de re quæ, per se mala non esset, sed ob id tantùm quod ea prohiberetur à Deo ; quò videlicet illustrior esset virtus obedientiæ, & quantum malum sit sola ipsa per se inobedientia clarius ab omnibus cognosceretur. Sed præstat Augustini verba hic perscribere. *Nec potuit* inquit, *melius & diligentius commendari quantum malum sit sola inobedientia, cùm ideo reus iniquitatis factus est homo, quia eam rem tetigit contra pro-*

D *hibitionem, quam si non prohibitus tetigisset, non vtique peccasset. Nam qui dicit verbi gratia. Noli tangere hanc herbam, si fortè venenosa est, mortemq; prænunciat, si tetigerit, sequitur quidem mors contemptorem præcepti: sed etiam si nemo prohibuisset, atque ille tetigisset, nihilominus vtique moreretur. Illa quippe res contraria saluti vitæque eius esset, siue illi vetaretur siue non vetaretur. Item cum quisquam prohibet eam rem tangi, quæ non quidem tangenti sed illi qui prohibuit obesset, velut si quisquam in alienam pecuniam misisset manum, prohibitus ab eo cuius erat pecunia illa: ideo esset prohibito peccatum, quia prohibenti poterat esse damnosum. Cùm verò illud tangitur quod nec tangenti obesset si non prohiberetur, nec cuiquã alteri quamlibet tangeretur, quare prohibitum est nisi vt ipsius per se bonum obedientiæ, & ipsius per se malum inobedientiæ monstraretur? Denique à peccante nihil aliud appetitum est nisi non esse*

Notabilis sententia Augustini de bono obedientiæ, & malo inobedientiæ.

sub dominatione Dei, quando illud admissum est, in quo ne admitteretur so- A
la deberet iussio dominantis attendi, quæ si sola attenderetur, quid aliud quam
Dei voluntas amaretur? quid aliud quàm Dei voluntas humanæ voluntati
præponeretur? Dominus quidem cur iusserit, viderit: faciendum est à seruien-
te quod iussit, & tunc forte videndum est à promerente cur iusserit. Sed ta-
men vt causam iussionis huius non diutius requiramus, si hæc ipsa magna est
vtilitas homini, quod Deo seruit, iubendo Deus vtile facit quicquid iubere
voluerit; de quo metuendum non est, ne iubere quod inutile est possit. Nec fieri
potest vt voluntas propria non grandi ruinæ pondere super hominem cadat, si
eam voluntati superioris extollendo præponat. Hoc expertus est homo con-
temnens præceptum Dei, & hoc experimento didicit quod interest inter bo-
num & malum; bonum scilicet obedientiæ, malum autem inobedientiæ, id est, B
superbiæ & contumaciæ peruersæ imitationis Dei, & noxiæ libertatis. Hæc Augustinus.

An sola lex naturalis satis fuisset ad explorandam obedientiam Adami.

AT enim dicet aliquis, satis fuisse Adæ ad exercendam obedientiam suam, & declarandam seruitutem quam Deo præstare debebat, legem naturalem quam ei Deus indiderat. Verùm non ita res habet: per legem enim naturalem non omnino liquet Deum esse Dominum hominum; cum à nonnullis existimari possit legem naturalem esse quandam naturæ rationalis proprietatem, quæ conditionem humanæ naturæ consequitur: quemadmodum vnaquæque species animalium habet singularem quendam & proprium suæque congruentem naturæ instinctum, ac propensionem. Nec desunt, qui quæ continentur in lege naturali ea faciant aut fugiant non tanquam C
à Deo iussa & vetita, sed tanquam rationi suæ iudicióque consentanea vel dissentanea: ac licet cognitum sit, legem naturalem esse à Deo insitam præscriptámque, ea tamen perspicuè non ostendit amplissimam & absolutissimam in homines Dei potestatem & imperium, quippe cùm per eam legem non præcipiantur aut prohibeantur, nisi quæ secundum rationem humanam per se bona aut mala videntur, ex quo dominatio Dei cognoscitur non absoluta, sed quæ recta duntaxat ratione nititur. Neque enim iudices aut ministros legum, quia multa imperant, ritè nominaueris dominos; quippe qui non quodlibet prout ipsis libitum fuerit imperare queant, sed ea tantùm quæ legibus consentanea sunt. Qui autem quiduis arbitratu D
suo imperat, quamuis illud per se nec malum nec bonum sit, neque ratio alia cur illud iubeatur aut vetetur reddi potest quàm voluntas imperantis, de qua nempe illud vulgo tritum verè dixeris, *Sit pro ratione voluntas*, is absolutè ac simpliciter Dominus iudicatur & nominatur. Non igitur lex naturalis satis erat ad ostendendum absolutissimum Dei in homines imperium & dominatum, sed ad id euidenter demonstrandum, conueniens fuit ferri à Deo specialem quandam & positiuam legem, de re quapiam, quæ per se nec bona nec mala esset. Idem quoque fieri congruum erat, quo melius exploraretur ac probaretur hominis obedientia: quæ in eo maior & perfectior

A perfectior cernitur qui ad obediendum applicat animum, non grauitatem & momenta eorum quæ imperantur perpendens, sed solam imperantis voluntatem, auctoritatem & potestatem spectans.

Egregia B. Gregorij de virtute obedientiæ sententia.

Hac de re libet egregiam Beati Gregorij sententiam hoc loco ponere. In libro enim triceſimoquinto Moralium capite decimo de præstantia virtutis obedientiæ multa & præclara disputans Gregorius, hæc inter alia scribit: *Sciendum est quod nunquam per obedientiam malum fieri, aliquando autem debet per obedientiam bonum quod agitur, intermitti. Neque enim mala in Paradiso arbor extitit, quam Deus homini ne contingeret interdixit. Sed vt per melius obedientiæ meritum homo bene conditus cresceret, dignum fuerat vt hunc etiam à bono prohiberet: quatenus tanto verius hoc quod ageret virtus esset, quanto & à bono cessans, auctori*
B *suo se subditum humilius exhiberet. Sed notandum quod illic dicitur: Ex omni ligno Paradisi comedite; de ligno autem scientiæ boni & mali ne tetigeritis. Qui enim ab vno quolibet bono subiectos vetat, necesse est vt multa concedat; ne obedientis mens funditus intereat, si à bonis omnibus penitus repulsa ieiunat. Omnes autem Paradisi arbores ad esum Dominus concessit, cum ab vna prohibuit: vt creaturam suam quam nolebat extingui sed prouehi, tanto facilius ab vna restringeret, quanto ad cunctas latius relaxaret.* Sic Gregorius.

C

QVAESTIO III.

Cur datum sit Adamo præceptum non edendi ex illa arbore scientiæ boni & mali.

Cvm præceptum illud datum sit Adæ cùm alias ob causas, tum potissimè ad periclitandam explorandámque eius obedientiam; planè conueniens fuit vt id partim difficile obseruatu esset, partim facile. Difficile quidem, vt idoneam benè merendi de Deo materiam homini præberet; alioqui nullius laudis & meriti fuisset eius obseruatio. Facile verò esse oportuit, quia si nimis fuisset arduum & durum,
D tristitiam vtique ac molestiam attulisset homini; quæ res felicitati eius status minimè congruebat. Difficultas autem eius præcepti duabus in rebus posita erat: tum quod erat de non edendo ex illa arbore; vetare autem esum illius arboris diminuere videbatur hominis libertatem, cùm non quodlibet eorum quæ in Paradiso erant comedere liberum ei ac licitum relinqueret: tum quod quæ erant in Paradiso, ea vehementer ad edendum alliciebant ac rapiebant: spectabantur enim cuiusque generis arbores, pulcherrimis & ad vescendum suauissimis onustæ fructibus. Triplex item in homine maximè viget cupiditas, vna cibi & potus, altera pecuniarum, tertia honorum, quarum prima illa est valdè naturalis & penitus infixa homini, primáque

primaque tenet hominem,& postrema derelinquit,ob idque violentior est ac superatu difficilior. Quocirca etiam dæmon tentaturus Matthæi 4. Dominum nostrum, per hanc cibi cupiditatem primo eum adortus est,*Dic*,inquit, *vt lapides isti panes fiant*, Verùm Dominus in ea tentatione diabolum vincens, honorem quem in simili tentatione Adam victus à dæmone perdiderat, cumulatissimè homini restituit. Certè posteriores duæ cupiditates possunt ab homine remoueri, possunt enim sine pecuniis & honoribus, non tamen sine cibo potuque homines viuere.Atque huc facit quod est apud Hieremiam Threnorum cap.1. *Dederunt*,ait,*pretiosa quæque pro cibo ad refocillandam animam.* Altera eius præcepti difficultas in eo erat, quod per ipsum vetabatur homini arbor maximè spectabilis visuque pulcherrima, & ad cuius fructum concupiscendum, multis nominibus animus hominis rapiebatur,eoque difficilior esse videbatur eius arboris abstinentia.

Difficultas legis, duabus ex rebus oritur.

CAETERVM, quàm esset alia ratione præceptum illud leue ac facile,duabus ex rebus iudicari potest.Etenim lex aliqua duas ob causas valdè rauis & difficilis æstimari solet, primo quidem ob nimiam multitudinem ac varietatem eorum quæ præcipit facienda, vel fugienda quamobrem durissima erat lex Mosis, & vt Petrus dixit,tanquam iugum intollerabile,*Quid tētatis*,inquit,*imponere illis iugum, quod* Actorum 15. *neque Patres nostri, neque nos portare potuimus?* Deinde, fieri potest, vt quamuis lex vnum duntaxat,præceptum contineat,ea tamen perdifficilis sit ad obseruandum, quia vnum illud quod præcipit, grauissimum sit maximéque onerosum & acerbum, cuiusmodi fuit præceptum Dei datum Abrahæ, quo iubebatur filiū suum vnigenitū Isaac immolare.Atqui neutra difficultas erat in eo præcepto quod Adę datum est, neque enim Deus eo præcepto interdixit ipsi esu omnium arborum quæ erant in Paradiso, sed vnius duntaxat arboris, neque arbor illa erat sola visu pulchra & gustatu suauis, sed erant eius generis complures aliæ, nec erat arbor illa omnium præstantissima, siquidem melior illa atque præstantior fuit arbor vitæ, vel iam concessa homini vel certè mox concedenda. *Leuis igitur*, vt inquit Rupertus libro secundo de operibus Trinitatis capite 30. *in tanta copia fuisset vnius arboris continentia, si non defuisset continentiæ dux benevolentia.* Clarius etiam cernitur leuitas & facilitas huius præcepti quod datum est Adæ, si tentatio & probatio eius cum tentatione ac probatione vel Abrahæ, vel Iob, vel Tobiæ, vel plurimorum martyrum comparetur. Quanto autem facilior eius præcepti obseruatio fuit, tanto fuit violatio eius inexcusabilior, grauioréque animaduersione & supplico digna.

Facilitas præcepti quòd datum est Adamo.

Præclara Augustini sententia.

VERVM hæc, grauissimis Augustini verbis & sententiis ornanda & comprobanda sunt. Is enim capite 15. libri 14. de Ciuitate Dei hac ipsa de re disputans ita scribit, *Quisquis damnationem Adæ vel nimiam vel iniustam putat: metiri profectò nescit, quanta fuerit iniquitas in peccando vbi tanta erat non peccandi facilitas, Sicut enim Abrahæ non immerito*

A *merito magna obedientia prædicatur, quia vt occideret filium res difficillima est imperata: ita & in Paradiso tanto maior inobedientia fuit, quanto id quod præceptum est, nullius difficultatis fuit. Et sicut obedientia secundi hominis eo prædicabilior fuit, qua factus est obediens vsque ad mortem: ita inobedientia primi hominis eo detestabilior fuit, qua factus est inobediens vsque ad mortem, Vbi enim magna est inobedientiæ pœna proposita, & res à Creatore facilis imperata: quisnam satis explicet quantum malum sit non obedire in re facili & tantæ potestatis imperio, & tanto terrentis supplicio?* Hæc Augustinus.

Rvpertvs autem libro secundo, de Trinitate & operibus eius, capite trigesimoprimo, tractans ea ipsa verba de quibus nunc disserimus, *Ex omni ligno Paradisi comede, &c.* affirmat, Deum his verbis
B exegisse à primo homine fidem spem & charitatem, quarum trium virtutum possessione cultu & exercitatione summa, totius humanæ perfectionis continetur. Scribit autem hoc modo Rupertus. *Ex omni*, inquit, *ligno Paradisi comede, &c. Tria duxit digna imperare maiestas Trinitatis. Ex omni ligno comede, & de hoc ne comedas, & in quocunque die comederis ex eo, morte morieris. His tribus propositionibus tres ab homine virtutes exigens, id est, charitatem spem, & fidem quas nunc reciprocato ordine à nobis exigit eadem Trinitas vnus Deus, fidem spem & charitatem: vt quia ille cadendo descendit, nos resurgentes à fide, per spem ad caritatem Dei ascendamus. Nam in eo quod hominem gratis fecit & gratis nihilominus in illo voluptatis loco, in illo tali Paradiso deliciis affluenti, patrem futurum multitudi-*
C *nis sanctorum posuit, planè debitorem magnæ caritatis eundem sibi effecit hominem, & valide suis beneficiis obligauit. At ille ingratus tantæ gratiæ, debitum caritatis non rependit: in quo magnitudinem nequitiæ nullus est qui æstimare possit. Item in præcepto dicentis, De ligno autem scientiæ boni & mali ne comedas, spem insignem exhibere debuit: spem, inquam habere, & de bono Dei sperare debuit, quod is qui gratis tanta iam bona sibi contulerat, profecto subiectionem & obedientiam in præcepto custodienti, maiora quæ promittebat, id est, cœlestem Paradisum & sanctorum Angelorum societatem quandoque conferret. At ille proculdubio spei huius virtutem non habuit de futuris, quia videlicet (sicut iam dictum est) caritatem non habens, primum ingratus erat præsentibus*
D *bonis. Item in comminatione dicentis, In quocunque enim die comederitis ex eo, morte moriemini, fidem habere debuit: fidem, inquam, habere & firmiter credere, quod non intuendo diuinitatem homini Deus tale lignum interdixisset, sed ineuitabilem præuaricationis pœnam veraciter prænuntiasset. Quid ergo, inquis, nonne Scriptura dicit, Omnia quæcunque voluit Dominus fecit in cœlo & in terra? quomodo ergo omnia quæcunque voluit fecit Dominus, qui nec illud quod præcepit, quod vtique nisi fieri voluisset, nequaquam præcepisset, ad effectum perducere valuit? Etenim in isto plasmate suo fidem, spem, & caritatem, secundum præceptum suum non inuenit. Ad hæc, inquam, nequaquam frustratum est consilium vel propositum Dei. Valenter enim de trunco illo virtutes illas reflorescere fecit: nam ille quidem ad hoc opus Dei mancus extitit, & contra opus vel præceptum Dei manus incontinentes per concupiscentiam extendit: sed inuentus est*

de genere eius homo secundum cor Dei, qui contentas ab omni concupiscentia ma- A
nus ad pœnalem sibi obedientiam in ligno crucis extendit, & sub pedibus suis con-
culcato peccato, legenda virtutis exemplum multis millibus sequentium se proposuit.
Hæc Rupertus.

QVAESTIO IIII.

Cur Deus præceptum illud iniunxerit Adamo, quod certò sciebat fore, vt ab eo violaretur, eiusque præcepti violationem fore non tantum ipsi, verum etiam toti eius posteritati calamitosam atque pernicioſam. B

RESPONDEO fuisse conueniens vt Deus ageret cum homine non secundum futurum eius statum, neque secundum id quod ille posteâ facturus erat, sed secundum præsentem statum in quo eum creauerat: cui statui maximè consentaneum erat vt Adam inde ab exordio suæ creationis vsque, lege aliqua obligaretur & astringeretur obsequio Dei, ob eas causas quas supra quæstione secunda exposuimus. Nec verò, quod eam legem violaturus erat Adam, propterea non fuit ea C
lex ferenda: isto enim modo nulla lex hominibus ferenda esset, siquidem pauciſſimi sunt qui leges custodiant, præsertim vero cum Deus non eo consilio dederit illam legem, vt Adamus eam non custodiret, nec talem fecerit eum vt non potuerit eam legem seruare, quia fecit eum liberi arbitrij, ad bonum malumque iuxta flexibilis, & in cuius potestate esset legem seruare vel non seruare. Quinimo fecit eum rectum, nullaque ad malum propensione, cumulauit eum præterea abundanti excellentique gratia per quam facillimum ei iucundiſſimumque fuisset quodcunque bonum agere aut malum euitare: & quamlibet legem custodire, præsertim illam quam acceperat, leuiſſimam nempe atque obseruatu facillimam. Ad hæc, licet Deus præui- D
derat peccatum Adæ, attamen simul etiam constituerat peccatum illud ad magnum & multiplex bonum conuertere, ex eoque innumerabiles atque incomparabiles vtilitates elicere. Nam vt de aliis bonis taceam, illud quanti debet æstimari, voluisse Deum, vt ad peccatum Adami eluendum ac delendum Filius suus humana indutus carne in terris videretur, & cum hominibus conuersaretur, ac sui sanguinis & vitæ profusione omnia peccati Adæ damna cumulatiſſimè compensaret: ad maiorem gratiam & felicitatem prouehens hominem, quàm fuerat ea cum qua creatus à Deo fuerat, & quam peccando perdiderat: vt quodammodo dicere liceat peccatum Adæ magno nobis lucro

fuisse

fuisse, meritoque Gregorius exclamauerit, *O felix culpa quæ talem ac tantum meruit habere redemptorem.* Adiice, quod occasione peccati Adæ factum est, vt complures maximeque nobiles virtutes in hominibus excellerent, quæ in statu innocentiæ non enituissent: veluti est fortitudo, patientia, amor erga inimicos, misericordia, abstinentia, virginitatis & martyrij palma: nec tam multiplex decor atque ornatus Ecclesiæ fuisset: nec fuissent sacramenta quæ nunc habemus, maximè verò diuinissimum Eucharistiæ Sacramentum.

Nõ esse simile Dei atque hominũ rationẽ in prohibẽdis, impediẽdis ve malis futuris.

ILLVD autem hoc loco aduertere lectorem volumus, in euitandis seu impediendis malis futuris, non esse parem aut similem rationem Dei atque hominum: quod homines legibus astricti & subiecti
B sint, Deus vero supra & extra legem omnem sit positus. Duo enim facit Deus, & bene quidem facit: quæ si faceret homo malè profecto faceret: mala enim Deus sinit fieri, quæ si vellet ne fierent, facillimè posset impedire: quemadmodum Angelorum lapsum impedire potuisset, si dedisset eis gratiam efficacem, talem, inquam, vt per eam in amore & obedientia Dei omnino perseuerarent. Multa etiam facit Deus ex quibus ipse certô scit, mala quædam consecutura, & complures inde capturos occasionem deterius agendi: cuius generis fuêre miracula in Ægypto facta coram Pharaone Ægyptiis, quibus illi vehementius in odio Hebræorum & cõtumacia aduersus Deum obfirmati & obdurati sunt. Creat item Deus quotidiè quamplurimas animas rationales, quas scit æternis suppliciis damnatum iri: fert le-
C ges quarum occasione permultos scelestiores fore nouit, quàm si leges illæ non fuissent latæ. Id quod duabus ex causis accidit: tum quod ipsa legis prohibitio ardentiorem excitat rei vetitæ cupiditatem: scitum enim & verum est illud,

Nitimur in vetitum semper, cupimusq́; negata.

& Paulus ad Romanos 7. *Occasione*, inquit, *accepta peccatum per mandatum operatum est in me omnem concupiscentiam:* tum quod quædam ante datam legem vel non erant peccata, vel non tam grauia quam sunt posteâ, vel non vt talia cognoscebantur: *Peccatum enim*, inquit, Paulus, *non cognoui, nisi per legem:* lata verò lege, quod non erat anteâ peccatum
D fit peccatum quia lege vetitum est, & quod erat peccatum fit grauius accedente præuaricatione legis, & agente homine non modo quod per se malum est, verum etiam quod nouit ipse malum esse, id est, contra conscientiam suam peccante.

ILLA igitur duo facit Deus non tantùm non male, sed etiam rectissimè, iustissimè, ac sapientissimè. Etenim non conuenit, Deum prohibere atque impedire ne vllum malum fiat: quinimo decet ordinatissimam eius prouidentiam, vt res quas ipse condidit, conuenienter naturis ipsarum operari sinat: res nempe necessarias necessario, contingentes contingenter, liberas liberè. Verè enim dictum est ab Augustino in capite 30. libri septimi, de Ciuitate Dei, *Deum quæcunque creauit sic administrare, vt suos exercere & agere motus sinat.* Cum igitur,

naturam rationalem fecerit prædità libero arbitrio, quod ad bonum malumque iuxta flexibile est, conueniens fuit vt eam agere sineret prout ipsa vellet, adiuuando quidem eam ad bonum faciendum, non tamen ad malum impellendo. Si enim Deus nihil mali sineret fieri vbi eluceret clementia eius in condonandis peccatis? vbi misericordia in subleuandis malis? vbi iustitia in sceleribus vindicandis? vbi tantus in hac rerum vniuersitate, præsertim verò in rebus humanis, decor & ornatus eniteret? Neque verò propterea decet aliquid non fieri à Deo, quod eius occasione nonnulli deteriores futuri sint, cum occasio illa non sit data, sed accepta: nec proueniat ex consilio propositoque & culpa facientis, sed ex prauo peruersoque animo abutentis, alioqui nullam hominibus legem dari oporteret, quippe cum ea plerique homines abutantur: nulla instituenda fuissent Sacramenta, nec Filius Dei incarnandus, nec mittendus ad Iudæos fuisset: nec mortem pro redemptione hominum subire debuisset. Patet igitur non ideo fuisse conueniens vt Deus præceptum illud Adamo non daret, quod ab eo violatum iri prænouisset.

VERS. 17 *In quocunque enim die comederis ex eo, morte morieris.*

CONTINENT verba hæc minas terroremque: namque Adamo si præuaricaretur de arbore illa edens, denuntiauit Deus certissimum mortis exitium, volens scilicet eum illiusmodi minis & pœnæ periculo velut quodam fræno cohibere. Tribus enim maximè rebus permouentur homines ad obseruandas leges sibi latas: Primo legislatoris amore ac reuerentia, cuius præceptis ob magna beneficia ab eo accepta, vel ob excellentem eius sapientiam auctoritatemque, & legitimum in eos imperium, debere se obedientiam agnoscunt: Deinde, præmiorum spe quæ parentibus legi promissa sunt: Denique, metu suppliciorum quibus præuaricatores & violatores legum subijciendi & plectendi sunt: atque hoc postremum expressum est illis verbis, *In quocunque enim die comederis ex eo, morte morieris.* Maiorem enim vim ad commouendos animos nostros habet metus quàm spes, comminatio pœnæ quàm mercedis promissio, dolor denique quàm voluptas. Quanquam multis visum est, etiam præmium Adamo si legi obtemperaret, esse à Deo promissum, licet id Moses non expresserit: promisisse enim Deum Adamo facultatem edendi ex arbore vitæ, cuius esu immortalem vitam non interitus modò, verum etiam laboris omnisque molestiæ nesciam & expertem degere posset, idque ex his ipsis Domini verbis licet euidenter argumẽtari: Si enim Deus comminatus est Adamo, fore vt edens ex arbore scientiæ boni & mali, necessario moreretur: ex eo concludere licet, si non edisset, nunquam eum fuisse moriturum. Quod si quis roget, num Adam ante peccatum comederit ex arbore vitæ? Respondebo, mihi admodum credibile

Tria inducunt homines ad obseruantiam legis.

Quod præmium Deus promiserit Adæ, si non ederet ex illa arbore.

An Adã comederit ex ligno vitæ.

A credibile videri eum nequaquam comediſſe: tum quod breuiſſimo tempore Adam in Paradiſo commoratus ſit, & fructus arboris vitæ non erat futurus quotidianus hominis cibus, ſed ad corroborandam facultatem vitalem hominis per certa quædam interualla ſumendus, vel vt alimentum pariter atque medicamentum: tum etiam quod ſi vel ſemel fructum arboris vitæ comediſſet Adam, longiorem proculdubio vitam vixiſſet: potentiſſimus enim erat fructus illius arboris, vel perpetuandi vitam hominis, vel multa in ſæcula producendi. His accedit, quod propterea Deus poſt Adæ peccatum, eiecit eum ex Paradiſo, eiuſque loci aditum inacceſſum atque impenebrabilem fecit, B ne ſcilicet Adam in Paradiſum ingreſſus & ex arbore vitę comedens, in æternum viueret. Sic enim dixit illi Deus, *Nunc ergo ne forte mittat manum ſuam & ſumat etiam de ligno vitæ, & comedat, & viuat in æternum.*

DISPVTATIO DE POENA MORTIS quam Deus Adamo edenti fructum arboris vetitæ comminatus eſt.

C ÆTERVM, ex illis verbis Domini, *In quocunque die comederis ex eo, morte morieris*, nonnullæ nec leues, nec ignobiles quæſtiones exiſtunt, diligenter hoc loco explicandæ.

QVAESTIO I.

Quomodo intelligendum ſit, Adam moriturum quacunque die comederet ex illa vetita arbore.

D QVOMODO verum fuerit quod Deus minatus eſt Adæ, fore vt in quocunque die comederet ex illa arbore moreretur, non facilem habet intellectum, quippe cum poſt eſum illius arboris, triginta & nõgentos annos vixerit Adam. Quidam putauerunt Deum non eſſe locutum de morte corporali, ſed ſpirituali tantùm, id eſt, de amiſſione iuſtitiæ & gratiæ Dei, per quam homo viuit Deo: quod enim præſtat anima corpori ad vitam naturalem & corporalem, hoc ipſum ratione quadam gratia præſtat animæ ad degendam vitam ſupernaturalem & diuinam. Verum iſtam ſententiam paulô infra confutaturi ſumus. Alij opinantur, verba illa Dei continere ſententiam non definitiuam, ſed comminatoriam, quam non eſt neceſſe impleri, aut certè ſecundum rigorem impleri: qualis fuit ſententia Dei aduerſus Niniuitas de futuro ciuitatis eorum poſt quadraginta dies excidio. Sed hoc friuolum eſt: ſententia enim Dei comminatoria & conditionalis tunc nõ impletur cùm deeſt conditio

Prima interpretatio.

Secunda interpretatio.

sub qua pronunciata est, id est, cum mutatus est is aduersus quem lata fuerat: sicut disertis verbis declarauit Deus per Hieremiam cap. 18. At hoc nõ contigit Adamo, quippe qui admisso peccato non statim resipuit & pœnitentiam egit: quinimo cùm admissi sceleris argueretur à Deo, excusauit se & eleuare voluit crimen suum, causam eius in vxorem suam conferens. Iustinus martyr in eo dialogo quem habuit cum Tryphone, & Irenæus libro quinto, aduersus hæreses censent, Adamum qua die comedit ex illa arbore, eadem ipsa die mortuum esse: aliam enim esse mensuram diei Dei, aliam diei naturalis & humani: hic enim vigintiquattuor duntaxat horis definitus est, ille vero ad mille annos producitur, vt cecinit Dauid Psalm. 89. *Mille anni ante oculos tuos tanquam dies hesterna quæ præteriit*, & S. Petrus *Mille*, inquit, *anni sicut dies vnus*, quoniam igitur Adam non attigit millesimum annum, rectè dici potest eum non vixisse diem vnum, sed eadem die mortuum esse qua die peccauit. At enim, vel me tacente per se lector aduertet, hanc interpretationem duram esse & contortam, atque narrationi Mosis quæ historica est minimè congruentem: quippe qui vocabulo diei in omnibus libris suis non aliter vsus est, quàm est vulgo vsitatum & tritum. Placet aliis, illud. *In quacunque die*, referri tantùm debere ad illud *Comederis*, non autem ad illud *Morieris*, vt non significetur, eadem die moriturum eum qua die comederet, sed illud tantum significetur, esum illius arboris nõ esse interdictum Adamo in vnum aliquem certum diem vel tempus, sed in omnem diem atque in omne tempus, ita vt quocunque die vel tempore comederet, omnino moriturus esset. Quæ quidem interpretatio facilis est ad intelligendum, nec vllis premitur incommodis.

Tertia interpretatio Iustini & Irenæi.

2. Petr. 3.

Quarta interpretatio.

Quinta interpretatio.

PLERISQVE visum est, illud *In quocunque die comederis*, iungi debere cum illo *Morieris*, vt significetur simul atque comederet, esse ipsum moriturum: verum per illud, *Morieris*, non significari actum moriendi, sed necessitatem & debitum mortis: vt sensus sit, statim vt comederis, obnoxius eris pœnę mortis, & astrictus eris necessitate moriendi: qua non teneberis, si ex ista arbore non comederis. Hieronymus in libro Traditionum Hebraicarum in Genesim laudat Symmachum interpretem, qui pro illo *Morieris*, verterit *Mortalis eris*: significando voce illa *Mortalis*, non potentiam naturalem moriendi quæ oritur ex naturali constitutione hominis, & qua etiam in statu innocentiæ Adam minimè carebat, sed denotando ineuitabilem moriendi necessitatem in quam propter peccatũ incurrit Adam. Hæc interpretatio probatur in primis Theodoreto, quippe qui in quæst. 38. in Genesim, *non statim*, inquit, *mortuus est Adam post transgressionem: verumtamen decretum & sententiam mortis diuina Scriptura mortem appellat. Itaque cum primum comedit, Dei sententia obnoxius fuit supplicio mortis, in singulos dies atque horas velut reus mortis ipsam mortem expectans. Etenim nisi comedisset, potuisset non mori, immo nunquam mortuus fuisset: at postquam comedit cibum vetitum, non potuit effugere quin aliquando moreretur.*

HVIVS

A Hvivs sententiæ fuit etiam Augustinus, quem fere sequuntur Theologi scholastici. Is enim lib. 13. de Ciuitate Dei cap. 23. his fere verbis scribit: *Corpus Adæ quod cibo & potu egebat ne fame interficeretur & siti, & non immortalitate illa absoluta atque indissolubili, sed ligno vitæ à mortis necessitate prohibebatur, atque in iuuentutis flore retinebatur, non spiritale, sed animale fuit: nequaquam tamen moriturum, nisi in Dei prædicentis minantisq; sententiam delinquendo corruisset. Quamuis autem cum Deus dixit, Qua die ederitis ex illo morte moriemini intelligamus mortem istam manifestam qua fit animæ à corpore separatio esse significatam, non propterea tamen id videri debet absurdum, quia non eo prorsus die à corpore sunt soluti, quo cibum interdictum mortiferumque sumpserunt. Eo quippe die mutata in deterius vitiataq; natura, atque à ligno vitæ separatione iustissima, mortis in eis etiam corporalis necessitas facta est,*

B *cum qua nos necessitate nati sumus. Propter quod Apostolus non ait, corpus quidem moriturum est propter peccatum, sed ait, Corpus quidem mortuum est propter peccatum, spiritus autem vita est propter iustitiam. Mortuum appellauit corpus nostrum Apostolus, quia iam moriendi necessitate constrictum est.* Legēda sunt quæ scribit in eandem sententiam Augustinus libr. 11. de Genesi ad litteram, 32. cap. Rom. 8.

Postremo loco ponenda est interpretatio nulli quidem priorum probabilitate cedēs, eorum qui illud *Morte morieris*, interpretantur de actuali morte, & non tantùm de necessitate moriendi. Verum, mortem illi quidem intelligunt non completam, sed inchoatam: statim enim vt Adam peccauit, corpus eius spoliatum iustitia originali *Sexta & vltima interpretatio.*

C & munere immortalitatis destitutum, cœpit sentire frigus, calorem, lassitudinem, aliaq́ue incommoda & mala, quæ sunt certissimi venturæ mortis nuncij, cœpitq́ue paulatim corrumpi & ad interitum labi, sicut enim Philosophi alterationem quæ præcedit procreationem formæ substantialis, quod sit ad eam præparatio quædam necessaria & velut certissima quædam via, non dubitarunt appellare generationem, ita alteratio quæ paulatim præparat & ducit ad interitum nomen corruptionis & mortis sibi vendicat. Scitè igitur mulier illa vt est in 2. lib. Regum cap. 14. dixit Dauidi. *Omnes morimur & quasi aquæ dilabimur.* Verissimum etiam est illud B. Gregorij hom. 37. in Euang. dictum: *Temporalis vita*, inquit, *æternæ vitæ comparata, mors est potius dicenda quàm vita. Ipse enim, quotidianus defectus corruptionis, quid est aliud*

D *quàm quædam prolixitas mortis? Corpus igitur Adæ in eodem statu permansisset, nisi ipse peccasset: non enim paulatim fuisset dissolutum aut vitiatum & ad mortem delapsum: at post peccatum, cœpit paulatim dissolui & corrumpi & ad interitum fluere, & ex eo tempore, mors ei cœpit dominari.*

***

QVÆ

QVAESTIO II.

An mors quam Deus minatus est Adamo, fuerit tantum animæ, an corporis, an vtriusque.

ALTERA iisdem ex verbis oritur quæstio: Mors quam Deus Adamo comminatus est cum dixit, *In quocunque die comederis ex eo morte morieris*, intelligenda ne sit mors animæ tantum, per quam scilicet anima peccando separatur à Deo qui ei per gratiam suam, spiritualem & diuinam vitam donabat: An etiam mors corporis qua separatur animus à corpore. Multi & cum primis nobiles scriptores censuerunt, non mortem corporis, sed animæ duntaxat esse significatam. Hoc affirmat Philo, quem propter admirabilem eloquentiam, Platonem Iudæorum veteres appellarunt, idque scriptum ille reliquit libro secundo, de Allegoriis legis Mosaicæ. Eandem sententiam amplexus est Eucherius in primo Commentariorum in Genesim: quibus etiam subscripsit Eugubinus in Annotationibus suis in Pentateuchum, hæc Mosis verba tractans, scribensque, (dubitanter tamen suamque opinionem censuræ Ecclesiæ subiiciens) peccatum Adæ non corporis, sed animæ dũtaxat mortem hominibus attulisse. Verum posteà cùm intellexisset id aduersari doctrinæ sacræ Ecclesiasticæ, in sua Cosmopœia mutauit sententiam.

SED præter cæteros huic opinioni fidem & auctoritatem adiunxit Gregorius, eam grauissimis verbis professus & tutatus, in Regist. libro sexto, capite centesimononagesimoquinto, & est Epistola 31. Gregorij ad Eulogium episcopum Alexandrinum & Anastasium episcop. Antiochenum scripta, sic autem eo loci scribit Gregorius: *Si Adæ qui primus peccauit anima in peccato mortua non est: quomodo de ligno vetito ei dictum est, in quacunque die comederitis ex eo, morte moriemini? Et ecce comedit Adam & Eua de ligno vetito, & tamen in carne sua vltra nongentos annos postmodum vixerunt. Constat itaque quia in carne non est mortuus. Si ergo in anima mortuus non est, quod dici nefas est, falsam sententiam de illo protulit Deus, qui dixit, quia qua die comederet moreretur. Sed absit hic error, absit à vera fide. Nos enim primum hominem, qua die peccauit, animæ mortuum dicimus, atque per hunc omne genus humanum in hac mortis & corruptionis pœna damnatum. Per secundum vero hominem, & modo à morte animæ, & postmodum ab omni corruptione carnis in æterna resurrectione liberari nos posse confidimus. Animam vero Adæ in peccato mortuam dicimus non à substantia viuendi, sed à qualitate viuendi. Quia enim aliud est substantia atque aliud qualitas, non est eius anima ita mortua vt non esset, sed ita mortua vt beata non esset. Qui tamen Adam postmodum per pœnitentiam ad vitam rediit.* Hæc Gregorius. Secundum istos igitur auctores

A auctores, Adam edendo cibum sibi vetitum, in mortem animæ non autem corporis incurrit.

Augustini & Scholasticorũ Theologorum sententia.

Ex aduerso autem B. Augustinus quem Theologi Scholastici & plerique Doctores merito secuti sunt, in li. 13. de Ciuitate Dei, cap. 12. confirmat hoc loco mortis vocabulo significatam esse omnem mortem quæ potest homini accidere, hoc est, tam animæ quàm corporis, tam temporalem quàm æternam. Verba Augustini eo loco, sic habent: *Cum ergo requiritur quam mortem Deus primis hominibus fuerit comminatus, si ab eo mandatum transgrederentur acceptum, nec obedientiam custodirent, vtrum animæ an corporis, an totius hominis, an illam quæ secunda dicitur: respondendum est, omnes. Prima enim constat ex duabus:* B *secunda ex omnibus tota. Sicut enim vniuersa terra ex multis terris, & vniuersa Ecclesia ex multis constat Ecclesiis, sic vniuersa mors ex omnibus: quoniam prima constat ex duabus, vna animæ altera corporis: vt sit prima totius hominis mors, cùm anima sine Deo & sine corpore ad tempus pœnas luit: secunda verò vbi anima sine Deo cum corpore pœnas æternas luit. Quando ergo dixit Deus primo illi homini quem in Paradiso constituerat de cibo vetito. Quacumque die ederitis ex eo, morte moriemini. Non tantùm primæ mortis partem priorem vbi anima priuatur Deo, nec tantùm posteriorem vbi corpus priuatur anima, nec solum ipsam totam primam vbi anima & à Deo & à corpore separata punitur: sed quicquid mortis est vsque ad nouissimam quæ secunda dicitur & qua est nulla posterior, comminatio illa* C *complexa est.* Sic Augustinus. Licet igitur secundum Augustinum quadruplicem mortem distinguere: nam animæ & ad tempus cum anima peccando separatur à Deo, alteram corporis & ad tempus qua separatur anima à corpore: tertiam quæ simul vtramque complexa est, separationem dico animæ à Deo & à corpore, quartam qua homo in æternum morietur post diem iudicij secundum animam & corpus: quæ mors secunda & nouissima appellatur. Placet igitur Augustino, omnes has mortes illis Domini verbis esse comprehensas, eisque Adam post peccatum suum fuisse obnoxium.

Quadruplex mors hominis.

Deum Adamo minatum esse mortem corporis.

Quod autem Dominus illis verbis significauerit mortem corporis, multis probatur argumentis. Primò quia vox mortis & ver- D bum moriendi præcisè posita in narratione historica; qualis est hæc Mosis, accipienda sunt secundum propriam & apud omnes vsitatã eorum significationem, id est, pro morte corporali. Deinde, vt hæc Dei sententia effectum haberet, Deus eiecit Adamum ex paradiso eique facultatem omnem abstulit edendi ex arbore vitæ, ne scilicet mortem corporis sibi destinatam effugere posset. Hoc ipsum manifestis verbis docet Paulus, ita scribens in cap. 5. Epistolæ quam misit ad Rom. *Per vnum hominem peccatum intrauit in mundum & per peccatum mors: & ita in omnes homines mors pertransiit.* Et in libr. Sapientiæ perspicuè traditur, mortem corporis homini cõtigisse propter peccatum. Sic enim est in cap. 1. & 2. *Deus mortem non fecit, nec lætatur in perditione viuorum. Et: Deus creauit hominem inexterminabilem, & ad ima-*

ginem similitudinis suæ fecit illum: Inuidia autem diaboli mors introiuit in or- A
bem terrarũ, Denique hoc idẽ decretum & constitutum est in Concilio Arausicano can. 1. & in Tridentino, sess. 5. in decreto de peccato originali. Argumentum autem illud Philonis & B. Gregorij, quo sententiam hanc oppugnant, Adamum non statim vt comedit cibũ vetitũ esse mortuum secundum corpus, sed vltrà nongentos annos posteà vixisse, esse infirmum nec opinioni huic officere, manifestum est ex his quæ præcedenti quæstione tractauimus, disputantes quomodo Adam statim vt comedit illum cibum vetitum sit mortuus.

In Cosmopœia. *At enim*, inquit Eugubinus, *Christus omnia mala sustulit quæ homini propter peccatum Adæ acciderant, sed non sustulit mortem corporalem: ergo mors non est pœna peccati Adæ.* Verùm, deceptus est Eugubinus non B
animaduertens tam in Euangelio Ioãnis quã in epistolis Pauli, præsertim autem in cap. 15. prioris Epist. ad Corinth. apertè scriptum & testatum esse, vtrumq; malum peccati nẽpe & mortis esse à Christo sublatum, sed illud in præsenti, & in priori suo aduentu: hoc autem in consummatione sæculi, & in posteriori aduentu.

An mors sit naturalis homini. Sed illud nobis posset obiici, mortem esse naturalem homini, non igitur esse pœnam peccati: sicut enim peccatum non est naturale, ita nec peccati pœna naturalis esse potest. Esse autem naturalé homini mortem, duobus argumentis euidenter conuincitur: tum quod mors accidit homini ex naturali & substantiali eius constitutione, ea scilicet ratione vt ex materia & forma, & ex rebus cõtrariis perpetuoq; pugnantibus inter se constitutus est; tum etiam quod C
esse mortalem & posse mori naturale est homini: ergo actus moriendi quæ est mors, naturalis quoque homini erit. Illud enim apud *Axioma Philosophorum.* Philosophos peruulgatum & indubitatum est, potentiam & actum ei respondentem, eiusdem esse ordinis & rationis.

Quomodo mors sit naturalis, & sit pœna hominis. Sed facilis est ad hæc responsio. Homo enim duobus modis cõsiderari potest, vel per se ac secundum nudam naturæ suæ conditionem, remoto nempe omni Dei dono ei superaddito, & hac ratione mors naturalis est homini non minùs quàm cæteris animantibus: vel ea ratione vt homo fuit à principio conditus à Deo, vt videlicet rectus, innocens, potẽnsque semper viuendi & nunquam moriendi si non peccaret, quæ quidem homini contigerant non ex conditio- D
ne naturæ suæ, sed ex Dei gratia & benignitate, atque hunc in modũ considerando hominem, verè dicimus mortem fuisse ei pœnam admissi peccati: nisi enim peccasset, in illo fælici statu permanẽs à morte fuisset immunis. Posset hoc illustrati exemplo Saulis, cui ante electionem eius & promotionem ad regnum, non fuerat pœna regali dignitate ac potestate carere; postquam autem creatus est Rex, *1. Reg. 2.* regnoq; per aliquot annos potitus, magna profecto fuit pœna & ipsum & posteros eius regio dominatu & imperio priuati. Idem quoque dici potest de summo sacerdotio posteris Heli adempto.

Si quis verò nos vrgere insistat, dicens omnem pœnam esse à Deo

A Deo, mortem autem non esse à Deo, clamat enim Scriptura in libr. Sapientiæ 1. *Deus mortem non fecit*, ergo mors non est pœna peccati. Respondebimus mortem vt est malum quoddam naturæ esse à Deo, non quidē per se ac directè, sed consequenter & obliquè. Nam quia Deus constituit hominem ex anima rationali & corpore sensuū facultatibus & organis instructo & prædito: huiusmodi autem corpus quia constat ex qualitatibus contrariis, necesse est dissolubile ac mortale esse, hinc fit, vt ex necessitate materiæ qua coagmētatus est homo, mors ei contingat. At verò mors vt est iusta pœna peccati, per se à Deo est, non quidem efficienter, nam cum mors non sit res aliqua sed mera priuatio non potest effectorem habere Deum, B verùm eius causa Deus fuit remouendo id quod arcebat mortem, videlicet subtrahendo homini iustitiam originalem, & singularem quandam protectionem & curam hominis, qua Deus quoad in statu innocentiæ perstitisset, & mortem omniáque corporis incōmoda & mala ab eo propulsasset.

An mors sit à Deo.

QVAESTIO III.

Cur Deus Adæ solum mortem omissis aliis malis comminatus sit.

C CVM Adam propter peccatum non in solā corporis mortem incurrerit, sed aliis quàm plurimis incōmodis & malis corporalibus fuerit obnoxius: Cur Deus in tradendo hoc præcepto, solam mortis corporalis mentionē fecit, tacitis tot tantisq; aliis malis quæ violato illo præcepto non Adamo tātum, sed omnibus eius posteris comparata erant. Equidē tres eius rei causas satis probabiles videor mihi afferre posse. Primo quidem solius mortis corporalis mentio est facta, quoniam mors omnium corporis malorū extremum, summum, maximéque formidādū est malum. Mors enim, auctore Aristotele in capit. 6. libro 3. Moralium ad Nicomachum maximè omnium rerū est horribilis, quippe cùm terminus sit: Deinde, quia cætera mala propterea vehemēter D afflictant hominē, quia sunt velut quædā mortes, vt ita dicā, partiales & in ipsam mortē tandem perducunt, quælibet enim pœna corporis, si vel nimis diuturna vel nimis intensa sit, tandē homini mortē affert. Cæteræ igitur pœnæ corporis, sunt velut lineæ à circunferentia circuli ductæ vsque ad centrum, in quod omnes lineæ terminantur & desinunt: ipsam verò mortem rectè appellauerim tanquā cētrum, vtpote quæ terminus sit omnium malorum. Postremo, eā voluit Deus pœnam tantùm exprimere, quæ generatim & ex æquo omnes Adæ posteros peccati eius participes comprehenderet: huiusmodi autem sola est mors, quæ æqualiter cunctis hominibus accidit, quemadmodum elegans Poëta cecinit.

Tres causæ cur Deus solam mortem comminatus fuerit Adamo.

Pulchra similitudo.

Horat lib. 1. carminum.

Pallida mors æquo pulsat pede A
Pauperum tabernas, regumq; turres.

CAETERA autem corporis mala nec omnibus nec æqualiter contingunt.

QVAESTIO IIII.

Cur Deus non sit comminatus Adæ pœnas inferni.

ADAM propter esum interdicti cibi, non modo corporis mortem promeruit, sed etiam æternæ mortis reus fuit, & perpetuis inferni suppliciis obnoxius. nã si eius B posteri propter peccatum originale quod ex ipso generati traxerũt, nascuntur filij iræ & dãnationi æternę addicti, quãto magis ipse Adam qui proprio actu peccauit, & deriuãdi in omnes posteros peccati auctor & causa fuit? Cũ igitur pœna inferni multo grauior & horribilior sit quã pœna mortis corporalis, quęritur cur nõ illam potius quam hanc, ad cõmouendum Adamum & ab esu illius cibi deterrendum, illi Deus comminatus fuerit; Tribus de causis id factũ esse reor. Licet enim pœna inferni re ipsa grauior sit quàm mors corporis, comminatio tamẽ corporalis mortis acrior & vehementior est ad commouendum hominem. Etenim, affectus humanus erga rem aliquam. planè sequitur cognitionem eius rei: C quod enim pluribus modis & certius atque euidẽtius nobis cognitum & persuasum est, id ad nostrum affectum mouendum & incitandum maiorem vim habet. Pœna inferni talis nempe qualis traditur nobis in sacra Scriptura, sola fide nobis nota est & persuasa: at mors corporis, tribus viis exploratè percepta & credita nobis est, Fide, Ratione, & Sensu, Fide, quia diuinis litteris testatum est. *statutum esse homini semel mori:* & Dauid cecinit: *Quis est homo qui viuit, & non videbit mortem?* Ratione, quia cum homo compositus sit ex materia & forma & ex rebus contrariis, non potest mortem effugere, quod si morbi aliqui & dolores vt stomachi, vesicæ, capitis & dentium, adeo nos cruciant vt vix animo consistere possumus. qui tamẽ D non sunt cum acerbitate mortis comparandi: nónne hinc satis intelligere licet, quàm sit homini formidanda & horrenda mors? Hoc denique sensibus ipsis satis supérque compertũ est, quotidianis videlicet tot hominum acerbissimè morientiũ experimentis. Hac igitur de causa vehementius afficit hominem timor mortis corporalis, quàm metus inferni: huius enim timor per paucos à peccando, illius quam plurimos reuocare solet. Deinde, eam Deus pœnã voluit proponere, quam si Adam præceptũ ipsius violasset necessario subiret, nec solum ipse sed omnes item eius posteri: tametsi postea ille resipiscceret & peccati sui pœnitens ad Dei gratiam rediret. Huiusmodi autem

Cur non pœnam inferni sed mortis Deus comminatus est Adamo tres causæ.

Necessitatem moriendi, tribus viis esse nobis persuasam.

Hebræ. 9. Psal. 88.

A autem pœna fuit mors corporis, quam nec Adam resipiscens, nec posteri eius etiamsi aliqui fuerint sanctissimi, effugere potuerunt: pœnam autem inferni & ipsi primi parentes, & plurimi posterorum euaserunt.

His addo tertiam causam commemoratam ab Augustino in lib. 13. de Ciui. Dei, cap. 23. expressas vel æternæ vitæ ac felicitatis promissiones, vel mortis æternæ ac suppliciorum inferni comminationes, reseruatas fuisse gratiæ noui Testamenti. Namque in veteri Testamento; præsertim verò ante Prophetas, aut nulla aut perquam rara, nec nisi velata & recta mentio fit æternæ vel mortis vel vitæ. Pona hic Augustini verba, *Propterea*, inquit, *comminatus Adamo Deus mortem, de secunda morte nihil dixit, quia occultam esse voluit propter dispensationem*
B *Testamenti noui, vbi secunda mors apertissimè declaratur: vt prius ista mors prima quæ communis est omnibus proderetur ex illo venisse peccato, quod in vno commune factum est omnibus. mors verò secunda non vtique communis est omnibus, propter eos qui secundum propositum vocati sunt sancti, quos ante præsciuit & prædestinauit, sicut ait Apostolus, conformes fieri imaginis Filij sui, vt sit ipse primogenitus in multis fratribus, quos à secunda morte per mediatorem, Dei gratia liberauit.* Hactenus verba sunt S. Augustini.

DE PROCREATIONE
C PRIMÆ MVLIERIS, ID EST, EVAE EX IPSO ADAMO.

Dixit quoque Dominus Deus: Non est bonum hominem esse solum. GEN. C. 2. VERS. 18.

EXPOSITA diligenter generatione Adami, deinceps ad enarrandam Euæ procreationem quæ non minorem habet vel diuinæ potentiæ sapientiæque admirationem, vel disputationum quæstionúmque obscuritatem & difficultatem, veniendum est. Ante omnia verò Mo-
D ses supradictis verbis aperit causam & necessitatem creandi mulierem, quia scilicet non erat bonum vt vir esset sine muliere, sed necessarium erat vt vir mulierem haberet sociam & adiutricem sibi congruentem, cum ad alia permulta, tum maximè ad generandam prolem, & ea ratione propagandam conseruandamque speciem humanam; tale enim adiumentum homini in nullo cæterorum animalium inueniri potuit.

SED quam habent illa Domini verba sententiam: *Non est bonum hominem esse solum?* hanc nimirum; Cum homo sua natura sit animal congregabile & sociabile, non erat bonum esse ipsum solitarium & *Cur non fuit bonum esse virum sine muliere.*

absque cõsortio aliorum hominum: fuisset enim ei vita tametsi bonis omnibus affluaret, iniucunda tamen & acerba: qua de re Cicero in libro quem scripsit de Amicitia, Lælium multa egregiè disputantẽ inducit. Verum hæc ratio probat Adamum sine consortio aliorum hominum esse non debuisse, quod autẽ sine consortio mulieris esse non debuerit, ex eo manifestum est, quod Adam erat velut caput & seminarium humani generis, ex quo scilicet omne genus hominũ propagandum & multiplicandum erat: nec multiplicatio autem hominum sine generatione, nec generatio sine mulieris societate & coniũctione fieri poterat. Et cũ perfectũ opus viuentiũ sit, auctore Aristotele, generare sibi simile, vel imperfectus fuisset Adam si ea facultate generandi caruisset, vel ea irrita fuisset atque inanis si eam exequi non potuisset, non potuisset autẽ ea vti sine mulieris adiumẽto. Denique, sublata muliere, necesse est tolli generationem hominum: hac sublata, species humana perpetuari non potest, ea verò extincta, necesse est valdè mutilum atque imperfectũ remanere vniuersum, quippe cum omniũ rerum corporatarũ præstantissimus sit homo, & quasi vniuersitatis rerum pulcherrimũ quoddam vinculũ & decentissimus nexus. Nec bonum erat hominem esse solum propter Angelos: nimirum diminutio eorum ob ruinam malorum spirituum supplemento hominum resarciẽda erat. Nec id fuisset bonum etiam propter Dominum nostrum Iesum Christum, qui ex Adamo progenerandus primus erat prædestinatorum, & primogenitus omnis creaturæ. Nec profecto id bonum esse poterat, cùm æterni Dei consilio & proposito constitutum esset, multos ex posteris Adæ ad æternæ vitæ ac fœlicitatis participationem assumere. Nec decebat Dei bonitatem & munificentiam quæ per se communicabilis erat cum infinitis hominibus, ad vnum dumtaxat hominem restringi & coarctari.

Contra Hæreticos qui abstinere matrimonio malum esse dicunt. Matthæi 22.

CAETERVM, hac Domini sententia: *Non est bonum hominem esse solum*, abutuntur Hæretici nostri temporis, ad oppugnanda monastica vota virginitatis & cœlibatus. Si enim, inquiunt. Non est bonum hominem esse solum, id est, sine coniugio: ergo ista vota quæ coniugium excludunt mala sunt & Dei sententiæ contraria. Verùm in istos hæreticos verissimè dici potest quod Saducæis dixit Dominus: *Errastis nescientes Scripturas neque virtutem Dei.* Quo enim ore audent vituperare & damnare virginitatem & cœlibatum quasi hominum inuenta, & diuinæ Scripturæ, Deique voluntati contraria, cùm ea res iam inde ab Apostolis vsque in Ecclesia Christi fuerit vsitatissima & laudatissima? Nonne Paulus in cap. 7. prioris epistolæ ad Corinthios grauissimis verbis disputat, statum virginum ac cœlibum lõgè optabiliorem & præstabiliorem esse matrimonio. *Bonum est*, inquit, *homini mulierem non tangere: &: Dico autem non nuptis & viduis. Bonum est illis si sic permanserint sicut & ego: & solutus es ab vxore, noli quærere vxorem: Et qui matrimonio iungit virginem suam, bene facit: & qui non iungit, melius facit*: denique: *Mulier*, inquit, *cui vult nubat tantùm in Domino. Beatior autem*

A *autem erit sic permanserit secundum meum consilium: Puto autem quod & ego Spiritum Dei habeam.* Nec Paulus tantum ita sentit, sed etiam Pauli magister & Dominus, Euangelicæq; legis & gratiæ conditor Christus, cuius est illa in Euãgelio ad commendationem virginitatis perquam insignis sententia, *Sunt Eunuchi qui seipsos castrauerunt propter regnum cœlorum.* *Matth.10.*

QVID ergo? doctrinam noui Testamenti Scripturæ Vet. Testa. contrariam esse dicemus? minimè verò: sed duo tẽpora duosque hominis status distinguere oportet. Námque in exordio mundi propter hominum paucitatem non fuisset bonum abstinere coniugio: neque enim humanum genus aut perpetuari vt oportebat, aut vsquequaq; diffundi & propagari potuisset. Posteà verò infinitè propemodum facta hominum multiplicatione, B nulla ratio quẽquam hominum propriè vrgebat & cogebat matrimonium inire. Et verò, longè diuersa ratio fuisset matrimonij in statu innocentiæ, atque est nunc in statu naturæ corruptæ. In illo enim statu facta esset generatio & multiplicatio hominum dumtaxat electorum & prędestinatorum sine vlla libidinis turpitudine, sine vllo corporis aut animi vitio & impedimẽto quo à cultu & obsequio Dei coniuges vlla ex parte retardarentur. In hoc autem nostrati statu, tot tantisque cum periculis, vitiis, incõmodis, & rerum meliorum impedimentis coniunctum est matrimonium vt non modo non sit vitio dandum, sed etiam magnæ laudi vertendum quo expeditiori & tranquilliori animo seruiatur Deo, matrimonij vinculis nolle illigari. C Audiat lector B. Cyprianum in Tractatu de habitu virginum, quod nunc de matrimonio diximus aduersus hæreticos grauissimis verbis ita confirmantem: *Prima Dei sententia crescere & generare præcepit: secunda ad continentiam suasit. Cum adhuc rudis mundus & inanis est, copia fœcunditatis generante propagamur, & crescimus ad humani generis augmentum. Cum iam refertus est orbis & mundus impletus, qui capere continentiam possunt, spadonum more viuentes, castrantur ad regnum.* Et cætera quæ sequuntur. *Duo status hominis considerandi in matrimonio.*

Faciamus ei adiutorium simile sibi. GEN. C. 2. VERS. 18.

D LATINVS Interpres haud dubiè secutus Septuaginta vertit pluraliter *Faciamus*, Hebraicè tamen & Chaldaicè singulari numero est: *Faciam.* Inducitur autẽ Deus quasi cum ratione quadam & consilio ac deliberatione ad efficiendam mulierem accedere: vt hinc noteſcat dignitas operis futuri: singularis enim modus eius perficiendi, singulatẽ quoque & eximiam eius dignitatem ostendit. Quod ergo suprà diximus, cùm disputaremus cur Deus creaturus hominem, velut deliberabundus dixisset: *Faciamus hominem ad imaginem & similitudinem nostram*, illud ipsum ad hunc quoque locum accommodari & applicari potest. Pro eo autem quod nos legimus *Adiutorium simile sibi:* Chaldaicè ad verbum est: *Sustentaculum quod sit penes eum:* quæ oratio valde *Hebraismus est* אעשה *Ebesche, & Chaldaicè* אעבד *Eheued.* *Chaldaica versio.*

valde est emphatica, alluditur enim ad eos qui in subleuandis oneri- A
bus mutuas sibi in auxilium manus porrigunt. Tale sustentaculum
& vicarium auxilium Deus voluit vxorem esse marito, & hoc pul-
chrè verba exprimunt Chaldaica: nã שמיך *Semach*, vox Chaldaica
quæ est hoc loco, significat sustentaculum, fulcrum, adminiculum,
denique id omne quo quis niti & sustentari potest. Dictio autem
Chaldaica בקבליה *Chechible*, significat proximè, penes aliquem, &
iuxtà aliquem esse, quasi dicat. Ad manum sit vxor marito, vt eum ad-
iuuet, consoletur, & laboribus subleuet. Pro illo *Simile sibi*. LXX. ver-
terunt, *Secundum ipsum*, id est, respondens & congruens ipsi: videlicet
secundum eandem naturæ speciem, & tanquam naturaliter idoneum
ex quo vir prolem suscipere queat. Rectè igitur Latinus Interpres B
non verba sed sensum perpendens vertit *Simile sibi*. Necesse autem
fuit mulierem viro partim similem, partim dissimilem esse. Similem
quidem, hoc est, eiusdem speciei, eiusdémque naturæ humanæ partici-
pem: alioqui non posset ex viro & muliere generari homo, & hæc
similitudo, alia multa complectitur, quibus mulier par est viro: velut
est illud, habere animam immortalem, Dei similem, ab eo proximè
creatum ex nihilo, & diuinæ felicitatis capacem. Dissimilem verò
esse oportuit secundum sexum, & secundum ea quæ sexum naturali-
ter ac necessario consequuntur. Duabus enim rebus opus erat ad
perficiendam hominis generationem, principio actiuo & passiuo, ef-
ficiente & materia: & harum rerum alteram quidem solus vir habet, C
altera verò penes fœminam tantum est.

Mulier similis & dissimilis viro creari debuit.

Lectio Hebraica est בנגדו *chewegdo.*

HEBRAICE porrò pro illo quod Latina lectio habet *Simile sibi*
sic est, *Contra ipsum*, quod triplicem habet interpretationem. Quidam,
enim Hebræi sic putant dictum, quod mulier facta sit contraria viro,
ferè enim aduersatur viro, eumque insectatur, infestat, & quoquo-
modo vexare non prætermittit. Sed peruersa est hæc interpretatio:
non enim eo facta est mulier à Deo vt aduersaria viro esset, nec ta-
lis vlla fuisset mulier in statu innocentiæ, nec post peccatũ tales sunt,
nisi quæ vitio & prauitate sua officia vxori debita improbè abiiciunt,
Tostatus hunc locũ explanans, propterea existimat dictum esse mu-
lierem esse contra virum, quod inter fœminam & marem nonnullam D
esse contrarietatem necesse sit, eam nimirum quæ est inter agens &
patiens. Si enim mulier omnino similis esset viro, nullam plane ad ef-
ficiendam generationem hominis vim habere & operam conferre
posset. Sed enim illud similius verò est, *Contra ipsum*, pro eo dictum
esse quod est *Coram ipso*, quæ locutio frequens est in Sacris litteris,
vt in Psalmo 50. *Et peccatum meum contra me est semper*, & in Euangelio:

Matth. 21. *Ite in castellum quod contra vos est*, & alibi millies.

QVOD autẽ mulier dicatur facta coram viro, non rectè interpre-
tantur Hebræi, quorũ qui doctissimus habetur Dauid Kimhi in lib.
Radicũ sic explanat hũc locũ: *Coram viro*, inquit, *facta est mulier, vt sit*
ei præsto & parata ad ministrandũ atque seruiendum, more scilicet seruorum
astantium

A *astantium coram dominis suis, eorúmque non verba modo sed nutus etiam obseruantium. Ministrorum enim alij remoti sunt à conspectu dominorum, alij vero semper eis assistunt: & talem viro voluit Deus esse mulierem.* Verùm hæc interpretatio & sententia falsa est, non enim fœmina facta est vt serua, sed vt socia esset viri: atque ob eam causam non ex pedibus nec ex tergo viri, sed ex latere, quò societas eius & communitas cũ viro denotaretur, fabricata est. Sanè in primo libro Politicorum capite primo docet Aristoteles longè diuersam esse conditionem viri & vxoris, atque domini & serui: Et mulierem quidem datam esse sociatámque viro præcipuè generationis perficiendæ causa. Aristoteles quidem ita scribit: *Marem & fœminam, quorum alter* *Mulierem nõ esse seruam viri.*

B *alterius indiget societate, copulari necesse est procreandi causa: idque non consilio sed natura: Quemadmodum in cæteris animantibus & stirpibus vsu venit, quibus natura insitus est appetitus sui simile relinquendi. Itaque fœmina & seruus distincti sunt natura, licet apud Barbaros mulier & seruus eodem habeantur loco.* Hæc Aristoteles. Caietanus illud *Coram ipso*, vel *Contra ipsum*, significare putat, mulierem dissimilem esse cæterorum animalium: erectam enim in pedes, excelso vultu, rectóque totius corporis habitu coram viro stare vt corpore ita quoque animo ei simillimam. *Caietanus in Genesim.*

Caeterum quas ob res mulier sit adiutorium viro, declarandum est. B. Augustinus libro 9. de Genesi ad litteram capite tertio &

C 4. non ob aliud videri sibi scribit opus fuisse muliere, quàm propter generationem prolis: siquidem ad alia omnia magis vir à viro alio, quàm à muliere adiuuari potuisset. Augustini verba hęc sunt: *Si quæritur ad quam rem fieri oportuerit hoc adiutorium, nihil aliud probabiliter occurrit quàm propter filios procreandos: sicut adiutorium semini terra est, vt virgultum ex vtróque nascatur: hoc enim & in prima rerum conditione dictum erat, Masculum & fœminam fecit eos Deus, dicens, Crescite & multiplicamini & implete terram. Quæ ratio conditionis, & coniunctionis masculi & fœminæ atque benedictio Dei nec post peccatum hominis, pœnámque defecit. Aut si ad hoc adiutorium gignendi filios non est facta mulier viro, ad quod ergo adiutorium facta est? Si vt simul operaretur terram, nondum erat labor vt adiumento viri indigeret: & si opus esset, melius adiutorium masculus*

D *fieret. hoc & desolatio dici potest, si solitudinis fortasse tædebat. quanto enim congruentius ad comiuendum & colloquendum duo amici pariter quàm vir & mulier habitarent?* Hæc Augustinus.

Nos igitur dicamus, fœminam partim fuisse necessariam viro, partim verò minimè quidem necessariam, sed valde tamen vtilem. Necessaria, quidem erat fœmina viro duas ob causas: rum generandæ prolis, tum iam genitæ nutriendæ alendæque causa: quæ duo munera sine muliere à viris præstari nullo modo possunt. Ad officia verò domestica commodè peragenda non quidem necessaria erat mulier, sed erat tamen perquam vtilis. Nam vt ea munera possint etiam à viris obiri: opportunius tamẽ ac melius perficiuntur

à fœminis. Sicut enim vir publica & ciuilia externáque negocia prudentius & expeditius tractare potest quàm fœmina; ita domestica officia vigilantius & diligentius à fœminis tractantur quàm à viris. Atque in his officiis equidem pono curam custodiendi, amplificandi, ac benè dispensandi rem familiarem, regendi seruos educandique ac benè instituendi liberos dum paruuli sunt, præsertim verò fœminas; denique cætera quæ ad œconomicam gubernationem pertinet ritè administrandi. A

Mulier non per se creata.

Pauli allusio.

AT enimuero, hæc Dei sententia *Faciamus ei adiutorium simile sibi*, satis indicat, fœminam non per se ac principaliter nec primaria Dei intentione esse generatam, sed propter virum vt esset ei adiutrix ad procreandam sobolem. Et ad hunc locum Mosis proculdubio respexit Paulus, cum in capite vndecimo prioris epistolæ ad Corinthios dixit, virum esse imaginem Dei, fœminam autem viri: & virum quidem non esse factum propter mulierem, mulierem autem factam esse propter virum: nec virum ex muliere, sed ex viro mulierem esse procreatam. Et cum hac Mosis & Pauli doctrina valdè congruit & consentit Aristotelis & Peripateticorum sententia appellantium fœminam animal occasionatum, id est, non per se & ex principali naturæ intentione generatum; sed ex occasione, id est, propter imbecillitatem & defectum virtutis generatiuæ, quæ est in semine virili; quod si validum semper & perfectum esset, semper virum & nunquam fœminam generaret. Omne enim agens si perfectam habeat vim agendi, & nisi quid obstet, quàm maximè potest generat sibi simile. Sanè si per virum tãtummodo multiplicari potuisset genus humanum, & humana vita vt par est agitari, non vtiq; mulier esset generata: quippe cum sit multo præstantior & perfectior vir quàm fœmina. Sed quanquam fœmina inferior est viro, multis tamen rebus excellentior est cæteris animantibus: quod arguunt multa. Nam & singularis modus quo est à Deo procreata, & formatio corporis eius non ex aqua vel terra vt cæterarum animantium, sed ex costa viri, & quia facta est similis viro & adiutrix eius ad opus generationis efficiendum, denique quod indissolubili vinculo & coniunctione cum viro vt eius socia, eiusdémque vitæ ac munerum particeps colligata & copulata est, hæc, inquam, satis declarant præter virum, cæteris omnibus animãtibus mulierem multis partibus est præstantiorem. B C D

Quibus rebus fœmina præter virum cæteris animantibus excellentior sit.

De tẽpore & loco generationis Euæ.

DE tempore autem & loco generationis Euæ, supra nonnihil attigimus. Diximus enim non fuisse simul creatos Adam & Euam, sed prius quidem Adamum, posterius autem Euam. Hoc enim manifestè tradit Scriptura, quippe quæ in libro Sapientiæ cap. 10. docet, Adamum primum & solum fuisse creatum, & Paulus capite 2. prioris epistolæ ad Timotheum, *Adam*, inquit, *primus creatus est deinde Eua*. Idémque luce clarius apparet ex ipsa Mosaicæ narrationis serie & contextu: narrat enim primò formatum esse hominem ex limo

A limo terræ, deinde introductum esse in paradisum, posteà esse ad eũ adducta animalia & quia inter illa non inueniebatur Adamo adiutorium simile ipsi, immisisse Deum ei somnum, & ex latere eius dormientis detraxisse costam, ex eáque formasse corpus Euę. ex quo patet aliquam intercessisse moram inter creationem Adami & Euę. Verùm hanc moram quantacumque illa fuerit, intra sextum tamem diem fuisse constat non solum auctoritate Patrum ita sentientium, sed etiam ipsius scripturæ quæ id non obscurè indicat. Omnia enim Dei opera in creatione mundi facta, sexto die fuisse absoluta & consummata, colligitur ex illis extremis verbis capitis primi, *Vidit Deus cuncta quæ fecerat; & erant valde bona*, & mox subditur *Et factum est vespore & mane dies sextus*. Et in exordio capitis sequentis, *Requieuit*, inquit, *Deus die septimo ab vniuerso opere quod patrarat & benedixit diei septimo, & sanctificauit illum, quia in ipso cessauerat ab omni opere suo*. Idemq; clarissimis verbis confirmat in Exodo cap. 20. *Memento*, inquit, *vt diẽ sabbathi sanctifices. Sex diebus operaberis, & facies omnia opera tua: Septimo autem die sabbathum Domini Diei tui est: Non facies omne opus in eo, &c.* & rationem reddens eius præcepti, subiungit: *Sex enim diebus fecit Dominus cœlum & terram, & mare & omnia quæ in eis sunt; & requieuit in die septimo*. Ex hoc loco perspicuè intelligitur, omnia illa primæua Dei opera creationis mundi intra illos primos sex dies esse facta. Eua igitur non septimo die, vt existimauit Catharinus, & significare videtur S. Thom. in prima part. q. 73. art. 1. sed die sexto procreata est,

Catharinus in Genes.

C Eandem quoque Euam factam in paradiso & non extra eum, vt significat Iosephus lib. 1. Antiquitatum ca. 1. Tertullianus li. 2. aduersus Marcionẽ, Rupertus li. 2. de Trinitate & eius operibus ca. 32. præter auctoritatem Basilij homi. 11. in Genes. & Scholasticorum Theologorum in lib. 2. sententia. dist. 18. & B. Thomæ in 1. pa. quęst. 102. videtur esse maximè congruens, & consentiens cum narratione Mosis, ex qua si quis eã benè consideret, liquidò intelliget postquàm introductus est Adam in Paradisum, fuisse ad eum introducta animalia & cognita necessitate creandi mulierem in adiutorium eius ex latere ipsius formatam esse Euam. Facta est igitur Eua in paradiso. Nisi quis fingat, Adamum esse introductum in paradisum

Eua in paradiso formata.

D à Deo, sed eum posteâ vel iussu Dei, vel sua sponte exiisse paradiso, & quo tempore fuit extra paradisum, eo tempore factam esse Euam sed hoc merum est ac manifestum figmentum, siquidem tum ex Scriptura, tum ex doctrina Patrum colligitur Adamum postquam introductus est in paradisum non inde exiisse, nisi cum est à Deo propter peccatum eo loco eiectus: nimirum nulla ratio Adamum mouere poterat vt tam delicatum, amœnum, ac felicem locum tam cito deserere vellet.

***

CAP. 2. VER. 21. & 22.

Immisit ergo Dominus Deus soporem in Adam, cúmque A *obdormisset, tulit vnam de costis eius, & repleuit carnẽ pro ea. Et ædificauit Dominus Deus costam quam tulerat de Adam in mulierem, & adduxit eam ad Adam.*

PRO verbo *Immisit*, Hebræum verbum propriè significat *Cadere vel delabi facit*: Septuaginta habent, ἐπέβαλεν quod significat, iniecit vel immisit. Pro vocabulo Soporis, vox Hebræa תרדמה *Tardemah*, plus significat quàm simplicem somnum; & vt memorat Hieronymus inquæstionibus Hebraicis in Geneſim, Aquila vertit κατάχυσιν B id est, descensum & totius vigiliæ lapsum: Symmachus autem κάρωσιν, id est, grauem & profundum somnum: Septuaginta, ecstasim, id est, mentis excessum, & hanc lectionem plerique veterum Patrum secuti sunt. Vocabulum autem תרדמה *Tardemah*, significans valdè grauem & profundum somnum qualis nempe lethargo affectis contingit, ponitur in huius lib. cap. 15. in illis verbis, *Cumque sol occumberet, sopor irruit super Abram, & horror magnus & tenebrosus inuasit eum*: & in 1. lib. Reg. cap. 26. *Et non erat quisquã qui videret & intelligeret & euigilaret, sed omnes dormiebant, quia sopor Domini irruerat super eos*: & apud Esaiam cap. 29. *Miscuit vobis Dominus spiritum soporis*. Interest autem inter huiusmodi soporem vel somnũ, & inter ecstasim: quod C per somnum ligantur sensus, & impediuntur functiones mentis: solutiores autem sunt & vegetiores actiones animæ alentis: Contra vero accidit in ecstasi nãq; actiones sensuũ & animæ vegetãtis valde impediũtur: functiones autẽ mentis maximè cõtenduntur vigentq; & abstrahũtur à corpore & à sensibus: quemadmodũ accidit B. Paulo in eo raptu suo, quẽ narrat ipse posterioris epist. ad Corint. ca. 12.

Differentia Ecstasis & Somni.

VTRVM igitur ille sopor Adæ ecstasis fuerit an somnus, in dubiũ vocari posset, præsertim autem cum sententias ea de re varient Interpretes. Et somnum quidem fuisse, non videtur posse negari: tum quia vox Hebræa & Chaldaica quæ hoc loco est, propriè significat somnum: tum quia hoc manifestè indicat Moses dicens, *Immisit Deus* D *soporem in Adam, cumque obdormisset, &c.* & ferè Doctorum sententia est, ex latere dormientis Adæ formatam esse Euam. Sed vt hoc verũ sit, illud tamen inficiari non possumus, illi somno Adæ interuenisse ecstasim: ita vt nõ modo soluta & libera esset mens eius ad naturalẽ vsum rationis, animíque agitationem, sed etiam diuinitus illustraretur, & prophetico spiritu impleretur, in ipso suo sumno intelligens mulierem ex latere suo formari, & eius facti mysterium perspiciens, námque expergiscens dixit. *Hoc nunc os ex ossibus meis, & caro de carne mea*. Dicamus igitur fuisse illum quidem somnum, sed talem tamen, vt in eo ligatis sensibus nihilominus mens soluta & diuinitus illu-

An ille sopor Adæ fuerit somnus, an ecstasis.

strata

A strata, & res quæ id temporis gerebantur cerneret,& quæ in eis latebant mysteria intelligeret.Ne quis autem existimaret somnum illum fuisse naturalem & naturalibus ex causis profectum, Moses dixit Deum immisisse illum somnum. Vt mirandum nemini accidat, tam grauem altumque potuisse Adamo somnum contingere, vt eo correptus detractionem costæ ex latere suo minimè sentiret.

DISPVTATIO DE FORMATIONE Euæ ex Adamo.

B VERVM enim verò, super hac historia procreationis Euæ ex Adamo, nonnullæ tractandæ sunt quæstiones, iucundæ cognitu, nec planè faciles explicatu.

QVAESTIO I.

Cur voluit Deus ex Adam dormiente formari Euam.

C MAGISTER sententiarum in 2. lib. distin. 18. & ibidem Scholastici respondent tres ob causas id esse factum.Primo quidem, vt intelligeretur quã sine vllo doloris sensu fuisset Adæ costa detracta, quippe cum ea detractione à somno quidem eum excitasset. Deinde vt ostenderetur admirabilis Dei potentia, qui id tam facilè & suauiter facere potuerit. Denique, vt insinuaretur magnum quoddam mysterium quod in ea re latebat: quemadmodum enim ex Adami dormientis latere formata est Eua, ita ex latere Christi dormientis,id est,in cruce mortui,profluxit sanguis & aqua vnde condita est Ecclesia.Mortem enim suam ipsemet Dominus appellat somnum apud Dauidem psalmo 3. *Ego*, inquit, *dormiui & soporatus sum, & exurrexi.* Verùm hanc postremam Theologorum rationem Tostatus improbat in quæstione 352.
D super 13. caput Geneseos, eo potissimum argumento quod Ecclesia potius dicenda est ex Christo viuente,quàm ex mortuo esse formata: Siquidem redemptio nostra omnino fundatur ac nititur merito passionis Christi,vnde vim & efficacitatem suam omnem traxere Sacramenta. Quare sanguis qui effluxit ex latere Christi iam mortui, nihil contulit ad redemptionem humani generis, nec per eum Christus quicquam nobis meruit, cum iam esset mortuus, atque ob eam causam extra statum merendi constitutus. Sed hæc Tostatus nimis ad viuum resecans, non est assecutus Theologorum sententiam: quos equidem puto nõ aliud significare voluisse, nisi ex latere Christi mortui fluxisse aquam & sanguinem:quibus duabus rebus signi-

ficabantur duo præcipuè legis Euangelicæ Sacramenta, Baptiſmus A quo per aquam regeneramur ad vitam ſpiritualē, & Euchariſtia qua ſpiritualiter iam regenerati alimur ad æternitatem. His autem duobus ſacramentis maximè continetur & ſuſtentatur Eccleſia. Chryſoſtomus homil. 15. in Geneſim, & Epiphanius diſputans contra hæreſim 48. propterea cenſent tam grauem & profundum ſomnū Adamo eſſe à Deo impreſſum, quia voluit Deus ne Adam ex detractione coſtæ vllum ſentiret dolorem.

VERVM præter hac rationes, licet quaſdam alias ad id vel probandum vel illuſtrandum afferre. Et prima quidem ſit hæc ratio: vt quod fieri debebat in Adamo, id fieret ſine vllo eius horrore & perturbatione: Nam ſi coſta fuiſſet detracta vigilanti, aut id accidiſſet ei ſine dolore, aut cum dolore: ſi abſq; dolore viſum fuiſſet velut quoddam B phantaſma aut tanquam viſio quædam prophetica: ſi cum dolore, nimis profecto id Adamo durum & moleſtum fuiſſet, & valdè alienum ſtatu innocentiæ & diuino pacto, vt videlicet nihil pœnæ contingeret Adamo ante ipſius culpam: atque hæc ipſa eſt argumētatio Theodoreti ſuper hoc loco.

Theodoretus quæſt. 30. in Geneſim.

ALTERA ratio eſt: vt Adam quod in ipſo agebatur oculis corporeis minime cernens, ſed interiori mentis acie diuinitus illuſtrata intelligēs, declararet magnum hoc fuiſſe Dei opus, magnóque nobilitatum myſterio: & vt appareret quod poſteà ſomno excitatus Adam dixit de muliere, *Hoc nunc os ex oſſibus meis, &c.* id non humana ratione eum cognouiſſe, ſed reuelatione Dei didiciſſe, ob idque illam eius C ſententiam non hominis dictum, ſed oraculum Dei ſumma fide ac veneratione acciperetur.

Quomodo potuerit ſine dolore detrahi coſta Adamo. De ſtrygibus quiddam memorabile.

SI quis autem me roget, qui potuerit fieri vt ſine doloris ſenſu Adæ detracta ſit coſta: duobus id modis fieri potuiſſe intelligat. Primo quidem propter profundiſſimam vim illius ſoporis hebetātis & obſtupefacientis ſenſum: videmus enim quoſdam lethargo vehemēter oppreſſos, vſque eo carere omni ſenſu: vt nec verbera, nec vulnera, nec vſtiones ſentiant. Narrat Toſtatus ſuper cap. 13. Geneſeos quæſt. 354. fuiſſe ſuo tempore in Hiſpania mulieres quaſdā maleficas, quas appellant ſtryges, quæ genere quodam vnctionis linientes corpus ſuum, in tantum ab omni ſenſu alienabantur, vt viderētur ſibi in D longinquas terras per aëra deferri, & in amœniſſimis locis verſari, & ſummis voluptatibus ac deliciis perfrui: cū tamen facta illa vnctione, caderent in terram velut exanimes, ita vt ab his qui aderant inibi nec verberibus excitari poſſent, nec acubus vehemēter punctæ, nec ignibus aduſtæ. Similia legimus in ecſtaſi. B. Catharinam Senenſem pati ſolitam. S. Paulus in illo ſuo admirabili raptu adeo fuit ab omni ſenſu abſtractus, vt poſteà neſciret ipſe vtrum id tēporis fuiſſet in corpore
2. Cor. 12. an extra corpus. Dignum admiratione eſt nec celandum lectori, quod ſcribit Auguſtinus in lib. 14. de Ciuitate Dei, cap. 24. his verbis: *Preſbyter fuit quidam nomine Reſtitutus in paræcia Calamenſis eccleſiæ: qui quādo ei pla*

A *ei placebat, rogabatur autem vt hoc faceret ab eis qui rem mirabilem corã scire cupiebant, admiratus quasi lamentantis cuiuslibet hominis voces ita se auferebat à sensibus & iacebat simillimus mortuo, vt non solum velicantes atque pungentes minimè sentiret, sed aliquando etiam igne vreretur admoto sine vllo doloris sensu, nisi post modum ex vulnere: non autem obnitendo, sed non sentiendo non mouere corpus eo probabatur, quod tamquam in defuncto nullus inueniebatur anhelitus hominum tamen voces si clarius loquerentur, tanquam de longinquo se audisse posteà referebat.* Sic ibi Augustinus.

ALTERO modo potuit fieri, vt detractio costæ nihil doloris inferret Adamo, Deo scilicet vim sentiendi Adæ, eam dico vim quæ est in sensu tactus suspendente quantum ad actum secundum. Suspendit autem Deus actum causæ secundæ non alia ratione quàm quia ipse
B non concurrit generali suo concursu cum causa secunda ad producendum actum suum: nulla enim causa quantumuis potens agendi, sine Dei concursu quicquam potest agere. Non igitur illum somnum Deus immisit Adamo, quia nõ potuisset ei vigilanti sine doloris sensu costam detrahere; sed quod ea ratione quod agendum erat in eo, commodius, decentius, & ad significationem mysterij accommodatius ageretur.

QVAESTIO II.

C Cur voluit Deus mulierem fieri ex viro, & non sicut vir ex terra factus erat, ita quoque mulierem generari.

RECTE ita factum esse multis rationibus probare possumus: principio, ita Deus fieri voluit, vt quẽadmodum sapienter disputat Augustinus lib. 12. de Ciuitate Dei, cap. 21. & 26. & in proœmio libri 14. vehementius homini commendaretur ipsius societatis vnitas vinculumque concordiæ si non tantum inter se naturæ similitudine, sed etiam cognationis affectu homines necterẽtur; quãdo nec ipsam fœminam ita vt virum, sed ex ipso creare Deo placuerit, vt omne ex vno homine diffunderetur genus humanum, sicut Paulus dixit Act. 17. *Qui*
D *fecit ex vno omne genus hominum.* Posteà vt arctiori constringeret amore virum & fœminam, eo quòd ex illo esset facta: id autem propterea valde necessarium erat, quia matrimonium viri & mulieris futurum erat indissolubile, perpetuam continens vitæ societatem & consuetudinem quod nõ itidem cæteris in animãtibus reperire licet. Adam igitur quatuor rebus vehementer incitabatur ad diligendam Euam, propter similitudinem eiusdem naturæ; propter copulam carnalem: propter generationẽ prolis; super omnia verò quòd Eua esset aliquid ipsius, id est, è substãtia eius procreata: nãque ob hanc potissimum causam parentes tantopere liberos suos diligunt. Quod si animus

Quatuor de causis Adamus ad amorem Euæ vehementer incitabatur.

mus Adami tanto mulieris amore non fuisset occupatus: cum posteà A
eius suasu atque impulsu lapsus esset in peccatum, ob idque tot ac
tantis Dei muneribus ac donis spoliatus, ingens & implacabile ad-
uersus eam odium concepisset, sempérque animum ab ea alienum &
aduersum gessisset.

DEINDE, facta est mulier ex viro vt ea ratione commendaretur
dignitas viri qui in eo quandam referebat Dei similitudinem, quod
sicut Deus principium est omnium rerum, ita principium om-
nium hominum vnus fuit Adam: idque pertinebat ad indicandam
naturæ humanæ cuius vnicum esset principium excellentiam. Sem-
per enim, vt est apud ARISTOTELEM lib. 8. Physicorum, & lib. 12. Meta-
physicorum, melius est vnum esse principium quàm multa. Posteà, vt B
appareret eundem fuisse conditorem Adami atque Euæ, & vtrumq;
eiusdem esse naturæ, virum tamen caput esse debere mulieris. Ad
hæc, propter figuram & mysterium, Etenim coniunctio Adam &
Euæ continebat Sacramentum illud magnum coniunctionis Eccle-
siæ cum Christo, de quo Paulus scribens ad Ephesios cap. 5. cum de
coniunctione viri & vxoris commemoratis Adami verbis quæ sunt
hoc loco dixisset, subiungit, *Sacramentum*, inquit, *hoc magnum est: Ego
autem dico in Christo & in Ecclesia.* At verò Ecclesia formanda erat ex
Christo, sicut Eua formata ex Adamo. Ad extremum, homo media
quadã natura est inter Angelos & animalia, quocirca mediã quoque
conueniebat esse rationem originis humani generis. Et Angeli qui-
dem omnes ac singuli proximè à Deo creati sunt: nec in tanto An- C
gelorum numero vnum aliquem reperire licet ex alio Angelo pro-
creatum. Animalia verò ex aliis orta sunt: sed non omnia, etiam quæ
eiusdem sunt speciei, ex vno generata sunt. Siquidẽ in exordio mun-
di, Deus cuiusque speciei animalium multos mares multásque fœ-
minas fecit, è quibus cætera facile ac numerosè procreari possent. In
homine vero medio quodam modo se se res habuit: Primus enim ho-
mo proximè à Deo factus est: ex hoc fabricata est fœmina: ex vtro-
que autem cuncta hominum soboles extitit. Quatuor igitur hoc lo-
co productionis hominum modos annotare possumus: vnum sine vi-
ro & fœmina vt Adami: alterum ex viro sine fœmina vt Euæ: tertium
ex fœmina, sine viro vt Christi Domini ex Virgine Maria, quartum D
ex viro & fœmina vt cæterorum hominum, qui est naturalis & com-
munis generationis modus.

Modi quatuor productionis humanæ.

Tres obiectiones.

VERVM aduersus hanc disputationem nostram tria possunt no-
bis opponi. Vnum est, eorum quæ sunt eiusdem speciei, eandam esse
materiam oportere: sed mas & fœmina sunt eiusdem speciei,
vtrumque igitur eadem ex materia effici conueniebat: non igitur
Adam ex puluere, Eua autem ex Adami costa generari debuit. Alte-
rum est, quorum materia est nobilior, ea quoque nobiliora sunt, sed
costa vnde formata est Eua, nobilior erat puluere vnde Adamum
effinxit Deus; ergo nobilior fuisset Eua quàm Adamus. Tertium est,

magnam

A magnam sanguinis propinquitatem & cognationem impedire matrimonium contrahendum: semper autem in populo Dei, quinetiam apud pleráſque gentes indecens atque illicitum fuit matrimonium inter parentes & liberos: non igitur Eua quæ vxor Adami futura erat, ex ipso generari debuit, ne indecẽs inter eos matrimoniũ esset.

SED ad hæc facilis est & in promptu responsio. Ad primum: argumẽtatio illa valet in generatione naturali cui semper subest vnius modi materia; non autẽ in productione supernaturali quæ pendet ex omnipotentia Dei, qui quæ sunt eiusdem speciei, ea potest vel ex nihilo vel ex eadem vel ex diuersa qualibet materia efficere. Ad secundum: non habet vim illa argumentatio: quia productio Adami *Solutio obiectionum.*

B & Euæ per omnipotentiam Dei facta est; qui, vt diximus, ex quacũque materia potest quãcunque rem siue nobiliorem siue ignobiliorem procreare. Adiice, quod illa costa vnde facta est Eua, erat Adami; fuit igitur Adamus principium Euæ, eóque præstantior ipsa. Ad tertium: propinquitas sanguinis & cognatio impediens matrimonium, tantùm contrahitur per carnalem generationem; Eua autem non sic ex Adamo producta est, sed per omnipotentiam Dei: quamobrem non poterat verè dici filia Adami, nec in aliquo gradu cognationis eum attingebat. Quinimo, si nunc ex viro aliquo crearetur fœmina similiter vt ex Adamo creata est Eua; nulla esset inter eos necessitudo quæ obstaret quo minus legitimum inter ipsos matrimonium iniri & contrahi posset.

C

QVAESTIO III.

Quæ sit germana & propria sententia & interpretatio illorum verborum.

Tulit vnam de costis eius, & repleuit carnem pro ea.

D VOX HEBRAEA צלע *Selah*, quam hic vertit Latinus interpres *Costã*, vt ex Hebræorum obseruationibus hoc loco tradit Oleaster, quatuor habet significationes. Plerumque enim significat latus; hac enim voce significãtur in Scriptura latera arcæ, tabernaculi, templi, & montis. Significat etiam costam, quia costæ sunt in lateribus humani corporis. Significat item trabem, propter quamdam proportionem quã habent trabes in ædificio cum costis humani corporis. Denique, significat etiã claudicationem, quod claudus ad latus declinet cùm incedit. An vero hic, latus significet, an costam, non multum refert. Si enim pro latere sumas, sensus erit, Tulit vnum latus, id est, vnam costã de latere eius. Et quia non poterat vna costa ab vtroque latere accipi, & ne plures costas in vno latere quam in altero haberet Adã; putat Oleaster duas aut etiam plures costas ex duobus lateribus esse sumptas. *Quatuor significationes vocis Hebræa* צלע *Selah.*

Locum autem vnde costæ illæ sunt detractæ, existimat fuisse propè A aluum, & vulgo appellatum vacuum quia est sine costis. Sicut autem vox Hebræa, vt diximus, ita & vox Græca πλάγια qua vsi sunt Septuaginta ambiguæ significationis est ad significandam costam & latus: nam & Medici πλαγρίτιδα vocant morbum seu dolorem laterum, & Mathematici triangulum quod æquis constet lateribus, ἰσοπλάγιον nominarunt.

Figmentum Hebræorum. Eugubinus in Cosmopœia. Figmentum Platonis.

FABVLANTVR nonnulli Hebræi, quorum tamen fabulis vt oraculis assensus est Eugubinus, Deum simul formasse Adamum & Euam, sed alternis sibi lateribus cohærentes, posteâ verò fuisse separatos: quod videtur simile eius figmenti, quod in Symposio narrat Plato, & refert Eusebius libro 12. de Præparatione Euangelica cap. B 7. ad hunc ferè modum: *Quod Moses dixit, Deum ex latere & costa dormientis Adæ fabricasse mulierem, cùm non intellexisset Plato quo sensu id dictum esset; quia tamen Mosaica omnia admirabatur, noluit id omnino præterire. Itaque Aristophani comico etiam rebus honestis illudere solito, orationem hanc tribuit in Symposio: Prisca nostra natura alia erat quàm nunc est: non enim duo genera hominum vt nunc, sed tria fuerunt: ad masculũ enim atque fœminam tertium aderat vtrisque commune, cuius nomen duntaxat relictum est. res verò penitus periit. nam Androgynum tunc reipsa & nomine, ex vtrisque mare scilicet & fœmina constabat. Hæc Iupiter dixit, & incidebat homines medios, & appollini iussit partes incisorum ita coniungere, vt facies ac cæsurã verteretur.* Atq; hęc quidem ex Platone. verùm hãc fabulã euidẽter refellit diuina Scriptura, quæ docet primo creatum esse C Adamum, & postea ex eius latere detracta costa factam esse Euã, de qua dixit Adã, *Hoc nunc os ex ossibus meis, & caro ex carne mea:* quæ verba ad illam fabulam nullo modo quadrare & accõmodari possunt.

PRO illo verbo *Repleuit*, Hebræum verbum סגר *Sagar* propriè significat clausit. Sed obscuram habent sententiã illa verba: *Repleuit* seu clausit *carnem pro ea.* Plerique sic interpretantur, Repleuit Deus locum costæ detractæ carne, vt ea impleret locum eius. Verùm obstat huic interpretationi, Scripturam non dicere, Deum repleuisse carne pro ea, sed carnem. Quare melius est sic interpretari: carnem Adæ ob detractionem costæ interruptam & hiantem clausit, repleuit, seu continuauit: ita vt illud *Pro ea*, significet, vel propter detra- D ctionem costæ, vel loco costæ detractæ.

QVAESTIO IIII.

Cur Eua facta sit ex latere & costa Adæ potiùs quàm ex alia corporis parte.

NOLVIT Deus Euam effici ex suprema vel anteriori parte corporis Adę, ne mulier potior haberi vellet, virúmque imperio regere, & primas humanæ societatis sibi vendicare. Noluit tamen ex posteriori vel inferiori corporis parte

A parte eam formari, ne vir fœminam multò inferioris & humilioris conditionis quàm ipse est æstimans, contẽptui haberet ac velut ancillam duceret. Ex latere igitur, hoc est ex media corporis parte sumpta est, vt mediocri apud virum dignatione haberetur, eámque vir quodammodo æqualem sibi & sociam atque adiutricem datam à Deo existimaret. Ex sinistro autem latere formata creditur, in quod vergit cor humanum, propter summum amorem qui inter virum & vxorem esse debet, & propter consensionem animorum & concordiam voluntatum. Quoniam autem sinistrum latus infirmius est dextro, declaratum est infirmiorem esse sexum fœmineum quàm virilem. quo fit, vt temperamentum mulieris frigidius & imbecillius, ratio quoque, animus, sensusq; exilior atque infirmior sit. Mares præterea concipiuntur in dextro latere, fœminæ autem in sinistro. Quin etiam, sinistrum latus ignobilius est dextro, nec sine eius auxilio sese potest subrigere ac sustentare. Ex costa porro facta est mulier, quod in costa sit caro & os & neruus & sanguis: quapropter ex ipsa tanquam ex perfecta parte corporis formata est Eua: non enim costam illam fuisse nudum os, sed carne vestitum, satis indicauit Adam cùm dixit, *Os ex ossibus meis, & caro ex carne mea.* Quemadmodum autem costæ continentur infra brachia & ab ipsis proteguntur, ita mulier protectione ac defensione viri eget, sub cuius vmbra ac tutela securè viuat. Huc etiam facit mysterium perforati lateris Domini, vnde ædificata dicitur Ecclesia. In locum autem costæ quæ detracta est, C sufficit Deus carnem, ne Adam experrectus dolore afficeretur, aut mutilus appareret: & quò significaretur mulierem ex viro accepisse robus ac firmitudinem, quam significabat costa: virum autem accepisse à muliere teneritudinem & mollitiem animi, quam denotabat caro ei, loco costæ data.

Cur ex sinistro latere facta sit Eua.

Cur ex costa.

QVAESTIO V.

Quomodo ex costa tota moles corporis muliebris formari potuerit.

D ILLVD etiam quæritur quo modo ex vna illa costa Adæ tanta moles corporis muliebris conflari potuerit: siquidem Eua perfectam habens staturam corporis & ætatem generata est? Hugo de Sancto Victore libr. 1. de Sacramentis, & Magister sententiarum in secundo distinct. 18. atque ibi Durandus & Gabriel arbitrati sunt costam illam Adami non per rarefactionem, nec per additionem externæ materiæ, sed per solam multiplicationem sui ipsius, infinita Dei virtute factam, in tantum fuisse auctam, vt efficiendo corpori mulieris sufficeret. Namque si extrinsecus assumpta fuisset materia & ad illam costam adiuncta fuisset vtiq; materia illa maior quàm costa, ob idque verius diceretur Eua esse formata ex illa materia quàm ex illa costa: quod

est tamen contra Scripturam & Patrum doctrinam. A

Refellitur prædicta opinio.

VERVM hanc opinionem meritò confutat & reiicit S. Thomas prima parte quæstione 92. non vt improbabilem modô, sed etiam vt minimè intelligibilem secúmque pugnantem. Non enim mens capere, nedum Fides admittere potest, aliquid ex minori fieri maius nisi alterutro duorum modorum; vel per solam extensionem quantitatis vt contingit in rarefactione; vel per accessionem & additionẽ nouæ materiæ, vt fit in accretione: extra hos duos modos, multiplicari aliquid vt ex minori fiat maius, neque credi neque fieri potest. Costa autem illa non fuit aucta per rarefactionem: sic enim corpus mulieris non fuisset ita plenum, densum, crassum, solidum, firmumque, vt esse debet secundum naturam: nec ex illa vna costa tantùm per rarefactionem amplificata, potuissent fieri vigintiquatuor costæ quibus corpus muliebre constructum est, aliáque ossa fœminei corporis tantæ soliditatis & firmitudinis, quanta scilicet in humano corpore ea pollere necesse est.

Costã Adami per additionem nouæ materiæ sufficientẽ fuisse formãdæ mulieri.

RELINQVITVR igitur, costam illam in tantam materiæ molem, quanta sufficeret fabricando corpori mulieris, esse auctam non aliter quàm per additionem nouæ materiæ: quę quidem materia vel tunc de nihilo creata est, vt visum est B. Thomæ; vel (quod magis placuit Tostato) sumpta est ex terra alióve aliquo corpore, conuersáque est in corpus mulieris. Verisimile enim est, Deum in exordio mundi tantum materiæ primæ simul creasse, quantum sciebat satis futurum omnibus operibus efficiendis quæ ipse designauerat. Dupliciter autem opinari possumus, materiam illam esse additã ad costam Adami, & concurrisse ad formationem corporis Euæ: aut immediatè vt ex ipsa scilicet & Adami costa compingeretur corpus Euæ: aut mediatè vt illa materia primò conuerteretur in costam Adami tantæ molis vt perficiendo mulieris corpori satis esset, & tũc ex illa costa fabricaretur corpus Euæ: atque hic vterque modus satis est probabilis. Nam quod Hugo de S. Victore & Magister sententiarum contra priorem modum obiiciunt, forè vt corpus mulieris verius diceretur factum ex illa materia quàm ex costa Adami, quod materia illa longè maior esset quàm costa viri, id facilè est diluere, Propterea enim primas partes deferri costæ Adami, quòd ea primo & principaliter electa & assumpta sit à Deo ad formationem corporis Euæ, cætera verò materies tanquam quid adiectitium & accessorium adhibita sit. quemadmodum multiplicatio illa quinq; panum facta est à Domino per additionem materiæ, quæ procul dubio longè maior fuit quàm materia & substantia quinque panum, nihilominus tamen verissimè dicitur, multiplicationem illam ex quinque panibus hordiaceis esse factam, quoniam illi primo & principaliter ad id destinati & adhibiti à Domino sunt. B C D

QVÆ

A

QVAESTIO VI.

An illa costa fuerit necessaria integritati corporis Adæ, an superuacanea.

CONTROVERSVM est, An illa costa detracta Adamo fuerit ex costis necessariis integritati corporis humani, tradunt enim Physiologi & Medici, corpus nostrum vigintiquatuor costis, duodenis vtrouis in latere esse constructum & coagmentatum : An verò fuerit illa costa redundãs & superuacanea, verbi gratia, vt Adam in sinistro latere tredecim costas habuerit : vtrouis autem modo dicatur, videtur res absurda. Si enim illa costa fuit ex necessariis costis, ergo post eius detractionem, Adam fuit mutilus, mancus & imperfectus : sin autem superuacanea erat, ergo Adam creatus est monstrosus & deformis, habens scilicet vno latere plures costas quàm altero, quod erat insigne quid ad deformitatem, nõ minus certè quam si factus esset biceps, aut tripes, aut vtraque, vel alterutra manu senos habens digitos. Hugo de S. Victore non modò facilem explicatu putauit hanc quæstionem, sed etiam perquam leuem & futilem. *Hoc*, inquit, *quærere friuolum est : quia nec dentes puerorum qui postea mutantur dicuntur superflui, nec ipsimet quamuis nondum habeant iustum naturæ augmentum diminuti iudicantur.* Sed profecto maiorem esse Hugonis opinione, quæstionis huius difficultatem, ex his quæ mox disputabimus satis intelligemus.

B

C

EST igitur communis Theologorum sententia, costam illam partim fuisse superuacaneam Adæ, partim necessariam. Superuacaneam quidem, si consideretur Adam vt singularis quidam homo & persona particularis : sic enim iusto costarum numero supererat illa costa, ad integritatem scilicet corporis Adæ minimè pertinens. Sin autem consideretur Adam vt erat primus homo futurúsque principium totius generis humani, & ex quo formanda erat Eua, necessaria fuit illa costa non quidem simpliciter nec secundum naturalem ordinem & rationem, potuit enim aliundè formari Eua, sed tantummodo secundum Dei electionem & ordinationẽ qui ex Adami costa corpus Euæ fabricare constituerat. Hanc sententiam suam Theologi confirmant vel potius declarant atque illustrant exemplo seminis virilis, quod quidem homini vt est quoddam indiuiduum superuacaneum est, at generandæ proli necessarium est.

Prima opinio illam costam fuisse Adamo superfluam.

D

SED enim responsio hæc non exsoluit penitus difficultatẽ saltem concedere habeant isti, Adamum vt erat persona quædam particularis fuisse monstrosum, quippe qui plures vno latere costas haberet quàm ferat natura corporis humani : hoc autem videtur absurdum.

Excutitur opinio.

Neque absurditatem eleuat aut minuit, quod ex illa costa superflua A
generãda esset Eua. Non enim si Adam factus esset biceps aut tripes,
quamuis ex altero illorum capitum, aut ex vno illorũ trium pedum
voluisset Deus Euam facere, non fuisset tamen propterea Adam non
monstrosus. Nec iuuat istorum opinionem allatum seminis exem-
plum: siquidem longè diuersa ratio est seminis atque illius costæ.
Etenim semen naturaliter generatur in homine, & per se datum est
à natura ad generationem hominis, nec est pars integralis hominis,
nec propter ipsum dicitur homo aliqua ratione monstrosus: Illa ve-
rò costa præter naturam erat Adæ, nec per se referebatur ad forma-
tionem mulieris, sed ex sola Dei electione, qui tamen vt ex costa hac
ex alia qualibet materia Euam procreare potuisset. B

Probabilior interpretatio firmiorq; defensio supra dictæ opinionis.

ERGO, probabilius dici posset sequendo hanc opinionem, co-
stam illam simpliciter fuisse superuacuam Adæ secundum eius na-
turam, & si in eo permansisset, proculdubio Adamum deformem ac
monstrosum reddidisset. Nam vt quæque res optimè fieri apta est,
sic fit natura, vt Aristoteles disputat in libro 2. Physicorum text. 78.
& vt quæque res fit à natura, sic ea optimè fieri apta est: natura autem
vel nunquam vel rarissimè, & tunc non nisi per accidens & per error-
rem & defectum virtutis generantis plures costas facit quam hu-
mani corporis constitutio & constructio postulat. Erat igitur super-
flua illa costa Adæ. nec tamen deformem reddidit Adam, quia late-
bat sub carne decenter cum reliquis costis composita & concinnata
vt nullum redderet aspectum deformitatis, & quia breuissimo tem-
pore eam gessit Adam, eaque detracta, deinceps per totam vitam C
iustum costarum numerum habuit, nulla ratione dici potest Adam
fuisse monstrosus & præter naturam hominis à Deo creatus, siqui-
dem cœlum etiam primò factum est imperfectum, videlicet sine
astris & motu proprio: & lux Solis primo creata est informis & im-
perfecta: quin etiam mundus ipse cùm primò est cõditus, erat vsque-
quaque tenebrosus, incompositus, & inordinatus. His adde, quod illa
costa non fuit Adamo superfluè generata per errorem naturæ, sed
Dei voluntate & consilio, in formationem corporis muliebris ad ne-
cessarias Adæ costas adiuncta. Et hac quidem ratione si communis
hæc Theologorum sententia explicetur, satis probabiliter teneri & D
facile defendi potest.

Altera opinio fuisse illã costam ex necessariis costis Adæ.

CATHARINVS hoc loco propensior est in sententiam cuiusdã
Doctoris, cuius nomen ipse tacet, affirmantis costam illam non fuisse
superuacaneam Adæ, sed fuisse vnam de costis ei necessariis qua ta-
men detracta non remansit mutilus & mancus Adam, quia in lo-
cum costæ detractæ mox alia costa eis similis suffecta est, ita vt
nec ante Adam habuerit costam aliquam superfluam, nec postea ca-
ruerit aliqua de necessariis. Licet enim Scriptura dicat, locum illius
costæ detractæ impleuisse Deum carne, non est tamen intelligendum
solam

A solam carnem esse, substitutam, sed costam carne vestitam & contectam, certi tamē cuiusdā mysterij quod nos supra indicauimus significandi causa, maluit Scriptura supplemētum illud appellare carnem quàm costam. Nam etiam Scriptura narrat Deum sumpsisse ex Adamo costam vnde formaret Euam, nullum de carne verbum faciens, cùm tamen ex illis verbis Adami, *Os ex ossibus meis, & caro ex carne mea*, dubitari non possit quin simul cum costa caro etiam sumpta fuerit. Quod si animum aduertamus ad Scripturam Hebraicam, planè intelligemus id quòd paulò supra monuimus, eo loco non significari pro costa suffectam esse carnem, sed carnem Adæ ob detractionem costæ hiātem & interruptam esse repletam, vel vt est in Hebræo, esse

B clausam & continuatam, quali autem re sit clausa & continuata, non exprimitur in Scriptura. Fuisse autē costam vnde facta est Eua ex necessariis costis Adæ ad naturalem corporis eius constitutionem & integritatem pertinentibus, hunc in modum licet argumentari: Si fuisset illa costa superflua Adamo & extra naturam eius, non posset verè dici Euam esse formatam ex Adamo, nec verò dixisset Adam, Euam fuisse os de ossibus eius: costa enim illa non erat naturale & proprium eius os, sed quantum ad eum pertinebat, præter naturam & per accidens & ad breuissimum tempus ei fuerat inditum. Certè ad significandam coniunctionem arctissimam Adami & Euæ, & mulieris ex viro naturalem originem & dependentiam, congruentius & conueniē-

C tius erat formari Euam ex costa quæ esset pars naturalis & necessaria Adamo, quàm quæ esset superuacua & præter naturam eius.

Euam non ex nuda costa, sed etiam ex carne Adæ esse factam.

Egregia Argumentatio.

At enimuerò, Tostatus q. 393. super c. 13. Gen. eam opinionē (ne quis recens putet esse huius tēporis inuentū) refellit his argumentis: Absurdū videri costam illā si primo fuit de necessariis costis Adæ & ad integritatē eius pertinens, ablatam fuisse Adamo, & in eius vicem repositā esse aliam costā, quæ non fuerat ex primæua corporis Adami integritate. Sed leue est argumētum: breuissimo enim tēpore priorē illam costam habuit Adam, & quæ in eius locū successit & per totam vitam in Adamo permansit, similis eius omnino fuit, & vtriusq; idem fuit opifex Deus: neutráq; naturali modo, sed per omnipotentiā Dei supernaturali ratione facta & Adamo inserta est. Sane quod de poste-

D riori costa Tostatus opponit, idē aduersus eum posset obiici de carne quam Deus in locum costæ detractæ suffecit: ea siquidem ab initio nō fuerat in Adamo, nec ad integritatem eius quicquam pertinebat.

Tostati Argumentatio discutitur cōtra prædictā opinionem.

Nec vero firmum est alterum eiusdem Tostati argumentum: In resurrectione, inquit, vtri Adamone, an Euæ reddetur ea costa quæ detracta est Adamo, & ex qua formata est Eua; si quidē illa fuisset de costis Adamo necessariis? nam neque neutri reddenda est, nec vtrique reddi potest. Vtri igitur reddetur? Videtur quidem Adamo reddenda quia ab initio fuit Adami vt pars eius integralis: contra, videtur reddenda Euæ, quod ex illa principaliter formata sit Eua. At si costa illa fuit Adamo superuacanea, nihil incommodi sequetur: non enim

Adamo

Adamo ad cuius integritatem minime pertinebat, sed Euę cuius corpus ex illa formatum est, restituetur. Verum facilis est huius argumentationis dissolutio: quæ quidem valida esset; si loco eius costæ quæ detracta est, non esset alia planè æquiualens suffecta: cùm autem simul vt illa dempta est, altera sit eiusdem rationis subdita, inualidum est argumentum: dicimus enim, costam illam in resurrectione, non Adamo, quippe qui loco eius alteram habuit; sed Euæ cuius ex ea corpus conflatum est, esse reddendam. Si enim Tostatus contendat, quicquid vllo tempore fuit pars integralis alicuius, id *totum* in resurrectione reddi ei debere; resurgeret profecto corpus hominis enorme & monstrosum: quippe certum est partes carnis per totum vitæ tempus, ab ortu scilicet vsque ad obitum, continenter fluere & deperdi, earúmque in locum alias & alias subinde per nutritionem aggenerari. Mihi quidem hæc sententia quæ tantopere displicuit Tostato valdè placet, nec aliud in ea præter grauem aliquem & nobilem Auctorem desidero.

A

B

QVAESTIO VII.

Cur Eua dicatur ædificata ex Adamo.

CVR autem Scriptura dicat Euam esse ædificatam ex costa Adami, & non dicat eam esse formatam vel fictam, explicandum est, non enim putandum est, sine causa diuinam Scripturam diuerso vocabulo in formatione Euæ atque in creatione Adami vti voluisse. Respondet Chrysostomus: Quia factus est Adam ex limo, idcirco propriè dicitur eum Deus formasse vel finxisse: quoniam autem facta est Eua ex costa, re scilicet iam formata & cui tantum deerat perfectio & absolutio; propterea dicta est ædificata. Caietanus hanc reddit causam: *Mulier*, inquit, *conceptæ ac generatæ proli est quasi domus eam continens, protegens, & fouens, rectè igitur, velut instar domus ædificata dicitur.* Catharinus ait mulierem non per modum naturæ sed per modum artis esse procreatam; nec per generationem naturalem esse productam, sed per artificiosam Dei operationem esse formatam: quocirca non dicitur Adæ filia; rectè igitur dicitur ædificata. Rabbi Salomon cuius sententia perplacet Lyrano, putat scienter ita locutum esse Mosem, quod mulier secundum constructionem & conformationem corporis sui similitudinem quandam habeat ædificij, cuius inferior pars amplior & crassior est, videlicet vt firma sit ad sustinendam molem ædificij; pars autem superior, angustior & tenuior est: ad eundem modum fœminei corporis pars inferior, crassior & amplior est, superior verò tenuior & angustior, ob imbecillitatem nempè caloris mulieris, qui multam materiam sursum tollere ac dilatare non potest. Ve-

C

Chrysost. Homil. 15.

D

A test. Verùm hanc interpretationem refellit locus ille Scripturæ qui est in cap. 16. Geneseos vbi Sara dixit Abrahæ, *Ingredere ad ancillam meam, si forte saltem ex illa suscipiam filios:* vbi in Hebræo est, *Si forte ædificabo ex illa.* Quo ex loco patet, verbum ædificandi non ad mulieres tantùm, sed ad viros etiam pertinere. Tostati huiusmodi est interpretatio:: Vt ædificia fiunt ex materia rudi quę per operationem artificis accipit figuram quam antea non habebat, sic illa costa nõ habens figuram mulieris, ita est à Deo conformata & concinnata, vt in speciem & naturam corporis muliebris euaderet.

B

QVAESTIO VIII.

Cur Moses non memoret creationem animæ mulieris.

SED quærat aliquis, Cur quemadmodum de formatione corporis Euæ facta est mentio, non itidē fiat de insufflatione spiritus vitæ in eam, per quam significatur creatio animæ rationalis, vti suprà de Adamo traditum est? Ad hoc responderi potest, id quo differebat productio Adæ & Euæ modum scilicet quo vtriusq; corpus effectum est, separatim ac distinctè fuisse explicatum: creandi verò vtriusque anima quia planè similis fuerat ratio, propterea nihil attinebat bis hoc edocere, sed erat satis in generatione viri semel indicasse. Nec sinit nos Scriptura dubitare quin Eua animam rationalem æquè habuerit atque Adamus: id enim non obscurè ipse demonstrat, cum inducit Deum Dicentē, *Faciamus ei adiutorium simile sibi:* neque enim mulier aut similis Adamo fuisset, aut idoneum ei adiutorium, Si anima rationali caruisset. Similitudo quoque vtriusque corporum, similitudinem animorū declarauit. quomodo item Euę si expers rationis fuisset, à Deo esset lex imposita, vel legis violatę tā grauis pœna fuisset irrogata? Vtrum verò, quemadmodū corpus Euę ex corpore Adami factum est, ita ex huius anima, illius anima sit creata, Eucherius D super hoc loco scribit quæstionem esse ad definiendum difficilem, cùm nihil super ea sit vel à Patribus definitum, vel Ecclesiæ auctoritate constitutum. At enim, creationem cuiusque anime rationalis à solo Deo immediatè proficisci, iampridem apud Theologos & in Ecclesia Catholica extra controuersiam est.

*

QVAESTIO IX.

Quid significet Euam esse aductam ad Adamum.

Cur Eua ad Adamum dicatur adducta variæ rationes.

CVR porrò dictum sit, Deum adduxisse Euam ad Adamum, cum iuxta eum formata sit, variæ possunt rationes afferri. Prima ratio: Eua condita est vt esset Adæ socia, dixit enim Deus, *Non est bonum hominem esse solum:* ad ineundam igitur & contrahendam hanc mulieris & viri societatem & consortium, Eua dicitur ad Adamum adducta. Altera ratio: Adducta sunt animalia ad Adamum, vt is consideraret nũ aliquod eorũ sibi commodum & idoneum ad societatem & generationẽ prolis esse posset: nullo autem reperto, creata est Eua & adducta ad Adamũ, vt cognosceret: illã forè sibi adiutoriũ maximè idoneũ, & ad societatis iucũditatem, & ad opus generationis: id quod Adam cùm primum Euam vidit, apertis verbis confessus & testatus est. Tertia ratio: Significatum est virum non esse propter fœminam, sed fœminam esse propter virum, & idcircò non vir ad fœminã ductus est, sed ad virum fœmina. Quarta ratio: Ea deductio mulieris ad virum, significauit quasi desponsationem & contractum matrimonij inter præsentes: nam inter absentes vix benè ac prospero successu contrahitur matrimonium. Cum enim neuter cõiugum alteri notus est, fit plerunq; vt statim detectis contrariis moribus & studiis, vel alterum, vel vtrumque coniugum subeat pœnitentia coniugij, quæ deinceps multorum incommodorum, molestiarum, atque offensionum seminariũ est. Quintam rationẽ affert Caietanus: ea resignificatum esse, vxorem ad habitandum cum viro, nõ autem virum ad domum vxoris accedere debere. atque hoc omnium nationum mos, qui certus est naturalis propensitionis testis & eius quod fieri decet index, manifestè demonstrat. His addit Catharinus, ex eo tempore fuisse inter Adam & Euam copulam matrimonij omnino indissolubilem, quæ non talis est in aliis coniugibus ante copulã carnalem, quia non sunt vna caro sicut Adam & Eua. Huius autem primi coniugij velut conciliator & paranymphus ipse Deus fuit. Ponam hic verba Catharini, *Et adduxit eam ad Adam, id est, hoc ipsum in eius mentem inspirauit, vt ad illum ex quo sumpta erat accederet, tanquam ad virum suum & coniugem inseparabilem, quamobrem & ipse quoque agnouit eam ex se ipso esse, & idcirco diligendam quæ ad ipsum veniebat, tanquam suam recognoscens originem. Et denique complectenda erat consummandumque matrimonium, quod ipse Deus tanquam conciliator & paranymphus miris modis instituit & firmauit, & tanquam pater & Dominus iussit, vt hoc exemplo intelligeretur, matrimonia liberorum non esse à turpibus personis, sed à propriis parentibus, honestisve ac probatis hominibus*

Caietanus in Genesim.

A *minibus procuranda & concilianda. Ex illo autem tempore fuit inter Adam & Euam copula matrimonij omnino indissolubilis, quæ non talis est in aliis priusquam carnaliter copulentur, quia non sunt vna caro sicut illi erant.* Hæc Catharinus.

QVAESTIO X.

Cur vnam tantum mulierem Deus primò creauerit.

SED cur (nam & hoc quispiam fortasse quærat) vnã duntaxat mulierem Deus fecit & non potius multas? Nimirum multas ob causas id rectissimè factum esse à Deo licet animaduertere. Primo, vna mulier satis erat ad id
B cuius gratia est condita, vt socia esset viri, & simul cũ eo generationis opus consummaret. Vna item facta est, vt vitaretur polygamia quę per se non est bona nec probãda, nisi singulari Dei permissu concessa sit hominibus, vel in principio mundi ad multiplicationem generis humani, vel Hebræis ad propagationem populi fidelis, vel in remedium aduersus adulteria & fornicationes iis qui ad libidines vehementer proclines essent. Adhæc, quo viri amor erga vxorẽ ardentior & cõstantior esset, qui multas in vxores diuisus, erga singulas remissior & instabilior est: quo argumẽto vsus est Aristoteles in libris Politicorũ ad refellendam vxorum communionem,
C quã Socrates ad conciliandã conglutinandámq; maiorem inter ciues arctiorémque caritatem perquã vtilem fore arbitratus est: quasi omnes maiores natu amaturi essent minores vt filios suos, & minores reuerituri maiores quasi parentes. Sed contra planè euenturum, validissimis rationibus probauit Aristoteles. Denique vna mulier tantũ creata est, quo maior esset vnitas generis humani vtpote quod ex iisdem parentibus primis omne propagatum esset. Vt omittam, etiam hac re adumbratum esse magnum illud mysterium coniunctionis Ecclesiæ cum Christo: Ecclesia verò vna tantum est.

Cur vnã tãtum creata sit mulier.

QVAESTIO XI.

D

Aduersus Caietanum, qui censuit quæ scripsit Moses de procreatione Euæ ex Adam, non historicè, sed parabolicè accipienda esse.

NEC illa quæstio hoc loco prætermittenda est: An hæc narratio Mosis qua traditur Euam ex Adami latere & costa factam esse, sit historica & vt verba ipsa propriè significant intelligenda: an potius figurata sit & parabolica, nec nisi secundum mysticum sensum interpretanda. Hanc nos quæstionem vnius Caietani causa tractandam hoc loco suscepimus

Is enim posthabita omnium Patrum doctrina, omniúmque Interpretum sententia, noua quadam & inaudita, & omnibus contraria commentatione locum hunc interpretari ausus est, & interpretationem suam obnixè defendere. non erit igitur alienum nouam eius interpretationem & opinionem propriis ipsius verbis primum exponere, tum refutare. A

AIT Caietanus: *cogi se hanc narrationem de productione Euæ ex Adamo, non secundum litteram, sed secundum mysterium, non quidem allegoria, sed parabolæ tamen intelligere atque interpretari: ne scilicet si litteraliter intelligatur, ineuitabile illud absurdum incurratur: Aut enim illa costa unde formata est Eua, erat ex necessariis costis Adæ, quare ea sublata mutilus & mancus extitisset Adam: aut erat Adæ superflua, ex quo sequitur necessario, ante detractionem eius costæ Adam fuisse deformem atque monstrosum. Virum is dicatur de Adamo qui fuit omnium hominum pulcherrimus & absolutissimus, per absurdum est.* Verùm hæc ratio non debuit tantopere Caietanum mouere, eam quippe nos paulò supra tractando sextam quæstionem planissimè dissoluimus. Adiicit præterea Caietanus, *satis insinuasse Mosem, quæ narrat de productione mulieris ex Adamo, ea per metaphoram & parabolam esse accipienda, cum dixit, Euam esse adductam ad Adamum. Nam si verè mulier ex viro formata esset, iuxta illum fuisset, nec ex alio loco ad eum fuisset adducta. Oportet igiter orationem Mosis non propriè, sed mysticè ac parabolicè interpretari.* Sed hoc quoque leuissimum est. Nam, cur dictum sit Euam esse adductam ad Adamũ, supra nos abũdè docuimus, cùm in explanãda septima quæstione versaremur. B C

Caietani opinio.

QVAE igitur est istius doctoris super hac narratione cõmentatio & sententia? Arbitratur Caietanus simul à Deo creatos esse Adã & Euam, nec Euam ex Adamo factam esse propterea quod in primo capite Geneseos dixit Deus, *Faciamus hominem ad imaginẽ & similitudinem nostram*, & mox subiecit Moses, *Masculum & fœminam fecit eos, Benedixitque illis Deus & ait, Crescite & multiplicamini.* Simul igitur vtérque sexus est à Deo conditus. Nec officit intelligentiæ, narrationem Mosis hoc loco videri esse historicam, ob idque vt verba eius sonant, sic esse accipiendam. Namque narratio etiam sex dierũ creationis mundi videtur historica, cùm tamen constet, mundum & vniuersitatem rerum vno temporis puncto esse factam. Narratio item Mosis de sermocinatione serpentis cum Eua, & de pœna quam serpenti Deus inflixit, videtur historica: sed esse figuratam eo patet, quod secundum historiam verum sensum habere non possit. Ergo oratio Mosis de productione mulieris ex viro parabola quædam est similis earum quibus frequenter vsum esse Dominum in docendo legimus apud Euangelistas. D

QVID autem ea parabola Moses significare voluerit, & cur ea sit vsus, hũc in modum enarrat Caietanus: *Principio, grauis ille & profundus somnus à Deo immissus Adæ ex quo formata est Eua, metaphorice significat defectum virtutis virilis, ex quo defectu accidit vt generentur fœminæ*

Homo

A *Homo enim dormiens semihomo est, & similiter principium generans mulierem, semiuirile est, quocirca mulier à Philosophis nominatur vir lasius & imperfectus. Quoniam autem talis defectus virtutis virilis non est per accidens respectu naturæ vniuersalis, sed est ex intentione diuina ad propagandam & conseruandam speciem, ideo describitur ille somnus immissus esse à Deo, vt intelligatur Deum esse auctorem deficientium modorum producendi. Ablatio verò costæ ex viro ad formandam mulierem quatenus costa est os, similitudo est diminutionis roboris ex animo viri ob vxorem. Quatenus autem est costa similitudinem gerit socialis vitæ inter virum & vxorem degendæ, & quod vxor nec domina nec serua, sed socia & collateralis viri esse debeat. Quatenus autem vna tantùm fuit costa, denotauit minimum robur quod est tum in corpore, tum in animo mulieris: ita vt proportio virium muliebrium ad vires & robur virile*
B *talis sit, qualis est proportio vnius costæ ad reliquas omnes costas. Postremo, caro restituta Adamo pro costa ei detracta, significauit repensationem quæ fit viro, dando ei carnalem generationem & propagationem filiorum loco roboris ei ob coniugium ablati & diminuti. Excusatur enim vir incurrens diminutionem virilis animi ducendo vxorem, eo quod dat operam carnali propagationi & conseruationi speciei humanæ.* Atque hæc quidem iisdem propemodum Caietani verbis ex commentario eius super hoc loco Geneseos descripta, ad ipsius opinionem enucleatè ac fideliter exponendam commemorare voluimus.

Refellitur Caietanus.

Sed aduersatur Caietano concors omnium Patrum ac Theolo-
C gorum, qui ex Adamo re vera formatam esse Euam & senserunt & scriptis prodiderunt, sententia: aduersatur etiam communis Ecclesiæ Catholicæ populique Christiani sensus & iudicium. Beatus quidem certè Hieronymus super epistolam Pauli ad Philemonem, scribens & interpretans locum illum Exodi, *Credidit populus Deo, & Moysi seruo eius:* inter alia multa quæ omnibus credenda esse affirmat, & hoc commemorat, Euam ex costa & latere Adami esse fabricatam, Vult igitur Hieronymus, qui hoc de Eua non credit, eum nequaquam in Deum credere. Ex quo licet concludere, sententiam Caietani rectæ fidei esse contrariam. Innocentius item Papa huius nominis tertius extra, de Diuortiis, cap. Gaudemus, decernens diuino iure prohibitum esse plures vxores simul habere, eam sententiam vt firmissimo
D argumento confirmat, eo quod ab initio vna costa viri in vnam fœminam sit conuersa.

Exod. 14.

Verum, super omnia euidenter Caietano aduersatur diuina Scriptura, quæ multis in locis apertè docet, non simul esse creatos Adamum & Euam, sed prius quidem Adamum posterius vero Euam ex Adamo esse factam. In libro Sapientiæ cap. 10. scriptum est, Adamum primum & solum esse à Deo creatum: & in libro Ecclesiastici cap. 17. sic est: *Deus creauit de terra hominem, & secundum imaginem suam fecit illum:* & quibusdam interiectis, deinde subiungit, *Creauit ex ipso adiutorium simile sibi.* Paulus quoque in Actis Apostolorum cap. decimoseptimo, *Deus*, inquit, *fecit ex vno omne genus hominum*, & prioris

epistolæ ad Corinthios capite 11. *Non vir*, ait Paulus, *ex muliere est, sed mulier ex viro*. Idemque in capite 2. prioris epistolæ, quam misit ad Timotheum. *Adam*, inquit, *primus formatus est, deinde Eua*. Denique hoc ipsum meridiana luce clarius est ex narratione Mosis, qua prophetica Euæ describitur: traditur enim, Deum Adamo dormienti exemisse costam, ex eáque conformatam esse Euam, Adamúmque vaticinando dixisse, *Hoc nunc os ex ossibus meis, & caro ex carne mea: hæc vocabitur Virago, quoniam de viro sumpta est*. Quid potuit apertius dici quo Euam ex Adamo factam esse intelligi posset? Est enim vt superiorum rerum quas commemorauit Moses, sic & huius rei narratio planè historica: quamobrem verba eius propriè, non autem figuratè sunt accipienda. Nec aliam ob causam Origenes tam grauiter ab Epiphanio reprehensus est in epistola quam scripsit ad Ioannem Hierosolymitanum Episcopum, & ab Hieronymo in epistola quam misit ad Pammachium, nisi quod tria prima libri Geneseos capita non historicè, sed allegoricè intelligenda & interpretanda esse censuerit: qua etiam de causa damnatus est in sexta Synodo generali.

Origenes damnatur.

Diluuntur obiectiones Caietani.

NAM quod nobis obiecit Caietanus, distinctionem sex dierum mundani opificij, tametsi modo historico tradatur, non propriè tamen & historicè, sed figuratè intelligi oportere, id nos pernagamus: & falsum esse, supra in primo huius Operis libro multis argumentis pernicimus. Quod autem deinde opponit de colloquio serpentis & eius pœna, quasi hæc non aliter quàm figuratè possint verè intelligi, etiam falsum esse ostendemus, cum ad explanationem eius historiæ ventum erit. Sed vt hoc daremus Caietano, non propterea tamen consentaneum & æquum esset, vt siquid in omni narratione Mosis sit eiusmodi vt id ratio veritatis & pietatis Christianæ figuratè interpretari cogat, omnia quæ in ea narratione traduntur, similiter accipi & explanari debeant. Sanctus Augustinus in exordio li. 11. de Genesi ad litteram explicaturus historiam illam de colloquio serpentis & Euæ in tertio capite libri Geneseos à Mose scriptam, hæc præfatur: *Antequam huius propositæ Scripturæ textum ex ordine pertractemus, admonendum arbitror quod iam me & alibi in hoc opere memini prælocutum illud à nobis esse flagitandum, vt ad proprietatem litteræ defendatur quod gestum narrat ipse qui scripsit. Si autem in verbis Dei, vel cuiusquam personæ in officium propheticum assumptæ dicitur aliquid quod ad litteram nisi absurdè non possit intelligi, proculdubio figuratè dictum ob aliquam significationem accipi debet dictum, tamen dubitare fas non est: hoc enim à fide narratoris & pollicitatione expositoris exigitur*. Sic Augustinus.

INFIRMVM quoque est illud Caietani argumentum, in primo capite Geneseos Mosem, cum induxisset Deum ita loquentem, *Faciamus hominem ad imaginem & similitudinem nostram*, proximè subiecisse. *Creauit Deus hominem ad imaginem suam, masculum & fœminam creauit eos*: ex quo vult Caietanus intelligi simul esse factos Adam & Euam, & non vnum post alterum, nec vnum ex altero. At enim,

Scriptura

A Scriptura non dicit eos simul esse factos. nam cum Moses eo loco sexti diei opera commemoraret, strictim & sub compendio posuit creationẽ viri & fœminæ, vt quæ ad opus sexti diei pertineret. Creati igitur sunt simul, id est, eodem die sexto, sed non simul, id est, eodem temporis puncto. Absoluta verò operum omnium quę sex illis primis diebus à Deo facta sunt expositione, Moses cap. 2. reuertitur ad enarrandam productionem viri & fœminæ, declarans quàm diuerso modo vtriusque corpus à Deo factum sit: viri scilicet ex puluere terræ, mulieris autem ex costa viri. Et vero, frequens est in Scriptura primum rem breuiter ac presse narrari, posteà verò per singulas partes & circumstantias subtilius, distinctius, & explicatius declarari. Et vt hanc disputationem cõcludam, illud contendo aduersus Caietanum:

B Si quæ narrat Moses de procreatione mulieris ex viro non sint historicè accipienda, sed parabolicè, ex eo necessariò effici, nusquã tradi in Scriptura modum quo generata sit Eua: nam extra hunc locum, nusquam alibi ea de re sit mentio. Parabolica verò Caietani interpretatio non singularem & propriam Euæ procreationem demonstrat, sed generalem omnium mulierum, quæ naturali modo fit, generationem ostendit. Denique illud sciat lector, Caietano non solos hac in re Doctores omnes Catholicos, sed etiam Hebræorum omnium, ingenio & doctrina facilè principem Iosephum, in primo libro de antiquitatibus Iudaicis, præcipuósque Iudæorum Rabbinos

C qui librum hunc Geneseos interpretati sunt, aduersarios esse.

Capite 2. VERS. 23.

Dixitque Adam: Hoc nunc os ex ossibus meis, & caro de carne mea: hæc vocabitur Virago, quoniam de viro sumpta est.

EXPERRECTVS Adam, spiritu prophetico quo in illo somno & ecstasi fuerat afflatus, nec modo viderat rem quæ tunc in ipso gesta fuerat, sed abditissimum etiam & diuinum eius rei mysterium, erupit in eam quã posuimus sententiã, quamque hoc loco explanaturi sumus. Pro illo *Nunc*, alij legunt *Semel*: vox Hebræa propriè significat *Hac vice*. Sed cur dixit Adam, *Hoc nũc os ex ossibus meis?* Audiat lector absurdissimam

D Thalmudistarum interpretationem, quam apud solum equidem legi Tostatum in Commentariis eius super caput 13. libri Geneseos quæstion. 404. Dixerunt illi Adam habuisse alteram vxorem ante Euam cui nomen erat Lilis, & cum ea fuisse per centumtringinta annos, nec eo tempore genuisse ex ea homines aliquos, sed genera sse tamen dæmones. Quis non rideat has Iudæorum nugas, figmenta, & deliramẽta, vel etiam aduersus diuinam Scripturam blasphemias? Nullam enim cum Adamo fuisse mulierem ante procreationem Euæ, manifestum facit narratio Mosis, indicans necessarium fuisse generari Euam, quod nullum esset Adamo adiutorium simile ipsi: non fuisset

Absurda Thalmudistarum opinio.

fuisset autem opus generatione Euæ, si Adam aliam priorem habuis- A
set vxorem. Deinde statim vt Paradiso eiectus est Adam, cognouit vxorem suam Euam, ex eáque suscepit duos liberos, priorem quidem Cain, posteriorem autem Abel, vt traditur in quarto capite libri Geneseos: falsum igitur est, Adam per centumtriginta annos non attigisse Euam. Iam verò cuius est amentiæ dæmones putare ex Adamo & illa priori vxore generatos esse? Ex viro enim & fœmina non nisi homo generari potest, dæmon autem cum sit incorporeus, certè carnem & ossa non habeat, & diuersæ speciei sit quinetiam generis atque homo, generationem & originem ex hominibus habere *nullo* modo potest.

ERGO illud *Nunc*, dupliciter potest accipi: primò vt referatur ad B
animalia quæ Deus adduxit ad Adam, in quibus nullum ille repert sui simile. Illud enim. *Os ex ossibus meis, & caro ex carne mea*, denotat similitudinem speciei ex materiæ corporis humani similitudine petitam. Cum autem Adam vidit mulierem sibi secundum naturam similem, dixit, *Hoc nunc os ex ossibus meis*: quasi diceret, Domine Deus, quæ prius ad me adduxisti animalia, non erant mihi similia, hæc autem mulier quam nunc ad me adduxisti, est planè similis mei. Potest etiam illud *Nunc*, referri ad formationem primæ mulieris ex costa Adami, vt sit hic sensus: Hæc mulier nunc, id est, hac prima vice sic formata est, ex viro scilicet: nam quæ deinceps futuræ sunt mulieres earum nulla sic generabitur, sed per naturalem tãtum generationem ex mare & fœmina. Illud autem *Ex ossibus meis*, pluraliter dictum est C
pro *Ex osse meo*, non enim Adæ nisi os vnum est ablatum, sed abusus numeri pluralis pro singulari, & vicissim singularis pro plurali, frequens est in Scriptura.

Caietani cõmentitia interpretatio.

VERVM audi quemadmodum Caietanus suæ quam supra exposuimus insistens commentationi ac sententiæ, hæc verba interpretetur: *Manifestè*, inquit, *Moses his verbis mulieris naturam simul & productionem indicauit. Mulier enim quælibet cum sit vir læsus, est os de ossibus virilibus, & caro de carne virili. Intendit enim virile semen producere virum: sed defectu interueniente, cum non valeat facere virum integrum, facit virum læsum, hoc est, mulierem: quare mulier est os de ossibus viri intentis, & D
caro de carne virili intenta. Dicitur autem pluraliter ex ossibus. vt significetur minimum virilis roboris seruari in muliere. Dicitur autem singulariter De carne mea: vt significetur, quamuis imperfectior sit caro mulieris quam viri, non tamen minorem esse carnalem eius affectum: immo verò tanto maiorem quantó minori corporis robori coniunctus est.* Verùm hæc, præter falsitatem & absurditatem sententiæ vnde fluxerunt, etiam ipsa tam obscura, perplexa dura, & violenta eorum tractatio, meras esse nugas & Caietani figmenta declarat.

Denominationem mulieris ex viro, in sola Hebræa lingua cerni.

CIRCA illa verba *Hæc vocabitur virago, quia de viro sumpta est*, sciẽdum est consonantiam & conuenientiam huius denominationis mulieris ex viro cum re ipsa quæ gesta est, quia mulier scilicet de viro sumpta

A sumpta est, in sola Hebræa lingua manifestè cerni. In ea quippe vir dicitur אישׁ *Is:* mulier verò vnius dūtaxat litteræ adiectione appellatur אשׁה *Issah*, vt sicut mulier sumpta est ex viro, ita nomē mulieris ex viri nomine ductum sit: velut si Latinè mulier diceretur *Vira*, quod ex viro sumpta sit. Nam *Virago*, quod nomē in sua versione posuit Hieronymus, in vsu Latinæ linguæ non significat simpliciter & præcisè mulierē, sed mulierem fortem, prudentē, magnanimam, viriliqúe animo & virtute præditam. Nec benè Pagninus in sua translatione posuit *Virissam:* nam si nomen fingere libebat, satius erat ponere *Vira* quàm *Virissa*. Symmachus autem pulchrè voluit etymologiam Hebraicam etiam in Græco æmulari, nam vt refert Hieronymus in libro de Traditionibus Hebraicis in Genesim, ita vertit: ipsa vocabitur
B ἀνδρὶς, quod ἐκ τοῦ ἀνδρὸς sumpta sit. Porrò Theodotion aliam etymologiam suspicatus est dicens: Hæc vocabitur Assumptio, quia ex viro sumpta est. Potest enim vox Issa secundum varietatem accentus etiam significare assumptionem. Sic ferè Hieronymus. *Sed periti linguæ Hebrææ negant vsquam reperiri, vocem Issæ significare assumptionem. At vero LXX. Interpretes qui hoc loco transtulerunt, Ipsa vocabitur γυνὴ, quia ἐκ τοῦ ἀνδρὸς sumpta est, nullam denominationis fœminæ ex viro rationem aperuerunt. Sapienter autem huiusmodi nomen mulieri est impositum, vt mulierum quæque disceret ex sui nominis notione ac significatione, quantopere virum obseruare ac reuereri deberet, nimirùm vt suæ principium & seminarium substantiæ.*
C

Quamobrem relinquet homo patrem suum & matrem, & adhærebit vxori suæ: & erunt duo in carne vna. CAP. 2. VERS. 24

QVo referri debeat illud *Quamobrem*, siue vt est apud Matt. cap. 19. *Propter hoc*, ex hac quidem narratione Mosis non facilè est dispicere. Quidam ita iungūt cum superioribus. Quia mulier adeo coniuncta est viro, vt si os de ossibus eius & caro de carne eius sit, & de viro sumpta, propter hanc mulieris tantam cum viro naturæ coniunctionem, derelinquet homo patrem
D & matrem suam, & adhærebit vxori suæ, id est, magis sociari debet cum vxore quàm cum parentibus. At secūdum hanc interpretationem, verba hæc ad solum primorum hominum coniugium pertinerent, in quo scilicet tantummodo mulier ex viro sumpta est, cum tamen Dominus Matth. 19. ad omne cōiugium ea verba referat. Verumtamen, quorsum spectet illa particula: *Quamobrem: seu, propter hoc*, liquidius cernitur ex huius loci interpretatione quæ à Domino nostro tradita est, & commemoratur à Matthæo c. 19. *Cum enim Dominus præmisisset, Deum ab initio fecisse masculum & fœminam:* Et quidem fœminā Deus fecit ex masculo, eosque inter se coniunxit & benedixit illis, dicens: *Crescite & multiplicamini*, ex his rectè infertur: *Propter hoc dimittet homo patrem & matrem & adhærebit vxori suæ.* Huius enim illationis &

conclusionis hæc est sententia & vis. Necessitudinem & coniunctionem mariti & vxoris esse omnium maximam, satis declarauit Deus cum primos homines fecit marem & fœminã, & fœminam quidem ex mare, eosque arctissimo vinculo inter se constrinxit, tum ad intimam societatem, tum ad prolis generationem. Quare huic tãtæ coniunctioni etiam necessitudo parentum merito posthabenda est. A

Atque hoc Rupertus eo probat argumento, quod vt quis Deo seruiat, votis se monasticis obstringens, potest non modo licitè sed etiam laudabiliter parentes vel inuitos deserere, at vxorem consentire ei nolentem nullo modo potest derelinquere. Sic autem scribit Rupertus in capite 38. libri tertij de Trinitate & eius operibus: *Hoc pro lege habetur, vt patrem & matrem homini relinquere liceat poscente causa idonea: vxorem autem nemini nisi volentem, relinquere nec humana concedit lex nec diuina, nisi pro sola vt superius dictum est fornicationis causa. Proinde cum dicit lex Deuteronomij 33. de tribu Leui*, quæ dixit patri suo, & matri suæ, Nescio vos, & fratribus suis, Ignoro illos, & nescierunt filios suos, hi custodierunt eloquium tuum & pactum tuum seruauerunt. *Cum*, inquam, *hæc dicit lex sancta & iusta, notandum est quod solam vxorem præterit, quia videlicet patrem & matrem, fratres & filios, nescire licet ei qui custodire eloquium & pactum Dei cupit, eósque vel reclamantes & inuitos relinquere, sola autem vxor est, quam nisi volentem & idem propositum amplectentem, dimitti fas non est. Ergo dum dicit: Quamobrem relinquet homo patrem & matrem, & adhærebit vxori suæ, & erunt duo in carne vna, coniugij copulam omnium carnalium necessitudinum maximam atque fortissimam fore pronuntiat; adeò vt semel copulati, iam non sint duo sed vna caro*: Sic Rupertus. B C

Observandvm autem est hæc verba, *Quamobrem relinquet homo patrem, &c.* Posse accipi vel vt ab Adamo pronuntiata, vel vt à Mose adiuncta suæ narrationi. Sed quia siue ab Adamo dicta sint, siue à Mose scripta. Dei tamen afflatu inspiratuque edita sunt: propterea Dominus in Euangelio ea verba vt à Deo dicta commemorat. Augustinus & Hugo de Sancto Victore in suis Annotationibus super Genesim, & Caietanus super 19. caput Matthæi interpretantur, Deum illis verbis: *Propter hoc relinquet homo patrem & matrem*, interdixisse coniugia inter parentes & filios, cum cætera coniugia non sint ita vetita: nam in exordio mundi propter hominum paucitatem, inter fratres & sorores licitè matrimonia contracta esse constat. Atque huic expositioni quidam suffragari putant etiam Scripturam Chaldaicam, quæ sic habet hoc loco: *Propter hoc relinquet homo lectum patris sui, & matris suæ*, sed fortasse ea locutione significatur, quondam solitos filios in parentum cubiculis, aut etiam cubilibus cubare: quoad scilicet emanciparentur, & patris tutela potestateque dimissi, fierent ipsi ducta vxore patresfamilias: tunc enim à consuetudine & conuictu parentum separabantur, ita vt nouam domum & familiam instituerent: quem ad morem pertinet illud quod Dominus dixit apud D

Lucam

A Lucam c.11.de pueris in cubili cum patre quiescentibus.Verùm simplicior & planior horum verborum interpretatio est,hisce verbis significari,maiorem & magis indissolubilem esse debere coniunctionem viri cum vxore sua,quàm cum propriis parentibus.Pro illo *Adhærebit vxori suæ*,Septuaginta verterunt *Agglutinabitur vxori suæ*, Chaldaicè ad verbum est,*Hærebit in vxore sua.*

Et erunt duo in carne vna.

B NEc Hebraicè,nec Chaldaicè est vox illa *Duo*,& est in accusatiuo nomen carnis,ad hunc scilicet modum:*Erunt in carnem vnam.*Septuaginta tamen addiderunt illud *Duo*:& ita commemoratur à Domino nostro,vt est apud Matth. cap.19.quapropter bene illud *Duo* addit Latinus Interpres.Illud porro *In carne vna*,dictum est phrasi Hebraica pro eo quod est,erunt duo vna caro,vt patet ex conclusione Domini in prædicto Euangelij loco:nam cùm dixisset:*Et erunt duo in carne vna*, infert illud: *Itaque iam non sunt duo,sed vna caro.*Sicut igitur suprà dictum est Adam factum esse in animam viuentem,pro eo quod est Adam factum esse hominem viuentem:ita dictum est hoc loco : *Erunt duo in carne vna*, vel in carnem vnam,pro eo quod est,*Erunt duo vna caro.*Quattuor autem de causis coniuges intelligi possunt esse vna caro. Primo qui-

Ob quatuor causas coniuges dicuntur vna caro.

C dem,propterea quod inuicem coniunguntur ad agendam vnam vitam communem,externam,carnalem,seu corporalem , cum inter illos sit omnium rerum communitas.Deinde,propter copulam carnalem propter quam solam dixit Paulus 1.Corinth.6. *Qui adhæret meretrici,vnum corpus efficitur.*Adhæc,propter vnius carnis,id est,prolis generationem:vna enim caro,id est,vna carnalis proles ab vtrisque efficitur,à fœmina quidem materialiter,à viro autem efficienter.Denique , propter vnam & communem ac mutuam vtriusque coniugis potestatem corporis.Caro enim mulieris est etiam viri , & caro viri est etiam mulieris. Mulier enim , vt Paulus scribit ad Corinthios prioris epistolæ capite septimo sui corporis potestatem non habet

D sed vir : similiter autem & vir sui corporis potestatem non habet, sed mulier.

SANCTVS THOMAS super quintum caput epistolæ ad Ephes. lection. 10.tractans hunc ipsum locum Mosis. *Quamobrem relinquet homo patrem suum & matrem,&c.*ita scribit : *His verbis triplex coniunctio viri & mulieris designatur : prima per affectum dilectionis , quia tantus est affectus vtriusque inter ipsos,vt parentes suos relinquant. Nam licet quoad reuerentiam, obedientiam , & subuentionem plus debeat quisque diligere patrem quam vxorem,attamen quoad domesticam societatem,adhæsionem , & cohabitationem,plus debet diligere vxorem.* Legenda sunt quæ hac ipsa de re luculenter disputat idem Thomas in secunda secundæ quæstione 26. Huc etiam facit quod scriptum est in quarto capite libri tertij Esdræ his verbis,

Homo patrem suum relinquit qui enutriit illum,& suam regionem, & ad mulierem se coniungit. Et cum muliere remittit animam. Et neque patrem meminit; neque matrem, neque regionem. Et diligit homo vxorem suam magis quàm patrem aut matrem. Et multi dementes facti sunt propter vxores suas & serui facti sunt propter illas,& multi perierunt & iugulati sunt,& peccauerunt propter mulieres. Sic est eo loci. Peccasse autem multos propter nimium atque immoderatum erga vxores amorem, exemplo suo rex Salomon abundè comprobauit. *Altera coniunctio viri & vxoris est in arctissima eorum conuersatione, vnde dicitur: Et adhærebit vxori suæ. In singulari autem numero dicitur: Vxori suæ, vt intelligatur pluralitas vxorum per se non esse bona, nec congruens perfectæ rationi matrimonij, vti fuit à Deo primitus institutum. Tertia coniunctio est per carnalem copulam, quod significatur illis verbis: Et erũt duo in carne una, id est, in carnali opere. In qualibet enim generatione est virtus actiua & passiua: sed in plantis vtraque simul est in eodem subiecto, in perfectis autem viuentibus distinguuntur, quapropter eo tempore quo animalia sunt in actu generationis, ita sunt vnum sicut omni tempore sunt plantæ.* Hactenus ex Beato Thoma. Obseruandum est, quæ hactenus narrata sunt à Mose de generatione Adami & Euæ eorumque coniunctione, ea pulchrè à Patribus & interpretibus per allegoriam ad Christum & Ecclesiam accommodari, cuius allegoriæ tractationem videre poterit lector in Catena Lippomani in Genesim, & in Ioannis Feri Commentariis in librum Geneseos super hunc ipsum locum. Eadem quoque per interpretationem tropologicam possunt commodè ad rationem & sensum, spiritum & carnem, vel ad superiorem hominis rationem atque inferiorem applicari. Quæ quidem nos tum breuitati studentes, tum obscuriorum grauiorumque rerum curæ tractationique insistentes, consulto prætermittimus.

3 Reg. 11.

A B C D

CAP. 1. VERS. 27 *Et creauit Deus hominem ad imaginem & similitudinem suam: masculum & fœminam creauit eos.*

CÆTERA quæ homini à Deo sunt data, vel ad eius dignitatem, vel ad salutem & incolumitatem pertinent: distinctio autem sexus in marem & fœminam, ad conseruationem speciei & propagationem humani generis conducit. Licet autem hoc loco Moses simpliciter dicat factum esse è Deo marem & fœminam, non est tamen intelligendum vtrumque factum esse simul atque eadem ratione: namque ipse cap. 2. narrat, & à nobis suprà explicatum est, prius factum esse virum ex limo terræ, posterius autem fœminam ex viri costa. Sed quia vterque factus est die sexto, cuius diei opera hic describit Moses, propterea strictè & compendiosè creationem vtriusque simul commemorauit. In solo autem homine expressa est distinctio maris & fœminæ, quòd vtriusque coniunctio ad generationem prolis habeat multa eximia & singularia, quæ in cæteris animantibus minimè insunt.

Gene

A Generatio enim carnalis à solo homine fieri potest vel cum vitio vel cum laude: & præter communem cum cæteris animantibus finem, conseruationem scilicet atque propagationem speciei, alium habet singularem multoque præstantiorem, complementum dico numeri electorum & prædestinatorum. Humanũ præterea coniugium in noua lege sacramentum est gratiam conferens, habetque singularem educandæ prolis curam & necessitatem, ex eoque longa cognationis & affinitatis series deducitur. Denique, ad actum generationis vir & mulier conuenire debent, non tam incensi libidine voluptateque tracti, quàm honesta suscipiendæ prolis cupiditate, & multiplicandi generis humani amore, adhibita rationis moderatione, aliisque ad-
B iunctis circumstantiis quæ actum illum honestum, & laudabilem, acceptumque Deo reddant. Dixit autem plurali numero: *Masculum & fœminam creauit eos*: ne quis putaret, vt monet Augustinus c. 22. libr. 3 de Genesi ad litteram, eundem hominem marem & fœminam esse factum, quales nimirum à Græcis appellantur ἀνδρόγυνοι, & quales in Africa reperiri tradit Plinius lib. 7. c. 2. *Supra Nasamonas*, inquit, *confinesq; illis Machlyas, Androgynos esse vtriusque naturæ, inter se vicibus coeuntes; Calliphanes tradit.* Aristoteles adiicit, dextram mammam iis virilem, læuam muliebrem esse. Plato etiam in Symposio, vt suprà memorauimus, fabulatur à principio fuisse tria hominum genera, marem, fœminam, & tertium vtriusque particeps, idque fuisse valentissimum ac
C diis bellum intulisse: quamobrem præcidendæ multiplicationis eius causa, à Ioue fuisse diuulsum atque diuisum.

DISPVTATIO DE PROPAGATIONE humani generis in statu Innocentiæ.

SI Deus igitur ab initio creauit marem & fœminam, proculdubio etiam in statu innocentiæ multiplicatio hominum per commistionem vtriusque sexus & carnalem generationem futura fuisset. Verum quia nonnulli Patrum contra sensisse videntur, tractanda est
D hæc quæstio.

QVAESTIO I.

An in statu innocentiæ multiplicati fuissent homines per generationem carnalem.

NON me fugit, nonnullos de antiquis Patribus magnisque Doctoribus contra sensisse, & scriptis prodidisse si Adam non peccasset, multiplicationem hominum non vt nunc fit per carnalem copulam, sed ad eum modum quo facta est in Angelis esse futuram: Et propter hoc

Psalm. 48. verum esse quod dixit Dauid: *Homo cum in honore esset non intellexit & comparatus est iumentis insipientibus & similis factus est illis.* Huius sententiæ fuit Gregorius Nyssenus in libro de Homine c. 28. quem secutus est Damascenus de fide orthodoxa, lib. 4. cap. 25. & lib. 2. cap. 30. quibus consona sunt quæ scribit Chrysostomus hom. 18. in Genesim super illa verba capitis 4. *Adam cognouit vxorem suam*, & super eo ipso loco Procopius Gazæus, necnon & Euthymius super Psal. 50. his annumerari posset Augustinus lib. 1. de Genesi contra Manichæos, cap. 19. & libro primo, de sermone Domini in monte, exponens illa verba: *Quicumque dimiserit vxorem suam*, &c. scribit consanguinitates &c. cessitudines, ex peccato & morte primorum parentum accidisse. A

Refellitur supradicta opinio. VERVM tamen hæc opinio diuinæ Scripturæ & rectæ rationi contraria est. Narrat Moses hoc loco, Deum ab initio creando hominem fecisse marem & fœminam: quorsum, nisi ad generandam prolem? Huius enim rei causa instituta à Deo est discretio sexus in marem & fœminam. Addit præterea Moses, Deum benedixisse illis & dixisse: *Crescite & multiplicamini*, pro illo autem *Crescite*, Hebræum verbum propriè significat *Fructificate*. Deinde Adam conspecta Eua, diuino afflatu dixit: *Hoc nunc os ex ossibus meis, &c. Et erunt duo in carne vna*, id autem fit per copulam carnalem, vt interpretatur Paulus in cap. 6. prioris epist. ad Corinth. Iam verò si Philosophiam rectamque rationem consulamus, ea quoque falsam esse istam opinionem docebit atque conuincet. Siquidem distinctio sexus, & conformatio membrorum quæ natura generationi destinauit, naturaliter insunt homini nec data sunt propter peccatum. Quemadmodũ autem homo naturaliter & substantialiter est animal, ita est viuens: Naturalissimum autem opus viuentium, auctore Aristotele lib. 2. de Anima, est generare sibi simile: idemque in 4. lib. Meteororum tradit, perfectum esse vnumquodque cum simile sibi producere potest. Quid plura? Satis argumenti est ad id probandum, necessariam rationem & causam creandi fœminam in statu innocentiæ non aliam fuisse perhiberi à Mose capit. 2. nisi vt esset viro adiutorium: ad quid? non ad aliud sanè quàm ad generationem prolis: namque ad alia omnia vel melius vel certè non minus bene vir à viro iuuari posset. B C

SED quid eos doctores in eam sententiam adduxit? Turpitudo videlicet & fœditas quæ in ipso generationis actu nunc inest ac sentitur, propter deformitatẽ libidinis & sensum immoderatæ voluptatis, quam primi nostri parentes statim post peccatum, vt verbis vtar Augustini, senserunt, erubuerunt & se operuerunt. Verùm, hic ardor libidinis turpificans & deformans actum generationis non fuisset in statu innocentiæ. Siquidem in eo animus fuisset omnino subiectus Deo, & pars inferior hominis perfectè subdita fuisset & obediens rationi, ita vt qua facilitate ac moderatione nunc mouemus cætera membra corporis, pedes ad ambulandum, manus ad capiendum, os & linguam ad loquendum, eadem tunc facilitate in eo statu absque D

pertur

A perturbatione rationis, sine ardore libidinis, & citra omnem fœditatem mouebat homo, regebat, & moderabatur ea membra corporis, quæ ad generandum naturam natura comparauit.

AVGVSTINVM verò non fuisse in contraria sententia, nemo negabit, qui legerit ea quæ de hoc ipso copiosè & accuratè pro nostræ opinionis confirmatione ab eo disputata sunt in lib. 9. super Genesim ad litteram capit. 10. sed in primis libr. 14. de Ciui. Dei, à c. 21. vsque ad 27. & in lib. 1. Retract. cap. 10. 13. & 19. Nam quod aliubi, dixit, consanguinitates & cognationes carnales profluxisse ex peccato, hanc habet sententiam, eas non cœpisse nisi post peccatum, post quod scilicet Adam primum cognouit vxorẽ suam: in paradiso enim B generationi operam non dederunt, vel quod breuissimo tempore ibi fuerint, vel quod ad id mandatum Dei expectarent, cum nec ardore libidinis, vel titillatione vlla voluptatis ad maturandum generationis actum incitarentur.

Augustinum sensisse in statu innocentiæ futuram generationẽ carnalem.

QVAESTIO II.

An in statu innocentiæ fuisset par numerus fœminarum atque marium.

C SCIENDVM autem est, fecisse Deum à principio in humana natura vnum marem & vnam fœminam: quod in aliis animalibus non est factum, cuiuslibet enim speciei animalium multi mares & multæ fœminæ creati sunt: in homine autem originem speciei in duobus constituit, imò verò in vno dumtaxat Adam, nam ex ipso posteà facta est Eua, idque factum est ob singularem hominis dignitatem, & ad conciliandum inter homines maiorem concordiam & caritatem, omnibus ex vno parente procreatis. Quemadmodum igitur ab initio Deus fecit vnum marem & vnam fœminam, ita deinceps in statu innocentiæ pari numero fœminæ ac mares multiplicati fuissent: tot igitur fuissent D mares quot fœminæ. Quin opinio est quorundam, tunc qualibet generatione ac partu geminam prolem, fœmineam scilicet ac masculinam editum iri. Nec difficile est huius rei rationem afferre, fidemque astruere. In illo enim statu innocentiæ nullus cœlibem vitam egisset, omnesque idoneo tempore iuncti fuissent matrimonio: nullus præterea fuisset sterilis aut infœcundus, nec vlla fieret maris & fœminæ nisi per legitimum matrimonium coniunctio, denique sicut ab initio vnius viri vna fuit vxor, ita deinceps in illo statu innocentiæ ad exemplum & imitationem primi coniugij, nec vnius vxoris plures mariti, nec vnius mariti plures vxores fuissent. Ex his concluditur & conficitur quod suprà diximus, parem tunc fore numerum virorum ac mulierum. Si enim plures fuissent viri quàm fœmi

In statu innocentiæ parem futurum mariũ atque fœminarum numerum.

fœminæ, aut contra fœminæ quàm viri, necesse fuisset aliquos expertes esse matrimonij, aut vnum pluribus in matrimonio copulari. A

QVAESTIO III.

Quomodo in statu innocentiæ fœminæ generari potuissent.

ILLVD tamen magnam habet difficultatem, qua ratione in statu innocentiæ fœmina generari potuisset. Nam que fœmina, vt auctor est Aristoteles in 2. lib. de Generatione Animalium, fit præter intentionem agentis particularis, propter defectum scilicet virtutis quę est in semine virili. Etenim omne agens intendit generare sibi simile, nisi impediatur: in generatione autem hominis vir est agens, fœmina autem patiens: ergo vir semper generabit virum, nisi obstet vel imbecillitas virtutis eius, vel aliquod vitium & impedimentum in muliere quæ subministrat materiam generationi, & in cuius vtero fit conceptus, & per nouem menses vsque ad partum continetur. Cum igitur in statu innocentiæ nullum futurum esset vitium, nullus defectus, nulla infirmitas virtutis generatricis tam virilis quàm fœmineæ, nulla videtur tunc generandi fœminam ratio & causa esse potuisse. Quod autem diximus ex sententia Aristotelis fœminam esse quiddã imperfectum & præter intentionem generantis velut ex occasione procreatum, libet Principis Philosophorum propriis verbis hic appositis, lectori notius & testatius facere. Sic ille scribit libro 2. de Generatione Animalium, cap. 3. *Fœmina quasi mas læsus est.* Et libro 4. cap. 2. cum dixisset marem esse animal perfectum, fœminam vero imperfectum, subdit, *Indicia*, inquit, *faciunt res quæ accidunt. Nouella enim & senescens etas magis quàm florens fœminas generat, in altera enim calor nondum perfectus est, in altera deficit. Humidiora etiam effœminatioraq; corpora fœminam potius gignium, & semina humida magis quàm spissa, hoc idem faciunt. Hæc enim omnia eueniunt caloris inopia naturalis.* Et capite sequenti docet, naturam in generatione mulieris deficere ac degenerare, ita scribens, *Sed initium primum degenerandi, est fœminam generari non marem, verum hoc necessarium est naturæ, genus enim seruari oportet eorum quæ fœmina & mare distinguuntur. Sed cum fieri possit ne aliquando semen superet maris, aut ob ætatem iuuenilem senilémue, aut ob aliam eiusmodi causam, fœminam ob eam rem gigni necesse est.* Denique in eiusdem libri capite sexto. *Sunt*, inquit, *fœminæ sua natura debiliores, frigidioresq; & sexum fœmineum quasi læsionem naturalem & detrimentum esse putandum est.* Hactenus Aristoteles: qui quidem & in libro septimo Politicorum capite decimosexto, his non dissimilia tradere videtur.

Fœminã esse quid imperfectum & degenerans, secundum Aristotelis doctrinam.

VERVM quæstionẽ propositã ad hunc mod ũnon difficiliter expediri

A pediri posse arbitror. Generationem fœminæ puto equidem non tantum ex imbecillitate seminis virilis, aut ex vitio aliquo & impedimento quod sit in sanguine menstruo aut in vtero mulieris, sed aliis etiam ex rebus proficisci. Nam inter alia quæ ad generationem maris vel fœminæ conferunt, Aristoteles numerat ventos: multum enim refert quo vento flante fiat generatio. Siquidem Aquilo plurimum generationem maris adiuuat, Auster vero, fœminæ. Id quod non vno loco docet & confirmat Aristoteles. Etenim in capite secundo libri quarti de generatione animalium, *Flatibus*, inquit, *Aquilonis magis quàm austrinis, mares gignuntur*. Et paulò infrà: *Pastores, aiunt interesse ad maris ac fœminæ pecoris fœturam, non solùm si ita accidit vt initus, Aquilonis Austriníve flatibus fiat, sed etiam si cum pecus coit, spectat ad Aquilonem, aut Austrum. Ita minimo interdum momento causa datur caliditatis aut frigiditatis, hæc verò causam complent generationis.* In libro autem sexto, de Historia animalium capite decimonono, his verbis scribit Aristoteles: *Mares aut fœminæ generantur vi tum aquarum, tum admissariorum. Nam & aquæ faciunt vt fœminæ maréve concipiantur. Adhæc, Aquilonis flatu mares potius concipiuntur, Austri fœminæ. Vis tanta est Aquilonis, vt vel ea quæ non nisi fœminas pariant, immutet ad prolis masculæ procreationem. Spectare ad Aquilonem oportet, cum coeunt fœminæ.* Sic Aristoteles. Atque hęc sit prima causa generandi marem aut fœminam.

Vnde prouenisset in statu innocentiæ generatio fœminarum.

Diuersitas venti variat generationem.

B

C DEINDE, vehementer facit ad variandam generationem qua cogitatione & phantasia generationi vacantiũ animi pulsentur premanturque. Magnam enim vim habet imaginatio ad efficiendam prolem quæ generatur: cuius rei in animalibus quidem clarissimum habemus exemplum simul & argumentum, id quod in hoc libro Geneseos capite 30. de ouibus Iacob memoriæ proditum est. Cur autem tanta sit imaginationis potentia & efficacitas ad variandam generationem, & cur tam varias mirósque effectus habeat, elegantissimis verbis indicat Plinius in capite 12. libri 7. *Similitudinum*, inquit, *in mente reputatio est, & in qua credantur multa fortuita pollere, visus, auditus, memoria, haustæque imagines sub ipso conceptu. Cogitatio etiam vtriuslibet animum subito transuolans, effingere similitudinem aut mi-*

D *scere existimatur. Ideoque plures in homine quàm in cæteris omnibus animalibus differentiæ, quoniam velocitas cogitationum, animíque celeritas, & ingenij varietas, multiformes notas imprimit: cum cæteris animantibus immobiles sint animi, & similes omnibus singulisq; in suo cuique genere.* Hæc Plinius. In statu autem innocentiæ, vis & facultas generandi, ipséque actus generationis in voluntate & potestate hominis erat, non modo quantum ad affectionem & vsum eius, sed etiam quãtum ad modum & mensuram, necnon & quantum ad eiusdẽ actus intentionem aut remissionem. Ergo, cum voluisset homo generarẽ marem, intensiori animo & vehementiori imaginatione in actu generationis fuisset, maiorémque conatum adhibuisset, ideoque plus caloris,

Vehemẽs imaginatio generantium magnam vim ad variandã generationẽ habet.

ſpiritus genitalis,& vigoris in ipſum ſemen contuliſſet;quod factum A
eſſet, vt maspotius quàm fœmina generaretur. Contra verò,cum generanda erat fęmina,remiſſiori animo ad actum generationis acceſſiſſet:vnde minorem etiam vim ſemen eius habuiſſet, adiuncta præſertim intentiſſima cogitatione, vehementique imaginatione ac deſiderio generandi fœminam potius quàm marem. Atque huic noſtrę opinationi ſuffragatur S. Bonauentura in ſecundo Sentent. diſtinct. 20. quæſt. ſexta.

QVAESTIO IIII.

B

An in ſtatu innocentiæ, integritas fœminei genitalis ex commiſtione viri & receptione ſeminis virilis corrupta eſſet.

CÆTERVM, quod Auguſtinus ſcribit in libro 14. de Ciuitate Dei c. 26. futurã in ſtatu innocentiæ generationẽ prolis ſine vlla corruptione integritatis muliebris, & violatione ſignaculi virginalis, id meo quidem iudicio admirationẽ habet maiorem quàm fidẽ. Et Auguſtinus quidem ſic eo loci ſcribit: *In tanta facilitate rerum & felicitate hominum, abſit vt ſuſpicemur non potuiſſe prolem fieri ſine libidinis morbo: ſed eo voluntatis nutu mouerentur illa membra quo cætera: & ſine ardoris illecebroſo ſtimulo, cum tranquillitate animi & corporis, nulla corruptione integritatis infunderetur gremio mariti vxoris. Neque enim quia experientia probari non poteſt, ideo credendum non eſt; quando illas corporis partes non ageret turbidus calor, ſed ſpontanea poteſtas ſicut opus eſſet adhiberet. Ita tunc potuiſſe vtero coniugis ſalua integritate fœminei genitalis virile ſemen immitti: ſicut nunc poteſt, eadem integritate ſalua, ex vtero virginis fluxus menſtrui cruoris emitti. Eadem quippe via poſſet illud immitti, qua hoc poteſt eiici. Vt enim ad pariendum non doloris gemitus, ſed maritatis impulſus fœminea viſcera relaxaret: ſic ad fœtandum & concipiendum, non libidinis appetitus, ſed voluntarius vſus naturam vtramque coniungeret.* Hæc Auguſtinus. His autem verbis adductus Beatus Thomas videtur ſignificare, in ſtatu innocentiæ virginalem integritatem ob commiſtionem viri & fœminæ nequaquam corruptum iri. Nam cùm in prima parte quæſtione nonageſimaoctaua articulo ſecundo, quartum hoc argumentum ſeu obiectionem poſuiſſet, in ſtatu innocentiæ nullam fore corruptionem; at per coitum corrumpi integritatem virginalem; ergo coitum in ſtatu innocentiæ minimè futurum: hanc obiectionem poſteà diluens ſic ait: *Ad quartum dicendum, quod, ſicut Auguſtinus dicit libro decimoquarto de Ciuitate Dei, in illo ſtatu cum nulla corruptione integritatis infunderetur*

gremio

A *gremio maritus vxoris*: memorátque cætera Augustini verba, quæ paulò ante posuimus.

Discutitur opinio Sanct. Augustini.

Sed profectò, vt verùm esset quod Augustinus scripsit de integritate muliebri per actum generationis minimè violandæ in statu innocentiæ; ex eo tamen non efficeretur etiam virginalem integriatem saluam fore. Siquidem, vt egregiè disputat idem B. Thomas in secunda secundæ quæst. 152. art. 1. ad virginitatis rationem pertinet integritas, & immuniras à delectatione venerea: In qua tria sunt consideranda: vnũ est, violatio signaculi virginalis, alterum est, ipsa resolutio seminis sensibilem delectationem afferens: tertium est,

Quæ pertineant ad constituendã rationem virginitatis.

B propositum fruendi ea delectatione. In his tribus, primum quidem per accidens se habet ad actũ moralem; quippè qui non consideratur per se nisi secundum ea quæ sunt animi alterum verò materialiter se habet ad actum moralem propterea quòd sensibiles passiones materia sunt actuum moralium, tertium verò, habet se formaliter & completiuè? quia ratio moralium actuum, in eo quod est rationis completur. Cum igitur virginitas contineat remotionem prædictæ corruptionis, consequens est integritatem membri corporalis per accidens se habere ad virginitatẽ; ipsam autem priuationem delectationis quæ consistit in seminis resolutione, habere se materialiter: denique ipsum propositum perpetuò abstinendi à tali delectatione habere se formaliter & completiuè in virginitate. Ergo cum

C duo posteriora, quæ priores partes tenent in virginitate, excludat actus generationis ex commistione viri & fœminæ prouenies, concluditur necessariò, in statu innocentiæ simul cùm coniugio & actu generationis, integritatem virginitatis cohærere & constare non potuisse.

Sed reuertor ad August. cui equidem non assentior, sed puto signaculum virginalis integritatis etiam tunc per actum generationis apertum iri. Modus enim quo nunc fit actus generatinis per aperionem vuluæ muliebris, naturalis est, quippe qui etiam in cæteris animalibus seruetur. Exceptio igitur ardore immoderatæ libidi-

D nis & deformitate concupiscentiæ, quæ ex peccato ac priuatione iustitiæ originalis actui generationis contigerunt, & ferè adhærent, etiam hic modus fuisset in statu innocẽtiæ: quæ enim naturalia sunt homini, non sunt mutata propter peccatum, Deinde, cur veremur dicere integritatem corporalem fœminæ ablatum iri tũc per actum generationis, cùm non possimus inficiari eam corruptum iri in partu per egressum prolis ex vtero? nisi quis adeo excors & amens sit, vt quod in beatissima Virgine eximium & singulare fuit miraculum, vt clauso vtero filium suum ederet, id omnibus fœminis in eo statu vsitatum futurum fuisse opinetur.

B. Bonauentura quomodo in bonam.

Sed enim, Bonauentura sententiam Augustini bonam in partem interpretans in 2. Sententiarum distinctione 20. quæstione 4. hoc modo scribit: *Intelligendum est quod integritatis corruptio tria dicit,*

partem interpretetur opinionē S. Augustini.

scilicet clauſtrorum muliebrium apertionem, pœnalem paſſionem, & fœdam A
delectationem: quorum primum eſt naturæ, alterum eſt pœnæ, tertium verò eſt
corruptionis vitioſæ quæ medium tenet inter culpam & pœnam, Si igitur vir
cognouiſſet vxorem in tempore inſtitutæ naturæ, fuiſſet ibi clauſtrorum aper-
tio, non tamen ibi fuiſſet pœnalis paſſio, nec fœda delectatio, quia vis generatiua
nec eſſet tunc corrupta, nec infecta: immo obedirent rationi illa membra vt di-
cit Auguſtinus, ſicut obediunt os, manus & lingua. Vnde ſicut manus & os
aperitur & clauditur, nec eſt paſſio vel pœna, nec delectatio fœda, ſic fuiſſet
tunc circa iſta membra: nec turpius fuiſſet tunc loqui de iſtis membris quam
fuiſſet loqui de aliis. nunc enim turpe eſt loqui propter hoc quod natura hor-
ret & erubeſcit actum illum ratione fœditatis, quæ in ipſo conſiſtit. Hæc Bo-
nauentura. Cuius mihi quidem ſententia perplacet, ſed ea non vi- B
detur tamen cum Auguſtini doctrina conſentire, quippe qui, vter
verbis ſuprà poſitis liquido animaduertet lector, apertè ſentit, in
ſtatu innocentiæ etiam integritatem corporalem mulieris per actum
generationis minimè corruptum iri, ſed ſaluam & illibatam fore,
quod tamen negat Bonauentura.

CAP. I. VER. 28.

Benedixítque illis Deus, & ait, Creſcite & multiplicamini, & replete terram. C

BENEDICTIO Dei in ſcriptura ſignificat copiam & affluentiam bonorum quibus Deus homines afficit. autem loco indicat maximam fœcunditatem quæ data eſt homini, quo videlicet citius & numeroſius genus humanum propagari poſſet: quod in exordio mundi cum vnus tantum vir & vna fœmina ſint creati, neceſſarium fuit ob eandémque neceſſitatem ſtatim poſt diluuium, vt legimus capite nono Geneſeos, iterum Deus homini benedixit, & ſimiliter dixit, *Creſcite & multiplicamini.* Illud *Creſcite*, non ſignificat incrementum corporis ſecundum magnitudinem, primos enim homines perfe- D
ctos corporis mole ac magnitudine creatos eſſe conſtat, ſed ſignifi-
cat incrementum multitudinis: quod benè declaratur duobus proximè ſequentibus verbis, *Et multiplicamini, & replete terram.* Pro verbo *Creſcite*, eſt verbum Hebræum propriè ſignificans *Fructificate*, videlicet ita ſe habet proles hominis vt fructus arboris. Et frequenter diuina Scriptura ad ſignificandam prolem humanam, vtitur vocabulo fructus appellans eam fructum ventris: vti eſt illud, *De fructu ventris tui ponam ſuper ſedem tuam*, Eliſabeth dixit beatiſſimæ Virgini, *Benedicta tu inter mulieres, benedictus fructus ventris tui.*

Pſal. 131. Luc. 1.

DISPVTA

A

DISPVTATIO.

Aduersus nostri temporis Hæreticos, an ex hoc loco concludatur Præceptum esse à Deo Quemlibet hominem vacare generationi prolis.

HVNC locum Hæretici validissimum sibi putant præbere telum aduersus Catholicos virginitatem & cœlibatum non modo summis laudibus efferentes, sed etiam legitimo coniugio, dignitatis & meriti præstantia anteponentes. Clamant enim, nos Dei præceptis aduersari, B & propter vanas hominum traditiones atque superstitiones, certam manifestámque Dei legem & sententiã pro nihilo ducere. Hoc enim loco Moses narrat Deum benedixisse coniugio, & præcepisse hominibus vt crescerent & multiplicarentur: hoc autem fuit vel primum, vel certè secundum Dei præceptum datum Adamo, & sub eius nomine cunctis mortalibus ex eo propagandis. Quis igitur dubitet, à coniugio & generatione prolis abstinentes, diuinæ voluntati ac legi repugnare? Hæc isti declamitant apud imperitam plebem, & persuadent ea vel ignaris, vel ad licentiam carnis voluptatésque propensissimis. Quis autem mirari satis queat istorum impudẽtiam, qui vir- C ginitatem & cœlibatum inuentum hominum esse dicunt, Deóque displicere? cùm de eorum commendatione, & supra matrimonium dignitate ac merito expressissimam habeamus apud Matth. cap. 19. Domini sententiam, laudantis Eunuchos qui se propter regnum cœlorum castrauerunt, eorúmque conditionem coniugio præferentis. Nam cùm discipuli dixissent Domino. *Si ita est causa hominis cum vxore, non expedit nubere*; ipse respondit eis: *Non omnes capiunt verbum istud, sed quibus datum est: Sunt enim Eunuchi qui seipsos castrauerunt propter regnum cœlorum. Qui potest capere capiat.* Paulus quoque in prioris epistolæ ad Corinthios capite 7. disertissimis verbis de coniugio cœlibatu & virginitate disputans, virginitatem & cœlibatum longè præfert coniugio.

D SED ostendendum nobis est, telum quod ex hoc loco Mosis arripuerunt Hæretici, obtusissimum & planè nullum esse; vt de hoc aliisque Hæreticorum telis illud Dauidis verè dici possit. *Sagittæ parvulorum factæ sunt plagæ eorum.* Dicunt Hæretici, Deum his verbis dedisse homini præceptum ineundi coniugium & dãdi operam liberis. Ad hoc dupliciter respondeti potest: vel concedendo illud Domini dictum continere præceptum, sed negando eiusmodi præcepto teneri, aut omnes homines, aut omni tẽpore: vel inficiando in illis Dei verbis vllum præceptum contineri, aut impositam esse homini necessitatem colendi matrimonium & vacandi prolis generationi. Qui priori responso insistunt, variis id modis tractant. B. Cyprianus Tra-

Psalm. 63.

Responsio ad argumentum hæreticorum.

Prima interpretatio.

ætatu secundo de Habitu virginum (eademque fuit quorundam aliorum Patrum sententia) censet, præceptum illud Domini vim habuisse quo ad multiplicatum est genus humanum; postea verò continentiam in laude & honore fuisse. *Prima*, inquit, *Dei sententia crescere & generare præcepit: secunda continentiam suasit. Cum adhuc rudis mundus & inanis est, copia fœcunditatis generante propagamur, & crescimus ad humani generis augmentum. Cum iam refertus est orbis & mundus impletus, qui capere continentiam possunt, spadonum more viuentes castrantur ad regnum.* Hæc Cyprianus: cuius vestigiis insistens Magister sententiarum libro 4. distinct. 26. similia scribit his verbis: *Potest saneintelligi illud sub præcepto dictum hominibus primis ante peccatum* Crescite & multiplicamini, *quo etiam post peccatum tenebantur vsquequo est facta multiplicatio: postquam, contractus matrimonij fuit non secundum præceptum, sed secundum indulgentiam. Ita etiam post diluuium quo vniuersum pene humanum genus deletum est, secundum præceptum dictum est filiis Noë*, Crescite & multiplicamini, *Multiplicato vero homine, secundum indulgentiam contractum est, non secundum imperium.* Sic ille.

A

B

Genes. 9.

Secunda expositio S. Thom.

AT Beatus Thomas aliter respondens dicit, illud præceptum Domini non obligasse omnes & singulos homines, sed tantũ ipsam multitudinem: & ideo non est implendum à singulis hominibus, sed satis est vt impleatur à multitudine secundum aliquos. Nam in Secunda secundæ quæst. 152. artic. 2. respondens ad primum argumentum quo probabatur illicitam esse virginitatem, quia est contra illud Dei præceptum, *Crescite & multiplicamini*, in hanc sententiam scribit: *Præceptum habet rationem debiti: duplex autem est genus debiti, alterum quod impleri debet ab vnoquoque, & hoc debitum à nullo sine peccato præteriri potest: alterum est debitum non à singulis sed à multitudine implendum, quo non quilibet de multitudine tenetur, multa enim sunt multitudini necessaria quibus explendis vnus non sufficit, sed opus est multitudine, cuius vnus aliquis hoc facit, alius verò aliud. Præceptum igitur datum à Deo primis hominibus de comedendo, cum dixit*, Ex omni ligno Paradisi comede, *omnes & singulos obligat, & ab omnibus impleri debet; sine cibo enim nullus vitam tueri potest. At præceptum datum homini de generatione cum dictum est*, Crescite & multiplicamini, *non respicit singulos quosque homines, sed multitudinem hominum; quam necessarium est non solum multiplicari corporaliter, sed etiam spiritualiter crescere ac proficere. Quocirca satis prouidetur humanæ multitudini, si quidam generationi carnali operam dent; quidam verò ab hac abstinentes, contemplationi diuinorum vacent, ad totius humani generis pulchritudinem & salutem. Sicut etiam in exercitu quidam castra custodiunt, alij signa ferunt, nonnulli gladiis decertant: quæ tamen omnia debita sunt multitudini, sed per vnum impleri non possunt.* Ad hunc igitur modum B. Thomas præceptum illud Dei, *Crescite & multiplicamini*, interpretandum esse censet.

C

D

Tertia expositio Scoti.

SCOTVS autem in quarto Sententiarum distinctio. 26. ad hunc modum interpretatur illud præceptum: *Contractus*, inquit, *matrimonij institutus*

A *institutus est à Deo ante lapsum, Genes. 2.* Hoc nunc os ex ossibus meis, & *Genes. 1.* Crescite & multiplicamini, *& post lapsum Gen. 3.* Multiplicabo cõceptus tuos, & ærũnas, *dixit Dominus Euæ: & Gen. 9.* Crescite & multiplicamini. *Et est institutio matrimonij per modũ præcepti affirmatiui, quod obligat semper sed non ad semper, sed tempore necessitatis, non tantùm in principio, sed adhuc videtur eodẽ modo obligare, si paucitas in filiis ex aliqua causa accideret, putà ex bello, peste, vel clade, & huiusmodi.* Ita Scotus. Sunt etiã qui putauerunt, præceptum illud fuisse ratum & validum vsque ad Christi aduentum & promulgationem legis Euangelicæ: tunc autẽ perdidisse vim suam, cum Christus ad Eunuchismum & castrationẽ propter regnũ Cœlorum omnes inuitans dixit, *Qui potest capere capiat.* *Quarta expositio.*

B Sanctvs Chrysostomvs in libro de Virginitate cùm multis verbis contendisset probare non futuram in statu innocẽtiæ coniunctionem maris & fœminæ ad generationem prolis, sed eam ex peccato extitisse: in 17. capite eius libri dicit illa verba Domini, *Crescite & multiplicamini & replete terram*, non ad naturæ institutionẽ & statum innocentiæ pertinere, sed dicta esse in remedium cõcupiscentiæ iam fluẽtis post peccatum Chrysostomo suffragatur Damascenus libro 2. & 4. de fide orthodoxa dicens, propterea factam esse fœminam, quia sciebat Deus futurum esse peccatum, cui obnoxium genus humanum, non aliter quàm per maris & fœminæ coniunctionem esset generandum. Verum ex narratione Mosis liquidissimè perspicitur, in statu innocentiæ creatum esse marem & fœminam, & C mulierem factam esse adiutorium viro, videlicet ad generationem prolis: id quod suprà cum explanaremus illa verba *Faciamus ei adiutorium simile sibi*, satis argumentati sumus. *Quinta expositio.*

Beatvs Avgvstinvs in lib. 14. de Ciuitate Dei cap. 21. commemorat opinionem quorundam, verba illa *Crescite & multiplicamini*, spiritualiter tantũ interpretantium: *Quidã* inquit, *illud Crescite & multiplicamini, non secundum carnalem fœcunditatem volunt intelligi: quia & secundum animam legitur tale aliquid dictum, Multiplicabis in anima mea virtutem: vt id quod in Genesi sequitur*, Et implete terram, & dominamini eius: *terram intelligant carnem quam præsentia sua implet anima, eiúsque maximè dominatur cum in virtute multiplicatur. Carnales autem* D *fœtus sine libidine quæ post peccatum exorta, inspecta, confusa, & velata est, nec tunc nasci potuisse, sicut neque nunc possunt: nec in Paradiso futuros fuisse, sed foris sicut & factum est: nam pocteaquam inde dimissi sunt, adgignendum filios coierunt, eósque genuerunt.* Sic eo loco Augustinus; qui tamen ad hanc ipsam opinionem aliquando adhæsit, vt patet legenti quæ ab eo disputantur super illis verbis, *Crescite & multiplicamini*, tum in libro primo de Genesi contra Manichæos cap. 19. tum in lib. 13. Confessionum capite 24. *B. Augustini sententia.* *Psalm. 137.*

Vervm, non in ista sententia perstitit Augustinus: nam eam aliis locis acerrimè oppugnauit. Sanè in lib. 14. de Ciuit. Dei capit. 22. aduersus eam ita disputat: *Nos*, inquit, *nullo modo dubitamus secundum*

bene

benedictionem Dei crescere & multiplicari & implere terram, donum esse nuptiarum quas Deus ante peccatum hominis ab initio constituit creando masculum & fœminam: qui sexus euidens vtique in carne est. Huic quippe operi Dei etiam benedictio subiecta est: Nam cum scriptura dixisset, masculum & fœminam fecit eos: *continuò subdidit*, Et benedixit eis Deus dicens, Crescite & multiplicamini, & implete terram, & dominamini eius, &c. *Quæ omnia quamquam non inconuenienter possent etiam ad intellectum spiritualem referri, masculum tamen & fœminam non sicut simile aliquid etiam in homine vno intelligi potest: quia videlicet in eo aliud est quod regit, aliud quod regitur: sed sicut euidentissimè apparet in diuersi sexus corporibus, masculum & fœminam ita creatos, vt prolem generando, crescerent & multiplicarentur & implerent terram, cui sententiæ tam euidenti, magna abstinentia est reluctari. Neque enim de spiritu qui imperat, & carne quæ obtemperat: aut de animo rationali qui regit & irrationali cupiditate quæ regitur: aut de virtute contemplatiua quæ excellit, & de actiua quæ subditur: aut de intellectu mentis & sensu corporis: sed apertè de vinculo coniugali quo inuicem sibi vterque sexus obstringitur Dominus interrogatus, vtrum licet quacumque ex causa dimittere vxorem? respondit atque ait*: Non legistis, quia qui fecit hominem ab initio, masculum & fœminam fecit eos, & dixit, Propter hoc dimittet homo patrem & matrem, & adhærebit vxori suæ, & erunt duo in carne vna? Itaque iam non sunt duo, sed vna caro: Quod ergo Deus coniunxit, homo non separet. *Certum est igitur masculum & fœminam ita primitus institutos vt nunc homines duos diuersi sexus videmus & nouimus.* Hactenus verba fuere Aug.

HAEC prodita sunt ab iis, qui existimarunt illis verbis *Crescite & multiplicamini*, datum esse præceptum hominibus ineundi coniugia, & dandi operam liberis propter humani generis multiplicationem. Nec tamen doctores isti putarunt eo Dei præcepto omnes homines omnique tempore astrictos teneri vt falsò dictitant Hæretici. Censent enim illi, præceptum hoc vel non obligare singulos quosque homines, sed in vniuersum tantummodo ipsam hominum societatem atque communitatem vel obligasse quidem omnes homines, non tamen semper, sed tandiu quoad multiplicatum esset humanum genus: vel obligasse omnes & semper, verùm nõ ad semper vt loquitur Scotus, sed in casu tantum necessitatis, cum scilicet humanũ genus propter sæuissimam aliquam pestem aut cladẽ aliásque calamitates adeo diminutum esset, & ad tantam redactum paucitatem: vt nisi per generationem prolis quamprimùm succurreretur, timeri posset ne vel simpliciter & in toto orbe, vel certè in aliquo regno aut prouincia, penitus interiret: vel denique præceptũ illud habuisse vim obligandi homines vsque ad tempus legis Euangelicę; quo tẽpore dato à Christo Domino colendi virginitatem & cœlibatum consilio, obligatio illius antiqui præcepti soluta & sublata est. Verumtamen, hæc respõsa non ab Hęreticis modo improbantur, sed nec omnibus Catholicis plane satisfaciunt, Certè aduersus ea satis copiosè disputat Michaël Medina

A Medina libro 4. de Sacrorum hominum continentia in exordio secundæ controuersiæ per sex prima capita.

DICAMVS igitur nos quod recta ratio similius vero esse suadet,& videtur sacris litteris cõgruentius:nullũ illis Dei verbis *Crescite & multiplicamini*, præceptum contineri : sed voluisse Deum ea oratione declarare, propterea se cum creauit hominem fecisse eum marem & fœminam:vt per legitimam eorum coniunctionem humana proles generaretur,& ita genus humanum omni sæculo propagatum,perpetuò cõseruari posset:quo autem celerius & copiosius genus humanum multiplicaretur, maximam se vtrique sexui generandi fœcunditatem indidisse: idque sua benedictione significasse. Ob id autem imperandi modo dixit Deus *Crescite & multiplicamini*;

B vt intelligeretur,illum Dei sermonem operatorium esse & efficacem eius quod significatur illis verbis : vt sicut in aliis omnibus,ita & in hoc illud verum fuerit,*Dixit & facta sunt.* Nullum autem verbis illis subesse Dei præceptum,tribus hisci argumentis probari potest.Etenim vt Deus dixit hominibus *Crescite & multiplicamini* sic quinto die creatis piscibus & auibus similiter benedixit & dixit.*Crescite & multiplicamini, & replete aquas maris aueſque multiplicentur super terram.* Quis autem vsque eò sit amẽs, vt putet illis verbis datum esse à Deo præceptum piscibus generandi & multiplicandi genus suum ? pisces nempe cum ratione careant, Dei legis & præcepti minimè sunt capacs. Deindè, quemadmodum dixit Deus, *Crescite & multiplicamini*, ad eundem modum dixit primis hominibus, *Replete terram &*

C *subiicite eam,dominanini piscibus maris,& volatilibus cœli, & vniuersis animantibus, quæ mouentur super terram.* Neminem autem crediderim esse vel tam rudem, vel tam opinionis suæ tenacem, vt dicat præceptum homini esse à Deo,vt subiiciat sibi terram & dominetur animalibus:cùm per se manifestum sit, illis verbis non aliud significari quàm datum esse homini imperium in animalia, iusque ea capiendi & possidendi,& ad vsus suos prout libitum fuerit conferẽdi. Denique, si fuisset illud Dei præceptum ineundi matrimonium & vacandi prolis generationi, meritò quærendum esset quo tempore illud præceptum sit abrogatum : nusquam enim aut in veteri aut in

D nouo Testamento eius præcepti abrogatio traditur. non est autem credibile,tam antiquum, tam generale, tam diuturnum Dei præceptum sine publica auctoritate Ecclesiæ vel Synagogæ abrogatũ iri. De abrogatione Circuncisionis & aliorum Cæremonialium legis Mosaicæ multa legimus in Sacris litteris, & in vetustissimis Ecclesiæ Conciliis decreta; de antiquatione huius præcepti nihil vspiam in diuinis litteris,aut in œcumenicis Conciliis sancitum & constitutum inuenitur.Verùm de hac quæstione satis in præsens disputatum sit.

In illis verbis, Crescite & multiplicamini nullũ contineri præceptum.

Psal 148.

Genes. cap. 1. Vers. 29. *Dixítque Deus, Ecce dedi vobis omnem herbam afferentem semen super terram, & vniuersa ligna quæ habent in semetipsis sementem generis sui, vt sint vobis in escam, & cunctis animantibus terræ, omnique volucri Cæli, & vniuersis quæ mouentur in terra, & in quibus est anima viuens, vt habeant ad vescendum. Et factum est ita.* A

ILLVD *Ecce dedi vobis*, emphasim habet: significat enim quantam Deus prouidentiam & curam gesserit hominis, cui scilicet à se creato protinus omnia quæ necessaria vel opportuna ei erant non ad viuendum modo, sed etiam ad commodè, beatéque viuendum largissimè prospexerit & donauerit: nimirum ad conseruationem humanę speciei & hominum generationem vtrumque sexum maxima cum fœcunditate hominis naturæ inseruit: ad hominis habitationem, amœnissimum paradisi domicilium assignauit: denique ad victum eius, saluberrimorum & suauissimorum ciborum copiam ex herbis & arboribus paradisi exhibuit. Vt verissimè liceat dicere, ita Deum tractasse hominem, vt parens vnigenam summéque dilectum filiũ tractare solet. Quoniam autem plurali numero dixit Deus *Ecce dedi vobis.* haud dubiè significans Adam & Euam quibus hæc verba dixit; optima fit coniectura, hæc verba dicta esse in paradiso in quo Eua creata est, nec inde prius exiuit quam est à Deo propter peccatũ ejecta. Quo circa videntur nonnullis hæc verba iungenda cum verbis illis quæ sunt in capit. sequenti, *Ex omni ligno paradisi comede: de ligno autem scientiæ boni & mali, ne comedas*, quasi vna fuerit Dei oratio, hæc & illa verba eius simul comprehendens. Et huius sententiæ fuit Rupertus, vt manifestum fit lectori, quæ ab eo scripta sunt in libro 2. cap. 10. & cap. 32. de Trinitate & eius Operibus diligenter & attentè legenti. B C

Creatas esse arbores cum fructibus maturis.

DILIGENTER consideranda & perpendenda sunt illa verba *Omnem herbam & vniuersa ligna, vt sint vobis in escam.* Hinc apparet, arbores fuisse in exordio mundi creatas à Deo in perfecto statu, id est, cum fructibus iam maturis, videlicet vt homini quem Deus perfecta ætate, ob idque solido cibo indigentem creauerat, statim & abundè victum suppeditare possent. Hinc quoque licet intelligere, quanta in statu innocentiæ futura esset hominum in victu simplicitas atque frugalitas, vt tã multa & varia quæ deinceps in cibo & potu curiosè quæsita & solerter reperta sunt, vel infirmitas, vel intemperantia hominũ adinuenerit. Quin ea frugalitas vsque ad diluuiũ, per annos nempè 1656. constanter seruata & religiosè culta est. Ad D

Quanta fuerit à principio hominũ frugalitas.

hoc

A hoc tempus respexisse videntur poëtæ, cum aureum illud suum seculum describentes, simile in eo fuisse victus tenuitatem & simplicitatem elegantissimis versibus cecinerunt, quorum nonnullos ex tribus Poëtis expromptos hic adscribam. Boëtius lib. 2. de Consolatione Philosphica metro 5. hos versus edidit.

Felix nimium prior ætas,
Contenta fidelibus aruis,
Nec inerti perdita luxu,
Facili quæ sera solebat
Ieiunia
Ieiunia soluere glande,
Bacchica munera nec norat
Liquido confundere melle.
Vtinam modo nostra redirent
In mores tempora priscos.

Nec sententia, nec elegantia dissimilia sunt Ouidij carmina in li-
B bro primo Metamorphoseos.

Contenti cibis nullo cogente creatis,
Arbuteos fœtus, montanaque fragra legebant,
Cornaque & in duris horrentia mora rubetis,
Et quæ deciderant patula Iouis arbore glandes.

Similem sententiam Lucanus libro quarto argutissimis simul & venustissimis versibus expressit.

O prodiga rerum
Luxuries, nunquam paruo contenta paratis:
Et quæsitorum terra pelagoque ciborum
Ambitiosa fames, & lautæ gloria mensæ,
C *Discite, quàm paruo liceat producere vitam.*
Non auro myrrhaque bibunt, sed gurgite puro.
Vita redit: satis est populis fluuiúsque Cerésque.

Isidorvs libro 17. Etymologiarum capit. 7. vbi de nominibus arborum agit: *Ilex*, inquit, *ab electione dicta est: huius enim arboris fructum homines primum ad victum sibi elegerunt*: Vnde & Poeta.

Mortales primi ructabant gutture glandem.

Namqve glandes & castaneæ solidum admodum præbent alimentum, & quandam habent cum pane conuenientiam: quin ex his nonnullæ gentes panem sibi ad quotidianum cibum conficiunt.

Beda putauit, ante peccatum omnes plantas fuisse frugiferas, nullamq; noxiam homini.

D Beda in Hexameron quia hoc loco dicitur, Deum homini omnem herbam, omnésque arbores in cibum assignasse, argumentatur ante peccatum hominis nullam fuisse herbam vel arborem infructiferam aut inutilem homini ad cibum nedum noxiam, alioquin non omnem herbam, omnémque arborem dedisset homini Deus ad cibum. Sic autem scribit Beda: *Iam hinc patet quod ante reatum hominis nil noxium terra protulit, nullam herbam venenatam, nullam arborem sterilem, cum manifestè dictum sit, quod omnis herba & vniuersa ligna data sint hominibus ae volatilibus, terræ quoque animantibus cunctis in escam.* Verùm Bedae nec probabilis sententia est, nec firma ratio. Etenim quàm multæ sunt species pulcherrima-

Refellitur Beda.

rùm arborum quæ vel nullum ferunt fructum, vel certè ad victum A
hominis minimè accommodatum ? quas profecto credibile non est
aut defuisse in exordio mundi, aut ex frugiferis & homini ad cibum
vtilibus, propter peccatum hominis in contrariam naturam esse mu-
tatas. Peccatum enim ne in ipso quidem homine qui peccauit, quæ
erant ei naturalia vlla ex parte mutauit : quãto igitur minus in stir-
pibus, quas peccatum hominis nequaquam attigit? Dicet aliquis, Be-
dam locutum esse de solis paradisi herbis & arboribus. Sed neque
Etiam in paradiso fuisse arbores cibo hominis minimè conuenientes. hoc sententiam Bedæ adiuuat. Siquidem Ezechiel capite 31. *inter*
arbores quæ erant in Paradiso, commemorat platanum, abietem, B
& cedros, quas constat natura sua non esse humano victui conue-
nientes *Cedri*, ait Ezechiel, *non fuerunt altiores illo in paradiso Dei, abietes*
non adæquauerunt summitatem eius, & Platani non fuerunt æquales frondi-
bus illius: omne lignum paradisi Dei, non est assimilatum illi, & pulchritudini
Soluitur ratio Bedæ. *eius.* Est autem infirma Bedæ argumentatio. Illud enim *Omnem herbã,*
& omnia ligna dedi vobis in escam, hoc nimirum significat, nihil fuisse
de herbis & arboribus specialiter eis interdictum (vnam excipio ar-
brem scientiæ boni & mali) sed factam esse eis potestatem & co-
piam edendi quodque sibi deligerent ipsi in cibum. Scientiam
autem internoscendi stirpes quæ cibo hominis conueniebant ab his
quæ erant aliena, acceperat Adam à Deo, eámque posteris suis ipse
tradidisset : cuius loco in brutis animantibus est naturalis quidam
instinctus, quo velut magistro ducéque, conuenientia naturæ suæ C
persequuntur fugiúntque contratria. Vel illud *Omnem herbam, & om-*
nem arborem: intelligi debet non simpliciter & absolutè sed cum ad-
iunctione, scilicet humano victui conuenientem: ad eum nempè mo-
dum quo interpretamur illud Pauli 1. ad Timotheum 4. *Omnis crea-*
tura Dei bona est, & nihil reiiciendũ quod cum gratiarum actione percipitur,
intelligimus enim omnem creaturã Dei bonam esse, quæ ad cibũ ho-
minis pertinet, nam id agit & vrget eo loco Paulus. Sanè, cum Moses
dixit capite secundo, Deum in Paradiso produxisse omne lignum
pulchrum visu & ad vescendum suaue, non obscurè indicauit etiam
arborum quæ erant in paradiso, alias fuisse speciosas & pulchras ad
aspectum, alias verò iucundas & suaues ad vescendum. D

DISPVTATIO.

An in statu innocentiæ fuisset in vsu hominibus carnium esus.

EX HAC Domini sententia qua ipse victum homini
ante peccatum assignauit ex herbis & arboribus, nul-
lum de carnium esu verbum faciens, rectè Patres &
Theologi intelligendum esse censueuerunt, victũ ho-
minis in statu innocentiæ ex solis herbis & arborum
fructi

A fructibus futurum, nec vllum fore vsum animalium homini in cibũ. Id enim colligitur euidenter ex hoc loco: Deus enim designans ea vnde cibum capturus erat homo, herbas tantum & arbores nominauit, de esu animalium nihil dixit: at si eo tempore vesci animalibus licuisset homini, cũ is cibus, futurus esset principalis humani victus pars, non eum Dominus tacuisset. Sed cur in eo statu non licuisset homini vesci carnibus? in promptu causa est. Cum victus ex herbis & fructibus arborum præsertim Paradisi sufficeret alendo homini, essétque saluberrimus & suauissimus, superuacaneus fuisset eis cibus ex carnibus animalium, non erat autem conueniens, propter solam gulæ delectationem, hominem in eo statu in quo nihil præter ratio-
B nem rectam agere debebat, carnibus animalium ad cibum vti velle. Adiice, quod victus ex his quæ terra gignebat, magis etat naturalis, simplex, faciliſque, ac sine vllo hominis labore & cura parabilis. cibus autem ex animalium carnibus non sine magno negocio comparari potuisset: multis enim opus est ad conficiendum homini cibum ex animalibus. id autem valdè auocasset hominem à contemplatione rerum naturalium & cœlestium, & à studio & exercitatione conquirendi scientiam, quæ præcipua fuisset in eo statu hominis cura & occupatio, sicut Damascenus scribit in lib. 2. de Fide orthodoxa, cap. vltimo: *Homo*, inquit, *ante peccatum in terris corpore degens, animo cum*
C *Angelis diuersabatur in diuinæ operibus intelligentiæ, talibusq; studiis innutriebatur: ad solum conditorem per creaturas eius assurgens. eumq; contemplans, incredibili voluptate perfungebatur atque lætabatur.*

SED quispiam fortasse nobis obiiciat, Deum homini dedisse absolutum imperium in animalia, ergo potuisset eis arbitrio suo etiam in cibum vti. Verùm huic respondendum est, datum esse homini imperium in animalia absolutum quidem quantum ad ius & potestatem, quantum ad vsum verò, cum hac vna exceptione, scilicet non vtendi eis ad cibum: id enim & recta ratio conueniens ei statui esse demonstrabat, & Deus ita fieri volebat. Sicut etiam nos tempore Quadragesimæ nihilo minus quàm antea ius & imperium habemus in gallinas, anseres, palumbes, aliáque animalia quæ possidemus, quorum tamen esu id temporis interdictum nobis est. Non eo insi-
D cias quin homo in statu innocentiæ plerúmque occisurus fuerit animalia, non tamen ad esum, sed vel in venatione honestæ oblectationis causa, licet Basilius in Homilia 11. in Genesim contra sensisse videatur, vel ad pernoscendas interiores & abstrusas eorum corporis partes, quarum aspectum & notitiam scientia Anatomiæ nobis nunc exhibet: vel ad capienda varia experimenta earum rerum quæ ad sciendam vim & naturam animalium cognoscere necesse est. Quin ego arbitror fore vt in statu innocentiæ omnes artes liberales colerentur & exercerentur: illas dico artes quæ declarant solertiam humani ingenij, & ingenuam habent delectationem; præbendisque variis experimentis ad comparandas rerum naturalium doctrinas plu-

In statu innocentiæ futurus erat vsus artium liberalium.

rimum cõferunt adiumenti : denique quas artes etiã Reges colere & A
tractare decorum & honestũ ducitur. In hoc genere in primis posue-
rim agriculturã tũ musicam, artẽ itẽ nauigãdi, pingendi, architectãdi
& variis rerũ naturis artificiosè miscẽdis tẽperãdisque, nouas & egre-
gias hominiq; ad varios vsus cõmodissimas rerũ species producendi.

Cur Deus primis hominibus nõ præscripsit potum sicut cibum eis assignauit.

Sed cur, vt certum homini cibum præscripsit Deus, non itidem certum eidem potum præstituit? An quia in cibo magna erat varietas, & eorum quę terra nascuntur, & animalium? vtrumque enim, nisi vetuisset Deus, ad victum hominis adsciscì potuisset quoniam autem Deus in eo statu carnibus animalium hominem vesci noluit, assignandus ab eo fuit homini certus ex herbis & fructibus arborum quo vteretur cibus. In potu autem nulla erat varietas: solus B
enim aquæ potus id temporis homini suppetebat, qui propter excellentem aquarum bonitatẽ, maximamq; humani corporis sanitatem atque firmitatẽ, iucundissimus simul & saluberrimus fuisset. Vinum autem tunc nullum erat: nam licet fuissent vites, non tamen ad potum vini, sed ad esum vuarum, & quia tunc vino nõ erat opus, abundè sufficientibus aquis humano potui, propterea nulla homines bibendi vini incessisset cupido, Ante diluuium autem non fuisse in vsu vinum: saltem apud bonos & pios viros, valdè probabilis fit coniectura ex ebrietate quæ contigit Noë. Is enim post diluuium & deterioribus factis aquis, & admodum infirmato humani corporis temperamento, diuino instinctu intelligens vtiliorem fore homini potum vini cœpit serere vites, vinumque conficere: cuius potu turpissima correptus est ebrietate in quam ille non ex intemperantia lapsus est, sed ex ignorantia virtutis & potentiæ vini: cuius eum vis minimè latuisset, si potus eius ante diluuium fuisset in vsu, quippè qui sexcentos annos ante diluuium vixisset.

Potus vini nec fuisset in statu innocẽtiæ nec fuit in vsu ante diluuium.

De ebrietate Noë Genes. 9.

C

Genes. 1. Vers. 29. *Vt sint vobis in escam, & cunctis animantibus terræ, omnique volucri cæli, & vniuersis quæ mouentur in terra, & in quibus est anima viuẽs vt habeãt ad vescẽdum.*

D

Commendatio diuinæ prouidentiæ erga animalia.

Rupertus lib. 2. de Trinit. cap. 10.

Admirabilem diuinæ prouidẽtiæ munificentiam, cunctas animantes etiam minimas atque vilissimas cuiusmodi sunt quæ ad saxa adhærẽtes immotæ nutriũtur solo tactus sensu notabiles, quas Rupertus designatas putat à Mose illis verbis, *Et in quibus est anima viuens*: etiã has, inquã, vilissimas animantes sua cura & benignitate amplectẽtis. Nõ enim sat fuit Deo victũ assignasse Domino, id est, homini, nisi etiã seruis & mancipiis eius, id est, animalibus quæ hominũ seruituti addixerat cibũ abundè cõpararet. Hãc Dei prouidentiã ad omnia pertinentem & permeantẽ admirans & prædicans Dauid Psal. 103. *Omnia*, inquit *à te expectant, vt des illis escam in tempore; Dante te illis colligent: aperiente*

A *riente manum tuam, omnia implebuntur bonitate.* Atque huius quæ ad animalia pertinet prouidentię contemplatione, iubet nos Dominus noſter in Euang. Matth. c. 6. Deo penitus confidere: *Reſpicite,* inquit, *volatilia cœli quoniam non ſerunt, neque metunt neque congregant in horrea: & Pater veſter cœleſtis paſcit illa. Nonne vos magis pluris eſtis illis?* Et apud Lucam c. 12. *Conſiderate coruos, quoniam non ſeminant neque metunt, quibus non eſt cellarium neque horreum, & Deus paſcit illos: Quanto magis vos pluris eſtis illis?* Nominatim autem præter cæteras animantes, in argumentum diuinæ prouidentiæ commemorauit Dominus coruos, quòd ſit coruus animal carniuorum & admodum edax, qui cùm paruulus eſt

Singularis Dei prouidẽtia erga coruos.

B derelictus à parentibus, propter penuriam & auiditatem cibi ſubindè clamat, quaſi Dei prouidentiam inuocans, & à Deo paſci ſe cupiens. nam & Scriptura clamorem illum corui, inuocationem Dei appellat. Sic habes in Pſalmo 148. *Qui dat iumentis eſcam ipſorũ, & pullis coruorum inuocantibus eum:* idemque multis ante Dauidem ſæculis Iob prædixerat cap. 38. *Quis,* inquit, *præparat coruo eſcam ſuam, quando pulli eius clamant ad Deum vagantes, eo quod non habeant cibos.*

DISPVTATIO.

Vtrum animalia quæ nunc ſunt carniuora, in exordio mundi etiam carnibus veſcerentur, an ſolis plantis.

C SED exiſtit hoc loco minimè diſſimulanda quæſtio, An quæ nunc inter animalia ſunt carniuora, vt ſunt Leones, tunc, id eſt, in ſtatu innocentiæ vel ante diluuium, comediſſent carnes animalium, an ſolis terra naſcentibus vſi fuiſſent in cibum? nam & hoc loco Deus ſolas herbas & fructus arborum in cibum aſſignauit cunctis animantibus, & tamen videtur naturale quibuſdam animalibus carnibus veſci: quod autem naturale eſt, ab initio eſt, & ſemper eſt, nec niſi raro & per accidens abeſſe ſolet. B. Thomas non falſum modo ſed etiam irrationabile ducit, putare animalia quæ nunc ſunt carniuora, in exordio mundi non fuiſſe carniuora, ſed ſolis terra naſcentibus veſci ſolita. Cum enim eiuſmodi animalibus naturale ſit nunc veſci carni-

D bus: eodem modo fuiſſe illis naturale omni tempore cenſendum eſt. Quod enim cuique rei naturale eſt, ſemper ei conuenit, niſi forte per accidens. Ponam hic verba B. Tho. quæ ſunt apud eum in prima parte quæſtione 96. artic. 1. *Quidam,* inquit, *dicunt, quod animalia quæ nunc ſunt ferocia & occidunt alia animalia, in ſtatu illo fuiſſent manſueta non ſolum circa hominem, ſed etiam circa alia animalia: Sed hoc eſt omnino irrationabile. Non enim per peccatum hominis natura animalium eſt mutata: vt quibus nũc naturale eſt commedere aliorum animalium carnes, tunc vixiſſent de herbis, ſicut Leones & falcones. Nec Gloſſa Bedæ dicit Geneſ. 1. quod ligna & herba datæ ſunt omnibus animalibus & auibus in cibum, ſed quibuſdam. Fuiſſet ergo naturalis diſcordia inter quædam animalia: nec tamen*

propter

propter hoc subtraherentur dominio hominis? sicut nec nunc propter hoc subtrahuntur dominio Dei, cuius prouidentia hoc totum dispensatur. Et huius prouidentiæ homo executor fuisset, vt etiam nunc apparet in animalibus domesticis: ministrantur enim falconibus domesticis per homines gallinæ in cibum. Hæc S. Thomas. A

A SENTENTIA beati Thomæ non longè abest Caietanus: cuius super hoc ipso loco Geneseos quem nunc tractamus, hæc sunt verba: *Difficilis quæstio est de animalibus carniuoris & volucribus multis quo pacto verificetur quod eis sit prouisum de alimento fructuum, seminum, & herbarum, vt in textu dicitur, Solutio est, nullum esse animal quod non posset ex his viuere, vt testatur prouisio facta à Noë pro victu animalium omnium tempore diluuij. Tacuit autem Moses prouisionem qua etiam prouisum est à Deo huiusmodi animalibus vt vescantur carnibus: eo quòd appetitus carnium competit istis animalibus non secundum naturam communem illis & reliquis animalibus: quia ipse describebat prouisionem communem, quocirca relatiuè ad communem rationem animantium, appetitus vescendi carnibus tanquam ex necessitate materiæ consurgens inuenitur: & propterea merito tacitus est à Mose.* Sic Caietanus. opinionem Sancti Thomæ secutus est Tostatus tractans quæstionem 35. super primum caput Geneseos. ad quam opinionem confirmandam, adhibetur auctoritas Aristotelis in primo libro Politicorum distinguentis tria genera animalium, quorum nonnullis naturale sit vesci tantùm herbis, vt sunt pecudes: aliis vesci tantum carnibus, vt leonibus: quibusdam indifferenter & vtrisque, vt homini. B C

Ante diluuiũ nullum animal vixisse carnium esu.

ALTERA huic contraria est sententia: in statu innocentiæ & ante diluuium, animalia non carnibus aliorum animalium, sed his tantùm quæ terra gignebat vesci consueuisse. Hoc sensit Beda & affirmatè dixit in Hexameron, hunc quem in manibus habemus locum explanans: *Patet*, inquit. *quia nec ipsa aues raptu infirmorum alitum viuebant: nec lupus insidias explorabat circum ouilia: nec serpenti puluis panis eius erat: sed vniuersa concorditer herbis virentibus ac fructibus arborum vescebantur.* Hæc Beda: Cuius verba hæc quæ commemoraui, mecum reputans miror equidem vehementer, quomodo B. Thomas eo loco quem paulò ante posui scribat, Bedam non esse locutum de omnibus animantibus, sed de quibusdam tantum: atqui expressè Beda dixit vniuersa animalia tunc ex herbis & fructibus arborum concorditer cibum percepisse. Tostatus etiam, mutata priori sententia quam super primum caput Geneseos secutus fuerat: deinde super decimumtertium caput Geneseos quæstione 272. longa disputatione contendit probare, animalium ante diluuium nulli fuisse cibum ex carnibus aliorum animalium, sed ex his tantum quæ terra nascuntur. Duobus autem potissimum argumentis fides huic opinioni astrui potest. Etenim, Deus hoc loco perspicuis verbis dixit se dedisse herbas & arbores in escã cunctis animantibus, nullum excipiẽs genus animalium nullámque de carnium esu mentionem faciens. Verùm, qui cõtra sentiunt, D

A tiunt, huic rationi occurrentes respondent, Deum non de omnibus animalibus esse locutum, sed de his tãtum quæ non sunt carniuora, & his solis cibum ex herbis & fructibus arborũ attribuisse. At enim, leuissimam esse hanc defensionem dupliciter conuincitur. Primò, oratio Dei, adeò generalis est, vt nullam possit admittere exceptionem: ter enim vsus est Deus nota generalitatis, dicẽs: *Vt sint in escam cunctis animantibus terræ, omnique volucri cæli & vniuersis quæ mouentur in terra, & in quibus est anima viuens.* Num potuit quicquã generalius dici de animantibus quàm hic dictum est? vt consultò videatur ita locutus Deus, quo nullum locum excipiẽdi genus, aliquod animalium relinqueret. Deinde, nulla erat ratio cur Deus non carniuoris animalibus cibum assignaret, de carniuoris autẽ nihil diceret, cùm hæc in magna sint varietate & fere nobiliora sint non carniuoris. Accedit altera ratio ad eam opinionẽ cõprobandam: In arca Noë per vnum annum fuere omnia animalia, neq; tamen eo tempore, vllum eorum
B vescebatur carnibus: id quod patet ex genere escarũ quas Deus iussit Noë in arcam importare, vt scriptum est extremis verbis sexti capitis libri Geneseos: & ex eo quod de immundis animalibus bina tantum cuiusque speciei in arcam ingressa sunt, de mundis autem, septena: quæ paucitas, animalium conseruandis speciebus simul & alẽdis carniuoris animalibus minimè suffeciisset. Nec miraculo debet attribui, carniuora animalia id temporis non carnibus sed terra natis vixisse: nam etiam post egressum ex arca, aliquandiu abstinuisse ea esu carnium necesse est dicere: alioqui cùm tam pauca tunc essent cuiusque speciei animalia, aliquot eorum species fuissent à carniuoris absumptæ & penitus è medio sublatæ.

Cur ante diluuiũ nullum animal vescebatur carnibus.

Q v o d autem quæ nunc sunt carniuora, eo tempore non vescerentur carnibus; causa non fuit, vel quod Deus per miraculum seruaret alias animantes ne illorum fierent præda, vel quòd carniuoris adimeret, quantum ad actum secundum, naturalem propensionẽ &
C auiditatem edendi carnes, vel quòd mutata sit natura animalium ante & post diluuium, vel quòd fecerit Deus vt herbæ ac fructus per id tempus essent animalibus iucundiores ac salubriores quàm carnes, similiter vt in manna quod datum est Hebræis in deserto factum creditur: Non enim credibile sit, Deum sine necessaria causa tantum miraculum tãto tempore in brutis facere voluisse, cùm facile sit eius rei causam referre ad bonitatem eorum quæ tunc gignebat terra, & ad optimam animalium temperamenti constitutionem. Cùm enim animalia ex herbis & fructibus arborum abundantem, iucundum, salubrem, & ipsis alendis & corroborandis sufficientem cibum sine labore vllo perciperent: nulla profecto vel fame vel auiditate ad cẽdem animalium esumq; carnium incitabantur.

Solutio argumentationis contrariæ opinionis.

A d illud autem argumentum, quod contrariæ opinionis auctores robustissimũ putant, quod naturale est animalibus, id nullo tempore mutari, quare si quibusdam nunc naturale est vesci carnibus,

semper eis naturale fuit : Facillimum est respondere, naturale dupliciter accipi, vno modo quod consequitur naturam specificam & fluit ex rei essentia, quemadmodum naturale est homini esse risibilem : & hoc nullo tempore mutabile est, non sanè magis quàm ipsa substantia. Altero modo naturale dicitur quod consequitur naturam individuale, atq; ipsum corporis tẽperamentum, quã vulgo appellãt complexionem : Et quia temperamentum hominis & animalium pariter cum ætate variatur : hinc accidit, vt quòd vna aliqua ætate naturale est homini, id secundum aliam ætatem non sit ei naturale. Verbi causa, naturale est homini in infantia non vesci carnibus, sed materno lacte ali, cui tamen adulta iam ætate, variato scilicet temperamento, naturale fit vesci carnibus, præter naturam autem solo lacte nutriri. Cum igitur & vis plantarum, & ratio temperamenti animalium valde admodum dissimilis fuerit ante & post diluuium: nulli debet mirum videri, animalia quæ nunc sunt naturaliter carniuora, eis antea diluuium ex herbis & fructibus arborum naturalem fuisse cibum. A

Auctor posteriori sentẽtiæ libentius accedit.

HÆc igitur sunt quæ de proposita quæstione in contrarias partes à magnis viris disputantur. Ac licet vtraq; sentẽtia satis probabiliter teneri ac defendi queat: posterior tamẽ mihi cõgruentior diuinæ Scripturæ, & sanctorum Patrum doctrinæ affinior videtur. Vnum in præsens ad eius rei confirmationẽ testem grauissimũ excitabo B. Basilium, qui quod in posteriori sententia disputauimus, affirmatè docet, & diserte tractat hom. 11. in Genesim. nam explanãs hunc ipsum locum de cibo quem Deus animalibus ex herbis & arboribus assignauit, ita scribit: *Non dixit, dedi vobis pisces in cibũ aut pecora : neq; enim in eum vsum hæc creaui. Primaria enim illa legislatio esum tantũ indulsit fructuũ. etenim nobis in cõmune cũ feris cæterisq; animalibus collatus est fructuum esus: cùm tamẽ nunc paucas ferarũ liceat videre ali fructibus. Nam quo tãdem fructu pasci se panthera sustineat? quis fructus cedat leoni in cibũ? Attamẽ ferarũ istæ tãtisper dũ iugũ legis naturæ passæ sunt, vitã tolerabant esu ætione fructuum. Hominẽ autem cum præsensset Deus post diluuiũ nequaquam sibi ab inconcessis cibis temperaturũ concessit quouis cibo vesci. Nam de animalibus loquens cum homine: Omnia hæc, inquit, quasi olera virentia tradidi vobis. Per hanc nobis indultã concessionẽ, & animalia quæq; pari libertate donata sunt quidlibet impune edendi. Ex eo tempore crudis leo vescitur: vultur hianti rostro cadauera affectat. Neque enim vultur id habuit ab exordio suæ creationis: nullum enim eatenus reperiebatur morticiniũ quo se nutricarent vultures. At ne id quidem sinebat natura in suo consistens vigore. Neque tunc venatores conficiendi ferũ operã dabant: neque dum id studio erat hominibus, cùm nec feræ suam rabiem exertis in homines dentibus exercerent : vt quæ nec dum essent crudiuora. Inualuit deinde vulturibus cõsuetudo victum quærendi ex morticinis cadaueribus: ab initio autem & vulturibus, & aliis quæ nunc sunt carniuora, cygnorum instar mansuetudo indiscreta erat & eadẽ omnibus viuendi ratio. Pratenses tantũ herbas animal omne sibi attondebat & depascebat. Eius rei insigne quoddam & in canibus liceat videre: Dum enim student sibi ipsis mederi, eos videas identidem* B

Genes. 9.

C

depasci

A *depasci gramen: non quod alendo cani gramen conueniat: sed quia circa operam humanæ disciplinæ, doctrice tantùm natura, ad id bruta confugiunt quod sibi naturali instinctu sentiunt vsui futurum. Velim reputes tecum, istiusmodi fuisse tum animalia (quæ hodie vides cruda vesci carne) vt vi imaginatiua apprehenderint herbam omnem sibi collatam in cibum, cõuenientem sibi & salubrem esse: atque ob eam causam eo cibo contenta, alia aliorum vitæ nequaquam insidiabantur.* Hæc Basilius. Idem sensit Iosephus in lib. 1. Iudaicarum antiquitatum scribens ante primi hominis peccatum nullum fuisse inter animalia dissidium.

Erat autem vterque nudus, Adam scilicet & vxor eius, & non erubescebant. CAP. 2. VERS. 25.

SIGNIFICAT Moses hac ratione, fuisse primos illos homines animo simplici & candido atq; innocẽti: tales scilicet, vt quamuis nudi essent, nullo tamen pudore afficerentur, tanta erat carnis & spiritus cõcordia, nullaq; sensus aduersus rationem rebellio. Itaque breuiter his verbis indicatur
B qualis fuerit primęuus ille status hominis ante peccatum, tam secundum corpus quàm secundum animum: Secundum corpus, quantum ad naturalem pulchritudinem & impassibilitatem: tanta enim erat pulchritudo corporis, vt ad eius decorem & ornatum nullis opus esset vestibus: Quantum ad impassibilitatem; quia licet nudi essent, nullis tamen imbrium, ventorum, caloris, frigoris, aliisve cęli & aëris incommodis obnoxij essent. Secundum animum verò, quantum ad innocentiam quæ declaratur expressissimè illis verbis, *Et non erubescebant:* significatur enim perfecta vacuitas ab omni perturbatione animi: omniq; appetitus immoderato motu, perfectaq; obedientia quam pars inferior hominis præstabat superiori. Et quia tantum hoc bonum ex originali iustitia proueniebat, simul etiam demonstratur, quanta fuerit illius admirabilis doni vis & excellentia.

C SCIENDVM autem est, post peccatum opus fuisse vestibus, earúmq; vsum varias ob causas esse vsurpatum. Primo quidẽ, necessitatis causa cœptum est vti vestibus, ad tegendum scilicet & tuendum corpus aduersus cęli & aëris iniurias: tum verecundiæ & honestatis causa ad velandũ obscœnitatem quorundã membrorũ: posteà ad vitium aliquod & deformitatem corporis occultandã: deinde ad ornatum & pulchritudinẽ, quinetiam (proh nefas) ad lasciuiã & libidinis irritamentũ: deniq; ad discernẽdos varios dignitatis & potestatis hominũ gradus. Hæc autem in statu innocentiæ locum non habuissent, nullus igitur fuisset tunc vsus vestiũ. Multis item de causis vsu venit vt nuditas corporis non sit probro aut pudori: vel quòd quis non sit cõpos rationis, vt pueri & amentes, vel quia nimius aliquis timor occupat & obruit pudorem, vt si quis sentiens ruinã aut incendiũ domus, nudus è lecto prosiliat in publicum, vel ob antiquissimã regio-

Multiplex vsus vestium.

Quibus de causis nuditas corporis non sit pudenda.

nis consuetudinem, vt in Brasilia & alibi omnes nudo sunt corpore A & mos lauandi simul in balneis, nuditatis pudorem aufert; vel quia corpus amictu gloriæ vestitum & ornatum est, corpora enim Beatorum post resurrectionem nuda erunt: sed quia tunc fulgebunt iusti sicut Sol, ea nuditas magno illis decori & gloriæ erit. Ad extremum, in statu innocentiæ nuditas corporis minimè pudenda fuisset: quò enim vestibus vti voluissent: cùm nec exterius propter nuditatē mali vel molestiæ quicquam eis accideret, nec interius quicquam inordinatum & pudendum sentirent? Scitè igitur Augustinus *lib. 11. de* Genesi ad litteram cap 1. *Nudi erant*, inquit, *primi homines & non confundebantur. Nullus erat motus in corpore cui verecundia deberetur: nihil putabant velandum, quia nihil senserant refrenandum. Quid enim pudere eos, quando nullam legem senserant in membris suis repugnantem legi mentis suæ?* Hæc ibi Augustinus.

Plato consentanea Mosi scripsit de nuditate corporum primorum hominū.

PLATO priscorum hominum qui regnante Saturno vixerunt (quod Poëtæ tempus aureum appellarunt) innocentiam & simplicitatem in victu & vestitu, omniq; cultu vitæ commendans, similia B prodidit eorum quæ Moses memorat de felici primorum hominum statu ante peccatum. Hæc enim in Politico scripta reliquit Plato: *Neque vero*, inquit, *illo tempore erat vlla fera, neq; alia in prædam & escam alij cedebat: neque bellum, nec seditio erat vlla, essent quidem plura quæ dici possent, quæ hanc tantam quietem sequebantur. Verum illud modo dicatur, quod ad spontaneum hominis victum pertinebat. Deus ipsos pascebat, eisq; præerat: sicut nunc homo, cum sit diuinum animal, alia pascit & regit animalia. Deo autem pascente, nullæ erant tunc Respublicæ, neque vxorum, filiorumq; prouentus: è terra omnes alebantur, vberes fructus habebant à quercubus, & ab aliis arboribus, non quidem per agricolationem natos, sed sponte terra generatos: Nudi & sine strato sub dio perseuerabant: montium amœnitates illi erant, lectos habebant molles, cùm herbæ omnes è terra vbertim germinarent.* Hæc Plato: quantum ad victum ex terra nascentibus & nuditatem corporum, valde congruenter his quæ hoc loco scripsit Moses.

Præparatio lectoris ad quintū librū proxime sequentem.

ATQVI hic locus, in quo felicissimus primorum hominum C status ante peccatum breuiter significatur & commendatur, inuitat nos vt de amplissimis status innocentiæ bonis & excellentia seorsum & accuratè disputemus. Verum, quia satis longa & litigiosa hæc futura est disputatio, quæq; iustam vnius libri mensuram implere possit, cumq; magnitudo huius quarti voluminis tantum excreuerit, vt iam sibi terminum & finem aliquem poni desideret, satius erit, vt eam disputationem in quintum librum qui hunc proximè sequetur conferamus, eumq; librum in tam graui, & difficili, præclaraq; materia diligenter & copiosè tractanda totum consumamus.

Libri quarti finis.

A BENEDICTI PERERII COMMENTARIORVM IN GENESIM.

LIBER QVINTVS.

Qui est de fœlici primorum hominum statu ante peccatum, seu de statu innocentiæ.

B

PRÆFATIO.

QVANTA fuerit excellentia status innocentiæ, in quo primi nostri parentes breuissimo tempore fuerunt (sed nisi peccassent, perpetuò & ipsi & eorum posteri omnes permãsissent) tribus ex rebus liquidè cognosci, & existimari potest. Primùm ex his, quæ de præstantia eius status sparsim in Sacris litteris scripta legimus: tum ex malis & miseriis, in quas statu illo deturbati, omnes delapsi sumus: postremò ex his quæ de eius status fœlicitate viri sanctissimi, & diuinarum rerum scientissimi, à Deo illuminati doctíque scriptis prodiderunt. *Tribus ex rebus cognosci posse status innocẽtiæ excellentiam.*

C SED quænam sunt quæ de isto statu in Sacris litteris traduntur? eximia sanè & præclara. Quid enim admirabilius, quàm quod extremis verbis secundi capitis de Adamo & Eua narrantur à Mose: *Erat*, inquit, *vterque nudus, & non erubescebant?* Quibus verbis duplex illius status excellentia indicatur: altera continet inæstimabilem simplicitatem animi atque innocentiam, propter quam nullus homini ex nuditate sui corporis pudor accidebat: nulla erat vllius membri obscœnitas, quia nullus in eis erat obscœnus motus; nulla erat lex in membris repugnans legi mentis: denique, nihil in corpore auersandum, vel pudendum sentiebatur. Altera excellentia pertinebat ad impassibilitatem corporis: cùm enim nudum esset corpus, nullis tamen extrinsecus incommodis & molestiis pulsabatur, nedum lædebatur.

batur. Deinde, ſcriptum eſt in capite ſecundo lib. Sapientiæ, Deum A creaſſe hominẽ inexterminabilem: quo ſignificatur, talem eſſe à Deo creatum hominem, vt poſſet nec peccare, nec mori: id quod magnam habet & corporis & animi fœlicitatẽ. Adhæc, in 7. c. lib. Eccleſiaſtæ, ſic eſt à Salomone ſcriptum: *Fecit Deus hominem rectum, ipſe ſe infinitis miſcuit quæſtionibus.* Rectitudo autem hominis duplex eſt: altera in parte ſuperiori hominis, vt ea ſcilicet vſquequaque Deo ſubiecta ſit. Altera eſt in parte inferiori, in qua ſunt ſenſus & appetitus irascibilis atque concupiſcibilis, quæ quidem pars inferior ita demum recta eſt, ſi nullo modo repugnet rationi, ſed ad nutum ei obediat, & vt omnes motus eius in poteſtate ſint hominis, quantũ, ad eorum exõtationem, durationem, intentionẽ, & terminationem. Vtraque verò hęc rectitudo hominis, effectus erat iuſtitię originalis, quod erat præcipuũ illius ſtatus inſigne, decus, præſidium, & ornamentũ. Poſtremò, huc etiam accommodari & applicari poteſt, quod in Pſal. 48. cecinit Dauid: *Homo*, inquit, *cùm in honore eſſet non intellexit: comparatus eſt iumentis inſipientibus, & ſimilis factus eſt illis.* Ex quo ſignificatur, licet homo, etiam naturam habens peccato vitiatam & corruptam, multum præſtet cæteris animalibus, attamen tantum eius fuiſſe in ſtatu innocẽtiæ honorem & gloriam, vt is eo ſtatu propter peccatum deiectus, verè comparabilis & ſimilis factus ſit iumentis inſipientibus. Namq; in eo ſtatu fuiſſet homo immortalis, eo deturbatus, moritur æquè ac iumenta, nec ſolùm iiſdem quibus bruta morbis & incommodis eſt obnoxius, ſed multò etiam pluribus atque grauioribus. B

Rectitudo hominis duplex.

MALA porrò quibus affecti ſumus propter peccatum, ſatis declarant, qualia & quanta fuerint bona quibus ante peccatum primi homines fruebantur. Dixit Deus Euæ in pœnam admiſſi peccati. *Multiplicabo ærumnas tuas, & conceptus tuos: in dolore paries filios.* Ergo in ſtatu innocẽtiæ, nec cõceptus fuiſſet ærumnoſus fœminæ, nec partus cum dolore, nec ſubeſſe viro ſuo, acerbũ & odioſum, aut etiam aliqua ex parte iniucundum fuiſſet. Adamo autẽ dixit Deus: *Maledicta terra in opere tuo: in laboribus comedes ex ea cunctis diebus vitæ tuæ: ſpinas & tribulos germinabit tibi, & comedes herbas terræ. In ſudore vultus tui veſceris pane tuo, donec reuertaris in terram de qua ſumptus es; quia puluis es, & in puluerem reuerteris.* Ex his licet exiſtimare, ſi Adam non peccaſſet, terram ſponte ſua ſine vllo hominis labore & moleſtia, omnia quæ ad victum pertinent, abundè ſuppeditaturam fuiſſe: nec homines, vt nũc morituros, atque in puluerem reuerſuros. Denique in lib. Sapientiæ traditur: *Inuidia diaboli mortem intraſſe in orbem terrarum.* & Paulus ad Rom. ſcribit cap. 5. *Propter peccatum intraſſe mortem in mundum, & in omnes homines pertranſiſſe:* non igitur moriturus erat homo in ſtatu innocentiæ. Quod ſi tantum nunc hęc vita quam viuimus, breuis, fugax, caduca, & tot tantorúmque ſubinde ingruentium malorum admiſtione acerba, tantoperè tamen ab omnibus amatur, quàm erat futura amabilis vita illa neſcia mortis, & omnium malorum expers? C

Sapient. 1.

IAM

A IAM verò si quis perpendat ea, quæ de illius innocentiæ præstantissimis bonis Patres tradiderunt, nihil profecto in terris eo statu, vel ad dignitatis amplitudinem magnificentius, vel ad voluptatis suauitatem iucundius, vel ad copiam bonorum omnium cumulatius, vel denique ad omnem hominis voluntatem & cupiditatē optabilius, & beatius esse posse intelliget. Attendat quęso lector quàm sint splendida & illustria, atque omnis terrenæ fęlicitatis æstimatione maiora, quæ in eius commendationem status non vno loco scripsit Augustinus. Siquidem is capite 20. lib. 13. de Ciuitate Dei, sic ait: *Licet primi homines morituri non essent nisi peccassent, alimentis tamen, vt homines vtebantur, nondum spiritalia, sed adhuc animalia corpora terrena gestantes. Quæ licet senio non veterascerent, vt necessitate perducerentur ad mortem, qui status eis de ligno vitæ quod in medio Paradisi cum arbore vetitā simul erat, mirabili Dei gratia præstabatur, tamen & alios sumebant cibos, ne animalia corpora molestiæ aliquid esuriendo, ac sitiendo sentirent. De ligno autem vitæ propterea* B *gustabatur, ne mors eis vndecumque subreperet, vel senectute confecti decursis temporum spatiis interirent.* Idem Augustinus in eiusdem operis lib. 14. cap. 10. ita scribit: *Sed vtrum primi homines habebant istos affectus in corpore animali ante peccatum, quales in corpore spiritali non habebimus omni purgato finitoq; peccato, non immerito quæritur. Si enim habebant, quomodo erant beati in illo memorabili beatitudinis loco, id est, in Paradiso? Quis tandem absolutè dici beatus potest, qui timore afficitur vel dolore? quid autem timere vel dolere poterant illi homines in tantorum tanta affluentia bonorum, vbi nec mors metuebatur, nec vlla corporis mala valetudo, nec aberat quicquā quod bona voluntas adipisceretur, nec inerat quod carnem animúmve hominis fœliciter viuentis offenderet? Amor erat impertúrbatus in Deum, atque inter se coniugum fida & syncera societate viuentium, & ex hoc amore grande gaudium, non desistente quod amabatur ad fruendum. Erat deuitatio tranquilla peccati, qua manente nullum omnino aliundè malū quod contristaret, irruebat.* C *Quàm igitur fœlices erant primi homines, & nullis agitabantur perturbationibus animorum, nullis corporum lædebantur incommodis: tam fœlix vniuersa societas esset humana, si nec illi malum quod etiam in posteros trayicerent, nec quisquam ex eorum stirpe iniquitatem committeret, quæ damnationem reciperet. Atque ista permanente fœlicitate, donec per illam benedictionem qua dictum est: Crescite, & multiplicamini, prædestinatorum Sanctorum numerus compleretur, alia maior daretur, qua beatissimis Angelis data est, vbi iam esset certa securitas peccaturum neminem, moriturumq; neminem: & talis esset vita Sanctorum, post nullum laboris, doloris, mortis experimentum, qualis erit post hæc omnia in incorruptione corporum reddita resurrectione mortuorum.* Denique in eiusdem lib. c. 26. de eodem statu hunc in modum disputat Augustinus: *Viuebat homo in Paradiso sicut volebat, quandiu volebat quod Deus iusserat: viuebat fruens Deo, ex quo bono erat bonus: viuebat sine vlla egestate, ita semper viuere habens in potestate. Cibus aderat ne esuriret: potus ne sitiret: lignum vitæ, ne illum senecta dissolueret: nihil corruptionis in corpore, vel ex corpore vllas molestias vllis eius sensibus ingerebat. Nullus intrinsecus*

Augustini sententiæ fœlicitate primorū hominū ante peccatum.

secus morbus, nullus ictus metuebatur extrinsecus. Summa in carne sanitas, in A
anima tota tranquillitas. Sicut in Paradiso nullus erat æstus aut frigus, sic in
eius habitatore nulla ex cupiditate, vel timore accedebat bonæ voluntatis offen-
sio. Nihil omnino triste, nihil erat inaniter lætum: gaudium verum perpetua-
batur ex Deo, in quem flagrabat caritas ex corde puro, & conscientia bona, &
fide non ficta: atque inter se coniugum fida ex honesto amore societas, concors
mentis corporisq; vigilia, & mandati sine labore custodia. Non lassitudo fati-
gabat ocioſum, non somnus premebat inuitum. In tanta facilitate rerum, &
fœlicitate hominum, absit vt suspicemur non potuisse prolem seri sine libidinis
morbo: sed eo voluntatis nutu mouerentur illa membra quo cætera, & sine ardo-
ris illecebroso stimulo cum tranquillitate animi, & corporis nulla corruptione
integritatis infunderetur gremio maritus vxoris. Neque enim quia experientia
probari non potest, ideò credendum non est: quando illas corporis partes non
ageret turbidus calor, sed spontanea potestas sicut opus esset adhiberet: ita nunc
potuisse vtero coniugis salua integritate fœminei genitalis virile semen immitti:
sicut nunc potest eadem integritate salua, ex vtero virginis fluxus menstrui B
cruoris emitti: eadem quippè via posset illud iniici, qua hoc potest eiici. Vt enim
ad pariendum non doloris gemitus, sed maturitatis impulsus fœminea viscera
relaxaret: sic ad fœtandum & concipiendum non libidinis appetitus, sed volun-
tarius vsus naturam vtramque coniungeret. Atque hæc quidē de illo statu præclara sanè, eximia, & admiranda in scriptis reliquit Augustinus.

QVID verò Gregorius? sanè non dissimilia Augustino, namque in Prologo tertij Psalmi pœnitentialis hoc modo scribit: *Sabbathum, requies interpretatur: sabbathum habuit genus humanum in primo parente, qui quandiu in conditoris sui obedientia perstitit, in suauissimo contemplationis diuinæ lecto requieuit. In Paradiso namque primus homo deliciis potitus, sicut nullam in anima poterat sentire esuriem: ita etiam omnem quæ ex carne nascitur, ignorabat passionem. At postquam diuini colloquij peccando familiaritatem perdidit, mortis legibus succumbens, requiem fœlicitatis æternæ amisit: & in procellosos mundanæ instabilitatis corruit fluctus, quia statum rectitudinis* C
seruare contempsit. Fidelis ergo anima requiem in primo homine perditam ad memoriam reuocans, & futurum nihilominus vitæ æternæ sabbathum spiritus agilitate contemplans, ab omni spiritus & carnis optat corruptione eripi, & ad futuram indeficientis beatitudinis requiem, consummato huius vitæ termino, orat sine cunctatione perduci. Sic Gregorius.

DAMASCENVS quoque tam magnificè, tam splendidè ac sublimiter eo de statu sensit, vt nihil suprà. De Paradiso enim disputans in lib. 2. de Fide orthod. cap. 11. *Quia*, inquit, *Deus ex visibili creatura plasmaturus erat hominem ad suam imaginem & similitudinem, tanquam quendam Regem & Principem vniuersæ terræ, & eorum qui in ea sunt, præstruxit ei quandam veluti Regiam, in qua diuersans, beatam & omni ex parte fœlicem duceret vitam. Et ipse est diuinus Paradisus, Dei manibus in Eden plantatus, lætitiæ & voluptatis omnis promptuarium, excelsior omni terra, optima temperie, & aëre subtilissimo, atque purissimo splendidus, plantis semper virentibus insignis, odoris suauitate refertus, pleníque lumine, vniuersæ*

sensibilis

A *sensibilis venustatis & pulchritudinis superexcellens intelligentiam. Diuinus profecto locus, ac dignus eius qui ad imaginem Dei creatus fuerat incolatu: In quo nullum irrationalium habitabat, sed solus homo diuinarum manuum factura. Et priusquam vetitum cibum gustasset Adam, nudus erat ipse & Eua, nec erubescebant: sic enim impassibiles volebat nos esse Deus. Sine cura etiam & solicitudine vnum duntaxat opus habuissemus quod Angelorum est, laudare indefessè & assiduè Creatorem, & ipsius contemplatione delectari. Corpore autem in hoc diuino & plusquàm pulchro loco manens Adam, anima eius in loco incomparabiliter superiori & pulchriori conuersabatur, Deum habens domesticum & inhabitantem. Qui & glorioſum illi erat indumentum, quique illi circum amicierat gratiam, solo suæ dulcissimo contemplationis fructu delectato: eratq; veluti quidam alter Angelus cœlesti enutritus cibo.* Hactenus ex Damasceno.

Illvm ergo statum innocentiæ omnibus bonis, omnibusq; rebus homini expetendis cumulatissimum atque ornatissimum fuisse,
B diuina Scriptura, sanctorum Patrum doctrina, ipsaq; experientia tot tantorúmque malorum quibus omnes propter eius status amissionem obnoxij sumus, manifestè demonstrant. Septem autem res statum innocentiæ conficiebant, continebant, & in primis decorabant, quarum tres extra hominem erant, velut habitatio Paradisi terrestris, fructus arboris vitæ, & singularis cura Dei, hominem in eo statu collocatum ab omni malo tam animi quàm corporis etiam leuissimo mirabiliter conseruantis. Quatuor autem res aliæ in ipso homine inerant: Erat enim in eo quadruplex excellentia, vna sapientiæ, altera gratiæ gratum facientis, tertia iustitiæ originalis, quarta immortalitatis & impassibilitatis quã corpori eius præstitisset Deus. De his quatuor distinctè, enucleatè, ac diffusè, vt fert ingenij nostri ac doctrinæ tenuitas, in hoc libro differemus. Namque de Paradiso terrestri & Arbore vitæ, supra dictum à nobis est in tertio libro: De speciali autem prouidentia & cura Dei erga hominem in eo statu
C versantem, agemus mistè & confusè cum illis quatuor rebus quas in hoc volumine declarandas suscepimus. Atque ea quidem de quibus hoc loco differemus, ante octo annos publicè librum Geneseos in Romano Gymnasio explanantes pertractauimus, sed ea deinde plurimis rebus aucta & locupletata, huius quinti voluminis argumentum & materiam fecimus.

Septem præcipuè rebus status innocẽtiæ continebatur.

DE PRIMA EXCELLENTIA STATVS INNOCENTIÆ HOC EST, DE SCIENTIA ADAMI.

CAP. 2. VERS. 19. *Formatis igitur Dominus Deus de humo cunctis animantibus terræ, & vniuersis volatilibus Cæli, adduxit ea ad Adam, vt videret quid vocaret ea: omne enim quod vocauit Adam animæ viuentis, ipsum est nomen eius. Appellauitq; Adam nominibus suis cuncta animantia, & vniuersa volatilia Cæli, & omnes bestias terræ.*

Quibus ex locis Scripturæ probetur, Adamum creatum esse scientia præditum.

EX variis Scripturę locis argumentãtur Patres & Theologi Adamum rerum omnium naturalium sciẽtia, cùm primum à Deo creatus est, instructissimum atq; ornatissimum fuisse. Etenim, hoc planè significatum & testatum est iis verbis quæ sunt in libro Ecclesiastici capite 17. *Disciplina, ait, intellectus repleuit illos*, loquitur autem ibi Scriptura de primis hominibus, *Creauit illis scientiam spiritus, sensu implenit cor illorum, & mala & bona ostendit illis. Addidit illis disciplinam, & legem vitæ hæreditauit illos. Magnalia honoris eius vidit oculus illorũ* & reliqua. In lib. item Eccl. c. 7. scriptum est, hominem à Deo factũ esse rectum, totus igitur homo creatus est rectus. Princeps autẽ pars hominis intellectus est, qui si rectus non fuerit, nequaquam homo rectus dici potest. Sed rectitudo intellectus in scientia veritatis consistit, quemadmodum obliquitas eius, distortio, & error in assensu & approbatione falsitatis. Si igitur primus homo creatus est rectus, creatũ esse cum perfecta rerum scientia necesse est. Verum, hoc de scientia Adami potissimũ Doctores colligũt & probant ex hoc loco Mosis, quem ad explanãdum proposuimus; quo narrat Moses Deum adduxisse ad Adamum cunctas animantes, vt eis nomina ille imponeret: Et subdit Moses, *Omne enim quod vocauit Adam animæ viuentis, ipsum est nomẽ eius: Appellauitq; Adam nominibus suis cuncta animantia.* Ex quo non obscurè nec dubiè concluditur, Adamum ab initio perfectam omniũ animalium scientiam habuisse. Si enim eiusmodi scientia caruisset, imponere nomina conuenientia naturis singulorum animaliũ nequaquam potuisset. Præclarè enim in Cratylo Plato, eũ qui primus omnium

A nium mortalium nomina rebus imposuit, sapientissimum fuisse affirmat. Quoniã igitur hic locus magnã vim habet ad demonstrãdam & probandam excellentiã scientiæ quæ fuit in Adamo; consentaneum est, vt primo sentẽtiam huius loci diligenter explanemus, ac deinde de qualitate, magnitudine, & præstantia scientię Adami disputemus.

Adduxit ea ad Adam vt videret quid vocaret ea.

An reuera ducta sint animalia ad Adamũ: in quo refellitur Caietanus.

SINE causa profecto Caietanus contra Patrum, atq; omnium Interpretum sententiam censuit non reuera fuisse animalia adducta ad Adamũ, sed intellectuali tantũ quodam modo fuisse intellectui eius à Deo repræsentata, vt ea considerans, & conuenienter singulorũ naturis imponens eis nomina, nullũ esse in eis agnosceret congruens sibi ad vitæ societatem, & prolis generationẽ adiutoriũ. *Nam Moses*, inquit, Caietanus, *Deum adduxisse narrat animalia ad Adamum, vt videret quo modo ea vocaret: manifestum autem est non fuisse opus Adamo visione corporali animalium ad ponenda eis nomina. Talis enim visio nihil ad impositionem nominum conferre poterat: sed opus fuisse visione intellectuali, sine qua talis nominum impositio rectè fieri non poterat. Non igitur corporaliter sed intellectualiter animalia esse ad Adamum adducta intelligere oportet.* Verũtamen, hoc tam leui argumento à tam recepta probataq; Patrum & Theologorum sentẽtia discedere voluisse, nimis profecto puerile fuit, & tanto Caietani ingenio planè alienum atque indignum. Namque illud, *Vt videret quid vocaret ea*, referri potest ad ipsum Deum, vt in Deo dictum sit phrasi Hebraica non infrequenti sacris litteris, vt manifestum est legẽti primum & vndecimum caput Geneseos, & tertium caput Exodi aliaq; nõnulla Scripturæ loca, hic breuitatis studio prætermissa. Potest etiã referri ad Adamũ, & intelligi tam de visione intellectuali quàm corporali: hæc enim excitabat & determinabat generalem scientiã animalium, quæ erat in intellectu Adami, ad singulas animalium species C quarum cernebat indiuidua, propriè ac distinctè contemplandas, & aspectus illorum animalium summa voluptate Adami animum perfundebat, quæ per scientiam infusam ratione ipsa percepta & cognita habebat, eadem sensibus experientiáque recognoscentis.

Quomodo animalia ducta sint ad Adamum.

SED quomodo adducta sunt animalia ad Adamum? non sanè sua sponte, nec instinctu ductuq; naturæ ad eum iuisse, satis indicat Scriptura, cum inquit ea fuisse à Deo adducta ad Adamum. Nec verò credendũ est ea ratione fuisse à Deo illuc acta, vt pastor oues suas agit: non enim breui tempore cum toto orbe sparsa essent, ad Adamũ duci potuissent: nec item putandum, vehementi aliquo vento ex locis vbi erant abrepta, ad Paradisum in quo erat Adamus delata esse, quẽadmodũ de coturnicibus legitur libro Numer. c. 11. quippe neq; id sine exitio terrestriũ animalium fieri potuisset, nec vnius flatu vẽti: siquidem non vno in loco erant animalia, sed per omnes terrarũ oras dispersa: necesse igitur fuisset ad eà deferenda, omnes ventos cõcurrere,

quocirca ex contrariis mundi partibus flantes venti se inuicem impediuissent. Probanda igitur S. Augustini opinio, id vel ad ministeriũ Angelorũ, vel ad interiorẽ instinctum & impulsum quo illuc rapiebantur à Deo, referẽtis. Finxit enim in illis Deus, hoc est, in ea facultate animæ sentiẽtis, quam hodie Philosophi appellãt æstimatiuam, visum quoddam à Græcis dictum φάντασμα, repræsentans cuiq; animalium conueniens illi esse ire ad eum locum vbi erat Adam, eiusq; imperio & voluntati subiici. Narrat Moses venisse ad Adamum animalia terrestria & aues, videlicet cuiuslibet speciei duo individua, marem dico & fœminã: tum quia sub qualibet specie ea est inter eius individua principalis differentia, quæ spectatur in sexu: tum quia ex his liquidò cognoscere poterat Adam nullum sibi de toto genere animalium, idoneam ad id quod quærebatur adiutorium esse posse. A

Augustinus li. 9. de Genes. litteram cap. 14.

Cur pisces nõ sint ducti ad Adamum.

SED cur non ad eum etiam pisces adducti sunt? An quia nõ eam habent cum homine conuenientiam, & velut consuetudinem quam habent cætera animalia? An quia in his certũ erat nullum esse posse idoneum Adamo adiutorium, propter nimis diuersam corporis conformationem & figuram? An potius quia extra aquam positi confestim interiissent, nisi Deus illos singulari aliquo miraculo conseruare voluisset? Denique, adducta sunt ad Adamum animalia, vt is imponeret eis nomina tanquam seruis, quorum famulatu & obsequio vsurus erat: id quod non ferè in piscibus euenturum erat. Nam quod ait super hoc loco Catharinus, propterea non esse pisces adductos ad Adamum, quòd facile is potuisset naturam & vires eorum ex terrestribus animantibus cognoscere, parum consultè & scienter dictum est. Exigua enim est inter pisces & terrestres animantes conuenientia & similitudo: multaq; vtrique generi dissimilia & propriæ ac distinctæ cognitionis sunt. Nec ducta sunt animalia ad Adamum, vt eorum cognitionem tunc primum acciperet, hanc enim à Deo ingeneratam, inditámque sibi acceperat: sed vt singulis animantibus nomina imponeret, eaq, ratione linguam qua posteri eius vsuri erant, conderet atque locupletaret. Tostatus super 13. caput Geneseos quæstione 318. negat in animantibus quæ ductæ sunt ad Adamum, fuisse eas quæ putri ex materia gignuntur; nimirum propter abiectam & sordidam istiusmodi animantium conditionem, & quod in his ferè non est distinctio maris & fœminæ, nec vis generandi. B

Quatuor causæ cur animalia adducta sint ad Adamum.

VERVM roget quispiã, cur Deus adduxit animalia ad Adamum? Equidem videor mihi quatuor eius rei causas satis idoneas & probabiles afferre posse. Principiò, voluit Deus ante Adamum sisti & oculis eius subiici animalia, vt ex eorum aspectu & contemplatione atque comparatione cum sua ipsius natura, perspicuè agnosceret quantum illis differret ac præstaret ipse, quantóq; plura & excellentiora dona accepisset à Deo, ob eámque causam ad laudes Dei celebrandas, gratiásque perpetuò ei agendas vehementius incitaretur. Deinde, quia Deus fecerat hominem cunctorum animalium princi-

pem

A pem ac dominum; voluit vt cognoſceret ipſe ſeruos ſuos,& animalia velut obſequium,& ſeruitutem ei ſponderent. Adhæc,vt imponendo nomina animalibus, conderet augerétque linguam qua mox generandi homines vſuri erant. Et verò, vſi fuiſſent ea lingua omnes homines, omníque ævo, ſi in eo ſtatu permanſiſſent. His accedit, vt ea ratione pernoteſceret omnibus quanta ſcientiæ præſtantia Deus Adamum donauiſſet, atque decoraſſet. Ad extremum, vt cernens in ſingulis animalium ſpeciebus eſſe marem ac fęminam;idem quoque in humana ſpecie fieri oportere intelligeret, neceſſitatémque creādi mulierem futuram ſibi ad generationem prolis adiutricem planè perſpiceret,& vt placet Catharino, ardentius procreationem eius expeteret,ac vehementius religioſa precatione à Deo poſtularet. *Catharinus in Geneſim.*

Appellauitq; Adam nominibus ſuis cuncta animantia. VERS. 20.

B HÆc nominum impoſitio declarat imperium & poteſtatem primi hominis in animantes,& perfectam eius ſcientiam animalium, excellentémque vim, ac dignitatem rationis qua cunctis animalibus homo antecellit: rebus enim nomina ritè ponere, rationis munus eſt non qualiſcunque,ſed ſcientia excellentis, & ſapientia perfectæ. Licet autem Moſes Barcepha in eo libro quem de Paradiſo edidit,opinionem referat quorundam,qui arbitrati ſunt hanc impoſitionem nominum non eſſe reuera factam, ſed per eam myſticè ſignificatam eſſe rationis, & imperij humani in animalia excellentiam,communis tamen & vera eſt Patrum Theologorúmque ſententia,verè impoſita fuiſſe animalibus nomina ab Adamo. Id enim tam apertè & explicatè Scriptura tradit, vt non modo negari,ſed vel in dubium vocari ſine flagitio non poſſit. Quid enim aliud ſignificat Scriptura niſi hoc, cùm inquit: *Adduxit Deus* C *animalia ad Adam, vt videret quid vocaret ea: omne enim quod vocauit Adam animæ viuentis, ipſum eſt nomen eius: appellauitq; Adam nominibus ſuis cuncta animantia?* Nimirum, ſuperuacanea ſunt argumenta, vbi tam aperta ſunt diuinæ Scripturæ verba. Et cùm hæc narratio Moſis non minus ſit hiſtorica, quàm ſuperiores: non minus etiam, quàm illæ ſecundum propriam ſignificationem vulgarémque vſum vocum interpretanda & intelligenda eſt. *De impoſitione nominum.*

EVSEBIVS in lib. 11. de Præparat. Euangel. cap. 4. & propriè de hac nominum impoſitione, & in vniuerſum de impoſitione nominum,quæ apud Hebræos magis,quàm apud alias gentes aptè,& conuenienter fit naturæ cuiúſque rei, egregiè diſputat. Et inter cætera, quæ inibi tractat, hunc ipſum locum Moſis explanans, ita ſcribit: *Cùm Moſes dicat: Omne quod vocauit Adam animæ viuentis, ipſum eſt nomen eius: nihil aliud dicere voluit, niſi conuenienter ad naturam rei nomen fuiſſe inditum. Quaſi diceret: Vt ab eo quodq; vocatum eſt, ſic in eius natura erat,* Et cap. 3. eiuſdem libri: *Moſes,* inquit, *priuſquam Græci, vel ipſum Philo-*

sophiæ nomen cognoscerent, innumerabilia de impositione nominum dixit, aut A
natura duce, aut Dei iudicio nomina rebus esse imposita ostendens. Plato quo-
que non impositione nuda, sed duce natura rectè nomina rebus imponi docet:
idq; Barbarorum auctoritate confirmat, Hebræos meo quidem iudicio signifi-
cans: non enim apud alios talem obseruationem facilè inuenies. Ex multis igitur
quæ hac de re disseruerat Plato, colligit non cuiusque hominis, sed sapientissimi
esse nomina rebus, vt oportet imponere. Non ergo, inquit, triuiale quiddam est
ô Hermogenes recta nominis impositio, sed doctissimorum atque præstantissimo-
rum virorum. Tum Cratylus: Rectè, inquit, ais, duce natura nomina rebus
accommodata, putans nec quemuis hoc facere posse, sed illum tantummodo qui
ad rei naturam respiciens, ad eam nomen ipsum rectè accommodare posset.
Sic Eusebius.

Moses Barcephas in illo libro quẽ paulò ante nominaui, ex quorundam sententia tradit, Adamum editiori Paradisi loco insidentem, augustáque auctoritate & maiestate, ac tali vultus splendore qualem emicuisse & effulsisse è facie Mosis in 34.cap.libri Exodi scriptum est, voce quæ sensu excipi posset pronuntiata, singulis animantium generibus nomina indidisse, vnumquodque nominatim appellando: illa verò summissis capitibus prona, neque præ nimio decore quo ille splendebat intueri ipsum audentia, singulatim præteribant, & suis ab illo appellabantur ex ordine nominibus. Verbi gratia, cùm taurum ille nomine appellaret, continuò is audito nomine suo transibat coram illo, capite summisso: Similiter nominatim citatus equus præteribat deiecta ceruice, neque Adami aspectum sustinens: idémque cæteris contigit. Illud porrò animaduertendum est hoc loco, Adamum non modo scientiam rerum à Deo accepisse; sed linguam etiam perfectam, qua & loqueretur ipse, & secum loquentem Deum intelligeret, qua vsus est Deus cùm dixit Adamo & Euæ: *Crescite, & multiplicamini*, & quæ deinceps sequuntur ad finem vsque eius capitis. Hac etiam lingua denunciauit Adamo præceptum non edendi ex arbore scientiæ boni & mali: denique per hanc linguam facta sunt verba quęcũque in tribus primis libri Geneseos capitibus, vel à Deo, vel ab Adamo & Eua, vel à serpente dicta esse legimus.

Adamum linguã Hebræam ab initio diuinitus accepisse.

Censet autem Tostatus quæst.344.super 13.cap.libri Geneseos, nomina quæ animalibus imposuit Adamus, non ea tum primum à Deo ipsum accepisse: sic enim non Adamus, sed Deus ipse imposuisse eis nomina diceretur: sed Adamum accepisse linguam à Deo, quantum ad alia omnia perfectam, præter eam partem quæ animalium nomina continet, quam scilicet integram reliquit Deus solertiæ, ac sapientiæ Adami: videlicet vt ipse per scientiam quam habebat animalium, & per notitiam plurimarum vocum quam acceperat, nomina conderet, atque imponeret animalibus, singulorum naturis ritè congruentia: nec ea quidem vno modo formata, sed diuersis è causis petita, vel ex propria differentia specifica, vel ex naturali proprietate, vel ex motu, vel ex figura, vel ex peculiari aliqua operatione, vel

A vel ex aliquo singulari, & proprio accidenti. Lingua verò quam primo habuit Adam, & secundum quam imposuit animalibus nomina, concessu omnium Hebræa fuit, quæ ante diuisionem linguarum non appellabatur Hebræa; erat quippè vna dumtaxat lingua communis omnium hominum, & vt scriptura testatur cap. 11. Gen. *Erat terra labij vnius, & sermonum eorundem.* Facta verò diuisione quoniam ea lingua quæ fuerat communis omnium, facta est specialis in sola familia Heber, quo viuente contigit diuisio linguarum religiosè custodita, idcirco ab Heber posteà dicta est Hebræa: quod nomen primum legimus Abrahamo tributum in cap. 14. Genes. Legenda sunt in hanc sententiam quæ reliquit scripta S. Augustinus in lib. 17. de Ciuit. Dei, cap. 11. & in lib. 18. cap. 39.

Hebræam linguã fuisse primã omnium.

Fvisse autem primam omnium linguarum Hebræam, qua nẽpè vsus sit Adam, cæterique mortales vsque ad diuisionem linguarum, B eo patet argumento, quod illæ etymologiæ nominum, quas à primæuis illis hominibus traditas esse narrat liber Geneseos, non alia in lingua vlla, nisi in Hebræa sola locum habent: veluti quod Adam vxorem suam אשה *Issa* dixit, quòd de viro qui vocatur איש *Is* sumpta esset, eandémque nominauit Euam, quod mater esset omnium viuentium: eodémque spectant etymologiæ illorum nominum, Cain, Seth, & Noë. Creditur autem, linguam Hebræam etiam vulgò puram esse conseruatam vsque ad captiuitatem Babylonicam: post eam verò linguam popularem Hebræorum non fuisse planè Hebraicam, sed ex Hebręo & Chaldaico sermone mistam, atque contaminatam, & in sactis tantum Bibliis remansisse linguam purè Hebræam: quo fit, vt de Hebræis quicumque de his quæ pertinent ad doctrinas, vel artes scripserunt, vel Græca, vel Arabica, vel alia peregrina lingua vsi fuerint.

Quando Adam imposuit nomina animalibus.

Sedenim, ambigunt nonnulli quo tempore impositio hęc nominum sit ab Adamo facta. Hugo de S. Victore scribit, vel die sexto C factam esse, sicut indicat ordo Mosaicæ narrationis, vel longo post tempore: neque enim cunctis animalium speciebus, tam breui tempore potuisset Adam aptè nomina imponere: licet non desint, qui oculos Adami illuminatos à Deo esse dicant, vt animalia omnia vno conspectu videre posset: quemadmodum legitur S. Benedictum simul totum mundum in radio solis vidisse. Verùm, narratio Mosis perspicuè ostendit impositionem nominum factam esse ante formationem Euæ, quinimo tradit, causam cur Eua necessario creari debuerit ex eo Adamum intellexisse, quòd inspectis consideratísque animalibus nullum reperisset, quod sibi ad vitæ humanæ societatem & generationem prolis adiumento esse posset.

DISPV

DISPVTATIO DE AMPLITVDINE & excellentia eius scientiæ quam habuit Adam.

QVÆTERVM, hoc loco Mosis de impositione nominum ab Adamo facta, satis opinor explanato, ad propositam de scientia Adami disputationem pertractandam aggrediamur. In ea verò disputatione quæstiones quinque sunt enodandæ. Prima quęstio. An Adam sit creatus scientia rerum naturalium præditus: altera quæstio. Quantam habuerit scientiam: tertia. An cunctis hominibus qui post eum fuerũt, sapientior fuerit: quarta. An scientiam etiam rerum supernaturalium habuerit: quinta. An si mansisset status innocentiæ, omnes posteri Adami, similiter vt ipse scientiam rerum omnium ab exordio sui ortus habuissent.

Quinque quæstio. de scientia Adami.

QVAESTIO I.

An statim vt creatus est Adam habuerit scientiam omnium rerum.

QVANTVM ad primam quæstionem videtur non statim vt creatus est Adam habuisse scientiã. Nam vel ea scientia fuisset acquisita, vel ingenerata & naturalis ei, vel infusa: sed nec tempus ei fuit acquirendi omnes scientias, & experiendi res omnes, & quod est naturale, inest in omnibus, quæ sunt eiusdem speciei: cæterorum autem omnium animi creantur à Deo nudi omni scientia, ita vt ignorantia magis homini naturalis quàm scientia esse videatur. Si autẽ infusam habuit scientiam, non igitur ea fuit eiusdem speciei, atque est aliorum hominum scientia. Adiice, quod eorum omnium, quæ in eadem specie continentur, eadem ratio est consequendi suam perfectionem: cùm ergo cæteri homines scientiam rerum naturalium non singulari aliquo Dei munere & inspiratione, sed proprio studio, & opera consequantur, idem quoque accidisse Adamo existimare conuenit.

VERVM, certa & indubitata Theologorum sententia est, Adamum omni scientia rerum naturalium à suo vsque ortu fuisse præditum. Lege Magistrum Sententiarum li. 2. dist. 23. & super eadem dist. Scholasticos, præsertim verò Bonauenturam art. 2. quæst. 1. & 2. B. etiam Thomam 1. p. quæst. 94. necnon & Hugonem S. Victoris lib. 1. de Sacramentis, parte 6. cap. 12. Id autem suprà ostendimus diuinæ Scripturæ testimoniis, tum ex hoc loco Mosis, tum ex cap. 17. libri Ecclesiastici, tum ex libri Ecclesiastæ cap. 7. expromptis. Hoc ipsum

præterea

A præterea quattuor rationibus ex Patrum & Theologorum doctrina expressis cõfirmare possumus. Prima ratio: Deus in exordio mũdi animalia omnia creauit in suo quæque genere perfecta, tam secundum perfectiones specificas quàm indiuiduales, id est, secũdum magnitudinem & robur corporis secundum potentiam generandi, denique secundum potentiam exequendi & perficiendi omnes actiones naturales: ergo similiter Adamum secundum easdem res perfectum condidit. Quemadmodum igitur Adam creatus est perfecto corpore, videlicet quantum ad integritatem ætatis, proceritatem staturæ, robur & firmitatem virium, & potentiam generandi alios; ita credendum est, factum esse eum animo menteque perfectum, sed naturalis perfectio mentis scientia est, hanc igitur habuit Adam ab initio, præsertim verò cùm quæ à Deo proximè efficiuntur, ea sint perfectissima; Adamum verò totum solus Deus, nullius causæ efficientis concursu, tam secundum corpus quàm secundum animam
B creauit: vtraque igitur parte perfectissimus à Deo creatus est: non fuisset autem perfectus, si præcipua ei perfectio naturalis defuisset. Altera ratio: Si, quoniam Adam humani generis secundum carnalem generationem sator & parens futurus erat, idcirco creari eum oportuit ætate perfecta & ad generandum idonea, cùm idem futurus esset primus doctor rectorque hominum; conueniens profecto fuit præditum creari eum perfecta facultate docendi & regendi alios homines: id autem sine scientia præstari non potest. Namque, vt scribit Aristoteles in primo & secundo libro Metaphysicorũ, signum scientis est posse alios docere, & quod est causa cur alia sint talia, ipsum maximè tale esse necesse est. Tertia ratio: Si Adam creatus esset sine scientia, eamque paulatim studio & opera comparare sibi debuisset; longo tempore in veritatis ignoratione versatus esset: ignorantia autem veritatis, & inscitia rerum quæ patent sensibus, admodum molesta & acerba fuisset homini sciendi cupidissimo: atqui nihil molesti vel acerbi in eo statu vel animo vel corpori accidisset: non igi-
C tur ignorans & inscius creatus est Adam. Etenim, si diu ille fuisset ignorans, facilè fuisset propter veritatis & rerum ignorationem, falsis eum assentiri opinionibus, & in absurdos errores prolabi; videlicet approbare falsa pro veris, aut vera pro falsis reprobare, quod, vt præclarè dixit Augustinus, *non est natura hominis conditi, sed pœna damnati.* Quarta ratio: Si Deus talem creauit hominem, vt summa tranquillitate animi ac iucunditate, omnique tristitia & dolore vacuus quietam & beatam vitam ageret, eique ad esum corporalem tantam optimorum ciborum copiam comparauit; consentaneum profecto fuit ita creari hominem à Deo, vt ne propter ignorantiam rerum afficeretur tristitia, & careret suauissima voluptate quæ ex rerũ scientia percipitur, quarum contemplatione velut dulcissimo mentis pabulo animus noster pascitur, & alitur ad æternitatem. Quòd si Adam simul atque creatus est, omnes & corporis & animi alẽtis atque sen-

Auctor quatuor rationibus probat Adamum creatũ esse in scientia perfectum.

tientis facultates perfectè obire & explere poterat, quis dubitet eum quoque functiones mentis, cognoscendis & contemplandis rebus omnibus, excellenter ab initio exercere potuisse? A

An scientia Adami specie differebat à nostra.

Sed roget aliquis, an illa scientia rerum naturalium quã Adam habuit infusam, specie differret à scientia earundem rerum quam cæteri homines habent proprio studio acquisitam? Huic ego responderim, non fuisse diuersam specie: erat enim scientia humana, id est, naturalis perfectio hominis, agentis etiam tunc vitam animalem. Erat quidem illa infusa scientia, sed per accidens, nam per se *debebat* esse acquisita: sed quia Adam fuit primus homo, futurusque aliorum hominum doctor, necesse fuit ipsum statim esse perfectum secundum scientiam: & quia non potuit eam perfectionem statim habere per acquisitionem, necesse fuit habere eam per infusionem. Sicut igitur Adam licet longè aliter procreatus esset à Deo quàm cæteri omnes generantur, non idcirco tamen specie, differebat ab aliis hominibus, ita scientia eius infusa non erat diuersæ speciei atque scientia aliorum hominum acquisita. B

Certe vt B. Thomas non vno loco philosophari solet, in quo magistrum suum Aristotelem sequitur, simpliciter & absolutè prius est perfectum quàm imperfectum, & actus prior est potentia: quia nec imperfectum ad perfectionem, neque quod est potentia perduci ad actum potest; nisi ab eo quod sit perfectum & actu existat. Cogitandum igitur est, Adami scientiam ita se habuisse, vt se habet scientia acquisita in eo homine qui eam perfectè tenet & possidet. Habebat enim Adam in intellectu species intelligibiles omnium vniuersalium & specierum naturalium scibilium sic expressas, sic interse dispositas & ordinatas, vt propria cuiusque scibilis ratio exigit. At verò, quia dum animus est in hoc mortali corpore, non potest perficere actum sciendi & intelligendi sine respectu & conuersione sui ad phantasmata, propterea Adam præter species intelligibiles rerum vniuersaliũ intellectui suo à Deo impressas, habebat expressa phantasmata propriè ac distinctè repræsentantia indiuidua cuiuslibet speciei vt in eis mens, quæ ad naturam eius speciei pertinebant, scrutari & contemplari sine errore posset. C

QVAESTIO II.

Quanta fuerit scientia Adami.

Alter a quæstio est, quantam habuerit Adam scientiam, hoc est, vtrum ab initio tenuerit scientiam rerũ omnium, quæ naturali via & ratione cognosci & sciri ab homine possunt. Sine causa Caietanus, locum Mosis de impositione nominum ab Adamo facta explanans, arbitratus est Adamum habuisse scientiam omnium rerum corporaliũ, præter elementa tamen, & cœlos, & sydera: nam cùm hæc sint principes mundi partes, è quibus hic mundus coagmentatus & integratus constat: eorũ perfecta

Caietanus cẽsset Adamum non habuisse scientiam ex-

A fecta cognitio reseruata est soli Deo, *Qui*, vt cecinit Dauid Psalmo 146. *Numerat multitudinem stellarum, & omnibus eis nomina vocat*: atque ob eam causam Moses non omnibus rebus dixit Adamum imposuisse nomina, sed volatilibus modò & terrestribus animantibus. Volo vt hanc Caietani sententiam ex propriis eius verbis lector agnoscat. Sic autem eo loci scribit Caietanus. *Et dixit hoc Moses, non solum vt ostenderet perfectam notitiam animalium fuisse in Adamo, sed ad differentiam astrorum, quorum nomina reseruata sunt Deo iuxta illud, Qui numerat multitudinem stellarum, & omnibus eis nomina vocat, & ad differentiam Cœlorum, tam primi quàm reliquorum, & terræ ac maris, quæ à Deo nomina sortita fuisse scriptum est superius. Vt ex his intelligamus, Adæ non fuisse communicatam scientiam perfectam omnium corporalium: vnde & significatius subditur, Adam nomina imposuisse tantum animalibus. Rationabile autē est communicatam quoq; intelligi primo homini scientiam piscium & vegetabilium, siquidem eiusdem rationis est, communicari scientiam animalium terrestrium*

B *& volatilium, atque scientiam piscium & vegetabilium. Immo cùm in maiori claudatur minus, & terrestria atque volatilia perfectiora sint piscibus & vegetalibus, communicata scientia perfectiorum, communicata quoque insinuatur scientia imperfectiorum. Nec est simile de cœlis & terra, quoniam horum perfecta notitia ad totius Vniuersi perfectam notitiam spectat: Sunt enim hæc prima Vniuersi principia, & propterea meritò diuinæ nominationi reseruata sunt simul cum maribus, quorum etiam notitia nunquam perfectè habita est ab homine.* Hæc Caietanus.

quisitam cælorum & elementorum.

Sed nec Caietani vera est opinio, & ratio qua ea nititur & fulcitur, infirmissima est. Adamum enim rerum omnium etiam cœlestium tenuisse scientiam, tam facile & promptum est ostendere & probare, vt non satis mirari queam id Caietano, viro scilicet acuto & docto, non fuisse cognitum ac persuasum. Principio, quibus rationibus in antecedentis quæstionis tractatione ostensum est fuisse ab initio scientiam in Adamo, iisdem planè concluditur fuisse in eo perfectam scientiam, id est, omnium rerum quæ ab homine naturaliter scientia comprehendi possunt, Deinde, concors est Patrum & Theologorum sententia, Adamum creatū esse à Deo virum tam animo quàm corpore perfectum: animi autem perfectio, quantum ad mentem & rationem, scientia est: huius autem primas partes tenet scientia rerum cœlestium: ea namque natura sua nobilissima est omnium, & votis hominum optatissima, quin etiam possessione & vsu pretiosissima, vtilissima, & iucundissima: qui fit igitur credibile, cæterarum rerum cognitione Adamo concessa, hanc vnam cœlestium rerum scientiam non ei fuisse à Deo tributam? Ad hæc, in rebus cœlestibus, præter alias res omnes naturales, clarissima elucent Dei sapientiæ & prouidentiæ indicia & argumenta; & hinc humana mens gradum facit ad naturalem Theologiam, id est, ad scientiam Dei, ac mentium cœlestium: Philosophica enim cognitio Dei & Angelorum, præcipuè colligitur ex scientia cœlorum & syderum.

Refellitur supradicta opinio Caietani.

Si igitur adamus scientiam corporum cœlestium non habuit, nec Dei & intelligentiarum, naturalem scientiam habere potuit. Quid, quod perfecta rerum sublunarium scientia constare non potest sine corporum cœlestiũ perfecta notitia? Cœlum enim est causa vniuersalis huius mundi sublunaris: causam dico efficientem, conseruantem, regentẽ atque moderantẽ. Ac licet cuiuscumq; rei cognitio iucũda sit homini, rerũ tamen cœlestium notitia præstantissimũ est ac suauissimum humanæ mentis pabulũ inenarrabili voluptate implẽs animũ nostrũ: vt si hac sciẽtia caruerit Adã, nec perfectus homo fuisse, nec in summis voluptatibus ac deliciis vixisse, vere dici possit. A

QVOD si rationibus ad id probandũ deficeremus, nonne diuina Scriptura plurimum nos mouere deberet, quæ in libro Ecclesiastici cap. 17. affirmat Deum repleuisse cor Adami scientia & disciplina, & ostendisse ei magnalia sua? at si defuit ei scientia rerum cœlestium & elementorum, quomodo repletus fuit scientia & disciplina? Magnalia vero Dei operum potissimè cernuntur in cœlis & astris, sicut dixit Dauid Psalmo octauo: *Quoniam videbo cœlos tuos, opera digitorum tuorum, Lunam & Stellas quæ tu fundasti.* Atque hæc nostra sententia, est B quoque sententia scholæ Theologorum, vt videre licet apud Magistrum sententiarum distinctione 23. & apud S. Thomam prima parte qu. 94. Certè Hugo S. Victoris lib. 1. de Sacramentis parte 6. c. 13. 14. & 15. scribit, primum hominem ante lapsum, triplicem habuisse perfectam naturalem cognitionem, Dei, à quo & propter quem creatus fuerat, sui ipsius, qui ad imaginem & similitudinem Dei creatus erat: & aliarum omnium rerum corporalium, quæ à Deo fuerant propter hominem conditæ.

Tria genera rerum sciẽtia Adami minime comprehensa.

CÆTERVM, ex hac generali rerum scientia quam in Adamo fuisse contendimus, tria rerum genera excipienda censemus, vnum eorum quæ vocantur futura contingentia, alterum eorum quæ nominantur arcana vel secreta cordium, tertium etiam omnium præsentium indiuiduorum cuiuslibet speciei. Verbi gratia, non sciebat C Adam omnia indiuidua piscium, nec omnem numerum arenæ, aut lapidum: huiusmodi enim nec pertinent ad perfectionem humani intellectus neque conferebant ad perfectionem & felicitatem illius status innocentiæ. Hinc quoque apparet quemadmodum Adamus in scientia progressu temporis proficere potuerit? tribus nempe modis, Primo cognoscendo nouas rerum species, quæ subinde creatæ fuissent vel ex putri materia, vel ex diuersarum specierum admistione: deinde, quantum ad cognitionem indiuiduorum cuiuslibet speciei, denique, quantum ad modum sciendi. Ab initio enim habuit Adam scientiam rerum speculatiuè tantùm & abstractiuè (sicut nunc in scholis Philosophi & Theologi loquimur) eandem postea clariorem quodammodo & firmiorem habuit, sensuum iudiciis & experimentis illustratam atque confirmatam.

Quomodo profeciſſet Adam in scientia.

QVOD autem dixit Caietanus, perfectam scientiam cœlorum & syde

A & syderum atque elementorum, quæ scilicet competere in hominem potest, nulli hominum fuisse concessam, sed soli Deo reseruatam, luculento Salomonis exemplo & argumento manifestè refellitur. Auctor enim libri Sapientiæ in capite septimo, Salomonem de multiiugi scientia quam sibi Deus concesserat, his verbis loquentem inducit, *Ipse dedit mihi horum quæ sunt scientiam veram; vt sciam dispositionem orbis terrarum, & virtutes elementorum, initium & consummationem & medietatem temporum, vicissitudinum permutationes, & consummationes temporum, morum mutationes & diuisiones temporum, anni cursus & stellarum dispositiones: naturas animalium, & iras bestiarum, vim ventorum, & cogitationes hominum, differentias virgultorum, & virtutes radicum, & quæcunque sunt absconsa & improuisa didici: omnium enim artifex docuit me Sapientia.* Audis lector datam fuisse Salomoni veram, id est, certam, euidentem, ac perfectam scientiam orbis terrarum, elementorum, & stellarum, & omnium quę abscondita sunt & abstrusa? non igitur earum rerum perfecta cognitio soli Deo, vt putauit Caietanus, sic reseruata est, vt ob id Adamum eiusmodi scientia caruisse credendum sit. Sed Caietanus, eo quòd Adamus nec terrę, nec B mari, nec cœlis nomina indidit, argumentatur earum rerum non fuisse in Adamo scientiam. Egregia scilicet argumentatio: quasi verò Adamus, ipso auctore Caietano, non perfectam habuerit scientiam lapidum, metallorum, stirpium, ac piscium, quibus tamen rebus nomina eum imposuisse nusquam legimus. Cur autem solis terrestribus animantibus & auibus nomina assignauerit Adam, paulò suprà indicauimus.

De scientia Salomonis.

QVAESTIO III.

Vtrum Adam sapientior fuerit cunctis mortalibus.

C TERTIO loco quęstio illa tractanda est, vtrum Adamus fuerit omnium mortalium sapientissimus. Non includimus in hanc comparationem dominum nostrum Iesum Christum, quem, etiam quà homo fuit, quemadmodum aliis omnibus perfectionibus, ita perfectione scientię ac sapientię cunctis mortalibus prœcelluisse certum est. Ad quęstionem igitur propositam respondemus, vocabulum sapientię non vnius tantùm esse significationis, sed quatuor modis posse accipi. Primo quidem pro vno ex septem donis Spiritus Sancti: & hac ratione tanta est in vno quolibet homine sapientia, quanta in eo est caritas & gratia gratum faciens. Et quia in beatissima Virgine, & Apostolis maiorem credimus fuisse gratiam quàm in Adamo, idcirco maiorem quoque fuisse in illis sapientiam existimare conuenit. Altero modo nomen sapientię accipitur pro scientia rerum diuinarum & mysteriorum

Vocabulum Sapiętiæ quatuor modis esse in vsu.

riorum Fidei, quæ vel humano ſtudio & diligentia comparata, vel gratis Dei munere homini data eſt: & hanc ſapientiam credibile admodum eſt maiorem fuiſſe in Apoſtolis, & in quibuſdam Eccleſiæ Doctoribus quàm in Adamo. Etenim, myſteria Fidei ac rerum diuinarum, poſt aduentum Chriſti vberius; ſubtilius, diſtinctius, & enodatius percepta & cognita ſunt. Tertio modo nonnunquam vocabulum ſapientiæ ponitur pro ſcientia rerum moraliũ & ciuilium, idemque valet atque prudentia politica, & ſcientia benè regendi alios: atque hoc genus ſapientiæ facile adducor vt excellentiorem fuiſſe credam in Salomone quàm in Adamo: hæc enim ſapientia magis neceſſaria erat Salomoni, innumerabilem nempè recturo populum: eamque præcipuè Salomon à Deo petiit, & Deus ei perfectiſſimam tribuit, vt in tertio libro Regum, cap. tertio ſcriptum eſt. Poſtremò, vox ſapientiæ in vſu eſt apud Philoſophos & Theologos pro perfecta & conſummata rerum omnium ſcientia; quæ cùm alias doctrinas complectitur, tum potiſſimè Metaphyſicam, cui præter cæteras diſciplinas nomen ſapientiæ conuenire, in primo libro Metaphyſicorum docet Ariſtoteles. De hac autem ſapientia intelligi debet quæſtio propoſita, vtrum Adamus ſapientior fuerit cunctis mortalibus: id quod nos, ne quod ſatis per ſe manifeſtum eſt diſputando longius faciamus, ſine vlla dubitatione & cenſemus, & affirmamus.

Tripliciter Adamus cunctis hominibus præſtitit ſapientia.

TRIBVS autẽ modis Adamus ſapientia præceſſit cæteros mortales: Primùm quidẽ amplitudine ſcientiæ: habuit enim Adamus vt ſupra oſtendimus, ſcientiam omnium rerum naturalium, quod nulli adhuc mortalium contigit. Deinde, præſtantia modi ſciendi: namque alij pleraque norunt probabili tantum ratione, vel non ex cauſis, ſed ex effectis, vel non oſtenſiua demonſtratione, ſed ducente ad impoſſibile: Adamus verò perfectam cuiuſque rei, & ex propriis eius cauſis ductam ſcientiam tenebat. Tertio, firmitate atque immobilitate ſcientiæ: non enim in ſtatu innocentiæ amitti ſcientia potuiſſet.

Quatuor cauſæ amiſſionis ſcientiæ.

Siquidem quatuor ex cauſis accidit vt amittatur ſcientia: vel per diuturnam ceſſationem ab actu ſciendi: huiuſmodi enim habitus ſicut aſſidua exercitatione acquiruntur, ita longa ceſſatione perduntur. Verum in ſtatu innocentiæ non ea fuiſſet ceſſatio, quippè cum exercitatio animi in cognoſcendis & contemplandis rebus, quotidiana fuiſſet & iucundiſſima hominis occupatio. Perditur etiam ſcientia corruptione interioris ſenſus quem appellamus Phantaſiam, quæ vel morbo vel alio caſu penitus corrumpi poteſt: ita vt litteratiſſimi homines omnium quæ ſciebant, etiam proprij nominis memoriam perdiderint. Mirum dictu, quod tamen affirmatè Plinius libro 7. capite 24. & Solinus capite 7. tradunt, Meſſalam Coruinum, oratorem in primis clarum ac nobilem, ex diuturno & vehementi morbo in tantam rerum omnium quas nouerat veniſſe obliuionem, vt etiam nominis ſui non recordaretur. Verum, Adamus in ſtatu innocentiæ ab omnibus morbis, vitiis, incõmodis, & defectibus corporis & ſenſuum

A ſuum tam interiorum quàm exteriorum vacuus & liber fuiſſet. Amittitur etiam habitus ſcientiæ propter contrarium ignorantiæ habitum, quem quis captioſa & fallaci ratione perſuaſus atque deceptus induit. Sed hoc nequaquam poterat accidere Adamo: eius namque clariſſima, & certiſſima erat ſcientia, nec fallaciis circumueniri, aut in errores induci poterat.

LEGIMVS præterea accidiſſe nonnullis obliuionem diſciplinarum quas tenebant ex ipſorum voluntate & dono Dei, quippè qui eam obliuionem, vt ad quietem & tranquillitatem animi & ſpiritus conſolationem magno futuram adiumento, ſtudioſè & obnixè à Deo petierant. Narrat Toſtatus quæſtione 11. in caput tertium libr. tertij Regum, Albertum Magnum ſummis precibus oraſſe B. Virginem, vt ſibi à Deo impetraret obliuionem humanarum doctrinarum, & eorum quæ in Philoſophia didicerat: idque obtinuiſſe. Ponam hic verba Toſtati, quò magis lectori ſatisfaciam. *Fertur*, inquit, *de Alberto Magno Teutonico ordinis Prædicatorum, qui in naturalibus diſ-*
B *ciplinis excellens valdè fuerat, oraſſe eum Dominam noſtram, vt non ſineret ipſum mori in opinionibus Philoſophorũ, ſed in ſola fide: & obtinuit: per quinquennium enim ante mortem, vt traditur, omnino ignorans fuit, ita vt nec litteras ſciret.* Hæc Toſtatus. At enim, hoc non accidiſſet Adamo, nimirum, homini in ſtatu innocentiæ cognitio & tractatio harum doctrinarum nullum ſpiritui detrimentum aut impedimẽtum, quin etiam magnum adiumentum & ad Dei amorem atque cultum incitamentum attuliſſet.

Toſtatus mirũ narrat de Alberto Magno.

SED huic opinioni quæ Adamum ſapientia præfert cunctis mortalibus aduerſari videtur diuina Scriptura, faciens Salomonem ſapientiorem omnibus hominibus qui eum anteceſſerant, quique poſt eum futuri erant. Sic enim loquitur Deus cum Salomone in tertio capite libri tertij Regum, *Dedi tibi cor ſapiens & intelligens, in tantum vt nullus ante te ſimilis tui fuerit, nec poſt te ſurrecturus ſit.* Atque hic locus
C Scripturæ adeo mouit Toſtatum, vt is in q. 7. ſuper illud caput Scripturæ non dubitauerit dicere Salomonem fuiſſe Adamo ſapientiorem. Cui tamẽ ego minime aſſentior: quin potius arbitror Adamum omni genere ſcientiæ ac ſapientiæ humanæ præſtantiorem fuiſſe Salomone: tum quia Adam creatus eſt, & in ſtatu innocentiæ, hoc eſt, perfectiſſimo, & ipſe tam corpore quàm animo perfectiſſimus: Perfectio igitur ſcientiæ quæ eſt hominis propria, magis decebat ſtatum illum hominis perfectum, magiſque conueniebat Adamo quàm Salomoni: tum etiam quod perfecta ſcientia rerum naturalium non tam neceſſaria aut vtilis futura erat Salomoni quàm Adamo: quippè qui primus futurus erat magiſter humani generis, primuſque omnium diſciplinarum doctor.

Vtrum Adamus ſapiẽtior fuerit Salomone.

QVOD autem Scriptura dicit Salomonẽ excelluiſſe ſcientia omnes qui ante eũ fuerãt, ne opinioni noſtræ videatur officere, quattuor modis cõmodè interpretari poſſumus, Primo, Salomonem fuiſſe ſapientiorem

Explicatur locus ſcripturæ in 3. capi-

te libri 3. Regum de præstanti scientia Salomonis.

pientiorem omnibus, vno tamen excepto Adamo: nõ enim raro vniuersales Scripturæ sententiæ non vniuersaliter accipiendæ sunt, sed vt plurimum & maxima ex parte. Vel fit comparatio Salomonis cum omnibus aliis hominibus qui proprio studio, industria, & diligentia sapientiam sunt adepti, extra quorum numerũ est Adamus, qui eam sibi diuinitus inditã habuit, namque velimus nolimus, ex illa generali sententia dominum nostrũ Iesum Christum excipere necesse est. Vel dictus est Salomon sapientior omnibus, non quidem simpliciter omnibus hominibus, sed omnibus Regibus & principibus *qui ante* eum præfuerunt Hebræo populo: aut etiam quibuslibet gentis Hebrææ, qui doctrina vllo tempore excelluerant Hierosolimis. Quã interpretationem valdè probabilem facit, quòd de se ipsemet Salomon scripsit sub finem primi capitis libri Ecclesiastæ, *Ecce*, inquit, *magnus effectus sum, & præcessi omnes sapientia, qui fuerunt ante me in Hierusalem.* Vel denique Scriptura non loquitur de sapientia quæ est scientia speculatiua rerum naturalium & diuinarum, sed de scientia politica quæ est prudentia benè regendi ac moderandi ciuitates ac populos. Et hæc interpretatio fidem capit ex ipsa Scriptura, quæ illo ipso loco narrat Salomonem petiisse à Deo non scientiam rerum naturalium, sed prudentiam regendi populum Hebræũ, hæc enim loquentem facit Salomonem: *Dabis Domine seruo tuo cor docile, vt populum tuum iudicare possit, & discernere inter bonum & malum: quis enim poterit iudicare populum istum, populum tuum hunc multum?* Et Deus respondit ei: *Quia postulasti verbum hoc, & non petiisti tibi dies multos nec diuitias, nec animas inimicorum tuorum, sed postulasti tibi Sapientiam ad discernendum iudicium: Ecce feci tibi secundum sermones tuos: & dedi tibi cor sapiens & intelligens, in tantum vt nullus ante te similis tui fuerit, nec post te surrecturus sit.*

A

B

Præcipve autem Dominus Salomoni dedit incredibilem perspicaciam ingenij atque solertiam, vt in rebus maximè obscuris & dubiis, in quibus scilicet veritas nullis indiciis & argumẽtis certò inuestigari & deprehẽdi potest, videret ipse & vbi verũ esset, & quid fieri oporteret: quam quidem solertiam & prudentiam mirabiliter ostendit Salomon in illarum duarum mulierum disceptatione. Quapropter cùm Scriptura Salomonis super ea controuersia iudicium & sententiam enarrasset, subiunxit: *Audiuit itaque omnis Israël iudicium quod iudicasset Rex: & timuerunt Regem, videntes sapientiam Dei esse in eo ad faciendum iudicium.* Non est tamen negandum, etiam rerum naturalium scientiam amplissimam Salomoni esse datam: id enim apertissimè traditur in libro Sapientiæ capite 7. quem locum paulò supra commemorauimus. Et in capite 4. libri 3. Regum sic est: *Præcedebat sapientia Salomonis sapientiam omnium Orientalium, & Ægyptiorum, & erat sapientior cunctis hominibus. Et disputauit super lignis, à cedro quæ est in Libano, vsque ad Hyssopum quæ egreditur de pariete: & disseruit de iumentis, & volucribus, & reptibilibus, & piscibus, & veniebant de cunctis populis ad audiendum sapientiam Salomonis.*

C

3. Regum c. 3.

QVÆ

A

QVAESTIO IIII.

De scientia rerum supernaturalium quam habuit Adam.

ILLVD etiam quæritur, vtrum Adam habuerit scientiam rerum supernaturalium. Sed Adamum supernaturalium rerum scientiam ab initio habuisse, eo probari argumento facile potest, quòd, vt infrà ostendemus, Adamus creatus sit cum gratia gratum faciente, cuius quasi fundamentum est fides. Impossibile enim est, auctore Paulo ad Hebræ. 11. sine fide placere Deo. Fides vero, cognitio est rerum supernaturalium; definitur enim à Paulo: *substantia rerum sperandarum, argumentum non apparentium.* Adiice, quod Adam principalius propter finem supernaturalē quàm propter naturalem fuerat à Deo conditus: Cùm igitur quò finem suum naturalem consequeretur, à primo data fuerit ei scientia rerum naturalium; consentaneum profecto erat, vt ad assequendum finem suum supernaturalem, similiter cognitione rerum supernaturalium
B instructus crearetur. Nam qua obsecro ratione perfectus esset Adam à Deo creatus, si ei tam principalis & necessaria perfectio, cognitionem dico rerum supernaturalium, defuisset?

SED quarum rerum supernaturalium cognitionem tenuit Adam? Mihi quidem certè fit admodum credibile, sex genera rerum supernaturalium fuisse Adamo cognita. Primùm quidem, nouerat Adam præmia supernaturalia esse viris bonis & Deo sanctè ac piè seruientibus in cœlis constituta, namque vt Paulus scribit ad Hebræos 11. *Accedentem ad Deum credere oportet quia est, & inquirentibus se remunerator sit.* Tum habebat sine dubio fidem & certam notitiam vltimi finis supernaturalis humanæ naturæ: siquidem ex fine pendet ordinatio totius vitæ, sicut ordinatio scientiæ speculatiuæ pendet ex primis cuiusque scientiæ principiis speculatiuis. Sic enim se habet finis ad
C actionem, vt prima principia speculatiua cuiusque scientiæ ad eius scientiæ cognitionem. Quoniam igitur Adam factus est vsu rationis & liberi arbitrij perfectus, & potēs ab initio vel benè vel male agendi; cōuenientissimum erat vltimum finem eius statim ipsi notum esse vt sciret quò sua omnia, ac seipsum referre deberet. Deinde, nouit ea quæ simpliciter omni homini, atque omni tēpore necessaria sunt homini, quo finem illum consequatur: hęc autem sunt, gratia gratum faciens, & tres virtutes Theologicæ fides, spes & caritas, & siquid aliud est huiusmodi: Hæc autem sciebat Adam nō à nobis proficisci, nec propriis viribus parari posse, sed gratuito donari à Deo.

Sex genera rerū supernaturaliū cognita Adamo.

AD HÆC, satis probabile est non latuisse Adamum horribilem illum Angelorum casum; qui propter superbiam cœlo deturbati, plurimas cœlestium sedium vacuas reliquerunt huius enim casus & ruinæ cognitio multum prodesse Adamo poterat, vt

Ruinam Angelorū notam fuisse Adamo.

eum in humilitate,& diuinæ legis obedientia, & timore seueritatis A
diuini iudicij ac iustitiæ contineret. Maximo autem gaudio animum
eius complebat,nosse tantas illas ruinas cœlestes per homines terre-
nos,qui ex ipsius stirpe progenerandi erant, reparari ac refici debe-
re. Atque hoc sensit & scriptum reliquit Catharinus in Commenta-
riis suis in Genesim, super illis verbis primi capitis, *Et benedixit illis*
dicens,Crescite & multiplicamini, in digressione qua disputat de felici
statu primorum hominum ante peccatum, & ad hoc ille accommo-
dat verba illa quæ sunt in capite 17. libri Ecclesiastici, vbi Scriptura
inter alia bona quæ Deum primis hominibus tribuisse narrat, ponit
& hoc, *Et iudicia sua*, inquit, *ostendit illis. Quæ iudicia*, inquit Catharinus:
nimirum quibus Deus reuelauit illis transgressionem pessimorum spirituum, &
quomodo iudicauerat eos & damnauerat.

Mysterium Trinitatis fuis se notũ Adamo.

PRÆTEREA, distinctè & explicatè cognouit Adam per fidem
mysterium sanctissimæ Trinitatis: hoc enim tradit Epiphanius in
exordio eius operis quod scripsit aduersus hæreses. Et verò, id sit ad-
modum credibile: Non enim consentaneum fuit, primum hominem B
tot tantisque bonis tum naturalibus, tum supernaturalibus cumula-
tum, & in illo fœlici statu innocentiæ positum, mysterium Trinita-
tis, primum scilicet & maximum omnium mysteriorum Fidei, & cu-
ius clara visio, vt Augustinus inquit, tota est Fidei merces, ignorasse,
præsertim verò cùm hoc mysterium primo in creatione Adami fuis-
set indicatum, cùm dixit Deus, *Faciamus hominem ad imaginem & simili-*
tudinem nostram; & coram Adamo posteâ dixit Deus, *Ecce Adam quasi*
vnus ex nobis factus est sciens bonum & malum.

Adamum cognouisse futuram fi'ij Dei incarnationẽ.

AD extremum, cognouit etiam Adamus, vt multis & magnis
Doctoribus placuit, futuram Filij Dei ex ipsius progenie incarna-
tionem. Cognouit igitur Adam, Filium Dei aliquando sumpturum
carnem humanam, non quidem vt per mortem suam liberaret homi-
nem à peccato, sic enim Adam sui lapsus & peccati fuisset præscius,
sed vt caput esset humani generis ad ipsum honorandum & glorifi-
Genes.37. candum, sicut Ioseph (vtitur hoc exemplo Bonauentura) patriarcha C
præuidit in somno futuram exaltationem suam, non tamen vendi-
tionem suam, aut inclusionem in carcerem. Et hæc quidem senten-
tia maximè competit & quadrat in opinionem eorum qui putant,
etiam si Adam non peccasset, Christum tamen fuisse incarnandum.
Ac mysterium quidem incarnationis, ita vt diximus, fuisse Adamo
cognitum, censet Sanctus Thomas secunda secundæ quæstione se-
cunda articulo septimo, Bonauentura quoque in secundo sentent.
distinctione vigesimatertia, in expositione textus Magistri, & Catha-
rinus loco paulò superius nominato, & B. Prosper in capite primo,
primæ partis eorum trium, quos de promissionibus & prædictioni-
bus Dei composuit. Tractans enim illa verba quæ sunt in secundo
capite Geneseos, *Propter hoc relinquet homo patrem & matrem, &c.* & pon-
derans quod Paulus ad Ephesios scribens capite quinto, super illis
verbis

A verbis dixit, *Sacramentum hoc magnum est, Ego autem dico in Christo & in Ecclesia*; affirmat notam fuisse Adamo coniunctionem Christi cum Ecclesia, & quod vt Eua ex latere suo formata erat, sic Ecclesiam formatum iri ex latere Christi in cruce pendentis. Quamquam hoc posterius dictum Prosperi non videtur verum: significat enim, Adam nouisse futuram mortem & passionem Christi, haud dubiè hominis à peccato liberandi causa ab eo suscipiendam: ex quo efficeretur, ipsum peccati sui fuisse præscium, quod negat Augustinus libro vndecimo de Genesi ad litteram, capite decimooctauo, nec placet Theologis.

Vtrum Adam in statu innocētiæ Deū cognoscebat sublimiori genere cognitionis quàm sit cognitio fidei.

Sed illud hoc loco quæri posset, vtrum cognitio rerum supernaturalium & diuinarum quam in statu innocentiæ habuit Adam fuerit sublimior & clarior quàm est fides, licet inferior fuerit & obscurior quàm sit cognitio earundem rerum per lumen gloriæ: ita vt lumen illud quod habuit Adam, medium quodammodo fuerit inter lumen Fidei & lumen gloriæ, hoc videlicet inferius, & superius illo.

B Hugo quidem certè simile quiddam sensisse videtur. Sic enim scribit libro primo de Sacramentis parte sexta, capite 14. *Cognitionem Creatoris primus homo habuisse creditur, cognouit enim à quo creatus fuerat, non eo modo cognoscendi quo ex auditu solo percipitur, quo modo à credentibus absens quæritur, sed quadam interiori inspiratione qua Dei præsentiam cōtemplabatur: non tamen ita excellenter, sicut post hanc vitam sancti visuri sunt, neque ita in ænigmate qualiter in hac vita videmus.* Sic Hugo. Cuius sententiam interpretans Beatus Thomas secunda secundæ quæstione quinta, articulo primo, dicit contemplationem Dei & rerum diuinarum quæ tollit necessitatem Fidei, esse contemplationem Dei quam in patria beati habent, qua scilicet supernaturalis veritas per essentiam videtur. Hanc autem contemplationem non habuit Angelus ante confirmationem, nec primus homo ante peccatum, sed eorum contemplatio erat altior quàm nostra, per quam propius accedentes ad

C Deum plura manifestè cognoscere poterant de diuinis effectibus & mysteriis, quàm nos possumus: vnde non inerat eis fides qua ita quæreretur Deus absens sicut à nobis quæritur. Erat enim præsentior eis Deus per lumen sapientiæ quàm sit nobis, licet non ita eis præsens esset vt est beatis per lumen gloriæ. Et quamuis Adam non acceperit cognitionem rerum diuinarum per auditum exteriorem ab alio extrinsecus loquente & docente, accepit tamen eam per auditum interiorem, Deo interius inspirante & docente, quo modo Prophetæ audiebant, & Dauid dixit, *Audiam quid loquatur in me Dominus Deus.* Quamobrem Augustinus libro 11. de Genesi ad litteram capite 33. *Fortasse*, ait, *intrinsecus & ineffabilibus modis Deus cum primis hominibus antea loquebatur, sicut etiam cum Angelis loquitur, ipsa incommutabili veritate illustrans mentes eorum, vbi est intellectus nosce simul quæcunque etiam per tempora non fiunt simul, Forte, inquam, sic cum eis loquebatur, etsi non tanta participatione diuinæ sapientiæ, quantam capiunt Angeli tamen* *Psalm. 84.*

pro humano modulo quantumlibet minus, sed illo ipso genere visitationis & locutionis: fortassis etiam illo, qui fit per creaturam, siue in ecstasi spiritus corporalibus imaginibus, siue ipsis sensibus corporis aliqua specie præsentata vel ad videndum, vel ad audiendum, sicut in Angelis suis solet videri Deus, vel sonare per nubem: Hæc Augustinus. A

Denique Sanctus Thomas in prima parte quæstione 94. articulo primo, censet Adamum agnouisse Deum altiori cognitione, quàm nos cognoscamus, & fuisse cognitionem eius quodammodo mediam inter cognitionem præsentis status, & cognitionem patriæ, qua Deus per essentiam videtur. *Constat enim Deum clarius & eminentius videri per intelligibiles effectus, quàm per sensibiles & corporeos. Aconsideratione autem plena & liquida intelligibilium effectuum retrahitur vel retardatur homo ab amore & occupatione circa res sensibiles: At primum hominem fecit Deus rectum, vt dicitur Ecclesiast. 7. quæ rectitudo in eo erat, vt quæ sunt superiora in homine, subderentur superioribus, & hæc nullo modo impedirentur ab illis. Quapropter primus homo non impediebatur per res exteriores sensibiles à* B *clara & firma contemplatione rerum intelligibilium, quas ex irradiatione primæ veritatis percipiebat, siue naturali cognitione siue gratuita. Et quia duplex est medium cognoscendi, vnum, in quo simul videtur quod per medium videri dicitur, sicut cùm homo videtur per speculum, & simul videtur cum ipso speculo: alterum medium est, per cuius notitiam deuenitur ad cognoscendum aliquid ignotum, sicut est medium demonstrationis: & sine huiusmodi medio Deum videbat Adamus, non tamen sine priori medio. Non enim oportebat primum hominem peruenire in Dei cognitionem per demonstrationem sumptam ab aliquo effectu sicut nobis est necessarium, sed simul in effectibus præcipuè intelligibilibus suo modo Deum cognoscebat. Similiter si quæratur, vtrum Adam tum cognosceret Deum in ænigmate? respondendum est, in ænigmate inesse obscuritatem, quæ quidem obscuritas dupliciter potest accipi: Vel quatenus quælibet creatura est obscura & velut tenebræ si cum immensitate diuinæ claritatis comparetur, & sic Adam videbat Deum in ænigmate, quia videbat Deum per effectus creatos: Vel potest intelligi obscuritas quæ accidit homini propter peccatum, de qua loquitur Augustinus libro decimoquarto, de Trinitate capite nono, prout scilicet impeditur homo à consideratione rerum intelligibilium per sensibilium occupationem, & sic Adam non cognoscebat Deum in ænigmate.* Hactenus ex Beato Thoma. C

Virũ Adã cognouerit Deũ in ænigmate.

Nec dissimilis est, nec hoc loco prætereunda, sed obseruanda lectori Bonauenturæ sententia, sic enim ille scribit in secundo sententiarum distinctione vigesimatertia, articulo secundo, quæstione secunda. *Cognitio hominis in statu innocentiæ media erat inter cognitionem status gloriæ & status miseriæ: Sicut etiam locus Paradisi medius erat inter hanc vallem miseriæ & patriam cœlestem. Et quemadmodum Paradisus terrestris similior erat terræ quàm cœlo, sic cognitio Adæ in statu innocentiæ conformior erat cognitioni status præsentis quàm futuri. Vnde in solo statu gloriæ videbitur Deus immediatè & in sua substantia, ita vt nulla*

sit

A *sit ibi obscuritas, in statu verò innocentiæ & naturæ lapsæ, videtur Deus mediante speculo, sed differenter. Nam in statu innocentiæ videbatur Deus per speculum clarum: nulla enim in anima erat peccati nebula: in statu verò miseriæ videtur per speculum obscuratum propter peccatum primi hominis, & ideo nunc videtur per speculum & in ænigmate. Aenigma enim sicut dicit Augustinus in libro decimoquarto de Trinitate, capite nono, est similitudo obscura.*

Quadruplex genus cognoscendi Deum.

Est *autem quadruplex genus cognoscendi Deum, videlicet per fidem, per contemplationem, per sensibilem apparitionem, per apertam visionem. Primum, est gratiæ communis: secundum, gratiæ excellentis: tertium, est gratiæ specialis quartum, est gratiæ consummantis & glorificantis. Et sufficientia istorum modorum ita colligitur: quia omne quod cognoscitur, per aliquid præsens intellectui cognoscitur: Deum quoque per aliquid præsens intellectui cognosci ab homine necesse est. Aut igitur cognosco Deum per hoc quod est*

B *præsens mihi, aut quia est præsens alij: Si quia est præsens alij, hæc est cognitio fidei: cognosco enim & credo Deum esse trinum & vnum, quia Dei Filius hoc enarrauit, & Spiritus sanctus inspirauit: quod enim credimus, debemus auctoritati, vt scribit Augustinus in libro de Vtilitate credendi capite vndecimo. Si autem eognosco Deum per hoc quod est præsens mihi, id potest fieri tripliciter: Aut quia est præsens mihi in proprio effectu, & sic est contemplatio, quæ tanto excellentior est, quanto effectum diuinæ gratiæ magis in se homo sentit, & quanto melius potest Deum considerare in exterioribus creaturis. Aut est præsens mihi Deus in proprio signo, & sic est apparitio; sicut apparuit Deus Abrahæ in subiecta creatura, quæ ipsum Deum figurabat, & Spiritus sanctus in columba. Aut denique præsens est homini Deus in lumine suo, & in seipso, secundum quod dicitur cognosci facie ad faciem: & est aperta visio, quæ quidem merces est tota humanorum meritorum. Primum igitur & vltimum genus cognitionis Dei non competebat statui innocentiæ: primum quidem propter cognitionem ænigmaticam, & quia cognitio fidei vt plurimum ex auditu est: vltimum vero propter summam perfectionem non exhibebatur homini in terris, sed pro-* Rom. 10.

C *mittebatur dandum in cœlis, secundum verò & tertium genus cognitionis Dei, scilicet contemplationis & apparitionis, in vtrumque statum competunt, sed in statu innocentiæ potissimum vigebat contemplatio: tum propter animæ puritatem, tum etiam propter carnis & inferiorum virium subiectionem: quibus duabus rebus vt plurimum anima caret in statu naturæ lapsæ, ideoque non potest ad illum gradum contemplationis attingere.* Sic Bonauentura.

Excutitur Bonauenturæ sententia.

Sed in hac Bonauenturæ sententia, quod dixit cognitionem fidei propter obscuritatem non fuisse in Adamo ante peccatum, id ego si præcisè intelligatur, minimè probare possum. Nam, vt suprà diximus, nec Adam, nec Angelus dum erant in via, poterant sine fide aut placere Deo, aut mysterium Trinitatis certò & indubitanter cognoscere: propterea enim mysterium istud vocatur supernaturale, quia vim & facultatem omnis creatæ intelligentiæ longissimè supe-

rat, nec certa eius cognitio haberi potest nisi per fidem in via, aut per A visionem in patria. Denique, etiam in Adamo priusquam peccaret, verissimè dici poterat quod Propheta ille dixit, *Iustus ex fide viuit*: & quod scribit Paulus, *Dum sumus in corpore, peregrinamur à Domino, ambulantes per fidem, & non per speciem: & nunc videmus per speculum in ænigmate, tunc autem facie ad faciem.*

Habac. 2.
2. Corint. 5.
1. Corin. 13.

Cognitio rerũ supernaturalium quæ fuit in Adamo dupliciter præstantior fuit quam nostra.

SCIRE tamen conuenit, cognitionem rerum diuinarum quam habuit Adam, dupliciter eâ quam nos habemus fuisse præstantiorem: Primo quidem propter præstantiam ingenij & scientiæ, quo fiebat vt multa ille de rebus diuinis ratione & intelligentia comprehenderet, ad quæ mens nostra nunc aspirare non potest nisi lumine Fidei adiuta. Quemadmodum etiam nunc inter Christianos nonnulla de Deo & rebus diuinis, docti & sapientes viri non tantum fide, sed etiam naturali ratione & scientia nouerunt, quæ tamen idiotis sola fide percepta & cognita sunt. Deinde, nos habemus fidem tam respectu obiecti reuelati, quàm Dei reuelantis: non enim est nobis euidenter notum, reuelata esse à Deo mysteria quæ credimus. At primus homo licet non haberet euidentem cognitionem ipsius obiecti Fidei, habebat tamen euidentem reuelationis à Deo factæ: nouerat enim euidenter mysteria illa sibi esse à Deo reuelata. Sed vnde nouerat? quia sentiebat mentem suam interius illuminatam ad cognoscenda ea quæ humana ratione non possunt cognosci, idque sine ordine ad phantasmata: hoc autem ab alio quàm à Deo, qui solus in mentem humanam illabi potest, & solus in eam habet potestatem & efficacitatem, proficisci & effici non potest. B

Vide quanta fuerit cõtemplationis Adami excellẽtia.

GENVS autem contemplationis quo in beato illo statu innocentiæ vsus est Adam, vsque adeo sublime & excellens fuit, vt sæpenumerò mens eius ab omnium vsu sensuum abstracta, & in ecstasim rapta, curiæ cœlesti & Angelorum choris interesset. Audiat lector non meam sed Augustini sententiam, qui extremo capite libri noni de Genesi ad litteram ita scribit: *Illa ecstasis quam Deus immisit in Adam vt soporatus obdormiret, rectè intelligitur ad hoc immissa, vt & ipsius mens per ecstasim particeps fieret tanquam angelicæ curiæ, & intrans in sanctuarium Dei intelligeret nouissima. Denique, euigilans tanquam prophetiæ plenus, cum ad se adductam costam, mulierem suam videret eructauit continuò quod magnum sacramentum commendat Apostolus: Hoc nunc os ex ossibus meis, & caro de carne mea, &c.* Quæ verba cùm primi hominis fuisse Scriptura ipsa testetur, Dominus tamen in Euangelio Deum dixisse declarauit, vt hinc intelligeremus, propter ecstasim quæ præcesserat in Adam, hoc eum diuinitus tanquam prophetam dicere potuisse. Sic Augustinus. Horum similia scribit Gregorius in primo capite libri quarti Dialogorum: *Postquam*, inquit, *de Paradisi gaudiis, culpa exigente, expulsus est primi humani generis parens, in huius caligatis atque exilij quam patimur venit ærumnam: quia peccando extra semetipsum fusus, iam illa cœlestis patriæ gaudia quæ prius contemplabatur, videre non potuit. In Paradiso quippe assueuerat homo verbis Dei perfrui: & Beatorum* C

Matth. 19.

Angelorum

A *Angelorum spiritibus, cordis munditia & celsitudine visionis interesse. Sed postquam huc cecidit, ab illo quo implebatur mentis lumine recessit. Ex cuius videlicet carne nos in huius exilij cæcitate nati audimus quidem cœlestem esse patriam, audimus eius ciues Angelos Dei, audimus eorundem Angelorum socios spiritus iustorum & perfectorum: sed carnales quique, quia illa inuisibilia scire non valent per experimentum, dubitant verum ne sit quod corporalibus oculis non vident. Quæ nimirum dubietas in primo parente esse non potuit, quia excluſus à Paradisi gaudiis, hoc quod amiserat, quia viderat recolebat.* Hactenus sunt verba Gregorij. Ex quibus licet argumentari, saltem, auctore Gregorio, Adamum aliquandiu fuisse in statu innocentiæ: affirmat enim Gregorius, eum consueuisse Dei verbis perfrui, & beatorum Angelorum choris interesse, vocabulum autem consuetudinis, in breuissimo tempore poni non solet.

Adamũ aliquãdiu secundũ Gregoriũ in statu innocentiæ mansisse.

B

QVAESTIO V.

An in statu innocentiæ posteri Adæ innatam habuissent scientiam.

SED videamus, vtrum posteri Adæ si status ille innocentiæ mansisset, nati fuissent cum scientia rerum omnium, similiter vt ipse Adam, omnium rerum scientia excellens creatus est. Ad hanc quæstionem respondemus, in statu innocentiæ posteros Adæ non fuisse nascituros cum scientia. De his enim quæ supra naturam sunt, nisi temerè loqui velimus, non est aliud affirmandum, nisi quod vel in Sacris litteris proditum est, vel Ecclesiæ auctoritate, aut patrum testimonio suffultum, aut ratione aliqua vel necessaria, vel certè admodum probabili munitum: sed nihil horum suppetit nobis ad probandum, posteris Adæ ingeneratum iri scientiam, ergo non est id affirmandum. Quinimo si rationem ipsam consulamus, ea nobis contrarium suadebit ac probabit, siquidem naturale homini est scientiam acquirere per sensus & experimenta: idcirco enim anima rationalis cum hoc corpore omnium sensuum tam exteriorum quàm interiorum instrumentis & præsidiis instructo copulata est, vt eorum adminiculo doctrinas, quarum ex se ipsa expers est, comparare posset: hac enim re differt intellectus humanus ab angelico. Quid, quod sicut posteri Adæ non fuissent nati perfecta ætate, nec perfecta corporis magnitudine ac robore, ita nec essent nati perfecto animo & ratione, id est, cum scientia.

C

ATQVE hæc est opinio Hugonis lib. 1. de Sacramentis, part. 6. & S. Thomæ in prima parte qu. 101. contra quam duo possunt obiici. Vnum est: ignorantiam accidisse homini ex culpa: sed in illo statu nati

nati fuissent homines sine culpa, ergo sine ignorantia; cum scientia A
igitur. Alterum est, si Adam habuit ab initio scientiam rerum om-
nium, cur non eam similiter eius posteri habuissent? Ad priorem ob-
iectionem respondemus secundum Hugonem & Thomam, dupli-
cem esse ignorantiam: Alteram quam Theologi appellant puræ ne-
gationis & nescientiam, quę quidem non ex culpa oritur, sed ex con-
ditione naturæ creatæ, quæ non potest omnia & quolibet tempo-
re scire: quippe talis etiam inest in Angelis, neque enim illi omnia
norunt; quid igitur mirum, si ea fuisset in posteris Adæ à primo or-
tu? Alteram verò ignorantiam esse docent vitiosam & culpabilem,
quæ est priuatio cognitionis eorum quæ nosse debet homo vel sim-
pliciter, vel aliquo certo tempore: huiusmodi autem ignorantia non
fuisset in posteris Adæ: nam licet nati fuissent ignorantes, non ta-
men earum rerum quas illa prima ætate scire eos oportebat aut de-
cebat. Ad posteriorem obiectionem respondendum est, multa fuis-
se in Adamo (quia is erat primus homo & parens & doctor huma-
ni generis) singularia & propria, quæ non decebat illi esse cum aliis
hominibus communia: cuiusmodi fuere, Adamum à solo Deo esse B
factum ex limo terræ, perfecta ætate, & corporis statura, & potentem
generandi prolem, atque ex ipso formatam esse mulierem. Sicut igi-
tur hæc propria fuere Adami, sic & illud, habere ab ortu suo rerum
omnium scientiam.

Duæ obiectiones. Qualis ignorantia fuisset in statu innocentiæ.

Decem res quibus homines in statu innocentiæ ad comparãdam scientiã fuissent adiuti.

Sed quamuis posteris Adæ scientia rerum non fuisset ingenita,
eam tamen illi cum ad ætatem discendo idoneam venissent, breui,
facile, perfectęque comparassent. Decem enim rebus vehementer
illi ad capessẽdas doctrinas omnes fuissent adiuti: quibus rebus quia
nos amisso illo statu miserè caremus, propterea & pauci, & difficili-
ter, & tardè, atque imperfectè disciplinas humanas adipiscimur. Sed
quænam erant decem illæ res quibus posteri Adæ ad comparandas
omnes scientias præclarè instructi paratique accessissent? Prima res,
erat summa docilitas & habilitas ad discendum quodlibet, scien- C
dumque, propter admirabilem ingenij, memoriæ ac iudicij excel-
lentiam, & incredibilem discendi ardorem, verique noscendi cupi-
ditatem. Secunda, erat præstantia omnium sensuum tam interiorum
quàm exteriorum, quorum ministerio atque adminiculo & velut au-
cupio mens humana vtitur ad aucupandam & consequendam scien-
tiam. Tertia: ingens copia optimorum doctorum, qui & ipsi rerum
omnium scientia excellerent, & ad eam docendum alios, aptissimi &
accommodatissimi essent. Quarta: tanta vitæ longitudo, quanta pa-
randis tractandisque omnibus doctrinis non modò sufficeret, sed
etiam longè supereesset. Quinta: optima valetudo, robur corporis, fir-
mitasque virium. Sexta: facilitas parandi abundè omnia quæ ad vi-
ctum & vestitum, omnemque cultum vitæ pertinent. Septima: ma-
gna opportunitas periclitandi vires, experiendique naturas, proprie-
tates, affectiones, virtutesque animalium, stirpium, Metallorum, la-
pidum,

A pidum, denique rerum omnium naturalium, quæ est origo & seminarium scientiæ. Octaua: perfecta moderatio animi, & omniũ perturbationum sedatio, cunctorumq; affectuũ sub rationis imperium subiectio: itaque nihil tum maiori studio & cupiditate concupiscerent & consectarentur homines, quàm scientiam & virtutem. Nona: singularis quædam & eximia erga homines in eo statu viuentes prouidentia & cura Dei, eos miris modis ad perquirendam & acquirendam rerum omnium cognitionem adiuuantis, vel per interiores illustrationes, vel per Angelos qui tunc homines familiariter visitassent. Decima & vltima: nulla id temporis homini ad insistendum doctrinarum studio, à dæmonibus impedimenta accidissent. Nunc autem dæmon à studio bonarum artium & liberalium doctrinarum, duabus de causis deducere homines conatur: tum quod ardens dicendi studium hominem à plerisque vitiis & cupiditatibus rerũ terrenarum vehementer abducit: tum quod veretur dæmon ne qui honestis disciplinis comparandis sedulò dant operam, earum deinde vsu ad prædicandam & illustrandam Dei gloriam, iuuandósque homines, & ab erroribus, quorum dæmon ipsæ sator & auctor est, liberandos, magno cum imperij sui quod in homines impios & improbos habet detrimento & exitio, conferant.

B

DISPVTATIO DE SECVNDA EXCELLENTIA status innocentiæ, id est, de Gratia gratum faciente.

IN HAC disputatione, similiter vt in ea quæ hanc præcessit, quæstiones quinq; pertractandæ sunt. Prima quæstio est. Vtrum Adam cum gratia gratum faciente creatus sit: secunda, an illa gratia cum qua creatum esse Adamum ostendemus, tanta fuerit, vt penitus excluderet omne peccatum etiam veniale: tertia, Vtrum homines in statu innocentiæ maiorem habuissent gratiam quàm in statu legis Euangelicę sanctissimi homines habuerunt: quarta, Vtrum si Adam non peccasset, posteri eius cum gratia nati fuissent: quinta, Vtrum si Adam non peccasset, posteri eius fuissent in gratia confirmati.

C

QVAESTIO I.

Vtrum sit cum gratia creatus Adam.

PRIMA hæc quæstio & per se nobilis & celebris est, & est Theologorum eruditis disputationibus, atque opinionum varietate & dissensione magis nobilitata. Catharinus opinatur Adamum primo esse conditũ in puris naturalibus: posteà esse orna- *Catharinus in Genes.*

ornatum iustitia originali: deinde gratia gratum faciente donatum esse ac decoratum. Illud apud Theologos extra controuersiam est, Adam gratiam habuisse ante suum lapsum. Testimonia Patrum ad id probandum commemorat Magister in 2. lib. dist. 29. & Gratianus de Pœnitentia dist. 2. cap. Tolle caritatem. Nec licet hoc in dubium vocare, cum duorum sit Conciliorum Arausicani & Tridentini decretis constitutum atque communitum. Certè in Tridentino in sessio. 5. in decreto de peccato originali sic est: Adam per peccatū amisit sanctitatem & iustitiam in qua fuerat à Deo constitutus. Et hoc tanquam valdè consentaneum est: propter peccatum enim Adamus gratiam Dei & dona cœlestia perdidit, quippe propter illud primum peccatum ipse cum vniuersa posteritate sua condemnatus est, & priuatus iure possidendi regnum cœleste. Habebat igitur ante peccatum ius regni cœlestis hoc autem ius non aliter nisi propter gratiam Dei datur homini. Nimirum, si per primum illud peccatum non perdidisset Adam Dei gratiam, nulla erat ratio cur vnius illius primi peccati reatus tantùm, non autem aliorum peccatorum quæ deinde patrauit Adam, ad posteros deriuaretur. Hoc igitur cum omnium concessum pro certo haberi debeat, non attinet pluribus verbis disputare.

Adamū fuisse in gratia ante lapsum.

Illvd autem inter Theologos controuersum est, vtrum Adam in primo ortu suo & ab initio gratiam Dei habuerit, an posteà eam acceperit, de hoc variant Theologi sententias. Non fuisse eum cum gratia creatum, sed tantùm cum iustitia originali, multi & magni Doctores censuerunt; Hugo S. Victoris lib. 1. de Sacramentis parte sexta, Alexander de Hales parte 2. quæst. 96. Bonauentura & Scotus lib. 2. sententiarum distinct. 26. Marsilius in eundem librum quæst. 16. & item Altisiodorensis. Confirmat eam sententiam Bonauentura his argumentis: Magis congruit gratia cum gloria, quàm natura cum gratia: sed Adamo collata est gratia ante gloriam: ergo natura quoque data est ante gratiam. Posteà, per gratiam fit matrimonium quoddam spirituale inter Deum & animam hominis, sed ea lex matrimonij est vt id minime fiat sine coniugis vtriusque consensu: ergo dari non debuit Adamo gratia sine eius consensu: præsertim autem cùm hoc habeat Dei prouidentia, vt nulli adulto quiq; iam rationis vsu pollet gratiam suam absque eius consensu & præparatione tribuat. Deinde, quo clarius & certius Adam cognosceret, gratiam quę ipsi à Deo tribuebatur, verè esse gratiam, id est, omnem naturæ facultatem excedere, atque homini gratuitò donari, eáque ratione Deo gratior & deuotior esset: conuenientius fuit, vt eam postquam creatus est haberet, quàm vt simul cum natura sibi quodammodo ingeneratam acciperet.

Qui censuerint Adamū non esse creatum in gratia & quibus argumētis id probauerint.

Scotvs eo quem supra nominaui loco respondens ad quartum argumentum, arbitratur iustitiam originalem cum qua creatus est Adam, non fuisse gratiam gratum facientem: fuisse tamen donum supernaturale. Habebant autem se gratia gratum faciens & iustitia origi

A originalis, inquit Scotus, sicut excedēs & excessum. Excedebat enim iustitia originalis ipsam gratiam gratum facientem quatuor rebus: etenim, iustitia originalis non modo rationem Deo subdebat, sed etiam sensum rationi, & corpus animæ: deinde, promptius, delectabilius, firmius coniungebat mentem cum Deo: tum, non admittebat vllum peccatum, non tantum mortale, sed etiam veniale: denique, faciebat hominem omne bonum morale promptè & iucundè, & sine vlla interiori molestia operari. Gratia verò gratum faciens eò vincit & antecellit iustitiam originalem, quod hominem excellentius iungit Deo, scilicet vt fini & bono supernaturali: facitq; hominem vere gratum & amicum Deo, eiusq; filium & hæredem vitæ æternæ, & vt is mereri queat etiam de condigno æternam vitam.

Augustini sententia fuit: & vera, Adamū creatum esse cum gratia.

ALTERA opinio est, Adamum creatum esse in gratia. Hanc fuisse Augustini sententiam, multis ille locis aperte declarauit. Namque in Enchiridio capite 104. sic ait: *Primum hominem Deus in ea salute*
B *in qua conditus erat custodire voluisset, cúmque oportuno tempore post genitos filios sine interpositione mortis ad meliora perducere: vbi iam non solum peccatum non committere, sed nec voluntatem posset habere peccandi; si ad permanendum sine peccato, sicut factus erat, perpetuam voluntatem habiturum esse præsciisset.* In libro autem de Correptione & gratia capite 10. affirmat primum hominem factum esse à Deo rectum & cum bona voluntate, apud Augustinum autem nulla est simpliciter bona voluntas sine Dei gratia. Tradit item, ipsum factum esse beatum, ea nimirum beatitudine quæ potest homini in hac vita contingere quæ tamen nulla esset sine Dei gratia. Ad hunc autem modum scribit: *Primum hominem fecit Deus beatum: quia & non mori, & non miserum fieri, in sua potestate esse sentiebat. In quo statu recto ac sine vitio si per ipsum liberum arbitrium manere voluisset, profecto sine vllo mortis & infelicitatis experimento, acciperet illam, merito huiusmodi permansionis, & beatitudinis plenitudinem qua & sancti Angeli sunt beati, id est, vt cadere*
C *non posset vlterius, & hoc certissimè sciret.* Et in capite eiusdem libri vndecimo: *Tunc*, inquit, *dederat homini Deus bonam voluntatem: in illa quippe eum fecerat qui fecerat rectum. Dederat adiutorium, sine quo in ea non posset permanere si vellet, vt autem vellet, in eius libero reliquit arbitrio. Si autem hoc adiutorium vel Angelo, vel homini cum primum facti sunt defuisset, quoniam non talis natura facta erat vt sine diuino adiutorio posset manere si vellet, non vtique sua culpa cecidisset: adiutorium quippe defuisset sine quo manere non possent.* In libro quoque decimo quarto de Ciuitate Dei capite 11. & 27. dicit, primum hominem creatum esse à Deo rectum & cum bona voluntate. cúmque par sit ratio Angelorum atque primorum hominum, vt significat Augustinus in libro de Correptione & gratia capite decimo & vndecimo idque placet ferè Theologis, si Angelus cum gratia creatus est similiter hominem creatum esse cum gratia putandum est. Angelos autem creatos esse cum gratia, multis disertisq; verbis disputat

Augustinus lib.12.de Ciuitate Dei cap.9.*Simul*,inquit,*atque facti sunt* A *Angeli, ei à quo facti sunt, amore cum quo facti sunt, adhæserunt.* Et paulo infra:*Deus fecit Angelos cum bona voluntate hoc est,cum amore casto,quo illi adhæserunt: simul in eis condens naturam & largiens gratiam.* Denique post hæc, amorem & bonam voluntatem cum qua creati sunt Angeli appellat caritatem diffusam in eos per Spiritum sanctum.

Sanctvs item Hieronymus in Commentariis super Oseam testatur, dæmones in magna esse spiritus pinguedine à Deo creatos. Hoc ipsum Patres colligunt ex iis quæ Isaias cap.14. de Lucifero sub persona regis Babylonis,& Ezechiel capite 28. de eodem sub persona principis Tyri vaticinantur. Accedit ad hæc, quod multi sanctorum Patrum & veterum doctorum explanantes illa verba, *Faciamus hominem ad imaginem & similitudinem nostram*: Illud,*Ad similitudinem nostram*, de similitudine quam habet homo cum Deo propter gratiam & virtutes,interpretandum & intelligendum censuerunt,cuius interpretationis auctores, supra libro quarto, Originē, Victorinum Basilium,Ambrosium,Chrysostomum,Augustinum, Bedam,Rupertum atque Hugonem nominauimus. Ab hac etiam sententia stare videtur Paulus ita scribens ad Colossen.3.*Expoliantes vos veterem hominem cum actibus suis & induentes nouum, eum qui renouatur in agnitionem Dei secundum imaginem eius qui creauit illam*, vbi renouationem hominis per gratiam, appellat Paulus renouationē imaginis in qua creatus est homo. Et sic interpretandum est quod multi veteres dixerūt, Adamum propter peccatum quod admisit, imaginem Dei ad quam erat conditus perdidisse. B

Ad huius præterea opinionis confirmationem quidam pertinere existimant quod in capite 17. libri Ecclesiastici scriptum est his verbis: *Deus creauit hominem de terra,& secūdum imaginem suam fecit illum, & secundum se vestiuit illum virtute.* Illud autem *secundum se*,idem significat quod, ad sui similitudinem. Sicut enim dicitur de Deo, *Confessionem & decorem induisti*: & alio in Psalmo,*Dominus regnauit decorem induit, induit Dominus fortitudinem, & præcinxit, se*; sic etiam homo ad similitudinem Dei suo modo virtute ornatus est, hoc est, præditus, acumine ingenij, quo per omnia animo & cogitatione penetrare, multaq; præclara potenter efficere valeat. Hoc enim loco vocabulum illud *Virtute*, non significat virtutem moralem quæ vitiis contraria est quam Græci vocant ἀρετὴν, sed significat robur & fortitudinem,Græcè enim est ἰσχὺν. Quare probabilius quidam ex eo loco argumentantur, Adamum esse conditum perfecto corporis robore, & perfecta animi virtute, quæ complectitur sciētiam & virtutes morales atque etiam supernaturales, quamquam Græcè pro illo *secundum se*, pluraliter legitur κατ' ἰδιώσεις, id est,secundum seipsos,vt ad homines referatur.Tota enim lectio Græca pluraliter loquitur:vel quia de Adamo & Eua agit, vel quoniam loquitur de his quæ in Adamo toti humanæ naturæ collata sunt. C

Locus Ecclesiastici.

Psal. 103. *Psal.*92.

A B. THOMAS 1.part.quæst.95. & 100. ex illa sententia quæ est in capite 7. libri Ecclesiastæ, *Fecit Deus hominem rectum*, vt probet fuisse Adamum cum gratia à Deo creatum, hoc modo ratiocinatur: *Rectitudo primi hominis in eo erat posita, vt ratio eius Deo esset subdita: rationi autem inferiores animæ vires, & animæ etiam corpus. Huius autẽ triplicis rectitudinis prima erat causa secũdæ & tertiæ: secunda verò rectitudo, per quam inferiores animæ vires subditæ, atque obedientes erant rationi: tertia item rectitudo qua corpus erat subiectum animæ, non erant naturales: alioquin mansissent in homine post peccatum: quæ enim naturalia sunt homini, ea propter peccatum non fuere homini ablata: sed erant gratuito concessæ homini per Dei gratiam. Prima igitur illa rectitudo qua mens omnino subiecta erat Deo, ex qua scilicet aliæ duæ pendebant, non erat naturale, sed supernaturale donum gratiæ Dei. Hinc concluditur, si primus homo creatus est cum illa rectitudine: eum cum Dei gratia creatum esse. Illud autem quod inferiores animæ vires continebat in officio & in obedientia rationis, fuisse supernaturale donum gratiæ non* B *obscurè indicauit Paulus ad Roman.7. cùm enim dixisset: Sentio aliam legem in membris meis, repugnantem legi mentis meæ, & captiuantem me in lege peccati: cumq; miserrimum statum suum quasi deplorans exclamasset: Infelix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis huius? subiecit, Gratia Dei per Iesum Christum. Sola igitur Dei gratia carnem spiritui rebellem coërcere: & mentis imperio subiugare potest, ergo cùm in Adamo ante peccatum caro rationi minimè rebellis fuerit: id profectò non aliter, quàm per gratiam Dei factum esse existimari debet.* Sic B.Thomas.

Locus Ecclesiastæ cap.7.

AD hoc etiam cõfirmandum valet quod scribit Augustinus lib.13. de Ciuit.Dei, cap.13. *Postea quam*, inquit, *præcepti facta transgressio est, confestim gratia deserente diuina de corporum suorum nuditate confusi sunt: senserunt enim nouum motum inobedientis carnis suæ, tanquam reciprocam pœnam inobedientiæ suæ. Iam quippè anima libertate in peruersum propria delectata, & Deo dedignata seruire, pristino corporis seruitio destituebatur. Et quia* C *superiorem dominum suo arbitrio deseruerat; inferiorem famulum ad suum arbitrium non tenebat: nec omnino habebat subditam carnem, sicut semper habere potuisset, si Deo subiecta ipsa mansisset.* In libro autem 14. eiusdem operis, cap.17. tractans illa verba tertij cap. Geneseos: *Aperti sunt oculi eorum: cumq; cognouissent se esse nudos, &c.* ita scribit Augustinus: *Patebant oculi eorum, sed adhuc non erant aperti, hoc est, non attenti vt cognoscerent quod eis indumento gratiæ præstaretur, quando membra eorum voluntati repugnare nesciebant. Qua gratia remota vt pœna reciproca inobedientia plecteretur, extitit in motu corporis quædam impudens nouitas, vnde esset indecens nuditas, & fecit attentos, reddiditq; confusos. Apperti sunt, inquit, oculi amborum non ad videndum, nam & antea videbant, sed ad discernendum inter bonum quod amiserant, & malum in quod ceciderant.* Hæc Augustinus. Quanquam qui iustitiam originalem donum quoddam faciunt à gratia gratum faciente diuersum, hisce Pauli & Augustini sententiis nequaquam mouentur. Respondent enim, ipsam iustitiam originalem, quia erat donum Dei supernatule non debitum homini,

sed gratuito ei tributum à Deo ; propterea gratiam Dei à Patribus A appellari.

Probatur multis rationibus Adamũ cum gratia esse creatum.

Sed enim creatum esse primum hominem cum gratia gratum faciente, aliis præterea rationibus confirmari posset. Etenim, si est creatus Adam perfectus corpore, & secundum omnia membra, & facultates corporis: quis dubitet eum similiter creatum esse perfectum animo & ratione, & secundum omnes potentias animæ rationalis? non fuisset autem perfectus sine gratia. Si conditus est Adam in statu fœliciſſimo & beatiſſimo, vt multis in locis inculcat Augustinus, idque declarat Paradisus in quo est Adam collocatus; cùm primę huius fœlicitatis partes sint ipsius gratiæ, hæc illi deesse non debuit. Si talis est conditus, vt fuerit amicus & familiaris Deo: non potuit sanè gratia carere, quę hanc amicitiam parit & tuetur. Si talis est conditus, vt posset non mori, cuius rei gratia comparauit ei Deus lignum vitæ: Si quæ de corporis conseruationem, aut delectationem pertinent, ea Deus illi statim, & tam abundè prouidit; cur non bonorum quæ ad animum pertinent potiſſimum maximéque necessarium, gratiam ei dederit? Si gratiam habuit ante peccatum; cur non habuerit simul atque est conditus? B

Deniqve, si Adam factus est animo rectus, & ratione perfectus, consentaneum fuit, vt primum omnium cognosceret Deum, à quo, propter quem, & ad quem amandum, colendum, fruendémque creatus fuerat, atque vt ad eum tanquam ad finem, suum supernaturalem, se suaque omnia referret ac dirigeret: sine hac enim cognitione, cęterarum omnium rerum scientia inanis, & futulis est: *Vani enim sunt omnes homines*, vt scriptum est in capite 13. libri Sapientiæ, *in quibus non subest scientia Dei.* Illud etiam præclarè dictum est à Deo per Hieremiam capite nono: *Non glorietur sapiens in sapientia sua, & non glorietur fortis in fortitudine sua, & non glorietur diues in diuitiis suis: sed in hoc glorietur qui gloriatur, scire & nosce me, quia ego sum Dominus, qui facio misericordiam & iudicium & iustitiam in terra: hæc enim placent mihi, ait Dominus.* Atque hæc cognitio Dei, vt est vltimus ipse, ac supernaturalis finis hominis, non aliundè quam ex fide, quæ donum Dei est proficiscí potuit; cum fide igitur Adam creatus est, nec sanè cum fide informi, aliisque virtutibus incomitata, cum fide igitur, spe, & caritate. Adiice, quod principalius Adam creatus est propter finem supernaturalem, quàm propter naturalem: sed ad cõsequendum finem naturalem, statim ei dedit multa & præclara dona: non est igitur dubitandum quin ei gratiam, quæ ad supernaturalem finem adipiscendum necessaria est statim impertiuerit. Quod si Adam statim, vt factus est, habuit perfectum vsum rationis: ergo statim potuit, aut etiam debuit seipsum dirigere, ac referre ad vltimum finem suum supernaturalem, potuitque benè mereri: quod quidem sine gratia facere non poterat; non igitur sine gratia creatus est. C

Non tantùm Adã creatum

Nec verò in ortu suo Adam gratiam tantùm accepit secundum habi

A habitum, sed etiam secundum actum, id est, concurrendo ad receptionem gratiæ cum proprio actu liberi arbitrij, eiúque consentiendo, & in Deum tendendo per actum fidei & dilectionis. Hoc autem ita esse, ex quatuor rebus, ferè apud Theologos minimè dubiis & controuersis, argumentari possumus. Primò, Adam creatus est perfectus animo & ratione, & potens, statim vt est conditus, vti ratione & libero arbitrio. Deinde, actus liberi arbitrij, id est, voluntatis, & intellectus, sunt indiuisibiles, & vno instãti perfici, & absolui possunt. Ad hæc, Adam creatus est rectus, quæ rectitudo in primis faciebat, vt Adam ratione & voluntate se ac sua subiiceret Deo, & vt primus actus mentis & voluntatis quem exerceret, ad Deum conferretur. Postremò, excellentior ratio est sanctificationis & iustificationis, sanctificari & iustificari hominem per proprium actum & consensum liberi arbitrij, quàm sine eo. Ex his quatuor conficitur & concluditur B quod volumus, Adamum eo ipso puncto temporis quo est creatus, simul & ipsum exercuisse actum fidei & dilectionis erga Deum, & ipsum Deum gratiam sanctificantem ei dedisse; ad eum scilicet modum quo Theologi disputant in iustificatione hominis adulti, in eodem instanti ex parte hominis esse vltimam dispositionem eius ad gratiam per proprium actum liberi arbitrij recipiendam, & ex parte Dei infusionem ipsius gratiæ. Cum hac nostra sententia plane concordat B. Thomæ doctrina. Is enim 1. parte, quæst. 96. art. 1. aduersus id quod docere volebat, Adam scilicet creatum esse cũ gratia, quinto loco sic subiicit: *Ad hoc*, inquit, *quod quis accipiat gratiam, requiritur consensus ex parte recipientis, cùm per hoc perficiatur matrimonium quoddam spirituale inter Deum & animam: sed consensus in gratiam esse non potest, nisi prius existentis ergo primus homo non accepit gratiam in primo instanti suæ conditionis.* Hanc obiectionem sub finem eius articuli sic ipsemet diluit: *Ad quintum*, inquit, *dicendum est, quòd cùm motus voluntatis non sit continuus, nihil prohibet etiam in primo instanti suæ creationis, primum hominem gratiæ consensisse.* C

esse cum habitu gratiæ, sed etiam cũ eius actu & vsu.

QVAESTIO II.

An in statu innocentiæ potuisset admitti peccatum aliquod veniale.

ALTERA quæstio est, Vtrum gratia quam habuit Adam in statu innocentiæ, & quam nisi peccasset ipse, posteri eius habuissent, talis fuerit vt omnis peccati venialis admistionem & societatem excluderet? vel, vt alij proponunt eandem quæstionem, vtrum Adam manente statu innocentiæ, peccare venialiter potuisset: vel, vtrum prius venialiter peccare potuerit, quàm mortaliter. Videtur enim in illo statu potuisse admitti peccatum veniale. Si enim Apostoli, qui fuerunt confirmati in gratia, & Ioannes Baptista, qui in vtero matris suæ sanctificatus

ficatus est, potuerunt venialiter peccare; cur non etiam Adam? ne- A
que enim maiorem in hoc, quàm in illis fuisse gratiam credibile est.
Quod si facilius est committere peccatum veniale quàm mortale,
facilius igitur fuit Adamum in peccatum veniale labi, quàm in mor-
tale. Et, si gratia quam habebat non impediebat quo minus mortali-
ter peccare posset; multò minus impediuisset ne posset facere qua-
lecumque peccatum veniale. Ex aduerso autem, videtur omne pec-
catum veniale, quia malum quoddam est dignumque aliqua pœna,
habénsque aliquid tristitiæ ac doloris adiunctum, planè aduersati fœ-
licissimo statui innocentiæ, qui ab omni malo corporis & animi,
culpæ ac pœnæ vacuus erat.

Prima opinio quæ est probabilior.

CIRCA hanc quæstionem duas reperio sententias; altera sen-
tentia est Alexandri de Hales, & Bonauenturæ in secundo Senten-
tiarum, distinctione vigesima prima, articulo tertio, & Sancti Tho-
mæ in prima secundæ, quęstione octuagesima nona, negantium in
statu innocentiæ potuisse fieri vllum peccatum veniale: sed necessa- B
rium fuisse primum peccatum esse mortale: & hanc opinionem,
Bonauentura dicit communiter à Doctoribus Theologiæ probari,
& merito sanè. Namque status innocentiæ non poterat destrui, nisi
per peccatum mortale, quippè quod aufert gratiam Dei, & homi-
nem Dei amore, ac beneficiis reddit indignum. Peccatum igitur ve-
niale non poterat destruere illum statum, nec tamen simul cum eo
esse poterat, siquidem peccatum veniale multa fert secum illi tran-
quillissimo ac fœliciſſimo statui omnino repugnantia. Etenim, pec-
catum veniale per se magnum est malum, pro quo scilicet euitando
quantauis pœna corporis iure sit subeunda: dolorem affert, & pœ-
nitentiam habet coniunctam, & morsum conscientiæ: debetur ei
aliqua pœna: minuit feruorem caritatis: multiplicatumque auget
difficultatem bene agendi, facitque vt cum tristitia bonum faciamus:
hæc autem omnia fuissent ab illius status tranquillitate & fœlicitate
remotissima. Nihil enim erat, vt scribit Augustinus libro decimo- C
quarto de Ciuitate Dei, capite decimo: *Quod hominis in eo statu fœlici-
ter viuentis carnem animúmque offenderet. Erat enim in eo tranquilla pec-
cati deuitatio: qua manente, nullum omnino malum erat quod eum vndecun-
que contristaret.* Et in eiusdem libri capite 26. *Summa*, inquit, *erat in
carne sanitas, in anima tota tranquillitas: sicut in Paradiso nullus erat æstus
aut frigus: sic in eius habitatore nulla ex cupiditate, vel timore accedebat
bonæ voluntatis offensio. Nihil omnino triste, nihil erat inaniter lætum: gau-
dium verò perpetuabatur ex Deo, in quem flagrabat caritas ex corde puro,
conscientia bona, & fide non ficta.* Sic Augustinus. Deinde peccatum
veniale est quædam inordinatio hominis, repugnat igitur summæ
rectitudini, in qua secundum omnes suas partes, & potentias ho-
mo creatus est. Ad hæc, si in illo statu fuisset tanta sanitas cor-
poris, vt nullus vel leuissimus homini morbus potuisset accidere;
ergo par fuisset animi sanitas, & ab omni culpa vacuitas. Denique,
si in

A si in eo statu admisisset homo peccatum veniale, aut propter id doluisset, aut nihil doluisset, si doluisset, dolor ille & tristitia, pœna fuisset animi, & gaudio quo in eo statu vsquequaq; plenissimo fruebatur homo, contraria, si nihil doluisset, hoc ipsum auxisset culpam, & deteriorem hominem, grauioriq; dignum supplicio fecisset.

ALTERA fuit sententia, potuisse Adam in illo statu prius peccare venialiter quàm mortaliter: quam Scotus in secundo sententiarum distinct. 21. quæst. 1. sequitur, & hisce confirmat argumẽtis: Rectitudo status innocentiæ magis repugnabat peccato mortali quàm veniali: sed non obstante illa rectitudine potuit Adam peccare mortaliter: ergo potuisset etiam peccare venialiter. Deinde, donũ illius innocentiæ vel iustitiæ originalis, non magis hominem iũgebat cum B Deo, quàm qualiscumque & quantacumque gratia gratum faciens quæ est in viatore: sed quantacumque fuerit gratia gratum faciens, potest ea simul esse cum peccato veniali, vt fuit in Apostolis: ergo similiter in Adamo potuit contingere. *Secunda opinio Scoti.*

HIS accedit, quod tria sunt genera peccati venialis: quoddam enim accidit homini ex surreptione sensualitatis: alterum prouenit ex subito aliquo & indeliberato rationis motu, vti est primus motus infidelitatis aut desperationis: atque hæc duo genera peccati venialis & Scotus fatetur, nec vllus Theologorum abnuit, in statũ innocentiæ cadere non potuisse. Siquidem in eo sensualitas vsque eò rationi erat subiecta, vt nec præuerteret eius imperium & moderationem, nec detrectaret. Ratio autem ipsa sic erat affecta & diuino C munere firmata, vt nullum in actum exiret, nisi hominis consilio, deliberatione & electione perfectum. Verùm, præter hæc duo genera peccati venialis, est tertium quoddam, quod ex suo genere est veniale ob imperfectionem actus & leuitatem materiç: cuiusmodi est verbum ociosum, & mendacium aut iocosum aut officiosum, hoc genus peccati venialis, non videt Scotus qui posset negari in eo statu admitti potuisse. Nam si donum illud innocentiæ vel iustitiæ originalis non obstabat quin posset Adam peccare mortaliter, multò minus obstitisset, vt non posset peccare venialiter. Non enim admissio huiusmodi peccati venialis arguit inordinatam esse partem superiorem aut inferiorem hominis, nec aliam inordinationem ponit, quàm D quæ in ipso actu peccati venialis implicatur. *Tria genera peccati venialis.*

QVOD autem cõtra quidam obiiciunt, omni peccato veniali deberi pœnam aliquam, omnem autem pœnam illi statui fuisse cõtrariam. ad id Scotus dupliciter respondet: Primo, non quamcumque pœnam repugnasse illi statui, sed pœnam dumtaxat mortis corporalis, quæ soli peccato mortali debebatur: tum, potuisse peccatum veniale citra pœnam elui, per solam videlicet voluntatis displicentiam: denique etiam sine animi tristitia per actus feruentes caritatis eiusmodi peccata consumi ac deleri potuisse. Hactenus ex ipso Scoto. Et quamquam Bonauentura non negat hanc positionem satis esse

probabilem affirmat tamen communiter eam non approbari à Doctoribus Theologiæ. *Et sanè*, inquit, *ea opinio improbabilitatem habet, si quis attendat ad perfectionem status, & regulam rectitudinis in qua erat Adam: à quo etiam cum nullum haberet impellens, exire non poterat, nisi contemnendo diuinam iustitiam, & fœdando suam innocentiam, & corrumpendo naturam suam: quæ omnia faciunt primam culpam Adæ non venialem sed mortalem fuisse, nec potuisse aliter esse. Et idem est communis opinio quam hodie approbant Doctores, primum peccatum Adæ non veniale, sed mortale esse debuisse.* Sic Bonauentura. A

Solutio rationum Scoti.

Nos igitur priori sententiæ, quæ grauioribus rationum momentis & Doctorum auctoritatibus fulta probabilior est, assentientes, contrarias ei rationes supra positas breuiter dissoluamus. Ad primam rationem Scoti ita respondendum est: mortale peccatum eo nomine magis quàm veniale repugnasse illi statui, quòd eum statum penitus destruebat: at peccatum veniale non satis erat ad eum statum euertendum: non enim felicitatem illam amitti decebat nisi propter id quo fieret homo inimicus Deo, eius lege contempta atq; violata. Nihilominus tamen peccatum veniale omnino aduersabatur illi statui: quem, dum is manebat, omnis mali tam culpæ quàm pœnæ expertem esse conueniebat, vt à Deo constitutum fuerat. Itaque Adamum committere peccatum mortale nihil repugnabat, sicut nec excidere illo statu innocentiæ & felicitatem illam perdere: at manente felicitate illius status, admitti peccatum veniale, manifesta erat repugnãtia: propterea quod status ille, vt diximus, nullius mali particeps erat: veniale autem peccatum nec leue, nec vnum malum homini attulisset. Ad secundam rationem Scoti sic respõdeatur: Donum innocentiæ & iustitiæ originalis, quantum ad aliqua magis hominem cum Deo coniungebat, quàm gratia gratum faciẽs si quidem iustitia originalis sanabat omnes animæ vires, & carnem sensumq; perfectè subiiciebat rationi, ipsamq; rationem vigilantissimam reddebat, & vsque eò intentam ad id quod agi oportebat, vt nihil ea nisi scienter, consultè, ac deliberatè ageret. Quocirca in illo statu facilis erat cuiuslibet venialis peccati vitatio: nunc autem, etiam à magna præditis gratia ad vnum omnia venialia peccata perpetuò declinari non possunt. B C D

Vnde habuerit Adam, vt in statu innocẽtiæ nullum posset facere peccatum veniale.

Tertia Scoti ratio hoc à nobis habeat respõsum. Nos quidem ingenuè fatemur, ad perpetuò vitanda omnia venialia peccata tertij generis, quæ Theologi appellant venialia ex genere suo, non satis fuisse donum gratiæ gratum facientis, nec virtutes morales aut diuinas Adami animo insidentes atq; inhærentes eiusmodi enim dona & habitus, multò magis arcere ab Adamo & excludere peccatum mortale debuissent quàm veniale, maiorem enim cum illo quam cum hoc repugnantiam habent. Quod si Adamum admissione peccati mortalis prohibere non potuerunt, multo minus venialis peccati effectione prohibuissent. Existimamus igitur, præter illa dona &

A & habitus virtutum diuinitus inditos, adfuisse Adamo singularem quandam prouidentiam, curam & protectionem Dei, qui manente illo statu seruabat Adamum, & continebat ne in istiusmodi peccata venialia prolaberetur: quemadmodum & vitam & sanitatem eius mirabiliter conseruabat: ne ab innumerabilibus rebus quæ extrinsecus accidere & nocere ei poterant, vel minimum læderetur. Constituerat enim Deus (id quod maximè consentaneum erat) vt status ille non nisi vsquequaque integer, & expers omnis mali permaneret: ob idq; vacuitas omnis mali pœnæ cum vacuitate ab omni malo culpæ necessario coniuncta erat.

Refellitur Bonauentura.

Non sum inscius quemadmodum hanc Scoti rationem Bonauentura dissoluat: censet enim huiusmodi peccata genere suo venia-
B lia, vti est verbũ ociosum, aut mendacium officiosum siue iocosum, quæ nunc in statu naturæ lapsæ sunt venialia, tunc ob illius status perfectionem & personæ dignitatem, futura fuisse mortalia. Sic enim in lib. 2 sententiarum distinct. 21. art. 3. quæst. 1. scribit Bonauentura: *Ad illud quod obijcitur, potuisse Adamum dicere verbum ociosum, quod est veniale peccatum: Respondendum est, verbum ociosum futurum Adamo fuisse mortale propter status eius perfectionem: vnde quod dicitur communiter, aliquod esse peccatum ex genere suo veniale, hoc intelligendum est respectu naturæ lapsæ.* Verum hanc opinionem merito refellit Sanctus Thomas prima secundæ quæst. 89. artic. 3. *Communiter*, inquit, *ponitur, hominem in statu innocentiæ non potuisse venialiter peccare: quod non ita est in-*
C *telligendum: quasi id quod nobis est veniale, si Adam commisisset, futurum ei fuisset mortale propter altitudinem sui status, dignitas enim personæ est circumstantia aggrauans quidem peccatum, non tamen ipsum transferens in aliam speciem: nisi forte superueniente deformitate inobedientiæ aut voti, aut alicuius eiusmodi: quod in proposito dici non potest. Vnde id quod est de se veniale, non potuit transferri in mortale propter dignitatem primi status. Sic ergo intelligendum est, non potuisse Adam primo peccare venialiter, quia non potuit fieri, vt committeret aliquid quod esset ex se peccatum veniale, priusquam integritatem primi status amitteret peccando mortaliter.* Hæc S. Thomas.

D

QVAESTIO III.

Vtrum in statu innocentiæ fuissent generati homines cum gratia Dei.

SEQVITVR tertia quæstio, vtrum si Adam non peccasset, & mansisset status innocentiæ, posteri Adæ generati fuissent cum gratia gratum faciente. Videtur id negare Hugo Sancti Victoris in libro primo de Sacramentis, parte sexta, cap. 23.

sic enim scribit: *Primus homo ante peccatum generasset quidem filios* A
sine peccato, sed non paternæ iustitiæ hæredes. Idem sensisse putandum est, quicumque dixerunt Adamum non fuisse creatum cum gratia. Verumtamen contraria sententia probabilior habetur, quam secutus est Sanctus Thomas in prima parte, quæst. 100 eáque probari posset eiusmodi argumentatione: Posteri Adæ generati fuissent cum iustitia originali, ergo etiam cum gratia gratum faciente. Nam, vt paulò infra ostendam, iustitia originalis vel re ipsa non differebat à gratia gratum faciente, vel ab ea certè nullo modo disiungi poterat. Illud autem quod sumpsimus, in statu innocentiæ omnes generatum iri cum iustitia originali, sententia est Theologorum, vt videre licet in secundo sententiarum, distinctione vigesima, & B
valdè consentaneum rationi est: generati enim fuissent filij cum dono immortalitatis, & impassibilitatis, atque aliis prærogatiuis illius status. at hæc necessario erant connexa cum iustitia originali, cum hac igitur nati illi fuissent. Deinde, Adam peccando, & se suámque omnem progeniem vitiauit atque corrupit, peccatúmque suum in omnes posteros per generationem carnalem transfudit: ergo si non peccasset, similiter in generatione carnali transisset ad omnes posteros iustitia originalis. Sicut enim peccatum originale, quia est peccatum naturæ, deriuatur ad omnes qui naturam accipiunt ex Adamo, ita iustitia originalis quæ erat donum sanans & perficiens naturam, & cuius priuatio est peccatum originale, per C
communicationem ipsius naturę cum omnibus posteris Adami fuisset communicata.

Valet ad hoc probandum, etiam auctoritas Concilij Arausicani, capite 5. & Concilij Tridentini in Sessione quinta, de Peccato originali, in vtroque enim definitum est, Adamum peccando, sanctitatem & iustitiam perdidisse non sibi tantùm, sed omnibus etiam posteris suis. Ex quo apparet, si Adam non peccasset, non perditurum fuisse ipsum posteris iustitiam originalem, sed eam fuisse posteris donandam in ipsa generatione carnali. Notanda autem sunt verba Concilij quibus dicitur, Adamum perdidisse posteris sanctitatem & iustitiam: non enim obscurè indicat vocabulo sanctitatis gratiam gratum facientem: vocabulo autem iusti- D
tiæ ipsam iustitiam originalem. Sententiam autem illam Hugonis dicentis posteros Adæ non futuros hæredes iustitiæ eius, benignè interpretans Sanctus Thomas prima parte, quæstione centesima, articulo primo, putat esse id accipiendum de iustitia non quantum ad habitum, sed quantum ad executionem actus, habuissent enim illi à primo ortu habitus virtutum, sed illos in vsum explicare & in actum proferre, ante vsum rationis non potuissent. At verò Adam, quia perfecta ætate & ratione vtens creatus est, ab exordio habuit gratiam non modo secundum habitum, sed etiam secundum actum.

Interpretatio sententiæ Hugonis secundũ B. Thomam.

A VERVM duo possent nobis obiici. Si enim homines in statu innocentiæ per generationem habuissent gratiam, vtique gratia illa fuisset homini naturalis: at repugnat gratiam esse naturalem non solùm homini, sed etiam Angelo: etenim gratia est ex genere & ordine rerum supernaturalium. Verùm facilè hoc diluitur: Licet enim gratia simul cum natura & anima rationali data fuisset homini, & ob eam causam dici posset quodammodo naturalis, quod ab origine naturæ affuisset homini: simpliciter tamen & absolutè fuisset supernaturalis, quia non dabatur homini per vim, & potentiam naturæ, & facultatis generatricis, sed per solius Dei potentiam: nec erat aliquid naturaliter debitum homini, nec ad naturalem eius integritatem & perfectionem pertinens. Illud quoque posset obiici, posteros Adami in B statu innocentiæ non fuisse habituros ab initio scientiam, vt suprà ostendimus: ergo simili ratione nec gratiam habuissent, sed hoc soluitur à B. Thoma quæst. 18. de Veritate, art. 2. in responsione ad secundum & septimum: diuersa enim est ratio scientiæ, atque gratiæ: hęc enim per se facit ad gratitudinem hominis, nec potest vllo tempore separari à statu iustitiæ originalis, & erat donum supernaturale nulla facultate hominis parabile. Scientia autem est hominis perfectio quædam naturalis, quam naturale est homini paulatim per sensus & experimenta, per assiduam item atque multiplicem mentis agitationem comparare. Quemadmodum nunc in statu legis Euangelicæ, omnes per baptismũ in Christo regenerati simul accipiunt gratiam, sic in statu innocentiæ omnes posteri Adæ in generatione carnali, C per quam naturam humanam accepissent, simul etiam gratiam & virtutes habuissent.

Solutio duarũ obiectionum.

QVAESTIO IIII.

Vtrum in statu innocentiæ, posteri Adæ generati, fuissent in gratia confirmati.

D SED illa grauior est quæstio, vtrum si Adam non peccasset, posteri eius nati fuissent in gratia confirmati. Tres feruntur Theologorum sententiæ. Prima est Scoti, qui in secundo Sententiarum, distinctione 20. quæstione 1. negat posteros Adæ sic iri confirmatum in gratia, vt in posterum ipsi peccare non possent: quia hoc est propriũ status comprehensorum, & repugnat statui viatorum: in quo quicunque versantur, eorum voluntas ad bonum & malum iuxta flexibilis est, & mutabilis. Nam cùm ipsum per se bonum quod est Deus, non sit clarè visum viatori, atque omne aliud bonum sit finitum, particulare, & cui aliqua ratio boni desit: non id potest voluntatem hominis viatoris necessariò auertere à malo, & in bono confirmare: quemad-

Scoti opinio.

modum beatos essentia diuina clarè visa, quæ omne bonum in se continet, & eminenter, plenissimèque satiare, & explere potest omnem appetitum humanæ voluntatis: necessariò voluntatem abducit à malo, & in bono confirmat. Et hac ipsa ratione vsus est B. Thomas in 1. part. quæst. 100. artic. 2. eandem hanc tractans quæstionem. His præterea Scotus addit, si Adam primam illam tentationem vicisset, in gratia confirmatum iri, vt deinceps peccare non posset, non quidem ratione status, sed ex speciali assistentia & protectione Dei, sicut de confirmatione Apostolorum in gratia, & super omnes beatissimæ Virginis sentiunt Theologi. Nec solus Adam, vt placet Scoto, confirmatus esset in gratia, sed etiam omnes eius posteri, si cum ad vsum rationis venissent primo eis ingruentem tentationem superassent. Hãc Scoti opionem etiam Beatus Thomas in secundo Sententiarum, dist. 20. q. 2. art. 3. probabilem putauit. A B

Refellitur Scotus.

MIHI tamen nequaquam videtur probabilis. Cùm enim Deus Adamo dixerit: *In quocumque die de eo ligno comederis, morte morieris,* satis indicauit, Adamum per totam vitam astrictum fore præcepto non edendi ex arbore scientiæ boni & mali, sempérque futurum in periculo, & discrimine perdendi gratiam quam acceperat: ita vt non prima modò superanda illi fuerit tentatio, sed omnis etiam quæ deinceps potuisset accidere: hoc enim demonstrat illud, *In quocumque die comederis.* Id quod ratione item probabili concluditur. Non enim similis ratio est Angeli atque hominis: nimirum illius via, primo actu ab eo postquam est creatus edito siue bono siue malo terminatur: huius autem via pariter cum ipsa vita extenditur, idémque vtriusque terminus & finis est: dúmque vitam in terris agit quisque, potest vel ex malo ad bonum, vel ex bono ad malum conuerti. Possum item eo Scotum vrgere argumento: Aut victoria illius primæ tentationis promeruisset confirmationem in gratia vi & natura sua, aut ex aliquo Dei priuilegio seu pacto non vi & potestate sua, idem enim efficeret in nobis: nec tale aliquod priuilegium aut pactum, vel in Sacris literis expressum aut indicatum, vel à Patribus traditum inuenitur. C

Secunda sententia Catharini, & Tostati refellitur.

ALTERA sententia est, si Adam non peccasset, posteros eius confirmatum iri in iustitia originali, non tamen in gratia gratum facientes: potuissent enim peccare, & peccando gratiam Dei amittere, non tamen iustitiam originalem. Nam secundum huius sententiæ auctores, peccatum mortale per se ac formaliter repugnat gratiæ gratum facienti, non tamen iustitiæ originali, quam isti faciunt, & re diuersam, & separabilem à gratia: putant enim ipsam fuisse gratiam gratis datam, quam nihil repugnat simul esse cum peccato mortali. Ita sensit Catharinus super tertium caput Geneseos, & super idem caput Tostatus 6. & 7. q. D

NOS HANC opinionem, qua iustitiam originalẽ facit re diuersam & separabilem à gratia, infrà confutabimus: quà verò tradit,

A eam simul cum peccato mortali esse potuisse, hac nunc argumentatione refellemus. Peccatum mortale necessariò tollebat quattuor effectus proprios iustitiæ originalis, ergo ipsam quoque iustitiam originalem auferebat. Primus enim effectus iustitiæ originalis, erat rectitudo partis superioris, qua scilicet homo secundum rationem & voluntatem erat diuinæ legi & voluntati omninò subiectus, sed omne peccatum mortale est contra rectitudinem rationis, & contra legem & voluntatem Dei: omne igitur peccatum mortale originali iustitiæ planè aduersabatur. Alter originalis iustitiæ effectus, rectitudo erat partis inferioris, qua caro & sensus ad rationis & spiritus iudicium planè conformabantur, & sub eorum imperium erant omninò subiecta. Hanc verò rectitudinẽ partis inferioris funditus euertebant peccata mortalia quæ circa appetitum irascibilem & concupiscibilem versantur. Tertius effectus erat, nullam habere propensionem ad malum, nullámque benè agendi difficultatem: peccatum autem mortale, propensum hominem facit ad malum. Cùm igitur per iustitiam originalem efficeretur homo idoneus valensque ad omne bonum mortale facilè, promptè & gaudenter efficiendum, & ad omne peccatum euitandum: peccatum autem mortale sæpenumero iteratum atque multiplicatum reddat hominem ad benè agendum tardum, ignauum, imbecillum: concluditur, iustitiam originalem omnis peccati mortalis coniunctionem & societatem excluisse.

Quatuor effectus iustitiæ originalis.

B

C Quartus Denique effectus, erat perpetuum animi gaudium & lætitia, iugis conscientiæ pax & securitas, summáque mentis quies & tranquillitas: quibus planè contraria fert secum omne peccatum mortale, tristitiam scilicet animi, morsum conscientiæ, & horrificium inferni suppliciorum & diuini iudicij metum & terrorem. Quid multa? potestas non peccandi, indiuiduus erat comes iustitiæ originalis cum non moriendi potestate coniuncta, vti disputat Augustinus in lib. de Correptione & gratia cap. 11. & ex ipsa Scriptura facilè est intelligere: sed potẽtia non peccandi fuisset peccando amissa: ergo similiter etiam potentia non moriendi. at duplici illa potentia non moriendi & nõn peccandi perdita, stare non

D poterat iustitia originalis, nec illius status felicitas: fuisset nempè perquam indecorum, rationique dissentaneum, atque humanæ vitæ pernicioſum si in sceleratissimis hominibus potentia non moriendi mansisset. Posset fortè dici, licet quodlibet peccatum mortale contrarium esset iustitiæ originali, non tamen quodlibet peccatum ad eam destruendam vim habuisse: quemadmodum habitum virtutis moralis acquisitæ, vti est temperantia, non quodlibet peccatum intemperãtiæ penitus destruit. Verũ esto certè quodlibet peccatũ mortale remittit & relaxat vim & vigorẽ virtutis, tollítq; sũmã rationis rectitudinẽ, & ad benè agẽdũ prõptitudinẽ & si fuerit sæpius iteratum, tandẽ ipsum virtutis habitum radicitùs ex animo euellet.

Tert

Tertia opinio Anselmi.

TERTIA opinio est Anselmi, qui putat si Adam non peccasset, A omnes eius posteros in gratia confirmatum iri. His enim verbis scribit in libro primo, Cur Deus homo, capite 18. *In illa iustitia in qua erant primi homines constituti, videtur quod si vicissent vt non peccarent tentati: ita confirmarentur cum omni propagine sua, vt peccare vltra non possent: quemadmodum quia victi peccare, sic infirmati sunt, vt quantum in ipsis est, sine peccato esse non possent. Quis enim audeat dicere, plus valere iniustitiam ad alligandum in seruitutem hominem in prima persuasione sibi consentientem, quàm valeret iustitia ad confirmandum cum libertate sibi in eadem prima tentatione adhærentem? Nam quemadmodum quoniam humana natura tota, quæ erat in parentibus primis, tota in illis victa est, vt peccaret (excepto illo solo homine, quem Deus sicut sine viri semine de Virgine facere sciuit, sic à peccato Adæ secernere voluit) ita in eisdem tota vicisset, si non peccasset.* Hæc Anselmus. Cuius quasi adstipulator Gregorius in lib.4. Moralium, cap.36. vel secundum distinctionem capitum quam alij codices habent 28. ferè similia videtur scribere: *Si nulla*, inquit, *primum parentem peccati putredo corrupisset, nequaquam ex se filios gehennæ generasset: sed hi qui nunc per Redemptorem nostrum seruandi sunt, soli ab illo electi nascerentur.* Sic Gregorius. Verùm hanc sententiam, quæ pro quarta opinione disputaturi sumus, falsam esse conuincent. B

Quarta opinio, & vera Augustini, Thomæ, & Durandi.

EST igitur quarta opinio Durandi in secundo Senten. distinct. 20. quæst. 5. & Beati Thomæ in 1. parte, quæst. 100. artic. 2. tametsi Adam non peccasset, non idcirco tamen posteros eius generatum iri confirmatos in gratia, quæ fuit etiam B. Augustini sententia, in lib enim 1. Retractationum, cap. 23. ita scribit: *Si, & in parentibus, & in filiis fœcanditas fœlicitasq; mansisset, vsque ad certum sanctorum numerum quem prædestinauit Deus, nascerentur homines non parentibus succeſſuri morientibus, sed cum viuentibus regnaturi. Essent ergo etiã istæ cognationes, atq; affinitates, si nullus delinqueret, nullusq; moreretur.* Verùm hoc apertius dixit Augustinus lib. 14. de Ciuitate Dei, cap. 10. *Tam fœlix*, ait, *vniuersa societas esset humana, si nec illi malum quod etiam in posteros trayceret, nec quisquam ex eorum stirpe iniquitatem committeret, quæ damnationem reciperet.* Sic Augustinus. C

ATQVE id licet ad hunc modum argumentari. Si Adam non est creatus in gratia stabilis & confirmatus, non est credibile posteros eius generatum iri confirmatos in gratia: non enim maiorem illi accepturi fuissent gratiam, quàm primus eorũ parens initio accepisset. Sicut igitur Adam ita creatus est in gratia, vt eam tamen perdere peccando potuerit: ita posteros eius ad eundem modum generatum iri in gratia existimandum est. Nec verò cogitari potest, perseuerantiam Adami in obedientia diuinæ legis, causam futuram, vt vocant, meritoriam cur posteri eius generandi essent in gratia confirmati. Si enim nec Adam potuit, nec vllus hominum potest alij homini de condigno promereri, vel primæ gratiæ donationem, vel eiusdem accretionem, id enim vnius Christi, qui caput est totius Ecclesiæ D

omnium

A omniumque electorum, proprium est: multò igitur minus confirmationem posterorum suorum in gratia promereri potuit. Quid, quod, si Christus dominus cùm sit caput Ecclesiæ veruſque Deus & homo, & qui meruit omnibus de condigno gratiam & gloriam, his tamen qui per baptismum in ipso regenerantur non tribuit confirmationem in gratia: quanto igitur minus credibile est, ex Adamo progeneratos, propter illius meritum, gratiæ confirmationem accepturos?

DICET aliquis, confirmationem in gratia concessum iri posteris Adæ non propter eius meritum, sed propter conditionem illius status innocentiæ qui hoc exigebat: quam etiam ob causam nati fuissent illi cum gratia & potentia non moriendi. Sed hoc futile est:
B Non enim confirmatio in gratia pertinebat ad integritatem aut felicitatem illius status: neque enim ea fuisset Adamo denegata, quippe qui primus in eo statu collocatus est. Si quis porro dicat, id euenturum propter aliquod Dei pactum quo promiserit Adamo, si custodiret ipse præceptum quod ei imposuerat, se omnes eius posteros in gratia confirmaturum: Respondebimus, id gratis dici sine vlla auctoritate vel Scripturæ, vel Patrum, quocirca contemni & reiici debere. Nec moueat quemquam auctoritas Anselmi; cui nos maiorem Augustini opponimus, quamquam Beatus Thomas scribat, Anselmum id non asseuerando sed opinando dixisse, quia vsus est verbo illo *Videtur*. Neque S. Gregorius contra nos est: supradictis enim verbis illud tantùm significat, si Adam non peccasset, posteros eius
C non nascituros filios gehennæ, id est, cum peccato sicut nunc nascuntur, *Omnes enim*, inquit Paulus, *nascimur filij iræ*: solosque electos & prædestinatos tunc generatum iri ex Adamo, ex quo tamen non efficitur, eos generatum iri confirmatos in gratia. Non enim idem est esse prædestinatum, atque esse confirmatum in gratia: nimirum hoc paucissimorum quorundam prædestinatorum extraordinarium & singulare munus est atque priuilegium.

QVAESTIO V.

Vtrum in statu innocentiæ fuisset plus gratiæ
D datum hominibus, quàm in statu legis Euangelicæ.

RESTAT illud extremo loco quærendum, vtrum in statu innocentiæ maior homini data fuisset gratia, quàm datur in statu legis Euangelicæ, fit igitur in hac quæstione comparatio, quod attinet ad gratiam, inter statum innocentiæ & statū legis Euangelicæ. Nos quæ super hac quæstione disputare ac docere volumus, quo breuius &

distinctius atque enucleatius dicantur, ea lubuit in quatuor propo- A
sitiones conferre: quibus explicatis probatisque, quid nobis de pro-
posita quæstione sentiendum videatur, enotescet.

In statu innocentiæ fere homines plus gratiæ acquisiuissent, quàm acquiritur in statu Euangelij.

PRIMA PROPOSITIO: In statu innocentię ferè homines plus gratiæ acquisiuissent, quàm acquiritur in statu legis Euangelicæ. Hoc probari potest dupliciter. Etenim homines in statu innocentiæ suapte natura propensissimi fuissent ad bonum, & ad benè agendum paratissimi ac promptissimi: tum propter abundantiam gratiæ quam omnes à primo ortu suo accepissent: tum propter sanitatem, integritatem, vigoremque naturæ: caruissent enim omnibus impedimentis & difficultatibus bene agendi, quibus nunc implicati & impediti à bene agendo vehementer auocamur & deterremur. Tunc B
igitur omnes benè egissent, præclaraque virtutum opera, & ardentiori studio, maiorique conatu fecissent: plus igitur illi tunc in gratia profecissent. Accedit altera ratio ad idem persuadendum. In illo statu longiorem trigecuplo vitam degissent homines quàm nunc degimus: vixissent enim (vt verisimile est) ad tria vel quattuor annorum millia. Nec mirum: cùm post peccatum vitiata & labefactata debilitataque natura & mortis supplicio addicta, qui ante diluuium fuerunt, eos prope millesimum annum vixisse legamus. In tanta igitur vitæ longitudine maximam habuissent facultatē & opportunitatem exercendi virtutes, augendi gratiam, & æternæ vitæ merita multiplicandi, multò igitur plus gratiæ acquisiuissent, quàm nunc in tantis
vitæ humanæ angustiis & breuitate acquiri possit. Non inficior ta- C
men, aliqua ex parte & aliqua ratione gratiam qua sancti viri nunc pollent, maiorem dici posse, habito videlicet respectu ad imbecillitatem naturæ humanæ, & ad plurima grauissimaque impedimenta & difficultates benè agendi, quibus omnes vndique circumuallamur & circumplicati sumus. Plurimis enim æstimari debet idem opus, vel etiam aliquanto minus, ab ægro & infirmo homine quàm à sano & valenti perfici: quemadmodum etiam Dominus noster dixit, viduam
Luc. 12. illam quæ duo tantùm minuta in Gazophylacium miserat, plus dedisse quàm cæteros omnes, tametsi ampliora illi munera obtulissent: habita scilicet vtrorumque facultatis ratione.

SECVNDA PROPOSITIO: In statu innocentiæ qui minimam D
habuisset gratiam, longè maiorem habuisset, quàm plurimi nunc habent in statu legis Euangelicæ. Facilis est & prompta huius rei probatio: siquidem in eo statu nemo esset mortuus ante vsum rationis, sed integrum omnes vitæ suæ cursum confecissent, quinimo nullus hominum tunc mortem obiisset: quapropter gratiam quam quisque in primo suo ortu accepisset, per bonum vsum liberi arbitrij multum auxisset. At in statu legis Euangelicæ plurimi cum sola prima gratia moriuntur, vti infantes baptizati ante vsum rationis decedentes.

TERTIA PROPOSITIO: Si Adam non peccasset, & Filius Dei non

A non fuisset in statu innocentiæ incarnatus, vt placet B. Thomæ, equidem probabili coniectura arbitror plus gratiæ dari hominibus in statu legis Euangelicæ propter Christi aduentum ac meritum, quàm in statu innocentiæ fuisset datum: plus, inquam, gratiæ, non extensiuè; in illo enim statu plures fuissent boni & sancti quàm sunt nunc; sed intensiuè, quia in statu legis Euangelicæ multi fuere viri fœminæque præstantia diuinæ gratiæ ac virtutum, quàm vllus fuisset eorum qui in statu innocentiæ vixissent, excellentiores. Et vt nihil dicam de Christo domino, sine vlla dubitatione ausim dicere, multo plus gratiæ tributum esse beatissimæ Virgini, necnon & Ioanni Baptistæ atque Apostolis, quàm vlli hominum in statu innocentiæ concessum fuisset. Si enim dignitas status innocētiæ requirebat vt mul-

B tum gratiæ daretur hominibus in eo statu versantibus: multo sane magis id exigebat dignitas status Euangelici, cuius auctor & conditor erat mediator Dei & hominū verusque homo ac Deus Christus; cuius infinitas meriti iure suo poscebat, vt plus gratię propter ipsum daretur homini; quàm fuisset ei propter dignitatem status innocentiæ tribuendū, pluris enim apud Deum erat dignitas & meritū Christi, quàm dignitas & perfectio status innocentiæ. Ex quo illud etiam rectè quispiam concluserit, in statu legis Euangelicæ plus gratiæ infantibus per baptismum renatis conferri, quàm in statu innocentiæ infantibus generatis datum fuisset. Et ratio est, quia nunc datur infantibus gratia propter meritum Christi; tunc autem data fuisset gra-

C tia infantibus propter decentiam, dignitatem, ac perfectionem status innocentiæ: illud autem infinitis partibus apud Deum quàm hoc præponderasset.

Plus gratiæ dari homini in statu legis Euangelicæ, quàm datum fuisset in statu innocentiæ, si Filius Dei non esset in eo statu incarnatus.

QVARTA PROPOSITIO: Si Adam non peccasset, & nihilominus tamen Christus fuisset incarnatus (vt multis, mihique in primis placet,) licet probabile videatur, plus gratiæ tunc datum iri hominibus, quòd ad gratiæ copiam & abundāriam hominibus dandam duo simul concurrebant, & dignitas status innocentiæ, & dignitas Christi qui tunc fuisset incarnatus non vt hominis redemptor ac liberator, sed vt gloriæ eius perfector atque consummator: Attamen

D mihi quidem similius vero fit, plus gratię dari hominibus in statu legis Euangelicę propter meritum passionis & mortis Christi, quàm fuisset tunc datum propter eundem Christum. Nec huius rei causa & ratio ex dignitate vel merito Christi peti debet: vtrumque enim in vtroque statu par fuisset; sed ex Dei voluntate ac decreto, cum summo tamen consilio & ratione plurimum congruenti.

An si Filius Dei in statu innocētiæ fuisset incarnatus, plus gratiæ tūc homini datū esset, quàm datur in statu legis Euangelicæ.

EQVIDEM sic ego mecum cogito & ratiocinari soleo, nec opinor à vero aberrās, voluisse ac decreuisse Deum, propter incomparabilem atque inæstimabilem Filij sui domini nostri paupertatem, humilitatem, patientiam, acerbissimos animi & corporis cruciatus, denique ignominiosissimā atque crudelissimam mortem maiorē omnium gratiarū copiam largiri, quàm daturus erat hominibus in sta-

tu innocentiæ, in quo Christus immortalis & impassibilis fuisset. A
Quuemadmodum etiam, licet qualibet Christi actione, quia erat
Dei simul & hominis infinitiqúe vigoris ac meriti, redemptio huma-
ni generis promerita fuerit: eam tamen Scriptura merito passionis
Philip 2. & mortis eius potissimum attribuere solet. Nam & Paulus obedien-
tiæ eius vsque ad perpessionem mortis crucis progressæ assignat
exaltationem eius super omnes creaturas, & Dominus ipse dixit:
Ioannis 12. *Cum exaltatus fuero à terra, omnia traham ad me ipsum:* & *Sicut Moyses exal-*
Supra 3. *tauit serpentem in deserto, ita exaltari oportet Filium hominis: vt omnis qui cre-*
dit in ipsum, non pereat, sed habeat vitam æternam. Et de se ac de sua morte
Ioan. 12. loquens, sub grani frumenti similitudine dixit: *Nisi granum frumenti*
cadens in terram mortuum fuerit, ipsum solum manet: Si autem mortuum fue- B
Esaiæ 53. *rit, multum fructum affert.* Et Isaias de eo: *Si posuerit pro peccato animam*
suam, videbit semen longæuum, &, *Pro eo quod laborauit anima eius, videbit se-*
men longæuum: &, *In scientia iustificabit ipse iustus seruos meos multos, & ini-*
Luc. vlt. *quitates eorum ipse portabit:* denique ipsemet dixit: *Nonne hæc oportuit pati*
Christum, & ita intrare in gloriam suam? Et verò maximè consentaneum
videtur Dei sapientiæ, bonitati, ac potentiæ, vt ex peccato primi ho-
minis plus eliceret boni quàm eius culpa fuerat amissum. Scitum
enim est illud Augustini, *non passurum Deum mala fieri: nisi adeo sapiens,*
potens, ac bonus esset, vt malum ipsum in maius bonum conuertere posset.

CONFIRMAT hanc sententiam Beatus Paulus in illa diuina C
disputatione quam in capite quinto epistolæ ad Romanos tractat
de comparatione peccati Adæ cum gratia Christi, affirmans non si-
cut delictum Adæ, ita fuisse Christi donum: sed hoc fuisse illo abun-
dantius, & vbi abundauit delictum superabundasse gratiam, plusque
boni accepisse nos propter obedientiam & mortem Christi, quàm
perdideramus propter inobedientiam & peccatum Adami. Et ipse
Ioannis 10. Dominus dixit apud Ioannem: *Ego veni vt vitam habeant, & abundan-*
tius habeant. Quapropter Gregorius culpam Adæ felicem appellare
non dubitauit: quòd eius expiandæ ac diluendæ causa tam benefi-
cum nobis ac honorificum habuerimus redemptorem. Sanctus Ber-
natdus item in sermone super illis verbis quæ sunt in capite 11. libri D
Apocalypsis, *Signum magnum apparuit in cœlo, Vehementer*, inquit, *nobis*
dilectissimi, vir vnus & mulier vna nocuere: sed gratia Deo: per vnum nihilomi-
nus virum, & mulierem vnam omnia restaurantur, nec sine magno fœnore gra-
tiarum. Neque enim sicut delictum ita & donum: sed excedit damni æstimatio-
nem beneficij magnitudo. Sic nimirum prudentissimus & clementissimus artifex
quod quassatum fuerat non confregit, sed vtilius omnino refecit: vt nobis nouum
formaret Adam ex veteri, & Euam transfunderet in Mariam. Ex his Pauli
& Patrum sententiis concluditur quod docere volumus, plus, scili-
cet, gratiæ dari hominibus in statu legis Euangelicæ, quàm eis in sta-
tu innocentiæ datum fuisset. Si enim nos plus boni adepti sumus
propter mortem Christi, quàm perdideramus propter peccatum
dæ; & quàm habituri fuissemus si Adam non peccasset: ergo minor

fuisset

A fuisset gratia in illo statu, quàm est in hoc nostro, nam si fuisset maior in illo statu futura, non igitur per Christum plus acquisiuimus boni quàm perdidimus propter Adamum, & quàm consecuturi eramus si is non peccasset. Et hactenus quidem de Gratia gratum faciente disputatum est.

De Gratia autem gratis data breuiter dici potest, eam longè maiorem esse in statu legis Euangelicæ, quàm fuisset in illo statu innocentiæ. Huius enim gratiæ gratis datæ præcipuum triplex genus est: vnum, Gratia curationum: alterum, Gratia linguarum: tertium, Gratia miraculorum. Priora duo in statu innocentiæ non fuissent: nam nec fuisset morbus qui curatione indigeret, & vna omnium fuisset
B lingua. tertium autem genus ad miracula pertinens vel nullum tunc fuisset, nullis enim miraculis ad persuadendum hominibus verum Dei cultum ac religionem opus fuisset: vel certè tam crebrum, tam varium & multiplex, tam illustre & admirabile nequaquam fuisset. Siquidem illuminatio cæci nati, & mortuorum hominum ad vitam reuocatio, quæ primas inter miracula tenent, nullum tunc vsum, nullumque locum habere potuissent.

C

DISPVTATIO DE TERTIA EXCELLENTIA status innocentiæ, id est, de Iustitia originali.

Hivs quinti libri, qui totus in explanando felicissimo innocentię primorum hominum statu consumetur, principem sibi locum nobilis illa & apud Theologos valdè celebris de Iustitia originali disputatio iure suo vendicat: tam propter excellentem eius rei dignitatem, quàm propter magnam eiusdem rei obscuritatem, multiplicemque difficultatem. Nobis igitur omni studio & contentione animi enitendum ac perficiendum est, vt diligenti & accurato rei obscurissimæ & perplexissimæ tracta-
D tu explicatuque, si non pro eo, ac res ipsa postulat, certè quantum nostri fert ingenij ac doctrinæ tenuitas, diuinarum litterarum amatoribus, quorum in manus hæc fortè scripta incident, aliquo modo satisfaciamus. Quatuor autem hoc loco de iustitia originali quæstiones excutiendæ sunt: Prima, quidnam fuerit illa iustitia originalis: Secunda, in qua parte hominis insidebat, & tanquam in subiecto inhærebat: Tertia, vtrum iustitia originalis fuerit res quædam diuersa & separabilis à gratia gratum faciente: Quarta, an primum hominem creatum esse cum iustitia originali, auctoritate diuinarum litterarum euidenter ostendi & probari possit.

Quatuor quæstiones de iustitia originali tractantur.

Verum, quo rectius inuestigari & facilius reperiri queat, quæ fuerit vis & natura iustitiæ originalis, pauca quædam lectorem præ-

Sex humanæ naturæ statuũ distinctio, & inter se comparatio.

monere ac prædocere non paruo fuerit adiumento. Ante omnia sci- A
re conuenit, sex humanæ naturæ status animo fingi & cogitatione designari posse; quorum alij re vera aut sunt, aut fuerunt, aut erunt aliquando, alij verò nec sunt, nec erunt, nec fuerunt vnquam, sed esse tamen possunt. Primus status, est hominis sine gratia Dei, & sine vllo peccato constituti: quem in scholis appellant statum hominis in puris naturalibus. Alter, est hominis propter Adami peccatum vitiati & corrupti. Tertius, est hominis habentis naturalem integritatem rationi congruentem. Quartus, est hominis iustitia originali præditi & ornati. Quintus, est hominis per gratiam Christi à peccato Adami liberati, & à vitiis sanati. Sextus, est hominis vsque ad cœlestem B
gloriam, & diuinæ naturæ conspectum prouecti atque perducti. Inter hos status quid conueniat, quídve differat, sigillatim indicandum est: quo qualitas & præstantia conditionis primi hominis in statu originalis iustitiæ constituti liquidiùs perspiciatur.

Inter hominẽ in puris naturalibus, & inter eũ in statu naturæ lapsæ quid cõueniat, quidve differat.

INTER duos primos status hoc interest, quod primus includit meram negationem gratiæ & peccati: secundus autem, priuationem gratiæ, & præsentiam peccati. Quantum verò ad potentiam vel impotentiam agendi bonum & vitandi malum par est vtriusque status ratio: eodem enim modo se habet nunc homo in statu naturæ lapsæ, ac se habuisset si in puris naturalibus esset creatus, peccatum enim Adami nihil de his quæ naturalia sunt homini, aut perdidit, aut di- C
minuit: tantumque remouendo iustitiam originalem propter quam humana natura erat recta, integra & in naturalibus bonis perfecta, fecit vt sibi ipsa relinqueretur illo bono priuata. Quemadmodum enim post peccatum Adami corpus humanum nihilo magis factum est mortale aut passibile, quàm fuisset si homo esset in puris naturalibus conditus: ita humanus animus per se non est Adami peccato imbecillior ad benè agendum, quàm fuisset si eum Deus in puris naturalibus creasset. Plurimum autem interest inter eos status ratione personæ: quia conditus homo in puris naturalibus non fuisset inimicus Dei, nec filius iræ, nec indignus Dei gratia, sumendo vocabu- D
lum indigni non negatiuè pro eo quod est, non dignus, sic enim re vera fuisset indignus, sed priuatiuè: nec absentia gratiæ ei fuisset culpa: nec mors aut defectus alij corporales fuissent illi velut culpę pœna & peccati supplicium: quemadmodum contingit in secundo statu, in quo gratia carere culpa est: mori autem & malis corporeis affligi, supplicium est. Denique, in primo statu nullum quidem fuisset meritum diuinæ gratiæ, sed nec vllum tamen eius fuisset demeritum: in secundo autem non modo nullum est meritum, sed magnum etiam inest demeritum.

DEINDE, inter primum & tertium statum perquam insigne discrimen est. Etenim in primo statu appetitus rationalis sensitiuus naturali impetu raperentur ad obiecta sibi cõuenientia, nec sensitiuus plenè subiiceretur rationi. Nam vt Aristoteles tradit libro primo

Politic

A Politicorum, membra corporis humani seruili obsequio & subiectione rationi subduntur, vt quæ nullam vim & potestatem habeant eius imperio resistendi: appetitus autem sensitiuus non seruili, sed ciuili subiectione subditur rationi: quippe qui vim habet repugnandi, iussáque eius detrectandi. Quamuis de hac re contraria scripsit Aristoteli M. Tullius in libro tertio de Republica, his fere verbis, vti commemorat ea S. Augustinus in libro 4. aduersus Iulianum. cap. 12. *Vt animus corpori dicitur imperare: dicitur etiam libidini: sed corpori vt rex ciuibus suis, aut parens liberis: libidini autem, vt seruis dominus, quo eam coërcet & frangit. Sic regum, sic imperatorum, sic magistratuum, sic patrum, sic populorum imperia, sociis ciuibusq; præsunt, vt corporibus animus. Domini autem seruos ita fatigant, vt optima pars animi, id est, sapientia, eiusdem animi vitiosas imbe-*
B *cillesq; partes, vt libidines, vt iracundias, vt perturbationes cæteras.* Hæc Cicero.

VERVM, vt reuertar ad id quod agebatur, in primo statu posset homo facere bonum aliquod morale: sed nec omne bonum facere nec in bono faciendo diu perseuerare potuisset. In tertio autem statu qui est consonus rationi habensque integritatem naturæ, & debitam partium animi ordinationem, & appetitus obediēs rationi subiectusque esset: & ipsa ratio rectè se haberet erga Deum tanquam primum principium & vltimum finem naturalem hominis. Ac licet in eo statu appetitus sensitiuus nonnumquam aduersaretur rationi, eiusque mandata transgredi conaretur: vigore tamen rationis seu frœno quodam repressus atque coërcitus in officio suo contine-
C retur: & in hoc statu posset homo bonum omne morale persequi, & itidem omne malum fugere & in benè agendo perseuerare. Porro tertius hic status ea re differret à quarto qui habet iustitiam originalem, quod hic quartus status prēter vigorem illum rationis integritatemque naturæ, adiunctam habebat indefectibilem subordinationem corporis sub anima, appetitus sub ratione, rationis sub Deo. Præterea, tertius, status capax erat doloris, morbi, & quorumlibet malorum quæ corpori possunt accidere, denique ipsius mortis: itemque tristitiæ, timoris, angoris, aliarumque animi perturbationum & molestiarum. Ad hæc, in tertio statu posset homo peccata venialia committere. Hæc autem omnia à
D quarto statu, in quo aliquandiu versatus est Adam, longè remotissima fuerunt.

QVINTVS autem status hominis per Christi gratiam à peccato liberati, ea ratione prioribus quatuor excellentior iudicari debet, quod faciat hominem gratum & amicum Deo, & acceptum admissumque ad participationem vitæ æternæ, iungitque hominem cum Deo vt cum fine supernaturali: eumque facit potentem efficiendi opera virtutum omnium, tam moraliū quàm supernaturalium, quibus æternam felicitatē de condigno, vt loquuntur Theologi, promereatur. Sextus & vltimus status, omnium est multò præstantissimus:

nempè

nempè continens gratiæ confirmationem atque consummationem, A
& cœlestis gloriæ omniumque bonorum possessionem, nullius indigentiam rei, impotentiam peccandi atque moriendi, denique clarissimam diuinæ essentiæ visionem.

Quinq; mirabiles effectus iustitiæ originalis.

ILLVD præterea non est hoc loco premendum silentio, non vnum fuisse iustitiæ originalis effectum, sed multos ac varios, eósque perquam eximios & admirabiles effectus. Primùm enim iustitia originalis naturam humanam efficiebat secundum omnes eius partes & facultates integram, & his rebus omnibus quæ naturaliter ei conueniunt perfectam; ita vt omnes ac singulæ vires & facultates hominis, naturaliter sibi cõuenientes actiones & munera integrè, expeditè, & absolutè possent exequi & obire. Deinde, faciebat iustitia originalis hominem vsquequaque rectum, de qua rectitudine loquens B
Salomon capite septimo libri Ecclesiastæ, *Fecit Deus*, inquit, *hominem rectum*. Ex hac rectitudine existebat naturalis & vehemens hominis ad omne bonum morale propensio, & ab omni malo alienatio & auersio. Huius autem rectitudinis priuatio quæ propter peccatum homini accidit, est animi curuitas quædam, & obliquitas toties in diuinis litteris nominata & exprobata homini: quæ nihil aliud est, quàm (vti definierunt Theologi) naturalis quædam inclinatio animi ad bona creata & caduca, & propensio ad malum, & auersio à bonis æternis & diuinis.

POST hæc, iustitia originalis ita vires omnes naturæ nostræ perficiebat ordinatè, vt inferiores ita subiicerentur atque obedirent C
superioribus, vt earum actiones nequaquam impedirent, ac ne tardarent quidem, quin potius eas adiuuarent: superiores autem nulla tristitia & difficultate in regendis ac moderandis inferioribus afficerentur. Quod igitur omnes appetitiones & motus animæ sentientis sic essent in potestate rationis, vt eius iudicium & imperium nec præuerterent vnquam, nec detrectarent, sed earum excitatio, duratio, contentio vel remissio ex rationis imperio penderet, effectus erat & munus iustitiæ originalis. Cuius præterea ille erat mirabilis effectus, hominem non modo omnis veri cognoscendi cupidissimum esse, sed etiam omnium rerum quæ naturaliter sciri possunt, perfectam cognitionem & scientiam consequendi potentem esse, & ad omne bonum morale perficiendum, omneque malum & vitium declinandum, & ad perseuerandum in bono firmum, valentem, & constantem esse. Denique, iustitia originalis præstabat homini felicitatem quæ naturaliter ab eo expeti & comparari potest: quæ in eo posita erat, vt Augustinus inquit libro 14. de Ciuitate Dei, capite 10. *vt nullum bonum abesset homini quod recta voluntas optare posset; nullumq; malum adesset quod hominis feliciter viuentis carnem vel animum offenderet.* Non est autem in præsentia ignorandum, aliud esse iustitiam originalem, & aliud statum hominis in iustitia originali: Illa, continebat supradictos effectus; hic præter illos, tria extrinsecus Dei priuilegia habebat adiuncta:

A adiuncta: videlicet non posse hominem decipi, non posse labi in peccatum veniale, denique, manente eo statu, non posse mori: quæ non tam proueniebant ex iustitia originali, quàm ex singulari quadam assistentia & protectione Dei erga illum statum.

QVAESTIO I.

Quid fuerit iustitia originalis.

HIs expositis atque constitutis, quæ fuerit originalis iustitiæ vis, natura, & præstantia, deinceps disputandum
B est. Henricus Gandauensis Quodlibeto sexto, quæstio. *Opinio Henrici.*
11. tradit, per iustitiam originalem datam fuisse hominis voluntati rectitudinem quãdam naturalẽ, per quam poterat voluntas dominari appetitui sensitiuo, sibiq; obedientẽ reddere, cui rectitudini opponitur curuitas naturalis, & pronitas ad malum inflicta voluntati propter peccatum: exemplum ponit virgæ, quæ primo est recta, deinde flectitur & curuatur. Quod autem eiusmodi rectitudo ponenda sit præter omnem aliam rectitudinem infusam & supernaturalem, si quam habuit primus homo per iustitiam originalem: probat eo argumento, quod ex sententia omnium Theologorum, homo propter peccatum Adæ non modo est spoliatus gratuitis donis: sed etiam vulneratus in naturalibus: ergo non so-
C lum perdidit rectitudinem supernaturalẽ, sed etiam naturalem sibi inditam: alioqui tantum diceretur spoliatus gratuitis. Quod si homo propter peccatum donum naturale perdidisset, sed naturalia salua & integra retinuisset, nullum profecto discrimen esse posset inter hominem originali peccato infectum, & aliquem alium creatum in puris naturalibus sine gratia & peccato: quare æqualiter essent puniendi.

VERVMTAMEN hanc opinionem vt falsam & improbabilem, benè refellit Scotus in secundo, distinctione 29. quæstione vnica *Scotus refellit Hẽricum.*
his duobus argumentis. Primo, secundum Henricum non posset vo-
D luntas hominis non habens talem rectitudinem peccare, quia secundum ipsum, peccatum est corruptio istius rectitudinis: id autem absurdum est. Si enim Deus crearet voluntatem sine ista rectitudine (est enim illa separabilis à voluntate) posset illa proculdubio cùm esset libera, elicere actum rectæ rationi & legi diuinæ vel congruentem vel discrepantem: posset peccare, nec tamen peccatum illud vllius rectitudinis naturalis esset priuatio: posset etiam euidenter cognosci per rationem naturalem, præsentem statum hominis non esse naturalem. Et cum non solum primum peccatum, sed & cætera posteriora sint formaliter peccata, & eidem opponãtur: si igitur primum peccatum corrupit illam rectitudinem, etiam secũdum & ter-

tium debebat corrumpere : quod est impossibile, cùm illa per primum peccatum omnino fuerit sublata. Alterum argumentũ est illa rebellio appetitus cótra rationem itidem & æqualiter fuisset in homine creato in puris naturalibus : ergo illa non accidit ob priuationem vllius rectitudinis naturalis. Probatur antecedens : Naturale est omni appetitui ferri in suum proprium obiectum : & si est appetitus non liber, naturale est ei summè & quantum potest ferri: *talis* enim appetitus, vt docent Philosophi, ducitur, & sicut non est in potestate eius agere vel non agere, ita nec tanta vel tanta intentio actus, sed agit quantum potest. Cùm igitur appetitus sensitiuus hominis etiam in puris naturalibus haberet proprium suum obiectum delectabile, toto nisu tenderet in illud, & ea ratione impediret actũ rationis. istæ enim potentiæ cùm sint in vna & eadem anima, propter hanc vnitatem impediunt se mutuò in actibus suis intẽsis. quare deberet tunc ratio reprimere & cohibere impetum illum appetitus : quod sine aliqua eius difficultate & tristitia fieri non posset, quamobrem ibi esset rebellio : hæc enim non est aliud quàm inclinatio potentiæ inferioris ad suum obiectum delectabile, & difficultas superioris potentiæ in refrenando illum appetitum.

Solutio argumentorũ Henrici.

ARGVMENTA Henrici breuibus solui possunt. Dicitur enim homo vulneratus in naturalibus, non respectu naturæ humanę consideratæ in puris naturalibus, sed prout condita fuit à Deo cum iustitia originali, quæ habebat vim rectificandi & perficiendi omnia naturalia in ordine ad omne bonum connaturale homini, qua iustitia propter peccatum amissa, illa quoque periit perfectio potentiarum naturalium: eamq; ob causam dicitur homo vulneratus in naturalibus. Si quis autem crearetur in puris naturalibus, nó esset æqualis homini peccato originali infecto. Nam quia hic debitor est iustitiæ originalis quam accepit in Adam, ille vero nequaquã, propterea hic reus est, ille autem minimè: & damnum non videndi Deum vtriq; contingens, vni est priuatio & pœna ob peccatum : alteri est mera negatio dignitatis ex conditione naturæ.

Quid fuerit iustitia originalis. & an fuerit vnus habitus.

HAC igitur repudiata opinione, nos vim & naturam iustitiæ originalis ad hunc modum inuestigemus. Non erat iustitia originalis vnus aliquis habitus, vel vnum aliquod Dei donum, quo vno totus homo rectus & perfectus euaderet : sed erat absoluta quædam complexio & comprehensio omnium habituum quibus homo secũdum omnes vires & facultates suas rectus & perfectus reddebatur: & idoneus ad exercendas expeditè ac perfectè omnes actiones naturę suæ conuenientes. Ac non fuisse vnum dumtaxat habitum quo totus homo efficeretur rectus, adeo manifestum est, vt non tam probatione egeat quàm consideratione & animaduersione. Cùm enim facultatum animæ nostræ aliæ sint incorporeæ atque immortales, vt mens & voluntas: aliæ mortales & corporeæ, vt quæ ad animam sentiẽtem & alentem pertinent, qui fieri potuit vt vnus numero habitus tot

poten

A potentias non ſolum numero & ſpecie, ſed etiam genere diſtinctas perficeret: præſertim cùm habitus diſtinguantur per actus, & actus per obiecta. Nam in qua obſecro potentia vnus ille habitus iuſtitiæ originalis fuiſſet: ſi in intellectu, quomodo perfeciſſet voluntatem: & quamuis in vtraque facultate fuiſſet, quomodo tamen vires & potentias animæ ſentientis expeditas & perfectas ad agendum conuenienter iudicio & imperio rationis facere potuiſſet.

NON igitur erat vnus habitus iuſtitia originalis, ſed continebat omnes habitus, quibus ad integritatem & rectitudinem hominis, omniúmque facultatum eius complendam opus eſt. Itaque in ſpeculatiuo intellectu continebat omnes ſcientias ſpeculatiuas rerum omnium quæ naturaliter ſciri ab homine poſſunt, vt Metaphyſicam, Phyſiologiam, omnéſque diſciplinas Mathematicas. In in-
B tellectu practico circa ea quæ agenda ſunt homini tam priuatim quàm publicé, exquiſitiſſimam habebat prudentiam, artium quoque eas quæ vſum habent ingenuum: ac liberalem, & honeſtam oblectationem, vt eſt Agricultura, Muſica, Architectura, ars pingendi ac fingendi. In volũtate duo erant habitus: vnus erga Deum, ſcilicet religionis quæ Deo vt ſupremo omnium rerum principio & fini naturali, cultum, honorémque tam interiori veneratione animi, quàm externis ritibus & ceremoniis adhibet: alter erga proximum, iuſtitiæ, quæ in diſtributiuam & commutatiuam diuiditur.

QVÆRI poſſet hoc loco, vtrum fuit tertius aliquis habitus in
C voluntate, videlicet caritatis naturalis vel moralis quæ Deus vt finis vltimus & naturalis ſuper omnia diligeretur ab homine, ſed non videtur iſtiuſmodi habitu fuiſſe tunc opus, cùm enim in ſtatu innocentiæ voluntas eſſet recta, ſua ſponte, quaſi pondere & naturali quodam impetu ferebatur ad diligendum Deum ſuper omnia, vt ad finem ſuum vltimum: quantum enim erat vnumquodque naturaliter amabile, tantum â voluntate recta naturaliter amabatur: nec impetus ille voluntatis ab inferiori appetitu vel minimum impediebatur aut retardabatur.

An voluntas hominis in ſtatu innocentiæ habuiſſet habitum caritatis naturalis erga Deũ vt vltimũ finem naturalem.

IN appetitu verò ſenſitiuo qui duplex eſt, iraſcibilis & concupiſcibilis, erant virtutes morales quibus illi domantur, & rationi obe-
D dientes efficiuntur: temperantiam dico & fortitudinem. Non enim aſſentior Durando, qui in ſecundo ſententiarum diſtinct. 29. negat opus fuiſſe iſtis virtutibus ad perficiendum appetitũ ſenſitiuũ, propterea quòd perfectionem eius appetitus præſtabat iuſtitiæ originalis. Præſtabat ſanè: verum non per ſe ſola: quomodo enim, vt paulò ſuprà diximus, vnus habitus tot támque diuerſas facultates hominis formaliter, vt in ſcholis loquimur, perficere potuiſſet? Ergo perfectionem appetitus ſenſitiui præſtabat quidem iuſtitia originalis, ſed per habitus temperantiæ, & fortitudinis qui ſunt propriè habitus & perfectiones eius appetitus. Naturale enim eſt vt potentiæ

Refellitur Durandus negãs in appetitu ſenſitiuo fuiſſe opus proprijs virtutibus, ſed vnã ſatis fuiſſe iuſtitiam originalem.

perficiantur per suos habitus: & hic est modus naturalis quo potentiæ singulæ perficiuntur, vt idoneæ sint ad obeundas, vti oportet, functiones suas. Prædictos autem omnes habitus, iustitia originalis continebat in gradu perfectissimo, & vt vocant, heroico. A

Vtrum in statu innocentiæ appetitus sensitiuus licet nunquam aduersus rationẽ prævaleret, nonnunquam tamen aduersus eam insurgere.

ILLVD quæsitu explicatuq; dignum videtur, vtrum in statu innocentiæ appetitus sensitiuus ita subiectus esset rationi: vt nũquam contra præscriptum eius insurgeret, id est, nec præcurrendo eius iudicium, nec imperio eiusdem repugnando, sed sic esset in potestate rationis, vt non nisi quando & quatenus ipsa vellet, commoueretur: an potius ratio quidem prompte & cum delectatione ferretur in bonum & honestum, omnéque honestati contrarium refugeret: appetitus autem inferior ita moueretur, vt suapte vi & naturali propensione aptus est moueri in suum obiectum, sed quia ratio esset valentior ac potentior, contineret ipsum in officio, & intra terminos ei præscriptos coërceret, quod licet fieri non posset sine aliqua tristitia appetitus sensitiui, fieret tamen citra tristitiã aliquam, quin etiam magna cum delectatione rationis. Quoniam verò cùm operatur homo secundum rationem, tunc dicitur simpliciter operari: cùm autem secundum sensum operatur retinente repugnantéque rationi voluntate, tunc non dicitur homo operari, nisi secundum quid: quapropter ad Romanos 7. Paulus ait; *Non ego operor illud, sed quod habitat in me peccatum*: Idcirco in statu innocentiæ licet homo aliquando operaretur bonum cum aliqua sensus tristitia, quia tamen semper operatus fuisset cum delectatione rationis, verè dici potest hominem in eo statu semper cum gaudio & voluptate benè actorum. B C

Opinio Scoti.

HANC quæstionem tangens Scotus 2. sententiarum, distinct. 29. q. vnica, in dubio relinquit quidnam sentiendum sit, neutram in partem aliquid ex suo sensu decernens. Libet hoc loco verba Scoti adscribere. Sic autem ait: *Potest dici ergo quod si originalis iustitia habuit illum effectum, facere scilicet perfectam tranquillitatem in anima quantum ad omnes potentias, ita quod natura inferior non inclinaretur contra iudicium superioris: aut si inclinaretur quantum ex se, posset tamen à superiori regulari & ordinari sine difficultate superioris, & sine tristitia inferioris: cùm hoc non habuerit potentia facta in puris naturalibus, necesse est ipsam ponere donum supernaturale, quod sit ista tranquillitas perfecta in anima.* Post hæc autem paulò infrà subdit: *Sed nunquid ex hoc tollitur omnis rebellio, vt potentia inferior delectabiliter se retrahat à suo delectabili proprio? Respondeo: si voluntas abstinet delectabiliter à condelectando potentiæ inferiori, totus homo delectabiliter abstinet à delectabili appetitus sensitiui inferioris, non autem totus homo cum tristitia abstinet, si vis illa inferior abstinet cum tristitia, hoc enim conuenit homini simpliciter, quod ei conuenit secundum potentiam superiorem, nec propter hoc ab eo negatur etsi non conueniat ei secundum potentiã inferiorem.* Denique his paulò post adiungit: *Nec fortè necesse est ponere quod nullus sensus appetitus potuit tunc tristari: potuit enim* D

visus

A *visus tunc videre turpe visibile, & auditus audire turpe audibile, & vtrumque potuit ostendere appetitum sensitiuum, sicut & conueniens sensibile delectare. Sed voluntas tunc benè vsa fuisset istis tristitiis, & delectabilibus appetituum inferiorum: ita quod non cõtristata fuisset immoderatè ab appetitibus inferioribus: sicut benè vsa fuisset delectabilibus eorum, non immoderatè condelectando.* Hæc Scotus.

Vera sententia.

AT Enimuerò longè credibilius est, quin etiam pro certo haberi debet, in illo statu iustitię originalis ita fuisse motus appetitus sensitiui subiectos rationi, vt numquam aut contra, aut etiam præter eius mandatum, id est, nec repugnãdo, nec præcurrendo concitaren-
B tur: alioqui nullum fuisset discrimen inter statum innocentiæ & naturæ integræ, ac inter statum naturæ lapsæ per Christi tamẽ gratiam reparatæ. Paulus sanè ad Rom. 7. rebellionem carnis aduersus spiritum ex peccato esse natam perspicuis verbis docet: ex quo etiam & ipsa concupiscentia carnis nominatur peccatum.

Vnde accidebat vt, voluntas in statu innocentiæ nõ alliceretur ac traheretur ad voluptates sensuum, aut ipsi sensus sine tristitia à propriis delectationibus continerentur ratione.

AVGVSSTINVS quidem certè libro de Correptione & gratia, cap. 10. & 11. tradit in illo statu fore vt caro nunquam concupiscceret aduersus spiritum, sed eius ductum imperiumque perpetuò sequeretur. Et in lib. 14. de Ciuitate Dei, cap. 10. *Erat tunc*, inquit, *deuitatio tranquilla peccati, qua manente, nullum omnino aliunde malum quod contristaret irruebat.* Sed apertius hoc ille declarat in cap. 19. eiusdem libri: *Motus*, inquit, *appetitus ante peccatum, in Paradiso vitiosi non erant.*
C *Non enim contra rectam voluntatem ad aliquid mouebantur, vnde necesse esset eos ratione tanquam frœnis regentibus abstinere. Nam quod nunc ita mouentur, & ab eis qui temperãter & iustè, & piè viuunt, aliàs facilius, aliàs difficilius, tamen cohibendo & refrœnando modificantur, non est vtique sanitas ex natura, sed languor ex culpa.* Sic Augustinus.

VERVM, qui fieri poterat, inquit supradicto loco Scotus, vt in illo statu voluntas rationalis cùm naturaliter coniuncta sit appetitui sensitiuo, non alliceretur & afficeretur eius delectationibus, & ab illis se ipsam abstineret sine vlla difficultate aut molestia? Respondet Scotus, id propterea accidisse, quia voluntas longè maiori delectatione detinebatur circa obiectum suum, quàm erat delectatio sensibilis: delectabilius enim erat illi vltimo suo fini & his quæ
D ad finem illum ordinantur adhærere, quàm oblectamentis sensuum perfrui. Sed quomodo appetitus sensitiuus abstinebat se ab obiecto suo delectabili etiam sine tristitia, iucundè sequens præscriptum & deductum rationis? Respondet eodem loco Scotus; ad id opus fuisse singularibus quibusdam Dei donis, quibus ita afficeretur & perficeretur appetitus sensitiuus, vt delectabilius ei esset sequi rationis imperium, quàm contra ductum eius reniti, inhærendo propriis voluptatibus & oblectamentis. Quamquam, vt mox dicemus, nec id satis erat: sed in primis hoc efficiebat singularis Dei assistentia, cura, & prouidentia ita continentis, regentis, & moderantis appetitum sensitiuum, vt nunquam sineret eum ad aliquid, quod esset contra

vel præter rationis iudicium & imperium, incitari. A

Vtrum in statu innocentiæ fuissent passiones in appetitu sensitiuo.

ILLVD quoque in quæstionem vocari posset, vtrum in statu innocentiæ futuri essent in homine motus illi appetitus sensitiui quos vulgo appellamus passiones, Latini vel morbos, vel perturbationes, vel affectus nominant, vt sunt desiderium, gaudium, metus tristitia. Sicut enim corpus hominis in eo statu fuisset impassibile, ita futurus videtur fuisse animus ab huiusmodi passionibus vacuus & planè impassibilis. Hanc quæstionem tractat Augustinus libro 14. de Ciuitate Dei, capite 9. & 10. & S. Thomas in prima parte quæstio. 95. artic. 2. Verùm facilis est huius quæstionis explicatio. Passionum enim appetitus aliæ respiciunt bonum vel absens & parabile, vt desiderium & spes. vel iam partum & præsens, vt gaudium & lætitia: vel indifferenter ipsum bonum, vt amor: & huiusmodi passiones fuissent in homine: Sunt enim motus naturales humani animi, & ad animi oblectationem & lætitiam pertinent. B

SED enim, multò aliter tunc erant in homine quàm nunc sunt in nobis: Erant enim rationis arbitratu & imperio penitus modificatæ ac determinatæ. Erántque in potestate rationis tripliciter, videlicet quantum ad earum excitationem & inchoationem, quantum ad continuationem & durationem: denique, quantum ad contentionem & remissionem. Fuissent igitur homini tunc non modò nulli molestiæ aut impedimento, sed magno etiam adiumento & oblectamento. Aliæ passiones spectant malum, vel absens & impediens, vt timor: vel iam præsens, vt tristitia & dolor. Hisce passionibus caruit Adam ante peccatum, & nisi peccasset ipse, omnes eius posteri caruissent. Istiusmodi enim passiones adiunctam habent pœnam & molestiam, quæ in illum statum innocentiæ tranquillissimum & felicissimum, & ab omnibus tam corporis quàm animi malis remotissimum competere non poterant. C

Obiectio. SED obiiciet aliquis non ignorasse Adamum se in peccatum labi, ob idque tot tantisque bonis quibus ornatus à Deo fuerat orbari posse. fieri igitur non potuit, quin casum & lapsum suum & tantorum bonorum amissionem timeret: præsertim cùm suprà dictum sit, ruinam Angelorum ei fuisse diuinitus indicatam, quæ non potuit non ei magnum similis casus & lapsus metum ac pauorem in- D

Solutio. icere. At hoc facilè soluitur. Metus enim qui hominem angit, & cruciat, non est nisi mali impendentis & quod difficiliter vitari possit, & ad quod multa sint quæ hominem vrgeant & quasi impellant. At in statu innocentiæ nullum malum impendebat Adamo, nisi peccaret ipse: peccatum autem omne maxima facilitate vitare poterat: cùm nihil aut interius aut exterius incitaret eum ad peccandum, nulla igitur ratio suberat timendi: timendi inquam, cum molestia & angore animi.

VERVM talis tantáque omnium motuum appetitus sensitiui sub rationis imperium potestatémque subiectio, non efficiebatur à solis habiti

A habitibus appetitum inferiorem aut etiam superiorem perficientibus, sed maxima ex parte proficiscebatur è singulari assistentia Dei, & prouidentia atque cura quam is gerebat hominis in eo statu constituti, non sinens eius vel animo vel corpori quicquam contingere, quod eius tranquillitatem & felicitatem perturbare aut inquinare posset. Illa verò Dei assistentia licet maximè singularis & admirabilis esset, erat tamen in eo statu ordinaria atque valdè conueniens.

EA VERO assistentia Dei sex magna homini bona præstabat. Primo, seruabat intellectum ne is deciperetur circa singularia & futura contingentia, quæ humana ratione & solertia certò cognosci non possunt. Tum, continebat voluntatem ne eligeret actus inordinatos, cuiusmodi est verbum ociosum, vel mendacium iocosum aut
B officiosum, vel risus intempestiuus aut superuacaneus, quæ vocantur à Theologis peccata venialia ex genere: suprà enim ostensum est, in statu innocentiæ nullum ab homine veniale peccatum admitti potuisse. Deinde, arcebat à phantasia hominis omnia quæ eam confundere, perturbare, & contaminare potuissent: scilicet coërcens potentiam dæmonis, ne visa obscœna vel tristia ei ingereret. Ad hæc, cohibebat appetitum sensitiuum, ne ante iudicium rationis ad aliquid appetendum vel fugiendum commoueretur, etiam præsente obiecto admodum delectabili & ad illiciẽdum appetitum acerrimo. Præterea, seruabat corpus non solum à rebus mortiferis, sed etiam ab omnibus quæ ei noxia & molesta possent accidere. Denique, expleto tempore quod homini Deus ad viuendum in terris præfiniuisset, transtulisset eum in Cœlestem patriam, animali & terrena vita
C in spiritualem & Diuinam commutata, qualem videlicet post resurrectionem mortuorum victuros nos esse speramus.

Sex bona præstabat homini in statu innocentiæ specialis Dei assistentia.

SED CVR appellata est iustitia originalis? Appellatur iustitia, non illa quæ est vna, & quidem princeps virtutum cardinalium, suam in voluntate hominis sedem habens. Nec illa iustitia qua iustificamur remissis peccatis, Deóque nobiscum reconciliato, cuius frequens vsus est apud Paulum: hæc enim perficit hominem in ordine ad actus supernaturales, & ad finem supernaturalem. Hoc igitur donum Dei appellatur iustitia, quasi naturalis perfectio totius
D hominis omniúmque facultatum eius, optimáque dispositio & affectio omnium animæ potentiarum, & inter se & in ordine ad suos cuiusque actus per quam scilicet dicitur Deus fecisse hominẽ rectũ. Originalis porrò nominatur, quod eã ab origine sua habuisset homo, & quòd per originalem generationem ex Adamo trãsfundenda erat in eius posteros, non quidem potestate seminis aut vllius causæ naturalis, sed proximè à Deo, non aliter quàm ipsa rationalis anima. Huiusmodi autem iustitia originali non eguit Angelus: quippe qui simplex natura est, nec diuersis ex partibus aut etiam contrariis appetitibus concretus, quemadmodum homo est.

Cur dicta sit iustitia originalis.

Cur Angelus non eguerit originali iustitia.

SIQVIS verò ex nobis quærat, vtrũ iustitia originalis fuerit donum

Vtrum iustitia originalis appellata debeat donũ naturale, aut supernaturale.

num supernaturale an naturale: respondebimus, simpliciter & absolutè, donum fuisse supernaturale. Nam nec ex caussis vllis naturalibus efficiebatur, nec erat naturaliter homini debitum, nec nisi coniunctum cum dono supernaturalis gratiæ in homine esse poterat: & gratuitò donabatur à Deo, & habebat adiuncta priuilegia quædam extraordinaria & supernaturalia. Potest tamen aliqua ratione, & vt vocant, secundum quid, appellari naturale donum: quia *propriè* ac per se non perficiebat hominem in ordine ad finem supernaturalem, neque ad actus supernaturales, sed supplebat defectus naturæ, & naturalem dumtaxat homini integritatem, rectitudinem, & perfectionem præstabat. A B

QVAESTIO II.

Vbi tanquam in subiecto fuerit iustitia originalis.

QVAERITVR, illa grauior ducitur quæstio, in qua parte hominis vel facultate tanquam in subiecto esset iustitia originalis. Certum est non fuisse eam in corpore, sed in anima. Verum dubitatur vtrum in animæ essentia fuerit, an in aliqua eius potentia: & si in potentia fuerit, vtrum in aliqua superiori, vt est voluntas & ratio, an in potentiis inferioribus, quæ sunt appetitus sensitiui. B. Thomas in prima secundæ quæstione 83. arbitratur iustitiam originalem, vt in subiecto, fuisse in essentia animæ rationalis, in qua ipse posuit deinde quæstione 110. eiusdem partis gratiam gratum facientem. Hoc ille ad hunc modum argumentatur, *Habitus & priuatio in eodem subiecto versantur, sed peccatum originale quod est priuatio iustitiæ originalis, est vt in subiecto in ipsa hominis natura, quia contrahitur per generationem ipsius naturæ: ergo similiter iustitiæ originalis in eodem erat subiecto: præsertim cùm ipsa esset donum naturæ, id est, eius rectitudo absolutio, & perfectio.*

S. Thomas subiectum iustitiæ originalis censet, fuisse ipsam rationalis animæ essentiam. C

Refellitur opinio S. Thom.

MIHI hæc opinio non probatur. Nimirum iustitia originalis perficiebat hominem non in ordine ad esse supernaturale vel ad supernaturalem finem, sed secundum conditionem & statum naturalem hominis, & intra naturalis integritatis & perfectionis humanæ naturæ terminos. Videamus igitur quidnam intra latitudinem & cancellos naturæ humanæ rectum & perfectum iustitiæ originalis facere potuerit. Essentia hominis & esse naturale eius, non indigebat perfectione aliqua superaddita, sicut nec vitiari aut corrumpi poterat: cùm ipsum esse substantiale & naturale hominis sit inuariabile atque indiuisibile: ergo solum poterat perfici id quod erat capax obliquitatis vel rectitudinis: cuiusmodi erant potentiæ & facultates animi in ordine ad actus suos naturales seu morales, qui & vitiosi, & D

recti,

A recti, ac perfecti esse possunt. Ex his concluditur, iustitiam originalem non in essentia animæ, sed in eius viribus ac potentiis fuisse.

Sed in qua potissimum erat potentia? Quicũque sedem & subiectum gratiæ gratum facientis constituunt voluntatem rationalem hominis, in eadem illi voluntate collocant iustitiam originalem. Vide Scotum in distinctione 29. & 31. & ibidem Bonauenturam, atque alios eiusdem sententiæ propugnatores. Et id quidem Scotus ita probat. Voluntas habet pro obiecto ipsum finem vltimum, qui est regula omnium actionum humanarum: ergo ex rectitudine voluntatis pendet rectitudo totius hominis: sed iustitia originalis rectitudinis humanæ naturæ erat perfectrix: ipsam igitur in voluntate, vt in subiecto fuisse existimandum est. At nec vera hæc est opinio, & B infirma est Scoti argumentatio. Etenim rectitudinem voluntatis ordine naturæ præcedit rectitudo intellectus, & hanc tamen ipsam præstabat iustitia originalis. Nec sanè rectitudo voluntatis efficere potest rectitudinem appetitus sensitiui nisi secundum quid: potest enim facere vt voluntas non eligat quod appetitus concupiscit: sed vt appetitus non anteuertat rationis iudicium, vt caro non concupiscat aduersus spiritum, quod præstabat iustitia originalis, hoc, inquam, sola voluntatis rectitudo non potest efficere.

Opinio Scoti, & Bonauenturæ.

Refellitur Scotus.

Durandus supradicto loco putat in appetitu sensitiuo vt in subiecto fuisse iustitiam originalem. *Nam proprium*, inquit, *iustitiæ originalis effectus erat continere appetitum ne contra aut præter rationem commoueretur, sed eius imperio semper esset obediens: priuationis etiam iustitiæ originalis effectus fuit rebellio carnis aduersus spiritum, & appetitus sensitiui aduersus rationem.* Verùm neque Durandi hæc sententia vsquequaq; vera est. Efficiebat quidem iustitia originalis rectitudinem appetitus sensitiui, verùm eius potior ac principalior effectus erat rectitudo superioris partis, id est, voluntatis & rationis, in qua scilicet præcipua rectitudo hominis posita est.

Opinio Durandi.

Refellitur Durandus.

Quocirca iustitia originalis potius in parte superiori quam inferiori collocanda esset. Sed quia suprà docuimus, iustitiam originalem non fuisse vnum aliquem habitum, sed fuisse comprehensionem omnium habituum quibus totus homo rectus efficitur, & omnes eius potentiæ reddũtur perfectæ circa actus suos vel naturales vel morales: hinc necessario efficitur & euidenter apparet, iustitiam originalem non fuisse in vna aliqua potentia, sed fuisse in omnibus potentiis animæ rationalis, in his nempe potentiis in quibus erant habitus per quos homo secundum statum naturæ integer, rectus, & perfectus reddebatur. Restant duæ quæstiones tractandæ, quibus explicatis, finem de originali iustitia differendi faciemus. Vna quæstio est, vtrum iustitia originalis fuerit res diuersa à gratia gratum faciente & ab ea separabilis: altera quæstio, An primum hominem cum iustitia originali fuisse à Deo creatum, è sacra Scriptura colligi & probari queat.

Auctoris iudicium de subiecto iustitiæ originalis.

QVAESTIO III.

Vtrum iustitia originalis res diuersa esset à gratia gratum faciente.

Opinio Soti. S. Thomas.

CIRCA hanc quæstionem quatuor esse video inter se discrepantes Theologorum sententias. Sotus primo libro de Natura & gratia, cap. 5. secundum B. Thomam, iustitiam originalem & gratiam gratum facientem vnam eandemq; rem fuisse arbitratur. id quod ipse argumentatur ex his quæ scribit Sanctus Thomas in prima parte quæstione 95. articulo primo & quæst. 100. art. 1. vbi censet rectitudinem rationis erga Deum, & rectitudinem appetitus sensitiui sub rationis imperiũ omnino subiecti, ex gratia gratum faciente prouenisse ac dependisse: Eiusdem quoque rei illud esse non obscurum argumentum, quod B. Thomas in prima secundæ quæstio. 83. iustitiam originalem ponit in essentia animæ vt in subiecto, in qua nimirum posteà quæstione 110. eiusdem partis collocat gratiam gratum facientem, quæ vim habet sanandi superiorem hominis partem, non autem inferiorem. Formaliter igitur iustitia originalis secundum B. Thomam, non erat res diuersa à gratia gratum faciente. Putat igitur Sotus non fuisse aliud iustitiam originalem, quàm ipsam gratiam gratum facientem, maiorem tamen quàm est in statu naturæ humanæ post peccatum: maiorem dico, non intensiuè, nec quantum ad principalem effectum gratiæ, qui est esse gratum Deo & acceptum ad vitam æternam, sed extensiuè, quia tunc gratia extendebat se ad perficiendam sanitatem, integritatem, & rectitudinem etiam partis inferioris. Appetitum namque tranquillissimè compositum & moderatum, & vsquequaque rationi subiectum reddebat.

Refellitur prædicta opinio.

NON placet mihi hęc opinio. Etenim gratia gratum faciens perficit hominem in ordine ad finem supernaturalem, non autem in ordine ad finem naturalem, neque ad naturalem integritatem, & perfectionem hominis: hoc autem præstabat iustitia originalis, erat igitur dona diuersa, & ad diuersos fines & status hominis pertinentia. Et quemadmodum per iustitiam originalem non perficiebatur homo supernaturaliter, quia erat donum naturæ ad complendam eius integritatem & perfectionem datum, ita gratia gratum faciens, quia est ordinis supernaturalis, & ad supernaturalem statum & finem hominis relata, non habebat vim perficiendi hominem naturaliter, & in his quæ ad naturæ humanæ absolutionem pertinent. Cumq; possimus animo fingere, & cogitatione informare hominem aliquem secundum omnem naturæ & potentiarum eius integritatem, & rectitudinem naturalem perfectum sine gratia supernaturali gratum faciente (ordo enim naturalis est diuersus, nec per se depen-

A dens à supernaturali) consentaneũ profecto est, rem diuersam fuisse iustitiam originalem à gratia gratum faciente, nec repugnare ab ea separari posse.

Opinio Caietani.

CAIETANVS prima parte quęstione nonagesimaquinta existimat fuisse res diuersas iustitiam originalem & gratiam gratum facientem, sed illam tamen non potuisse ab hac separari: idque putat sensisse B. Thomam. *Neque enim aliud* ipse ait, *quam gratiam gratum facientem radicem fuisse atque fundamentum iustitiæ originalis. Et in prima secundæ quæstione centesimanona primis articulis manifestè distinguit statum naturæ integræ scilicet per iustitiam originalem, à statu gratiæ gratum faciente, docens in illo statu potuisse hominem facere omne bonum morale, vitare omne peccatum, implere totam legem, & in bono vsque ad finem perseuerare* B *: Non potuisse tamen sine gratia gratum faciente quicquam facere supernaturale, aut dignum vita æterna.* Sic Caietanus. Videtur tamen doctrinæ S. Thomæ congruentior opinio Soti. Supradictis enim locis non obscurè significat B. Thomas rectitudinem partis inferioris respectu superioris, qui erat proprius iustitiæ originalis effectus, prouenisse ex supernaturali dono gratiæ gratum facientis. Nec video equidem, si iustitia originalis ponatur re differens à gratia gratum faciente, cur non ab illa quoque seiugari & dissociari, ac separatim existere posset, cùm rectitudo naturalis quam vna tribuebat homini, diuersa sit minimèque pendens à rectitudine supernaturali quam largiebatur altera.

Tertia sententia Bonauenturæ Scoti Tostati & Catharini.

C TERTIA sententia est Bonauenturæ libro 2. distinct. 29. Scoti distinct. 32. Tostati in tertium caput Geneseos quæstio. 6. & 7. & Catharini super idem caput, arbitrantium illas duas gratias re diuersas fuisse, & separabiles inuicem, quin etiam verè separatas. Namq; putant primum fuisse Adam conditum cum iustitia originali, posteà verò superadditam ei fuisse gratiam gratum facientem, & post peccatum Adæ omnes iusti habuerunt gratiam gratum facientẽ: nullus autem iustitiam originalem, quinimo Eua cùm comedit fructum vetitum, haud dubiè perdidit gratiam gratum facientem, non tamen iustitiam originalem, priusquam comedit Adam. Cuius rei illud putant signum & argumentum manifestum esse, quod Eua non erubuit D de sua nuditate, nec sensit rebellionem carnis sicut post esum Adam. Existimat porro Catharinus inter Deum & Adamum hoc intercessisse pactum, vt per solam Adami obedientiam vel inobedientiam donum illud iustitiæ originalis vel conseruaretur vel amitteretur. itaque si sola Eua comedisset fructum vetitum, nec Adamo, nec posteris vtriusque ad iustitiæ originalis amissionem offuisset: neque donum illud amittẽdum erat ob aliud vllum peccatum, quàm propter esum fructus interdicti, de quo Deus dixit, *In quocumque die comederis ex eo morte morieris.*

Refellatur.

VERVM hanc opinionẽ, quantũ ad duo, falsam esse, supra ostendimus cũ probauimus & Adamũ fuisse creatũ cum gratia gratum fa-

ciente, & omne peccatum mortale planè aduersari iustitiæ originali: quippe omnia peccata mortalia sunt contra rectitudinem rationis, quam potissimum iustitia originalis præstabat homini: & pleraque peccata mortalia sunt contra rectitudinem appetitus sensitiui, qui erat iustitiæ originalis effectus. Illud autem argumentum non amissæ propter peccatum iustitiæ originalis, propterea quod Eua non statim vt ex arbore vetita edit, erubuerit, nec inordinatum aliquem carnis motum senserit: obtusius profectò est quàm auctores isti putarant. Caietanus certè ita soluit in prima parte, quæst. 95. art. 1. *Ad hoc*, inquit, *dicendum mihi videtur, propter peccatum Euæ ademptam ei fuisse iustitiam originalem, non simpliciter & totaliter, sed quo ad aliquid. Simpliciter enim adimenda reseruabatur peccato Adæ secundum ordinem diuinæ prouidentiæ: ea ratione vt donum naturæ primo auferretur ei qui erat principium totius naturæ, cui donum illud primo ac principaliter tributum fuerat. Nec obstat quod potuisset Adam post peccatum Euæ non peccare, quia apud Deum præscientia casus in ratione ordinis fuit. Et hoc satis congruit rationi & proportioni: excisa enim radice, possunt aliquandiu rami viuere, demptoq; animali cordi, aliquandiu etiam calere & vigere membra cernimus.* Sic Caietanus.

An Eua statim vt comedit fructum vetitum perdiderit iustitiam originalem.

ADDIMVS nos præterea, Euam perdidisse iustitiam originalem, non modo statim post esum illius fructus, sed etiam ante, propter interiorem eius vanitatem, elationem animi atque superbiam: quibus cum vitiis rectitudo iustitiæ originalis nullo modo cohærere poterat. At enim, non statim erubuit Eua, inquiunt isti: Sed fuit tamen in ea inordinata voluptas in visu, aspiciendo pomum: & in gustatu auiditas immoderata, esum eius concupiscendo: Hæc autem vitia arguebant animum eius fuisse iam iustitia originali spoliatum atque priuatum. Verùm hoc non animaduertit Eua: videlicet vel propter antecedentem superbiam iam animo obcęcata, vel quia fortasse omnes iustitiæ originalis vel priuationis eius effectus non planè perspectos & cognitos habebat.

VERVM vrgent nos. Cur igitur, inquiunt, non statim erubuit de sua nuditate, vel cur carnis rebellionem non protinus sensit? Atqui non fuit necessarium, vt amissa iustitia originali statim exurgerét & foras erumperent omnes priuationis eius effectus, sed suo quisq; tempore, & sua cuique data occasione. Quoniam autem inter esum Euæ & Adami breue intercessit tempus: propterea non est mirum illo tam exiguo temporis spacio non sensisse eam, inordinatam carnis concupiscentiam, præsertim verò cùm tunc Eua ad esum illius fructus vehementer esset intenta, & quemadmodum etiam ad esum eius maritum suum induceret, valdè cogitabunda & solicita: post esum verò Adæ, propter mutuum nudorum corporum conspectum & eximiam vtriusque pulchritudinem, statim in vtriusque animis & membris libido excitata & inflammata est.

Probabilior decernitur 4. sententia quã Auctor sequitur.

EGO quartam sententiam cæteris probabiliorem censeo, Iustitiam

A tiam originalem re ipsa diuersam fuisse à gratia gratum faciente. Et quamuis in illo statu innocentiæ neutra potuerit ab alterutra dissociari & disiungi, quod dignitas & excellentia eius status alterutra sublata constare non posset: si tamen ratio iustitiæ originalis præsè propriè, præciséque accipiatur, non repugnabat eam esse sine gratia gratum faciente negatiuè, repugnabat tamen esse sine ea priuatiuè, hoc est, Potuit Adam prius habere solam iustitiam originalem, posteà verò gratiam gratum facientem accipere, quemadmodum opinantur, qui putant Adam creatum cum iustitia originali, & sine gratia gratum faciente. At verò amissa gratia propter peccatum mortale, non potuit manere iustitia originalis: cuius rei hanc esse reor causam, quod propria ratio propriúsque effectus iustitiæ originalis, nec in-
B cludit necessario, nec exigit gratiam gratum facientem: repugnat tamen omnino priuationi gratiæ quæ propter peccatum mortale accidit. Siquidem omne peccatum mortale, vt supra docuimus, iustitiæ originali aduersabatur. Atque hanc sententiam nostram non alia ratione confirmare attinet, quàm qua Soti & Caietani sententiam paulò supra confutauimus.

QVANQVAM autem iustitia originalis simpliciter & absolutè potuisset separari à gratia sanctificante: in illo tamen statu innocentiæ ex voluntate & decreto Dei separari non poterat. Nimirum Deus voluit & constituit, vt fœlicitatem illius status non haberet nemo sine gratia sanctificante: & vt quicumque gratiam hanc haberet in eo
O statu, nec iustitia originali, nec omni felicitate eius status careret. Huius autem diuinæ voluntatis & decreti illud signum esse, nec obscurum, potest, quod statim vt homo peccauit, & gratiam Dei amisit, & iustitia originali spoliatus & omnibus bonis orbatus cunctáque illius status felicitate priuatus est. Atque hæc Dei volũtas & decretum cum ratione & iustitia maximè congruit: non enim æquum & decens erat, vt homo in tanta bonorum omnium affluentia & status felicitate, Deo gratus & amicus non esset. Adiice, quod directio & ordinatio hominis ad finem supernaturalem, potior & principalior est, quàm ad finem naturalem: non igitur decebat, vt primũ ho-
C minem Deus crearet perfectissimum in ordine ad finem naturalem, in ordine autem ad finem supernaturalem omnino imperfectum.
D

PATRES autem cùm de iustitia originali agunt, loquuntur de statu primi hominis ante peccatum, prout, scilicet, status ille comprehendebat omnia bona tam naturalia quàm supernaturalia, quibus ornatus Adam creatus est à Deo. Lege Augustinum libro 14. de Ciuitate Dei, capite 10. & 19. at secundum Patres, præsertim autem secundum Augustinum, nulla est hominis perfectio & rectitudo coram Deo sine gratia eius gratum faciente. Rectè enim argumentatur Paulus ad Romanos 4. Si Abraam non ex fide & gratia Dei iustificatus est, habere quidem laudem potuit, sed non coram Deo.

OBSERVANDVM autem est, si post peccatum Euæ nõ peccas-

Obseruanda sunt quæ hic traduntur de his quæ euentura erant si Adam non peccasset.

set Adam perdidisset quidem Eua iustitiam originalem, filij autem A
qui ex ea & Adamo innocente procreati essent, generati essent cum
iustitia originali: eius enim vel amissio vel conseruatio apud posteros,
ex solius Adami obedientia vel inobedientia pendebat. Quod si A-
dam genuisset aliquos filios habens iustitiam originalem, & postea
comedens cibum vetitum eam perdidisset: filij eius ante peccatum
ex eo progeniti, cum iustitia originali fuissent generati: erant enim
posteri Adæ innocentis, non autem peccatoris. Et quia posteri Adæ
non fuissent confirmati in gratia, vt supra manifestis rationibus ad-
diximus: etiamsi Adam non peccasset, potuissent eius posteri, alij
iustitiam originalem habere, alij non habere.

Prima obiectio.

DICET aliquis, sic futuram fuisse magnam confusionem & per- B
turbationem humanæ societatis, aliis maximis peccatoribus, aliis pla-
nè innocentibus: oportuissetque nocentes segregari ab innocenti-
bus, & quidem sæpenumero vxores à maritis, & filios à parentibus.
Verùm istiusmodi confusioni & perturbationi occurrisset Deus, pro-
spiciens ne quid inde bonis & innocentibus detrimenti continge-

Solutio.

ret. Et quemadmodum ferocissima animalia fecisset homini planè
subiecta & obedientia, nedum innocua: sic innocentes conuersati
fuissent innoxiè cum peccatoribus. Iniecisset enim illis Deus singu-
larem quendam timorem & reuerentiam innocentium hominum, vt
eis non modo nocere & aduersari non auderent, sed etiam subesse
eis & obtemperare vellent.

Secunda obiectio.

SED illud est dubium, si status innocentiæ permansisset, & aliqui C
peccando vtramque gratiam amisissent: vtrum postea per pœniten-

Solutio.

tiam sicut recuperassent gratiam sanctificantem, ita recepissent si-
mul & iustitiam originalem. Sed probabile est, pœnitentibus vtram-
que simul restitutum iri: siquidem amissio iustitiæ originalis in per-
petuum, pendere videbatur ex peccato primi hominis, quod erat in

Tertia obiectio.

omnes eius posteros transfundendum. Sed dicet aliquis, si iustitia
originalis tunc separari non poterat à gratia sanctificante, & habere

Solutio.

hominem iustitiam originalem, & ipsi & alius manifestum erat ex
conspicuis eius effectibus & signis: ergo notum fuisset cuilibet se esse
in gratia Dei. Fuisset profecto id notum quantum ad præsentiam gra- D
tiæ, sed non quantum ad eius intensionem seu gradus, neque quan-
tum ad futuram eius durationem.

QVAESTIO IIII.

Quomodo ex Sacris litteris probetur primum hominem esse creatum cum iustitia originali.

RESTAT altera quæstio tanquã disputationis de iustitia ori-
ginali clausula quædam hoc loco explicanda. Num primum
hominem creatum esse cum iustitia originali quam suprà de-
scripsim

A scripsimus, & in statu illo innocentiæ felicissimo, ex litteris Sacris demonstrari & probari queat. Potest id sanè multis & manifestis Scripturæ testimoniis & argumentis comprobari. Etenim, tria erant illo statu maximè insignia; felicitas hominis tam secundum corpus quàm secundum animum: tum perfecta partis inferioris sub imperium & potestatem superioris subiectio: denique immortalitas corporis, vel quod verius dictu est, potestas non moriendi.

Felicitatem Adami satis indicauit Scriptura describendo incomparabilem amœnitatem Paradisi terrestris, vim arboris vitæ, & indolentiam seu impassibilitatem corporis. cum enim dicat eos in Paradiso versatos esse nudos ab omni dolore, molestia, denique incommodo quod extrinsecus eis posset accidere, inoffensos atque intactos fuisse significat. Perfectionem autem & felicitatem
B animi Moses insinuauit cùm dixit hominem fuisse creatum ad imaginem & similitudinem Dei, & principem ac Dominum animantium à Deo constitutum, nec perfecta tantùmmodo rerum naturalium scientia ornatum, sed etiam diuino prophetiæ spiritu afflatum. Subiectio carnis & sensus sub imperium rationis, significata est à Mose cùm dixit, eos fuisse nudos, nec tamè erubuisse. Paulus quidem certè ad Rom. 7. rebellionem carnis aduersus spiritum ex peccato natam esse docet.

Quid multa? mortem ex peccato primi hominis permanasse in
C omne genus humanum, nec à Deo esse factam; quippe qui hominem fecerat inexterminabilem, sed inuidia diaboli intrasse in mundum, ad Romano. 5. & Sapien. 2. scriptum testatúmque legimus.
C Nec obscurè hoc ipsum indicauit Moses, cùm facit Deum Adamo, si ex arbore scientiæ boni & mali comederet, pœnam mortis comminantem; quasi si non comederet nunquam esset moriturus. Nec alia profecto ratio satis idonea & probabilis adferri potest, cur solum primum Adami peccatum non ipsi tantùm, sed etiam posteritati eius nocuerit, & in omnes posteros eius per carnalem generationem transfusum sit; nisi quia primo illo peccato Adam perdidit iustitiam originalem, quod erat donum non tantùm personæ Adami sed totius naturæ, & ad omnes posteros eius pertinens: quo factum est
D vt priuatio iustitiæ originalis omnibus ex Adamo originem trahentibus acciderit.

D Verum, hæc nimis presè & concisè dicta sunt à nobis; quapropter latius & explicatius declaranda sunt. Donum iustitiæ originalis, quale, scilicet, suprà à nobis suis coloribus depictum est, datum fuisse primis hominibus, clarissimè perspicitur ex diuina Scriptura: Primo, id voluit significare Moses, cùm dixit, *Erant nudi ambo & non erubescebant* post peccatum continuo agnoscentes nuditatem, eam, quasi pudendum quid & obscœnum; quamprimùm obtegere voluerunt. Pudor autem de nuditate corporum exibat ex acri sensu immoderatæ libidinis, quem in membris suis contra iudicium rationis

contrà

contráque voluntatem suam suscitari & ardescere sentiebant. Deinde, felicitas illius status omnium bonorũ copia iucundissimi & tranquillissimi (id quod indicabat locus Paradisi) satis ostendebat in summa mentis & corporis tranquillitate, si Deo pareret, tunc Adamum esse victurum: illa autem rebellio carnis aduersus spiritum, quanta sit hominis vexatio & afflictio, quantumque malum & infelicitas, satis ostendit & deplorat Paulus Ro. 7. A

PRAETEREA, huius rei fidem facit immortalitas Adamo promissa, si præceptum Dei custodiret: sicut enim poterat non mori, ita poterat non peccare; vtraque enim potentia & non moriendi & non peccandi, in illo statu indissolubili vinculo ac nexu erat inuicem colligata. Si enim poterat non mori, ergo etiam non peccare: nam si, hoc concesso, potuisset peccare, non sane id consentaneũ erat diuinæ iustitiæ, & erat perniciosum, peccatoris vitam prorogari in perpetuum. Potentia autem non peccandi nitebatur rectitudine totius hominis quam efficiebat iustitia originalis. Rectè igitur Augustinus hominis quam efficiebat iustitia originalis. Rectè igitur Augustinus libro de Correptione & gratia. cap. 11. eo discrimine distinguit statum innocentiæ à statu gloriæ, quod in illo fuit possibilitas non peccandi & moriendi, in hoc autem & peccandi & non moriendi futura sit impossibilitas. B

Expenditur locus Pauli ad Rom. 7.

PORRO Paulus epist. ad Rom. cap. 7. præ nimio desiderio quo cupiebat liberari à molestissimo & perpetuo certamine quod inter spiritum & carnem in nobis agitur, exclamauit, *Infelix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis huius?* Sed cur à rebellione carnis cupiens Paulus liberari, dicit se velle liberari à corruptione & morte corporis? nisi quia illa rebellio simul cum corruptione & morte corporis euenit homini propter peccatum, ante quod simul erant in homine & potentia non peccandi, & potentia non moriendi: non igitur ante peccatum homo sentiebat rebellionem carnis. His adde, quod hanc rebellionem carnis & inordinatam concupiscentiam Paulus non semel appellat peccatum, quia videlicet erat peccati effectus & pœna, vt nuper interpretati sunt Patres in Concilio Tridentino in decreto quod ediderunt de Iustificatione. C

AD extremum, Paulus Rom. 5. longa oratione argumentatur, ob primum Adæ peccatum omnes eius posteros nasci & peccato infectos, & obnoxios morti. *In quo*, inquit, *omnes peccauerunt. Et Per vnum hominem peccatum in hunc mundum intrauit, & per peccatum mors.* Sed cur primum illud peccatum Adæ potius nocuit posteris eius quàm alia eiusdem vel aliorum parentum peccata? Certè non alia de causa, nisi quod propter illud peccatum perdidit Adam donum gratiæ & iustitiæ originalis, quod non pro se modò sed etiam pro sua omni posteritate diuinitus acceperat. Sane vocabulo mortis quæ omnes homines comprehendit, quamlibet corruptionem intelligere conuenit: quo nomine in primis censetur corruptio concupiscentiæ. Habuit igitur Adam donum aliquod compescens concupiscentiam; D

eiúsque

A eiusque rebellionem & corruptionem prohibens : hoc enim significatur in libro Sapientiæ capite 2. cum dicitur secundum translationem Græcam: *Fecit Deus hominem ἐπ' ἀφθαρσίᾳ*, hoc est, in integritate & incorruptione.

Non est in hac disputatione prætereundus luculentissimus ille locus Scripturæ crebro Theologorum sermone vsurpatus, qui apud Salomonem capite septimo, libri Ecclesiasticæ sic habet: *Solummodo hoc inueni, quod fecerit Deus hominem rectum: & ipse se infinitis miscuerit quæstionibus.* Certè eam rectitudinem hominis nunc non cernimus: cum etiam ante diluuium dixerit Deus, Sensus & cogitationes hominis iam inde ab adolescentia pronas esse ad malum, & quanta fuerit sta-
B tim post peccatum Adæ animi humani corruptela, in fratricidio Cain liquidò cernitur, aliter igitur ante peccatum quàm nunc est homo tum ratione, tum appetitu affectus erat atque constitutus. Sed videre est quemadmodum Caietanus in commentariis eius loci prædicta verba hac propria verissimáque, & ab omnibus ferè Patribus & Theologis tradita & probata intelligentia aliorsum detorquere sit conatus, adscribam eius verba: *Si ponderaueris*, inquit, *verbum illud Inueni, inuenies quod non est sermo de creato homine in gratuito dono rectitudinis originalis, sed de homine facto à Deo in naturali rectitudine ani-*
C *mæ: talem enim rectitudinem concionantis disputatio inuenit per lumen naturale intellectus humani naturaliter discurrendo: rectitudinem autem originalis iustitiæ credimus tantum, nec inquirendo inuenire possumus.* Hæc Caietanus.

Excutitur locus Ecclesiastæ cap. 7. aduersus Caietanum.

Verum enim verò, locum illum Salomonis & Augustinus compluribus locis alijque Patres interpretati sunt de rectitudine originali, cum qua primus homo à Deo creatus est, & qua, propter peccatum eius: omnes ipsius posteri priuati sunt. Non enim ab initio talis conditus est homo à Deo, qualis nunc generatur: nec, vt nunc est, verè dici potest rectus, quomodo enim rectus dicatur generari, cum gemebundus clamet Dauid, *Ecce enim in iniquitatibus conceptus sum, & in peccatis concepit me mater mea?* & clara voce pronunciat Paulus, Nos omnes nasci filios iræ: & Iob maledixit diei conceptus &
D ortus sui, quod peccato infectus, & in vtero matris generatus & ex eodem vtero hanc in lucem editus esset, nimirum, propter peccatum originale, quod in conceptu nostro concipimus, non recti generamur, sed obliqui, curui ac distorti, id est, auersi à Deo rerumque diuinarum amore, & ad bonorum caducorum, quin etiam vitiorum illecebras & cupiditates proni atque propensi. Hieronymus quidem certè locum illum Salomonis in suis eius libri Commentariis explanans, *Ne videretur*, inquit, *communem damnare naturam, & Deum auctorem mali facere, dum talium conditor est, qui malum vitare non possunt, argutè precauit & ait, bonos nos à Deo creatos, sed quod sumus libero arbitrio derelicti, vitia in peiora labi, dum maiora quærimus, & vltra vires nostras variè cogitamus.* Sic Hieronymus. Verùm hic terminum habeat

Psalm. 50. Ephes. 2.

de Iustitia originali disputatio, quam in præsentia tractandam A
susceпimus.

DISPVTATIO DE QVARTA EXCELLENTIA *status innocentiæ, id est, de corporis immortalitate.*

De multiplici genere immortalitatis.

RESTAT quarta, maximeque admirabilis innocentiæ status excellentia, quæ continebat corporis immortalitatem: de qua quæ in præsens videntur disputanda, distinctè ac dilucidè breuiterque tractabimus. Principio, sciendum est, non vno modo sed varias ob causas appellari res aliquas immortales & incorruptibiles. Est illud profecto summum & absolutissimum immortalitatis genus, esse simpliciter & omni modo, id est, tam intrinsecus quàm extrinsecus immortale ac prorsus immutabile: quod genus immortalitatis soli Deo qui est prima rerum omnium causa, nec aliundè vlla ratione pendens, conuenire potest. De qua immortalitate intelligi debet, quod ad Timotheum de Deo scripsit Paulus: *Qui solus habet immortalitatem:* sicut enim solus Deus dicitur esse & solus sapiens, & solus bonus ita solus immortalis. Alterum genus immortalitatis est, quo dicitur aliquid esse immortale secundum substantiam, quia caret materia quæ est sedes & radix corruptionis substantialis atque mortalitatis. Verum hoc genus tripartitum est, quædam enim res omnino segregatæ sunt ab omni admixtione & societate materiæ, vt Angeli: Aliæ sunt quidem consociatæ & copulatæ cum materia, verum tamen nec ad esse productæ sunt ex eius potentia, nec vt sint, eius ope & adminiculo indigent: in hoc genere est anima rationalis. Nonnullæ præterea res naturam habere videntur ex materia concretam: quia tamen ea materia longè diuersa est materiæ rerum sublunarium, in qua inhærens potentia contradictionis ad esse & non esse, causa est corruptionis: propterea immortalitatem & incorruptionem obtinent: huius generis esse orbes cœlestes & astra, multi arbitrantur. Quintum genus immortalitatis & incorruptionis continet ea, quæ ipsa quidem per se corruptibilia sunt: attamen quodammodo, & aliqua ex parte vocantur incorruptibilia, quia nunquam tota simul corrumpuntur, aut etiam corrumpi possunt: sed paulatim duntaxat & particulatim, in locum scilicet partium decedentium & pereuntium, aliis semper nouis partibus succedentibus & aggeneratis: ita vt totius rei summa & integritas eadem omni tempore constare videatur: atque hac ratione Philosophi quattuor elementa incorruptibilia solent appellare. His autem quinque generibus rerum immortalium & incorruptibilium, naturalis est ipsa immortalitas, & naturali modo eis conuenit. B C D

Explicatur locus Pauli ad Timotheum.

AT

A AT enim sunt alia quattuor rerum genera, quibus adest quidem immortalitas, non tamen vi ac potentia naturæ, sed supernaturali tantùm Dei potestate: quippe cum res illæ suapte natura mortales sint, atque corruptibiles. Huiusmodi immortalitatem & incorruptionem, post renouationem mundi & generalem hominum resurrectionem habebunt quattuor elementa, & beatorum hominum corpora: quin etiam eorum qui sempiternis inferni mactabuntur suppliciis, quorum videlicet corpora grauissimis cruciatibus perpetuo torquebuntur, nec vnquam tamen morte dissoluentur. Ad hoc genus immortalitatis pertinet ea (qua in statu innocentiæ potiturus erat Adam) corporis immortalitas. Verum hoc interest, quod in prioribus, immortalitas erit impotentia moriendi: in Adam vero fuit, & fuisset in posteris eius nisi peccasset ipse, potentia non moriendi. Quoniam autem de hac immortalitate nunc agitur, cæteris omissis, qualis ea fuerit, quibus ex causis profecta sit, quam vim habuerit, denique qua ratione homini conueniret, diligenter explicandum est.

B

QVAESTIO I.

Qualis fuerit immortalitas Adami ante peccatum.

C

ADAM igitur immortalis erat in statu innocentiæ, quia poterat non mori: nec verò mortuus vnquam fuisset, si in eo statu, nunquam peccando, perstitisset. Hæc autem potentia non moriendi non prouenie-bat intrinsecus ex natura Adami, quippe secundum naturam suam mortalis erat & patibilis, vitamque animalem agens: sed princeps auctor eius Deus erat, qui hominem aduersus mortem sua custodia & protectione vsquequaque sepserat & munierat, & prouidentissimè Adamo comparauerat omnia remedia aduersus ea quæ possent ei mortem afferre.

D

Vnde possit homini accidere mors, & corruptio.

MORS enim & corruptio potest homini accidere vel intrinsecus, ex iis quæ sunt in homine: vel extrinsecus, ex iis quæ mortifera homini accidunt. Intrinsecus mortis causa esse potest defectio caloris naturalis, aut primigenij humoris quem radicalem appellant: vel immoderata vis alicuius passionis & perturbationis animę: quosdam enim nimio mærore, timore, etiam gaudio interiisse proditum est: vel ex propria electione, vt qui præsentis vitæ tædio, aut malorum quibus præmuntur impatientia, aut ingruentem calamitatem præuertere cupientes violentam sibi mortem conscisciunt: vel ex immodico cibo & potu, veneriśque intemperantia: vel denique

nimio ex labore & defatigatione corporis, hæ sunt in ipso homine A
mortis causæ. Extrinsecus autem mors homini potest contingere
vel ab alio homine, vel à bestiis, vel à dæmonibus, vel ab ipso Deo
per Angelos, vel ex lethali aliquo potu esuque, vel ex defectione ne-
cessarij cibi & potus, vel ex intemperie cœli, vel ex casu aliquo for-
tuito, vti est in ignem, aquam, vel foueam prolabi, vel lapidis aut ali-
cuius rei iactu percussúque feriri: hæc homini extrinsecus interitum
afferunt. Nec his addere oportet dissolutionem temperationis qua-
tuor humorum ex quibus humanum corpus constat, vnde multa &
varia morborum genera existunt: hoc enim nunquam homini con-
tingit, nisi aliqua subsit de supradictis causis.

HÆC autem omnia, Deo custodiente & protegente, facilè præ- B
cauisset atque propulsasset Adam. Etenim aduersus illas mortis cau-
sas efficacissima & paratissima habebat remedia: primò quidem
perfectam scientiam in vniuersali & in particulari rerum omnium
quæ prodesse ipsi aut nocere posset: tum summam omnium affe-
ctuum moderationem, quos nempe arbitratu suo vel excitabat, vel
cohibebat: posteà vsum cibi, potus, Veneris & exercitationis corpo-
ris non nisi tantum, quantus ex rationis præscripto ei conueniebat
atque conducebat. deinde arborem vitæ, cuius fructus perceptio &
esus ad integrum caloris naturalis vigorem conseruandum, & refi-
ciendum natiui humoris defectum potentissimus erat: ad hæc maxi- C
mam & promptissimam ciborum maximè salutarium copiam: deni-
que nullus hominum fuisset alij homini non amicus & concors,
cunctæque animantes fuissent homini non innoxiæ modo, sed mites
etiam atque obedientes: nihil præterea fuisset dæmoni permissum
aduersus hominem: à Deo autem & sanctis Angelis tantum abest vt
aduersi quicquam posset homini accidere, vt quæ ab eo non satis
prouideri & præcaueri possent, per Angelos arcerentur ac re-
pellerentur.

VERVM, ad id quod nunc dicimus de immortalitate corporis
Adami, & ad id quod paulò suprà docuimus de rebellione carnis ad-
uersus spiritum propter Adami peccatum exorta, & in omnibus D
eius posteris vigente, confirmãdum & illustrandum valet plurimum
quod tradit Gregorius in libro quarto Moralium, capite vigesimo-
sexto, simul enim & qualis fuerit illa immortalitas Adami, & quo ex
peccato eius tam mortalitas corporis & corruptio, quàm carnis ad-
uersus spiritum pugna & rebellio exorta sit, luculentè declarat.

Præclara Gregorij sentẽtia. Explanans igitur illa verba Iob quæ sunt in libri eius, capite ter-
tio. *Nunc enim dormiens silerem, & somno meo requiescerem*, ad hunc mo-
dum scribit: *Ad hoc*, inquit, *in Paradiso homo positus fuerat, vt si se ad condi-
toris sui obedientiam vinculis caritatis astringeret, ad cœlestem Angelorum pa-
triam quandoque sine carnis morte transiret. Sic namq; est immortalis conditus,
vt tamen si peccaret, & mori posset: & sic mortalis est conditus, vt si non peccaret,
etiam non mori posset: atque ex merito liberi arbitrij beatitudinem illius regionis
attingeret,*

A *attingeret, in qua vel peccare vel mori non posset. Vbi igitur post redemptionis tempus, carnis morte interposita, electi transeunt, illuc proculdubio parentes primi, si in conditionis suæ statu perstitissent, etiam sine morte corporum transferri potuissent. Dormiēs igitur fileret, & somno suo homo requiesceret, dum ad æternæ requiem patriæ ductus ductus, quasi secessum quendam à clamore hoc humanæ infirmitatis inueniret. Post peccatum namque quasi clamans vigilat, qui contentionem carnis propriæ repugnans portat. Hoc quietis silentium iam homo conditus habuit, cùm contra hostem suum liberum voluntatis arbitrium accepit. Cui qui sua sponte succubuit, mox de se quod contra se perstreperet inuenit, mox in certamine, infirmitatis tumultus reperit: & quamuis in pacis silentio ab auctore fuerat conditus, hosti tamen sponte substratus clamores de pugna tolerauit. Ipsa enim carnis suggestio, quasi quidam clamor est contra quietem mentis, quam ante*

B *transgressionem homo non sensit: quia nimirum, quod de infirmitate posset tollerare non habuit. Postquam verò se sponte hosti subdidit, astrictus culpæ suæ vinclis, in quibusdam ei etiam nolens seruit, & clamores in mente patitur, cum caro spiritui reluctatur. An non clamores intrinsecus audiebat, qui prauæ contra se legis verba tollerabat dicens: Video aliam legem in membris meis repugnantem legi mentis meæ, & captiuum me ducentem in lege peccati quæ est in membris meis? Contempletur ergo vir sanctus in quanta cordis pace quiesceret, si serpentis verba recipere homo noluisset: & dicat: Nunc enim dormiens filerem, & somno meo requiescerem: id est, intra mentis secretum ad conditoris contemplationem secederem, nisi me extra me tentationum tumultibus consensus primæ culpæ prodidisset.* Roma. 7.
Hæc Gregorius.

C

QVAESTIO II.

Quomodo Adam ante peccatum fuerit immortalis.

BEATVS Thomas in 1. parte q. 97. art. 1. de immortalitate corporis in qua Adam conditus est, & permansisset si legem Dei seruasset, tripliciter docet aliquid dici posse incorruptibile. Primo, propter materiam, quod vel eam non habeat sicut Angeli: vel habeat quidem, sed *Opinio S. Th.*

D quæ non sit in potentia nisi ad vnam formam quam tenet, vt est cœlum: & hoc dicitur secundum naturam incorruptibile. Deinde, propter formam, cum rei incorruptibili secundum naturam inhæret aliqua dispositio per quam à corruptione omninò prohibetur: & hoc dicitur incorruptibile secundum gloriam. Nam vt ait Augustinus in Epistola 56. quam scripsit ad Dioscorum. *Tam potenti natura Deus fecit animam, vt ex eius beatitudine redundet in corpus plenitudo sanitatis & incorruptionis vigor.* Tertio modo dicitur aliquid incorruptibile propter causam efficientem: Et hac ratione in statu innocentiæ fuisset homo incorruptibilis & immortalis, quia vt Augustinus dicit in lib. de Quę-

stionibus noui & veteris Testamenti, quæstione 19. *Deus hominem sic- A*
cit, qui quandiu non peccaret immortalitate vigeret, vt sibi auctor esset aut ad vi-
tam, aut ad mortem. Non enim, inquit, Beatus Thomas, *corpus Adami erat*
indissolubile per aliquem immortalitatis vigorem in eo existentem: sed inerat ani-
mæ eius vis quædam supernaturalis diuinitus data, per quam poterat corpus ab
omni corruptione præseruare, quandiu ipsa Deo subiecta mansisset. Quod rationi
consentaneum fuit: cum enim anima rationalis excedat proportionem corporalis
materiæ, conueniens fuit vt in principio virtus ei daretur per quam corpus conser-
uare posset super naturam corporalis materiæ. Porrò vis illa præseruandi corpus
à corruptione, non erat humanæ animæ naturalis, sed per donum gratiæ: & quam-
uis post peccatum, Adam per pœnitentiam recuperauerit gratiam Dei quantum B
ad remissionem culpæ, non tamen quantum ad amissæ immortalitatis effectum.
Hoc enim reseruabatur Christo per quem naturæ defectus in melius reparandus
erat. Hactenus ex B. Thom.

Opinio Scoti de immortalitate hominis in statu innocentiæ.

Scotvs tamen in 2. sent. dist. 19. hanc B. Thom. sententiam minimè probat, dicens se non videre quemadmodum qualitas aliqua seu vis in anima existens, possit corpus natura sua corruptibile & passibile præseruare, ne pati & corrumpi queat. Omne igitur corpus natura sua corruptibile, potest pati passione corruptiua, quæ si vel perseueret vel intendatur, necessariò tandem perducit ad interitum. Censet igitur Scotus, etiam in statu innocentiæ potuisse hominem mori: non moriturum tamen, nec potentiam illam moriendi reductum iri ad actum, Deo præueniēte tempus mortis: priusquam enim aduenire tempus quo naturaliter cœpisset sanitas & firmitas humani corporis debilitari, & declinare ac labi ad interitum, Deus transtulisset hominem è terris in cœlum, vita eius animali & terrena in spiritualem & cœlestem commutata. C

Verba Scoti.

Sed libet sententiam Scoti propriis eius verbis expressam hic ponere: *Dico,* inquit: *quod stante innocentia, non accidisset mors, licet homo potentiam moriendi haberet, quia quilibet fuisset translatus in Paradisum, antequam fuisset alteratus alteratione improportionata animæ siue formæ. Et hæc translatio non fuisset miraculosa, sed iusta & regularis, vt scilicet quilibet in statu* D *suo transformaretur, & non omnes homines simul. Quod sic ostendo: nam illi parentes aut semper continuè meruissent dum essent in vita ista, vel non: Si sic, & posteà omnes fuissent translati, primo natus, fuisset maioris meriti quàm posterius natus, quod falsum est: nam si mansisset status innocentiæ, Beata Virgo, & multi posteriores fuissent beatiores quàm multi præcedentes, vel quàm vllus præcedentium. Si dicas quod in illo statu non semper meruisset, sed vsque ad terminum vitæ: tunc si non fuissent translati ad gloriam, illo termino adueniente Deus fecisset eis iniustitiam, differendo dare præmium, postquam opera meritoria consummassent quæ facturi erant. Ideo sequitur quod in statu innocentiæ vnus fuisset translatus prius alio, & cuilibet fuisset redditum præmium suorum meritorum, antequam virtus alicuius fuisset in tantum debilitata, quod necessariò adesset corruptio.* Ita Scotus.

Verum Caietanus in Commentariis suis in 1. partem B. Thom. super

A super illis ipsis verbis eius quæ proximè commemorata sunt, occurrens Scoto dicenti se non posse videre quomodo verum sit quod dixit B. Thom. *Si Scotus*, inquit, *ocularia reuerentiæ erga B. Augustinum habuisset, vidisset vtique quod homo erat sibi auctor vitæ, quādiu anima erat subdita Deo. Etenim cùm hæc credita ex facto pendeant, & supernaturali virtute indigeant, de his nulla est maior ratio, quàm auctoritas diuina per se vel per sanctos suos nobis manifestata*, & hęc quidem Caietanus. Quibus verbis videtur cōcedere quod oppugnat Scotus, in Adamo scilicet fuisse vim quandam in anima eius inhærentem, quæ corpus eius seruabat à corruptione, hanc autem vim animæ si intelligat ab anima deriuatam in corpus, aduersatur B. Thomę affirmanti Adamum non fuisse immor-
B talem intrinsecus per aliquam vim seu vigorem sibi inhærentem, sed tantùm extrinsecùs & ex parte causæ efficientis. Aduersatur item rectæ rationi: nam ne animo quidem fingi potest, qualis fuerit illa virtus, & quemadmodum ageret in corpus. Quid quod, si ea fuisset in Adamo vis, vel sola ipsa satis fuisset ad tuendam hominis immortalitatem, neque ad id fuisset opus vel arbore vitæ, vel temperatissimo & saluberrimo Paradisi domicilio.

Expenditur propugnatio Caietani pro S. Thoma aduersus Scotū.

Avctoritas autem illa Augustini ex lib. de Quæstionibus Veteris & noui Testamenti, qua vehemēter vrgeri & premi Scotum
C putat Caietanus, nihil planè, aut certè parum nocet Scoto. Nam nec Augustini esse librum illum, multis & manifestis coniecturis & argumentis compertum est: nec si esset Augustini, locus tamen ille valdè confirmaret quod intendit Caietanus. Auctor enim eius libri illud tantùm eo loco significat, primum hominem ita esse factum, vt ipse sibi auctor esset & ad vitam & ad mortem: auctor, inquam, non efficiendo immortalitatem aut mortem, sed merendo: vel (vt in scholis loquimur) erat sibi auctor vitæ & mortis non effectiuè, sed meritoriè. Namque obediendo legi diuinæ, meruisset vitam sibi perpetuari, eam verò legem violando, pœnam mortis promeruit.

Illam ergo vim animæ corpus hominis in statu innocentiæ seruantem à corruptione, equidem interpretor non aliam S. Thomæ esse visam, quàm singularem quandam scientiam rerum omnium,
D earum præsertim quæ prodesse Adamo vel obesse poterant, simul & summam vim atque prudentiam ea discernendi atque præcauendi: quæ quia fuerat homini à Deo supernaturaliter donata, & humanæ prudentiæ ac prouidentiæ vim excedebat, propterea vocatur à S. Thoma vis supernaturalis in animam Adami collata.

QVAESTIO III.

Vtrum Adam ante peccatum dici debeat fuisse] mortalis, an immortalis.

Sed

SED existit quæstio: cùm Adam ante peccatum & secundum naturam suam fuerit mortalis, & singulari dono ac munere Dei fuerit immortalis, vtrum simpliciter dici debeat immortalis, an potius mortalis. Ponam hic primò sententiam Beati Augustini: deinde ad quæstionem propositam scholastico more breuiter, & distinctè respondebo. Sic igitur in libro septimo de Genesi ad litteram cap. 25. scribit Augustinus. *Corpus Adami ante peccatum, & mortale erat quia poterat mori, & immortale quia poterat non mori. Aliud est enim non posse mori, sicut quasdam naturas immortales creauit Deus: aliud est autem posse non mori, secundum quem modum primus creatus est homo immortalis: quod ei præstabatur de ligno vitæ, non de constitutione naturæ, à quo ligno separatus est cum peccasset, vt posset mori: qui nisi peccasset, posset non mori. Mortalis ergo erat conditione corporis animalis, immortalis autem beneficio conditoris. Si enim corpus animale, vtique mortale, quia & mori poterat: quãuis & immortale ideo, quia & non mori poterat. Neque enim immortale quod mori omnino non possit erit nisi spiritale, quod nobis futurum in resurrectione promittitur: Ac per hoc illud animale, & ob hoc mortale, quod propter iustitiam spiritale fieret: & ob hoc mortale omnimodo factum est propter peccatum non mortale, quod & antea erat, sed mortuum, quod posset non fieri, si homo non peccasset.* Sic Augustinus.

Obseruanda huius vocis immortalis varia significationes.

SED nos ad propositam quæstionem, multiplici adhibita distinctione, ita respondemus. Vox *Immortalis*, vel significat negationem actus moriendi, vt idem sonet atque non moriturus: & hac significatione, sine dubitatione dicendum est Adamum & fuisse, & verè potuisse appellari immortalem: si enim legi diuinæ paruisset, nunquam in mortem incurrisset. Hoc profecto indicauit Deus cùm dixit Adamo, *In quacunque die ex eo comederis, morte morieris.* Si igitur nunquam comedisset, nunquam mortuus fuisset. Paulus quoque ad Roma. quinto, & auctor libri Sapientiæ capite secundo affirmatè pronuntiarunt mortem accidisse homini propter peccatum, & per inuidiam diaboli ipsum eum hominem factum esse à Deo interminabilem, vel vt Græca verba significantius habent, *In integritate & incorruptione*, quod sanè rationi admodum erat consentaneum. Et enim status innocentiæ, velut quædam erat inchoatio futuri cœlestis gloriæ status, in quo præter alia, tria sunt præcipua bona, consummatio gratiæ, & impotentia peccandi, & impotentia moriendi, conueniens igitur erat, vt in statu innocentiæ, si non consummata, copiosa certè daretur homini gratia: & si non impotentia moriendi & peccandi, saltem potentia non moriendi & non peccandi tribueretur.

VEL potest vox *Immortalis*, significare non actum moriendi, sed vel impotentiam moriendi, vel potentiam nõ moriendi. Si impotentiam moriendi significet, absolutè & simpliciter nõ conueniebat Adamo, vt euentus ipse declarauit: mortuus enim est, ex suppositione tamen,

A tamen, vt loquuntur Theologi, poterat in eum competere: permanente enim statu innocentiæ, & posita Dei voluntate ac decreto, vt Adam si legem sibi positam seruaret nunquam moreretur, verè dici poterat hac ratione non posse mori, & ita sentit Bonauentura, quod nescio cur Scoto non placuerit, cũ idem de prædestinato aliquo homine in scholis dici soleat, eum scilicet & posse damnari, & nõ posse damnari: simpliciter quidẽ & absolutè posse dãnari, ex suppositione autem, hoc est, prout iam est à Deo prædestinatus, non posse dãnari.

Bonauentura in 2. sent. dist. 19. art 2 q. 1.

Si n autem vox *Immortalis* significet potentiam non moriendi, ea potentia duplex cogitari potest: vel quæ naturaliter & intrinsecus esset in Adamo, & hanc certè non habuit ille, vel quæ adesset ei ex supernaturali Dei dono, & extrinsecus propter continuam Dei cu-

B stodiam & protectionem. Denique potentia non moriendi vel fuit in Adamo ad certum aliquod dumtaxat tempus, quo nimirũ exacto transferendus erat in statum æternæ vitæ & cœlestis gloriæ, ita vt vltra illius temporis terminum defecisset Adam: vel habuit potentiam non moriendi in perpetuum. Nobis verisimilius fit, potentiam illam non moriendi quam habuit Adam, fuisse prioris generis: siquidem vera sunt quæ nos in libro tertio quem de Paradiso inscripsimus, de vi & efficacitate arboris vitæ disputauimus. Quoniam autem diuina Scriptura Adamum dicit fuisse inexterminabilem, & Patres dicere solét eum affectum esse dono immortalitatis & fuisse immor-

C talem, idq; multum facit ad pernoscendam differentiam huius nostri status, & illius status innocentiæ in quo est à Deo creatus Adam: propter has causas videtur potius dicendum Adamum fuisse immortalem quàm mortalem.

QVAESTIO IIII.

Vtrum donum immortalitatis quod habuit Adam, pertineret ad integritatem & perfectionem naturæ humanæ secundum suam conditionem & gradum.

D Restat vltima quæstio, grauis sanè & nobilis, nulloq; modo hic prætereunda, vtrum illa primi hominis immortalitas, qualiscumque ea fuerit, esset naturaliter homini debita, hoc est, ad naturalem humanæ naturæ integritatem & perfectionem pertinens, vt sine ea sit nunc homo mutilus atque monstrosus. Non defuerunt viri docti qui putarunt iustitiam originalem, quæ continebat potentiam non moriẽdi & perfectam carnis & sensus sub imperium & potestatem rationis subiectionem, fuisse donum quoddam naturæ humanæ quodammodo debitum, hoc est, licet à solo Deo effectum & concessum homini, ad naturalem tamen hominis integritatem & perfectionem omnino

Opinio quorundam, donum illud immortalitatis pertinuisse ad naturalem hominis integritatem.

pertinens, vt eo dono post peccatum Adæ priuata hominis natura, A
censeri debeat naturaliter imperfecta, mutila, & quasi monstrosa.

Hoc autem illi sic argumentantur. Illud est naturale quod ex causis naturalibus proficiscitur, sed illa immortalitas promissa Adamo ex causis naturalibus ei contigisset, videlicet propter esum fructus arboris vitæ, cuius vis perpetuandi vitam vsque adeo erat naturalis, vt etiam post peccatum, si Adam ex eo comedisset, *in æternum* viuere potuisset. Idcirco enim, vt refert Moses extremis penè verbis capitis tertij libri Geneseos, Deus Adamum eiecit è paradiso, eiusq; aditu prohibuit Adamum, *Ne forte*, inquit, *mittat manũ suam, & sumat de ligno vitæ, & comedat, & viuat in æternum*. Si igitur causa viuendi in æternum naturalis erat, etiam immortalitas qui erat effectus eius fuisset naturalis. Deinde, quod est debitum integritati naturæ, vt sine eo natura sit manca & imperfecta naturaliter, id verè dici debet naturale: talis autem est immortalitas corporis. Si enim corpus humanum ab initio non fuisset à Deo factum aliquo modo incorruptibile, non fuisset conuenientia & proportio inter animam incorruptibilem, & corpus corruptibile: illa enim vim haberet ad infinitum tempus informandi & viuificandi corpus, corpori verò, quia omnino corruptibile erat, repugnaret infinito tempore informari & viuificari ab anima, cùm tamen secundum Aristotelem, quod est possibile ex parte formæ, sit possibile quoque ex parte materiæ, sicut quod est possibile ex parte potentiæ actiuæ, est possibile ex parte potentiæ passiuæ, alioqui potentia illa frustra esset, Deus autem & natura nihil frustra in rebus faciunt, aut esse sinunt. B C

Ad hæc, cùm anima rationalis sit pars substantialis hominis, secundum naturam eius est & perfectũ ipsius statum esse in homine, id est, copulatam cum corpore: præter naturam autem eius est, & ad imperfectum statũ eius pertinet, esse eam extra corpus. At si corpus esset omnino corruptibile, anima rationalis ad breue tempus esset coniuncta cum ipso, quoniam autem immortalis est, infinito tempore extra ipsum esset: ex quo efficeretur, ipsam breui tempore esse secundum naturam, infinito autem tempore præter naturam, quod est valdè absurdum. Et verò, alienissimum videtur Dei sapientia, tale compositum substantiale facere, vt vna eius pars sit mortalis, altera verò immortalis, cùm tamen neutra sine altera possit naturaliter esse perfecta. Præterea, si homo non habuisset aliquo modo immortalitatem corporis, nullus fuisset hominis, vt homo est, finis vltimus naturalis. Nam vel is fuisset corruptibilis, & non potuisset animæ rationali conuenire, aut incorruptibilis, & corpori humano conueniens non fuisset. Cumq; materia sit propter formam, non autem è contrario, necessarium fuit corpus humanũ aliqua ratione donari immortalitate, vt posset esse materia idonea & congruens animę rationali. Denique, naturalis ratio exigit, vt in homine mens & ratio imperet ac regat, caro autem & sensus regantur à ratione, eiq; obediant. Re- D

bellio

A bellio igitur carnis aduersus rationem quam describit Paul. ad Rom. 7. & ad Gal. 5. cõtra naturam hominis est: ergo iustitia originalis quæ hanc rebellionem prohibebat, ad naturalem hominis statum, integritatem, & perfectionem pertinebat. Hæc isti acutius, quàm verius pro sua opinione disputant, aut disputare possunt.

Refellitur prædicta opinio, & ostenditur immortalitatem corporis non exigi ad naturalem integritatẽ hominis.

VERVM nos contra sentimus. certum enim nobis est donũ illud immortalitatis fuisse supernaturale, nec ad naturalem humanæ naturæ per se consideratæ integritatem pertinuisse, nec ei iure naturali fuisse debitum. Nam vt istorũ doctorum vestigiis aduersus ipsos insistamus, illa immortalitas Adami non efficiebatur, vt putant ipsi, ex causis naturalibus. quinimo cùm Adamus ex materia quæ habet potentiam contradictionis, & ex quatuor elementis constaret, ex his
B naturali consequentia existebat naturalis potentia & necessitas aliquando moriendi. Fructus autem arboris vitæ habuisset vim seruandi homines ab interitu, non tamen in perpetuum, sed ad certum quoddam tempus, longissimum sanè, quamobrem phrasi Hebræa, & consuetudine Scripturæ appellatur æternum, sed finitum tamen, vsque ad quod scilicet tempus constituerat Deus vt homo vitam animalem ageret in terris, exinde verò transferretur in cœlum, vitam spiritalem & cœlestem sempiterno æuo acturus. Quod si contẽdant isti fructum illum habuisse vim largiendi vitam immortalẽ, equidem non dubitauerim dicere, vim illam non fuisse naturalem sed supernaturalem, id quod Augustino, Bedæ, Bonauenturæ, & aliis primæ classis Theologis quos lib. 3. commemorauimus, videtur placuisse.
C Quid quod immortalitas Adami non omnino, nec ex toto, sed aliqua tantum ex parte pendebat ex fructu illius arboris: multis autem, & præcipuis aliis nominibus pendebat ex supernaturalibus & diuinis priuilegiis concessis homini vel cõcedendis, quæ vno vocabulo specialis Dei assistẽtiæ & protectionis cõprehendi & enuntiari possunt.

NON fuisse autem illam, qualiscumq; ea fuit, immortalitatem naturæ humanæ debitam, nec ad naturalem eius integritatem constituendam necessariò requisitam his argumentis: nec, vt opinor, inualidis cõcluditur. Principiò, si naturalis integritas hominis exigit immortalitatem corporis, aut eam immortalitatem exigit qua intrinsecus sit immortale corpus, aut qua extrinsecus tantùm, nimirum propter
D singularem Dei curã & prouidentiam ab omni corruptione hominem seruantis, sed priorem immortalitatem non potest exigere natura humana. Si enim corpus hominis intrinsecus esset immortale, non esset compositum ex elementis, neque capax animæ vegetatiuæ & sensitiuæ: quamobrem nec idoneum esset animæ rationalis domicilium, immo neque capax eius vllo modo esse posset. Nec verò posteriorem immortalitatis rationem deposcit aut exigit naturalis integritas & perfectio hominis: nimirũ eiusmodi immortalitas non naturali modo, sed præter naturalem ordinem & speciali quadam atque extraordinaria ratione contigisset homini: quid autem minus

conueniens rationi dici potest, quâm id esse necessarium ad naturalem integritatem hominis, quod ei non naturali sed via, supernaturali tantùm possit accidere? A

DEINDE, si immortalitas corporis fuisset debita naturæ humanæ, ergo fuisset incongruum eam promitti homini, vti est à Deo promissa tanquam præmium eius obedientiæ: eiusq; priuationem homini velut iustam inobedientiæ pœnam infligi. Etenim propter peccatum quæ naturalia sunt homini, nec ablata, nec diminuta sunt: siquidem etiam dæmonibus naturalia eorum integra remanserunt. Nec ratio erat vlla, cur Deus propter peccatum Adami, cùm cætera omnia quæ ad integritatem naturæ humanæ pertinent intacta reliquisset, vnam homini dũtaxat corporis immortalitatem (siquidem B ea quoque ad integritatem naturæ humanæ pertinebat) adimeret. Adiice, quòd non est debitum naturæ hominis, quod est præter naturam eius, & præter naturalem & intrinsecam eius potentiam: sed immortalitas corporis non est secundum naturam hominis: est enim homo secundum naturam corpus mixtum, viuens & sentiens: quod autem tale est, etiam secundum naturam habet vt sit corruptibile: id verò quod naturaliter est corruptibile, secundum naturam necesse est aliquando corrumpi. Nunquam autem corrumpi, non est secundum naturam rei corruptibilis: nunquam igitur mori, non est secundum naturam hominis: nec illa potentia non moriendi naturaliter debita homini, vel ad naturalem eius integritatem pertinens esse C poterat. Ad hæc, si propter eam proportionem quæ esse debet inter formam & materiam, quia rationalis anima sit immortalis, propterea necessario concludi putant etiam corpus hominis immortale aliquomodo esse oportere: profecto ea ratione cõficeretur, corpus humanum etiam intrinsecus & substantialiter immortale esse debere: quod isti tamen nolunt, & verò implicat contradictionem. Siquidem proportio quæ est inter materiam & formam, naturalis est, interna, & essentialis, non autem aduentitia, externa, & accidentalis. Cùm igitur anima rationalis intrinsecus & substantialiter immortalis sit, nec tantùm habeat potentiam non moriendi, sed etiam impotentiam moriendi: pati sanè ratione, vt ritè seruetur proportio inter materiam & formam, corpus humanum intrinsecus & substantialiter D incorruptibile deberet esse, nec tantùm potens non moriendi, sed etiam moriendi prorsus impotens.

APPARET igitur, hanc istorum doctorum argumentationem quam putabãt ipsi validissimam, planè infirmam & nullam esse. Denique, si omne id censeri debet naturale & naturaliter debitum homini, sine quo non potest homo naturaliter esse omnino perfectus: profecto & resurrectionem ex mortuis naturaliter esse homini debitam, & vltimum finem qui est clara & beatifica diuinæ essentiæ visio, naturaliter homini conuenientem & debitum esse, ista ratione concludi posset. siquidem nec anima rationalis sine corpore substantia

A stantialiter est perfecta, & humanus appetitus cum sit infiniti boni capax, nullius boni adeptione præter claram Dei visionem & fruitionem, ita satiari & expleri potest, vt sit omnino contentus & quietus.

Solutio argumentorum cõtrariæ opinionis.

Nec erit operosum, duo præcipua contrariæ sententiæ auctorum argumenta dissoluere. Et illud quidem argumentum sumptum ex conuenientia quæ esse debet inter animam rationalem & corpus humanum, licet isti firmissimum putent, paruo tamen negocio labefactari & euerti potest, vel ea tantùm ratione qua dissoluitur à B. Thoma in prima parte, quæst. 76. art. 5. Nam cùm initio eius articuli posuisset hoc argumentum: *Materia debet esse proportionata formæ,*

An corpus humanum, quod est corruptibile, sit ideoneam materia rationalis animæ, quæ est incorruptibilis.

B *sed anima intellectiua est forma incorruptibilis, ergo non conuenienter vnitur corpori corruptibili*: ad hoc sic ipse respondet: *Quidam forte volens euadere hanc obiectionem, diceret corpus hominis ante peccatum fuisse incorruptibile. Sed hæc responsio non videtur sufficiens: Corpus enim hominis ante peccatum, non fuit incorruptibile per naturam, alioquin ea immortalitas mansisset etiam post peccatum, sicut mansit immortalitas dæmonum: sed fuit immortale per gratiæ diuinæ donum. Quare melius respondetur, in materia quæ alicuius formæ causa eligitur, duplicem inueniri conditionem: alteram quæ per se eligitur, vt per quam materia sit conueniens ad recipiendam formam, & idonea vt forma proprias actiones obire queat: alteram verò quæ per se non eligitur, sed quod ea priorem conditionem ex necessitate materiæ naturaliter consequitur, non potest abiici & remoueri à materia. Exempli causa: artifex* C *ad fabricandum serram eligit ferrum quasi ideoneam ad id materiam quæ, scilicet, duritia sua apta est ad secandũ: quod autem dentes serræ ferreæ possint hebetari & rubigine affici, id sequitur ex necessitate materiæ. Sic animæ intellectiuæ per se debetur corpus æqualis complexionis, & animæ vegetatiuæ ac sensitiuæ capax: tale autem corpus ex necessitate materiæ consequitur corruptibilitas. Siquis autem dicat potuisse à Deo hanc necessitatem materiæ vitari, & ea non obstante dari incorruptionem corpori humano: responderi debet, in constitutione rerum naturalium non considerari quid Deus facere possit, sed quid naturæ rerum conueniens sit fieri*, vt Augustinus, inquit, lib. 2. de Gen. ad lit. c. 1. *Deus quidem cum primum hominem condidit, ei dedit immortalitatem, non tamen vt naturæ eius debitam, sed vt supernaturale donum gratiæ* D *suæ, gratuito ei concessum.* Hæc ibi Sanctus Thomas: eandémque sententiam habet in 1. 2. quæst. 85. articul. 6. & 2. 2. quæst. 164. articul. 1. & super quintum caput, Epistol. ad Romanos.

An rebellio sensitiui appetitus aduersus rationem, sit secundum naturam, an contra naturam hominis.

Posterius autem istorũ argumentũ, quòd rebellio carnis aduersus rationem sit contra naturã hominis: & idcirco iustitiam originalem quæ non sinebat eiusmodi rebellionem existere, fuisse debitam naturali hominis integritati & perfectioni: ad hunc modum soluitur. Duplex est rebellio carnis aduersus rationem: vna quæ vincit rationem, eam trahens ad consentiendum & obsequendum cupiditatibus suis: & hæc contra naturam hominis est. Sed ea tolli potest

per virtutem moralem temperantiæ : hæc nempe domans cupiditates carnis, cogit eas obedire rationi, facitque hominem secundum rectam rationem temperanter viuere. Nec obstat, quod fieri non possit quin aliquando labatur in aliquam intemperantiam: id enim non est contra naturalem & moralem perfectionem hominis. Hoc enim commune est omnium rerum corruptibilium & defectibilium, vt ad naturalem earum perfectionem non sit necesse eas semper bene se habere, sed satis sit, vt ferè & plurimum benè se se habeant. A

ALTERA est rebellio partis inferioris aduersus partem superiorem, quæ non facit rationem consentire appetitui sensitiuo, sed tantùm excitat in membris & in ipso appetitu indecentes & inordinatos motus præter iudicium & voluntatem partis superioris. Nam & præueniunt iudicium rationis, nec sedantur & tranquillantur statim vt ratio iubet, & homo vellet. Atque hæc quidem rebellio carnis non est contra naturam hominis, sed potius est secundum naturam eius, per se & absque diuina gratia considerati. Oritur enim ex naturali constitutione hominis, qui naturaliter compositus est ex duplici appetitu admodum diuerso, intellectiuo & sensitiuo. Et appetitus quidem sensitiuus cùm sit naturalis, & naturaliter feratur in suum obiectum, præsenti obiecto sibi conuenienti & delectabili, naturaliter ac toto impetu fertur in ipsum. Et licet coërceri & retrahi possit à ratione, non tamen sine difficultate rationis, & ipsius appetitus repugnantia & tristitia. Profecto, hæc rebellio qualis est in nobis, talis omnino esset in homine, si is in puris naturalibus crearetur. sed in illo non esset pœna aut vitium, sed conditio naturæ: in nobis autem est : quia primus omnium nostrum parens creatus est cum iustitia originali, cuius propter peccatum amissæ, pœna est quam patimur carnis rebellio. B C

***

Libri quinti finis.

A

BENEDICTI PERERII,

LIBER SEXTVS.

De tentatione & lapsu primorum hominum.

Hoc est.

IN TERTIVM CAPVT

B

LIBRI GENESEOS.

PRAEFATIO.



C QVÆ de homine hactenus, duobus qui hunc proximè antecesserũt libris disseruimus, ea pertinent vel ad declarandam humanæ naturæ perfectionis & dignitatis præstantiam, vel ad demonstrandam excellentiam & fœlicitatem eius status, in quo Deus ab initio conditum à se hominem collocauit. Hic autem liber ordine sextus, luctuosum ac funestum & velut tragicum continet tantæ felicitatis exitum, lapsum dico primorum hominum in peccatum: non ipsis tantùm, aut vni vel multis gentibus calamitosum: sed cunctis hominibus quot sunt, quot erũt, quótq; adhuc fuerunt exitiosum. Quanquam miserrimum illum casum quæ consecuta sunt mala, ea primis nostris parenti-
D bus prioris vitæ suauitatem expertis longè acerbiora visa sunt, quàm ipsorum posteris, eorum bonorum prorsus inexpertis esse videantur: non aliter profecto, quàm ei qui

tetro

tetro aliquo & fœdo carcere natus est, minus dura & intolerãda videtur eius domicilij obscuritas & fœditas, quàm parentibus eius iucundissima libertate dulcissimáque cœli luce anteà frui solitis. In capite igitur tertio libri Geneseos describitur à Mose tẽtatio Euæ & Adami, lapsúsq; vtriusque, & Dei in vtrumque animaduersio. Hic prima origo aperitur omnium miseriarum & malorum, quibus iam inde ab illo tempore omne genus hominum miserè afficitur & conflictatur. Quanto autem tempore post creationem primorum hominum hæc illis tentatio contigerit, non liquet ex ipsa Scriptura. Diodorus Tarsensis, vt citatur hoc loco in Catena, non multum tempus effluxisse conijcit ex verbis illis serpentis, *Cur præcepit vobis Deus vt non comederetis ex omni ligno Paradisi?* quo significatur ante id temporis nulla ex arbore Paradisi Adamũ & Euam comedisse: nam si comedissent, non id serpens dicere fuisset ausus. Verùm, illud, *Vt non comederetis ex omni arbore*, non significat ex nulla arbore, sed, nõ ex omni arbore. Est autem communis multorum & benè vetus opinio, quo die creatus est Adam, eodem die fuisse tentatum atque prostratum. Ita sentit libro vltimo aduersus hæreses Irenæus: quin etiam putant multi eodem die hebdomadæ & mensis, id est, die Veneris, & vigesimaquinta Martij fuisse hominem & à Deo creatum, & à diabolo victum, & à Christo Domino per mortẽ crucis redemptum. Sed hoc vt credã, ægrè possum in animum inducere, cùm nec id Scriptura vsquam indicet, nec ratio aliqua vel in speciem probabilis suadeat, quin etiam contraria opinio similior vero sit: nam quæ narrat Scriptura inrer creationem Adami & lapsum eius gesta, non videntur in dimidiatum vnius diei spatium coarctari posse. Hoc satis sit in præsens de hac quęstione attigisse: nam eam subtilius & accuratius infrà explicabimus.

***

CAPVT

A

CAPVT TERTIVM LIBRI GENESEOS.

SED & serpens erat callidior cunctis animantibus terræ, quæ fecerat Dominus Deus. Qui dixit ad mulierem, Cur præcepit vobis Deus vt non comederetis ex omni ligno Paradisi? Cui re- 2.
B spondit mulier, De fructu lignorum quæ sunt in Paradiso vescimur, de fructu verò ligni quod est in medio Paradisi, præcepit nobis Deus ne comederemus, & ne tangeremus illud, ne forte moriamur. Dixit autem serpens ad 4.
mulierem, Nequaquam morte moriemini: scit enim Deus, 5.
quod in quocumque die comederitis ex eo, aperientur oculi vestri, & eritis sicut dij scientes bonum & malum. Vidit 6.
C igitur mulier quod bonum esset lignum ad vescendum, & pulchrum oculis, aspectuq; delectabile: & tulit de fructu illius & comedit, deditq; viro suo, qui comedit. Et aperti 7.
sunt oculi amborum: cumq; cognouissent se esse nudos, consuerunt folia ficus, & fecerunt sibi perizomata. Et cum 8.
audissent vocem Domini Dei deambulantis in Paradiso ad auram post meridiem, abscondit se Adam & vxor eius à facie Domini Dei in medio ligni Paradisi. Vocauitq; 9.
D Dominus Deus Adam, & dixit ei, vbi es? Qui ait, vo- 10.
cem tuam audiui in Paradiso, & timui eo quod nudus essem, & abscondi me. Cui dixit Dominus: Quis enim in- 11.
dicauit tibi quod nudus esses, nisi quod ex ligno, de quo præceperam tibi ne comederes, comedisti? Dixitq; Adam, 12.
Mulier quam dedisti mihi, dedit mihi de ligno, & comedi.
Et dixit Dominus Deus ad mulierem, quare hoc fecisti: 13.
quæ respondit serpẽs decepit me & comedi. Et ait Dominus 14.

Deus ad serpentem, quia fecisti hoc, maledictus es inter A
omnia animantia & bestias terræ: super pectus tuum gra-
15. dieris, & terram comedes cunctis diebus vitæ tuæ. Inimi-
citias ponam inter te & mulierem, & semen tuum & se-
men illius: ipsum conteret caput tuū, & tu insidiaberis cal-
16. caneo eius. Mulieri quoque dixit, Multiplicabo ærumnas
tuas, & conceptus tuos, in dolore paries filios, & sub viri
17. potestate eris, & ipse dominabitur tui. Adæ verò dixit, B
Quia audisti vocem vxoris tuæ, & comedisti de ligno ex
quo præceperam tibi ne comederes, maledicta terra in opere
18. tuo, in laboribus comedes ex ea cūctis diebus vitæ tuæ. Spi-
nas & tribulos germinabit tibi, & comedes herbas terræ.
19. In sudore vultus tui vesceris pane tuo, donec reuerta-
ris in terram de qua sumptus essquia in puluis es & pulue-
20. rem reuerteris. Et vocauit Adam nomē vxoris suæ Eua:
21. eo quod mater esset cunctorum viuentium. Fecit quoque C
Dominus Deus Adæ & vxori eius tunicas pelliceas, &
22. induit eos. Et ait, Ecce Adam quasi vnus ex nobis factus
est sciens bonum & malum: nunc ergo ne forte mittat ma-
num suam, & sumat etiam de ligno vitæ, & comedat, &
23. viuat in æternum. Emisit eum Dominus Deus de Paradi-
so voluptatis, vt operaretur terram de qua sumptus est.
24. Eiecitq; Adam, & collocauit ante Paradisum voluptatis
Cherubim, & flammeum gladium atque versatilem ad
custodiendam viam ligni vitæ. D

GEN. C. 3. VERS. 1. Sed & serpens erat callidior cunctis animantibus terræ, quæ fecerat Dominus Deus.

ARDVA ex his verbis existit, & quorundam iudicio propemodum inexplicabilis quæstio, Qualis fuerit serpens qui cum Eua collocutus, est eamq; fallacibus verbis, & promissis suis in tantum errorem induxit, Quapropter diligenter & accuratè à nobis ea de re disputandum est.

DISPV

A

DISPVTATIO QVALIS FVERIT *Serpens qui tentauit primos homines.*

QVINQVE possunt de illo serpẽte cogitari: vnde quinque de eo Doctorum opiniones natæ sunt. Primò, cogitare possumus fuisse verum & naturalem serpentem, cui eo tempore naturale fuerit & loqui & intelligere. Deinde, cogitari potest fuisse quidem naturalem serpentem, facultatem tamen loquendi & intelligendi non fuisse ei naturaliter inditam, sed à Deo ad tentandum & probandum primum B hominem ad tempus concessam. Posteà, non fuisse verum serpẽtem, sed simulatum modo, id est, solam speciem & simulacrum serpentis, sub quo tamen latens dæmon humanum finxit sermonem, struxit insidias, tentationem peregit. Ad hæc, nec fuisse verum, nec simulatum serpentem, totámque narrationem Mosis esse metaphoricam: qua scilicet vocabulo serpentis significetur, & intelligi debeat diabolus, qui primos homines decepit. Postremò, cogitari potest & fuisse verum serpentem, & simul ei affuisse dæmonem, qui per illum serpentem tanquam per idoneum malitiæ suæ organum, totum id transegerit, quod de serpente narrat Moses. Ex his quinque modis cogitandi de illo serpente, quinque, vt dixi, inter Patres C & Theologos opiniones, & Mosaicæ narrationis interpretationes proseminatæ sunt.

Quinque opiniones de illo serpente.

PRIMA sententia est Iosephi, qui primo libro Antiquitatum capite primo significare videtur (certè hoc sensisse eum, affirmatè tradit Tostatus quæst. 429. in 13. caput Geneseos) serpentem illum fuisse verum & naturalem, cui tunc naturale fuerit intelligendi & loquendi facultate præditum esse, & pedibus vti ad ingrediendum, ac veneno carere: eum verò inuidia humanæ felicitatis, ad fallendum hominem esse instigatum. Ponam hic verba Iosephi: *Per id tempus*, inquit, *nullum erat inter animalia dissidium, & serpens familiariter cum Adamo & vxore eius degebat: inuidebat tamen eis felicitatem venturam, si iussis Dei parere perseuerarent: & ratus eos in calamitatem casuros, si mandata Dei neglexissent, malitiosè persuasit mulieri vt de arbore scientiæ gustaret.* Et sub finem capitis sic ait: *Quin & serpenti vocem adimit Deus, iratus ob malitiam qua erga Adamum est vsus: venenumq; linguæ eius indidit: ad hæc pedibus priuatum trahi per terram ac serpere fecit.* Hæc Iosephus. Simile quidpiam videtur Basilius dicere in homilia quæ est de Paradiso scribens, omnia animalia fuisse ante peccatum Adami mansueta, & inter se concorditer viuentia, quæq; audirent inter se, & loquerentur sensatè, nec serpentem tunc abiectum in terram reptasse, sed sublimem erectúmque pedibus suis incessisse.

Prima opinio Iosephi, serpẽtem habuisse tunc naturalem facultatem loquendi.

PLATO in Politico ait, sęculo aureo, regnante Saturno, nõ homines modo cum hominibus, sed cum bestiis etiam sermocinari potuisse, & si quid ex illis vellent cognoscere, solitos interrogare, & vicissim ab ipsis responsum accipere? qua tamen illi sermonis communicatione, non, vt par erat, ad comparandam philosophiam, & perfectam omnium rerum scientiam vtebantur. Hanc Platonis sententiam Eusebius lib. 12. de Præparatione Euangelica, cap. 9. ita commemorat: *Prudentiorem omnibus bestiis terræ serpentem fuisse, & sermonem eius vicissim cum muliere habitum, Moses scribit: quam rem quemadmodum Plato narrauit, non est alienum audire. Qui Saturni temporibus erant, inquit, tanta virtute pollebant, vt non cum hominibus solùm, verũ etiam cum bestiis oratione vti possent. Sed non ad philosophiam & inter se & cum bestiis hac virtute vtebantur, diligenter scrutantes de singulorum natura ad accumulationem prudentiæ, sed cibo & potui tanquam helluones continuè inhærentes, fabulas secum & cum bestiis tales conferebant, quales modo de ipsis narrantur.* Sic Eusebius. A B

Refellitur opinio Iosephi.

SED reuertamur ad opinionem Iosephi, qua nihil profecto dici cogitariue potest incredibilius & absurdius. Facultas enim intelligendi, præsertim res vniuersas atque immateriales, vnius omnium animantium hominis propria est: quippè definitio eius est, *Animal rationale*. Facultas item loquendi & sermocinandi solius est hominis, vt tradit Aristoteles lib. 4. de Historia animalium, cap. 9. nam quædam animalia quæ ab homine condocefacta similes humanis voces fingunt, id nec faciunt naturaliter, nec cum intellectu eorum quę loquuntur. Dicere autem, serpentem & intellectu & sermone pedibusq́; , propter fallaciam quam Euæ machinatus fuerat, à Deo fuisse mulctatum ac priuatum, simile est fabulis & figmentis Poëtarum. Si enim Deus propter peccatum, nec Angelis nec homini quicquam ademit quod eis naturale esset: cur serpenti naturalem intelligendi, loquendi, & ingrediendi potestatem ademisset? Et verò, nec ista mutari possunt, nisi natura & essentia rei mutata. Quamuis porro serpens qui seduxit Euam, hisce rebus mulctatus esset, alij tamen eiusdem speciei serpentes, qui eius criminis participes non fuerant nec ab illo serpente progenerati, vim illam intelligendi & loquendi si naturalis fuisset conseruassent, eandémque ad eorum prolem, & sic deinceps in totam speciem deriuari necesse erat. Quid quod serpens ille tametsi pedibus & sermone priuatus fuisset, attamen genuisset serpentes, tales nempe, qualis ipse prius fuerat secundum naturam. Non enim si quispiam inter homines sit cæcus aut mutus aut pedibus mutilus, filiósque genuerit, necesse est eisdem rebus priuatos eos generari. Certè Plinius lib. 8. cap. 41. inter prodigia & portenta prodidit, eo anno quo Tarquinius Superbus regno pulsus est, latrasse serpentem: & Valerius Maximus lib. 1. inter portenta & miracula recenset bestias nonnunquam humanas voces edidisse, quo licet intelligere, nulli animalium esse posse naturale C D

A rale humano modo & more loqui, nedum intelligere.

ALTERA sententia est B. Ephræm Syri æqualis Basilij ac familiaris, qui, vt refert Moses Barcephas in libro de Paradiso, c. 27. existimauit, serpentem illum qui cum Eua colloquebatur, fuisse corporatum verúmque animal. Satanam enim à Deo petiuisse, vt serpenti sermonis facultatem concederet ad tempus ad tentandum Adamum, sicut opes Iob sibi quoque permitti postulauit, quo patientiæ eius periculum faceret. Itaque serpenti illi corporeo ea ratione vt asinæ Balaam sermonis vsum esse datum, intelligere oportet. Nec verò locutionem solam, sed etiam intellectum illi serpenti esse inditum, affirmat Ephræm: siquidem Deus ipsum, vt intelligentem est affatus his maledictis perstringens, *Puluerem edes, & super ventrem tuum ambulabis.*

Secunda sententia B. Ephræm datũ fuisse ad tẽpus serpenti vim loquendi.
Iob 1. seq.

B VERVM hæc sententia omni caret fide, quid enim minus credibile est, quàm serpentem loqui, cui nulla sunt instrumenta naturalia, idonea & necessaria ad formandas voces humanas? frustra igitur ei daretur facultas loquendi, quæ nullo modo in vsum proferri & expediri posset. Nam sermonem humanum quem edidit asina Balaam, non ipsa formauit, sed Angelus in ore eius. Si quis dicat, Deum simul dedisse facultatem loquendi, & instrumenta naturalia ad eam facultatem explicandam idonea, dicam ego id fieri non potuisse, nisi mutaretur constitutio corporis, & figura serpentis, & conformatio totius oris: id quod si factum esset, proculdubio aduertisset Eua, quæ antea figuram serpentis benè perspectam & notam habebat. Deinde, nihil absurdius, quàm putare serpenti facultatem C intelligendi dari, & inesse potuisse: nimirum, non magis serpens potuit esse intelligens, quàm esse homo: intellectus enim cum re ipsa non differat ab anima intelligẽte, ab ea minimè separari potest. Et vt demus facultatem intelligendi rem esse diuersam ab anima rationali, nihilominus tamen ab ea separari non potest. Est enim potentia vitalis & intelligere est actio vitalis, quæ nullo modo potest effici nisi ab eo qui viuit vita intellectiua, & cuius natura constituta est & determinata per gradum intellectiuum.

Facultatem intelligendi. & ipsum intelligere nullo modo cũ animalibus cõmunicari posse.

TERTIA opinio est Cyrilli (quæ præter cæteras placuit Eugubino in sua Cosmopœia) in lib. 3. aduersus Iulianum Apostatã Affirmat Cyrillus non fuisse serpentem illum verum & animatum, sed D speciem duntaxat & simulacrum serpentis sub quo dæmon allocutus est mulierem, & idcirco is quoque sub serpentis nomine Dei est maledictis perculsus. Arbitratus est enim B. Cyrillus, & sic est, dæmonem arbitratu suo, & serpentis & cuiusuis aliorum animalium speciem & simulacrum quod verum animal mẽtiatur posse fingere, & per id, quodcumque velit aut loqui aut agere. Verùm non assentior Cyrillo. Etenim si non fuisset ille verus serpens, dæmon peracta tentatione speciem illam & imaginem serpentis deposuisset: quemadmodum Angeli ad obeundum aliquod inter homines ministerium

Tertia opinio Cyrilli, & Eugubini. Non fuisse verum serpentem, sed diabolum sub specie & imagine serpentis.

humana specie induti, confecto ministerio, protinus speciem humani corporis exuunt: at serpens ille transacta etiam tentatione, & patrato primorum hominum peccato, mansit in Paradiso. Nam cum Eua à Deo increpata quod edisset ex arbore vetita, respondisset, *Serpens decepit me*, conuersus Dominus ad serpentem, dixit ei, *Quia fecisti hoc maledictus eris, &c.* eumque ingrediendi super pectus suum, & comedendi terram pœna mulctauit: hæc autem pœna adumbrato, tantùm & simulato serpenti ineptè infligeretur. nec Moses de non vero serpente, aut de solo simulacro serpentis dixisset, *Serpens erat callidior cunctis animantibus terræ.*

Quarta sententia Caietani. Narrationem Mosis de serpente, non esse historicam, sed parabolicam.

QVARTA sententia est Caietani, qui in Commentariis in Genesim super his ipsis verbis quæ nunc tractamus, censet vocabulo serpentis nec verum serpentem, nec eius simulachrum & spectrum intelligi debere, sed solum dæmonem, qui quod callidissimus & insidiosissimus sit, & hominibus nocendi cupidissimus, metaphoricè serpens in Scriptura crebrò appellatur. Nec illam tentationem & sermonem dæmonis cum Eua, externum & sensibilem fuisse putat, sed interno tantùm suasu suggestúque peractum. Hanc autem opinionem, quod videret Caietanus esse nouam & ab omnium Patrum & Theologorum sententia abhorrentem, multis rationibus fulcire ac stabilire conatus est. *Primo*, inquit, *solenne est in Sacris litteris, vocabulis animalium vti ad significãdas creaturas rationales & intelligentes. Hinc* Ioan. 1. *sunt illa: Ecce agnus Dei: Vicit leo de tribu Iuda: & in Apocalypsi diabolus* Apoc. 1. *draco & serpens perpetua allegoria nominatur: sicut apud Iob. cap. 40. & 41.* Infra. 23. *permulti & graues Auctores, Iudais licet reclamantibus, sub nomine & similitudine Behemoth & Leuiathan, insiuuari diabolum putauerunt, cuius tamen proprium nomen ne semel quidem eo loci expressum est. Quocirca sicut eo loco non intelligitur diabolus sub corporea specie Leuiathan & Behemoth, simili ratione neque hoc loco sub corporea specie serpentis intelligi debet. Posteà, hic traditur serpentem calidiorem fuisse cunctis animantibus terræ: quod de vero serpente, si fides habeatur Philosophis qui naturas & proprietates animalium scrutati sunt, falsum esse constat. Quinimò propterea id Moses dixit, vt indicaret se non loqui de vero serpente, sed figuratè ac metaphoricè de diabolo mores & ingenium serpentis referente: serpendo videlicet per interiores hominis sensus, vt eum veneno suæ persuasionis inficiat atque corrumpat. Deinde, ob eam causam serpenti locutionem, quam vero serpenti in confesso est non posse conuenire. Moses attribuit, vt per eum sermonem ei serpenti tributum, intelligeret lector Mosem de intellectuali serpente loqui.*

Rationes Caterani.

SI QVIS AVTEM huic rationi occurrens, dicat serpentem illum fuisse verum animal, opera tamen diaboli locutum esse, similiter vt asinam Balaam ministerio Angeli locutam esse in libro Numerorum capite 22. est proditum: hoc repellens Caietanus, *Magnam esse*, ait, *dissimilitudinem, nec idoneum esse exemplum. In libro namque Numerorum, vbi asinæ illius locutio narratur, semul etiam causa efficiens illius locutionis exponitur, dicitur enim Dominum aperuisse os asinæ,*

A *& sic esse locutam. hoc autem loco Moses nullam locutionis serpentis causam reddit, sed præcisè dicit serpentem locutum esse cum muliere, nullúmque ad id concurrisse miraculum, aut diaboli ministerium indicat, non obscurè significans loqui se de diabolo cuius arbitrio humanus sermo fingi potest sine miraculo. Ad hæc, idem sit manifestum consideranti pœnam quæ à Deo inflicta serpenti est: ea námque in verum serpentem minimè, in figuratum autem, id est, diabolum, maximè quadrat, neque enim super pectus ingredi, & puluerem comedere, serpentis pœna fuit, cum id etiam ante tentationem hominis serpens naturaliter haberet: neque enim tunc serpentes in aliam naturam, proprietates, & mores quàm prius haberent, esse conuersos & mutatos, existimare conuenit. Ad huius etiam sententiæ confirmationem pertinet, quod nihil Moses*
B *scripserit de accessu serpentis ad mulierem, nihil de pauore atque horrore mulieris ad præsentiam serpentis: cùm tamen Moses, vt scriptum est Exodi 4. serpentis præsentia territus aufugerit: tantùm scribitur serpentem fuisse callidiorem cæteris animantibus, & allocutum esse mulierem, eámque sine vlla perturbatione familiariter respondisse serpenti. Et verò, satis domesticus & familiaris collocutor est diabolus, serpentinis suggestionibus & consiliis interiora nostra pulsans.*

NEC officit huic interpretationi, ait Caietanus, *quod serpens dicatur callidior bestiis terræ, cum sit etiam hominibus longè callidior, & astutior, neque cum bestiis terræ diabolus rectè comparari posse videatur. Etenim diabolus propter suum peccatum deiectus est in ordinem bestiarum, ex ordine intelli-*
C *gentium creaturarum deturbatus: & idcirco serpentis vocabulo ritè nominatur, & cum bestiis ritè comparatur. Hoc enim interest inter creaturas rationales & irrationales, quod illæ propter seipsas, hoc est, propter propriam felicitatem creatæ sunt: hæ autem, cum veræ felicitatis capaces non sint, in vsum & vtilitatem rationalium conditæ sunt. Quoniam igitur dæmon à propriæ felicitatis consecutione deiectus est, simul etiam deturbatus est ex ordine rationalium, & redactus in ordinem irrationalium, vt sit nimirum non propter suam felicitatem, quippè quam recuperare nullo modo potest, sed propter electorum vtilitatem atque gloriam. Moses igitur secundum ordinem gratiæ, & relatiuè ad ea quæ sunt cœlestis patriæ, loquendo de dæmone, aptè nominauit ipsum bestiam, prudentiam eius cum bestiarum pru-*
D *dentia comparauit. Sermo igitur inter serpentem & Euam habitus, non fuit vocalis, internæ suggestionis, quo diabolus serpere venenosa cogitatione cœpit: eodémque genere sermonis vniuersus qui describitur dialogus, inter serpentem & mulierem actus est. Cuius generis sermones metaphoricè sumpti, non sobrij modo sunt secundum Scripturam, sed etiam non parum vtiles fidei Christianæ professioni, præsertim autem apud Sapientes huius sæculi, qui intelligentes quæ hic narrantur à Mose, non vt littera sonat, sed metaphoricè accipienda esse, non ea credere horrent & quasi fabellas rident: sed vt mysteria venerantur, & facilius quæ fidei nostræ sunt amplectuntur: Neque verò hinc datur ansa interpretandi cætera omnia metaphoricè: quoniam alia non ita vt hæc, habent ex ipso textu testimonia, vt me*

Cur secundùm Caietanum, dæmon comparetur cum bestiis terræ.

vt metaphoricè intelligantur. Hæc Caietanus, cuius opinionem ita propemodum, vt ab ipso prodita & explicata est, commemorauimus. A

Refellitur opinio Caietani.

VERVM opinio Caietani non vt falsa modo, sed vt erronea & temeraria ab omnibus qui sapiunt, & conuenienter diuinæ Scripturæ & Catholicæ doctrinæ sentiunt: repudiari & abijci debet, est enim contra doctrinam omnium Patrum & Theologorum, contra sensum populi Christiani & Ecclesiæ. infixum enim est in animis mentibúsque omnium Christianorum, idque publicè docetur in Ecclesia Dei, Euam corporali & sensibili tẽtatione à diabolo per serpentem fuisse deceptam. Peruertit etiam Caietanus fidem historiæ Mosaicæ, totam eius narrationem faciens figuratam & metaphoricam: quam ob causam in sexta Synodo generali damnatus est Origenes. Nec ratio vlla satis idonea & probabilis afferri potest, si quæ scribit Moses de serpente, ea non historicè sed figuratè intelligenda sunt: cur non similiter quæ supra de Paradiso, de arbore vitæ, & de arbore scientiæ boni & mali, de quatuor fluminibus, denique de formatione Adæ ex puluere terræ & Euæ ex costa Adami, interpretanda sunt. non enim magis illa quàm hæc, vt non historicè sed metaphoricè intelligantur, ex ipso textu Scripturæ testimonium habent. B

QVID quod tẽtationem illam Euæ fuisse interiorem & spiritualem, non autem exteriorem & corporalem, sed intrinsecus in phantasia & animo Euæ factam, vt censet Caietanus, aduersatur doctrinæ Augustini & Gregorij, atque iis quæ Theologi tradunt de statu innocentiæ? nimirum, docent illi ante peccatum non potuisse hominem interius tentari à diabolo, sed tantùm exterius. Etenim dupliciter tantùm diabolus hominem interius tentare potest: vel per appetitum sensitiuum concitando passiones eius ad res illicitas: vel per phantasiam, fingendo in ea phantasmata quæ hominem moueant ad malum. Neutrum autem in homine ante peccatum eius dæmon facere potuit: videlicet, dum pars superior hominis subdita erat Deo, pariter quoque pars inferior subiecta erat rationi, nec à diabolo peruerti & inordinatè commoueri poterat: non igitur potuit in ea esse motus vllus inordinatus, vel in appetitu, vel in phantasia mulieris, per quam ipsa tentaretur intrinsecus à diabolo, sed tota ea tentatio extrinsecus modò fieri potuit. Quemadmodum enim ante peccatum nihil detrimenti aut molestiæ potuit dæmon corpori hominis afferre: ita nec animum eius per interiores tentationes infestare ac perturbare. C D

Duobus tantum modis diabolus hominem interius tentare potest.

Quinta sententia, quam Auctor sequitur.

QVINTA & vltima sentẽtia est, quam nos solam approbamus & amplectimur, fuisse in ea tentatione verum & naturalem serpentem, in quem tamen se se diabolus insinuauit, & per eum quasi per organum suum formauit humanas voces, & sermonem cũ Eua miscens, callida & malitiosa tẽtatione eam decepit. Hæc sententia est probata ferè

A ferè Patribus, vt videre licet apud Basiliũ, Chrysostomum, & Theodoretum, Bedam, & Rupertum in suis vel Homiliis, vel Quæstionibus, vel Commentariis in Genesim; apud Damascenum item libro secundo, de Fide orthodoxa capite 10. & apud Magistrum sententiarum libro secundo, distinct. 21. & ibidem Scholasticos Theologos: quam sententiam plurimis & disertissimis verbis explicat tueturque Augustinus tam in libris de Ciuitate Dei, quàm de Genesi ad litteram. In libro enim 14. de Ciuitate Dei capite vndecimo, hoc modo scribit: *Diabolus colubrum in Paradiso corporali vbi cum duobus illis hominibus masculo & fœmina, animalia etiam terrestria cætera subdita & innoxia versabantur, animal scilicet lubricum, & tortuosis anfractibus mobile, & operi suo* B *congruum, per quem loqueretur elegit: eoque per angelicam præsentiam, præstantioremq; naturam spiritali nequitiæ sibi subiecto, & tanquam instrumento abutens, fallaciam sermonicinatus est fœminæ.* Et libro vndecimo de Genesi ad litteram capite vigesimoseptimo, *Diabolus, ait, in serpente locutus est, vtens eo velut organo, mouensq; eius naturam eo modo quo modo verè ille mouere & moueri illa potuit ad exprimendos verborum sonos & signa corporalia per quæ mulier suadentis intelligeret voluntatem. Non itaque serpens verborum sonos intelligebat qui ex illo fiebant ad mulierem: neque conuersa credenda est anima eius in naturam rationalem, quandoquidem nec ipsi homines, quorum rationalis natura est, cum dæmon in eis loquitur, ea passione cui profligandæ exorcista requiritur, sciunt quid loquantur. Nam quod vulgò putantur serpentes audire & intelligere verba incantantium, vt eis incantibus prosiliant plerunque de latebris,* C *etiam illic diabolica vis operatur. Diuino autem consilio fit, vt hoc magis habeat vsus, serpentes moueri carminibus potius quàm aliud vnum genus animantium. Etenim hoc non parua testificatio est, naturam humanam primitus serpentis seductam esse colloquio: Gaudent enim dæmones hanc sibi potestatem dari, vt ad incantationes hominum serpentes moueant, vt quolibet modo fallant quos possunt. Hoc autem facere permittuntur ad primi facti memoriam commendandam, quòd sit eis quædam cum hoc genere animalium familiaritas.* Hactenus ferè sunt verba Augustini.

Theodoretus. q. 31. & 32.
Rupertus lib. de Operibus Trinitatis.

Cur potius serpentes, quam aliud vllũ animal, afficiantur & moueãtur verbis incantantũ, secundum Augustinum.

Sub specie autem serpentis, sicut primos homines decepit dæmon; ita & Græcam & Romanam prudentiam ludificauit atque circumuenit. Plena est admirationis, vel horroris potius serpẽtis Æsculapij in vrbem Romam triennali pestilentia liberandam, missa nobili Epidaurum Romanorum principum legatione, aduectio, & in templo ei velut numini dicato collocatio. Legenda est historia huius rei apud Valerium Maximum libro primo capite octauo, Pherecides Syrus dixisse fertur dæmones à Ioue deturbatos è cœlo, eorumque principem cognominatum esse Ophionæum, id est, serpentinum. Mira sunt quæ in extremo capite libri Danielis narrantur de draco- D ne, quem vt Deum Chaldæi venerabantur. Suetonius in Tiberio scripsit, fuisse Tiberio serpentem in deliciis, quem ille condocefecerat de manu sua cibum petere. Etiam post aduentum Christi fuisse qui serpentem, quasi auctorem scientiæ boni & mali, diuino cultu ho-

Serpens Æsculapij Epidauro transuectus Romã.

Serpens Tyberio in deliciis habitus.

norarent, fusè tractat Epiphanius disputans aduersus 37. hæresim. A

CÆTERVM duo illa quæ in hac nostra sententia posuimus, & fuisse verum serpentem, & simul ei adfuisse dæmonem, facile est cuiuis minimè contumaci probare ac persuadere. Nam & Moses eum appellat simpliciter serpentem, & genus pœnæ qua eum mulctauit Deus, declarat fuisse verum serpentem: & ita sentiunt Patres, idque confirmatur iis ipsis argumẽtis quibus tertiam opinionem, quæ Cyrilli est, refutauimus; denique sententia hæc seruat integram historiæ fidem, & secundum eam omnia quæ Moses de serpente narrat, licet commodè de vero serpente interpretari. Præter serpentem autem fuisse ibi dæmonem, manifestè ostendit & humanus sermo, & disputatio seu ratiocinatio serpentis cum Eua; quæ duæ res omnium animalium vim, naturam, & facultatem excedunt, nec effici possunt nisi à natura intelligente, quæ quadruplex est; Homo, Deus, Angelus bonus, & Dæmon. Tunc autem præter Euam & Adamum nullus erat alius homo; & si fuisset, aspectabilis & cognitus Euæ fuisset: Deus autem, aut bonus Angelus, eius tentationis auctor esse non potuit: fuit enim malitiosè ad decipiendum hominem & à diuinę legis obedientia retrahendum adhibita: relinquitur igitur eam fuisse à dæmone concinnatam & confectam. Atque hoc ipsum manifestis verbis confirmat diuina Scriptura, quæ libri Sapientiæ capite secundo ait, Inuidia diaboli mortem introiisse in orbem terrarum: & apud Ioannem capite octauo Dominus noster dixit, diabolum fuisse ab initio homicidam: quia nimirum per hanc tentationem decipiens hominem, occidit eum spiritualiter, & reum fecit etiam mortis corporalis: quam etiam ob causam in Apocalypsi diabolus appellatur serpens antiquus; & 2. ad Corinthios 11. *Timeo*, inquit Paulus, *ne sicut serpens Euam seduxit astutia sua, &c.* Liquet autem, non fuisse Euam à serpente animali, sed à diabolo per serpentem deceptam. B C

Quadruplex natura intelligens.

Quatuor quæstiones de illo serpente.

POSITA igitur hac sententia, quam non modo cæteris probabiliorem, sed multò verissimam iudicamus, fuisse diabolum, qui per serpentem insidias Euæ struxerit, fallaciam intenderit, peccatum persuaserit; deinceps nonnulla quæ difficultatem habent, partim de illo serpente, partim de diabolo qui eo vsus est velut organo, disputanda sunt. De serpente quattuor tractandæ sunt quæstiones. Prima quæstio, quomodo intelligendum sit quod dixit Moses, serpentem fuisse callidiorem omnibus bestiis terræ, vtrum de vero serpente, an de diabolo id sit intelligendum. Secunda quæstio, quomodo Eua non exhorruit aspectum & congressum serpentis. Tertia quomodo non obstupuit serpentem humano sermone & intelligentia secum loqui. Quarta, quomodo maledictio illa qua punitus à Deo serpens est, *Super pectus tuum gradieris, & terram comedes, &c.* fuerit pœna serpentis. D

***

QVÆ

A

QVAESTIO I.

Quod dicitur serpentem fuisse callidiorem bestiis terræ, intelligendum ne sit de serpente, an de diabolo.

PRIMO igitur quæritur, cùm Moses dixit serpentem fuisse callidiorem omnibus bestiis terræ, intelligendum ne sit de vero serpente, an de diabolo. Et de neutro videtur verè intelligi posse: nam nec diabolus rectè comparari potest cum bestiis terræ, nec verus serpens cunctis animalibus astutior est. Tres Doctorum sunt opiniones. Prima Caietani est quam paulò suprà commemoraui & refutaui, & illud Mosis dictum, & cætera quæ de serpente narrantur, ad solum diabolum referentis. Verùm inepta est comparatio diaboli cum bestiis terræ, cùm ille natura sit incorporeus & immortalis, nec solum specie sed etiam genere differat ab animantibus; & id in quo aliqua comparantur inter se, vnius esse debeat rationis: calliditas verò dæmonis & bestiarum, quàm diuersæ sint rationis, nemo nõ videt. Nam quod scribit Caietanus, diabolum fuisse propter peccatum ad ordinem bestiarum deiectum, & idcirco ritè comparari posse cum bestiis, nullo modo videbitur doctis viris probabile, etenim dæmon propter peccatum nõ perdidit dona sua naturalia: quantum igitur ad naturalem prudentiam & calliditatem, similiter se habet post peccatum vt anteà se habebat.

B

Prima opinio Caietani.

C

ALTERA opinio est Augustini lib. 11. de Genesi ad litteram cap. 29. aientis Scripturam loqui de calliditate veri serpentis, non tamen per se, sed vt fuit organum diaboli ad fallendum Euam. Verba Augustini sunt hæc: *Astutissimus omnium bestiarum dictus est serpens propter astutiam diaboli, qui in illo & de illo agebat dolum: quemadmodum dicitur prudens vel astuta lingua, quam prudens vel astutus mouet ad aliquid prudenter astuteq; suadendum. Eadem dici possunt de Stylo. Hoc ideo*, inquit Augustinus, *commendandum putaui, ne quisquam existimans animantia rationis expertia humanum habere intellectum, vel in animal rationale repentè mutari, seducatur in illam opinionem ridiculam & noxiam reuolutionis animarum, vel hominum in bestias, vel in homines bestiarum. Sic ergo locutus est serpens homini, sicut asina in qua sedebat Balaam locuta est homini, nisi quod illud fuit opus diabolicum, hoc angelicum. Habent enim quædam boni & mali Angeli opera similia, sicut Moses & Magi Pharaonis. Verum in his etiam boni Angeli potentiores sunt, nec mali Angeli etiam talium operum quicquam possunt, nisi quod per bonos Angelos permiserit Deus.* Hactenus Augustinus.

D

Secunda opinio Augustini.

Exodi 7. & sequentibus.

SED hanc sententiam refellit Tostatus qu. 438. super capite 13. Geneseos. Nam vel quod serpens fuerit organum diaboli, propterea ei fuit à diabolo impertita maior calliditas quàm haberet naturali

Argumentatio Tostati aduersus Augustinum.

turaliter,vel nulla.Si nulla,ergo nulla ratio fuit cur propter diabo- A
lum diceretur callidior omnibus bestiis:sin aliqua, primum difficile
est intelligere quemadmodum diabolus repentè potuerit callidio-
rem facere serpentem:deinde dæmon non posset impertiri callidita-
tem nisi intellectiuam qualem ipse habet:cuius tamen capax natura
serpentis non est,ea namque non nisi naturæ rationali impertiri po-
test.Narratio etiam Scripturæ,si quis eam benè perpendat, exclude-
re videtur Augustini expositionem:significat enim, serpentem suā-
pte natura fuisse callidiorem cæteris bestiis, etiam priusquam assu-
meretur à diabolo:quod indicat verbum illud *Erat: Serpens*, inquit,
erat callidior cunctis animantibus.Immo verò propterea serpens potius
quàm aliud quoduis animal assumptus est à dæmone, quòd is maxi-
mè propter naturalem calliditatem congrueret & astutiæ dæmonis B
assumentis,& officio deceptionis occultæ ad quod assumebatur,&
fini propter quem assumebatur,nempè vt venenata diaboli persua-
sione corruptus homo,tanta illa qua potiebatur felicitate deturba-
retur in maximam miseriam.

SENTENTIAM igitur Augustini, serpentem dictum esse calli-
diorem bestiis terræ,non ingenita sibi calliditate sed propter diabo-
li calliditatem,illa satis validè oppugnare ac demoliri videtur argu-
mentatio:Si serpens dictus est callidior bestiis terræ propter calliditatem diaboli:aut igitur propter calliditatem quæ erat in diabolo,
aut propter calliditatem quam serpens accepit à diabolo:at nec ser-
pens verè diceretur callidior omnibus bestiis propter calliditatem
quæ nulla ex parte in eo erat,sed erat tantùm in diabolo.Nec potuit C
diabolus calliditatem impertiri serpenti:aut enim impertiuisset cal-
liditatem congruentem naturæ serpentis, id est, sensitiuam: verùm
hæc nisi mutata natura specifica & gradu animæ, & constitutione ac
temperamento corporis,non potest in animalibus intrinsecùs varia-
ri:aut tribuisset serpenti talem calliditatem qualem ipse habet: hoc
est, intellectiuam: sed huius serpens nullo modo capax esse potest.
Hinc igitur concluditur,serpentem dictum non esse callidiorem be-
stiis terræ propter diaboli calliditatem,cuius ille fuit organum.

Tertia opinio Auctoris.

TERTIA opinio est,quæ nobis maximè placet,Mosen dixisse il-
lud de vero serpente:eum verò appellasse astutiorem cæteris bestiis,
non vt significaret per astutiam naturalem serpentis deceptam esse D
Euam:sed vt ostenderet non temerè nec sine magna ratione diuinæ
prouidentiæ factum, vt diabolus ad decipiendum hominem, sese in
serpentem potius quàm in aliud quoduis animal insinuaret, videli-
cet vt intelligeretur,quàm congruens astutiæ dæmonis ad fallēdum
hominem adhibitum fuerit instrumentum & vt ex astutia serpentis
& naturali inimicitia quæ est inter eum & homines, coniiceretur
multiplex diaboli aduersus hominem astutia & odium implacabile.

Verum serpēs verè sit callidior cūctis animantibus.

CÆTERVM vrgent nos Physiologi,opponētes nobis non pauca
ex genere animālium,quæ naturali solertia,prudentia, & astutia ser-

pe nt em

A pentem longè ſuperant: cuiuſmodi ſunt canes, lupi, & in primis vulpes. Verùm nullo modo dubitandum eſt, ſerpentem eſſe aſtutiorem beſtiis terræ: id enim tradit hoc loco Scriptura, & Dominus noſter in Euangelio maximam diſcipulis ſuis prudentiam commendare volens, iuſſit eos prudentia ſimiles eſſe ſerpentum: *Eſtote*, inquit, *prudentes ſicut ſerpentes*. Sed diſtinguere oportet duplex genus prudentiæ & calliditatis ſerpentum: vnum eſt quo vtuntur ad tuẽdam ſalutem vitamque, & quæ ſibi vtilia commodaq; ſunt perſequenda & aſciſcenda, alterum eſt quod adhibent ad inſidiandum & nocendum homini. Prioris prudẽtiæ & calliditatis, multa & inſignia extãt indicia atque argumenta. Primum argumentum calliditatis ſerpentis eſt quo vti- *Matth. 10.*

B tur aduerſus incantatores, & pulchrè deſcribitur à Dauide Pſal. 57. illis verbis: *Sicut aſpidis ſurdæ, & obturantis aures ſuas, quæ non exaudiet vocem incantantium, & venefici incantantis ſapienter.* Nam, vt ſuper illis verbis ſcribit Auguſtinus, *ſentiens carminibus incantatorum captum ſe iri, ne ea exaudiat ſerpens, alteram aurem terræ vel petræ admouet atque apprimit, alteram verò cauda obturat.* Alterum argumentum vulgatum & compertum omnibus eſt, ſerpentem cum ſaxo aut ferro ab homine, petitur, quò tutius caput ſuum vnde ſentit totius corporis ſalutem pendere defendat atque cuſtodiat, totum corpus in orbes circumuoluere vt ipſum occultet & ab ictibus tueatur, reliquum corpus exponens

C periculo pro vnius defenſione capitis. Tertium argumentum ab Epiphanio eo loco proditum, vbi aduerſus 37. hæreſim diſputat. *Tradunt*, inquit ille, *de ſerpente naturalium rerum docti, eum cum ſiti fatigatus è latibulo procedit ad aquam vt bibat, non ſecum ferre venenum, ſed ipſum quaſi expuere ac deponere in latibulo, ne aquas veneno inficiat atque corrumpat.* Quartum argumentum. Plinius libro octauo capite vigeſimoſeptimo, de naturali prudentia ſerpentis verba faciens, ita ſcribit: *Anguis hyberno ſitu membrana corporis obducta, fœniculi ſucco impedimentum illud exuit, nitiduſq; vernat. Exuit autem à capite primum, nec celerius quàm vno die ac nocte replicans, vt extra fiat membranæ quod fuerat intus.* Quintum argumentum. Quia ſolet ſerpenti viſus hebeſcere, naturali prudentia ſibi

D ipſe comparat remedium ad clarificandam oculorum aciem. Succo enim marathri inungit oculos, vt claritatem viſus recipiat, quod etiam à Plinio eodem illo loco traditum eſt: *Serpens*, ait, *hyberna latebra viſu obſcurato marathro herbæ ſeſe affricans, oculos inungit ac reſouet: ſi verò ſquamæ obtorpuere, ſpinis Iuniperi ſe ſcabit.* Ex his apparet quanta ſit naturalis prudentia & calliditas ſerpentis in iis rebus quæ ad eius defenſionem & conſeruationem conducunt. Quamobrem ſapienter Dominus noſter ad imitandam ſerpentis prudentiam, diſcipulos ſuos cohortatus eſt, & apud Hiſpanos vetus fertur vulgo prouerbium: (*Sabe mas que las culebras.*)

Quinque indicia & argumenta eximiæ calliditatis & prudẽtiæ ſerpentum.

Prouerbium Hiſpanicum.

POSTERIORIS autem aſtutiæ ſerpentis qua vtitur is ad inſidiandum homini, multa etiam ſunt indicia vulgo nota, & quotidianis experimentis comperta, atque Sacrarum litterarum teſtimoniis

confirmata. Etenim Deus maledicens serpenti dixit, *Inimicitias ponam inter te & mulierem, & semen tuum, & semen illius: ipsa conteret caput tuum, & tu insidiaberis calcaneo eius.* Sanè hominem serpens occultè, callidè, atque insidiosè mordet, & morsu quidem lethali: idque facit nō metu, non aliquo incommodo aut commodo suo ductus, sed naturali odio hominis, & propensissimæ ad ei nocendum naturæ instinctu. Quod significauit Scriptura Genes. 49. Iacob enim patriarcha vaticinatus de tribu Dan dixit: *Fiat Dan coluber in via, Cerastes in semita, mordens vngulas equi, vt cadat ascensor eius retro.* Salomon quoque capite decimo, libri Ecclesiastæ: *Si mordeat, inquit, serpens in silentio: nihil eo minus habet qui occultè detrahit.* Denique multa in diuinis litteris de serpentis astutia & insidiis ad nocendum homini callidè structis, variis locis traduntur. Quamuis igitur de aliis animantibus quædam fortasse non minus serpentibus astutæ habeantur: ad occultè tamen lædendum hominem sine vllo commodo suo, non aliud serpente animal callidius & insidiosius inuenietur. Legenda sunt quæ scribit Bonauentura in 2. sent. distinct. 21. & Hugo S. Victoris lib. 3. de bestiarum proprietatibus. 53. capite.

Mira serpentis ad nocendum homini naturæ propensio.

B. Bonauentura.

Hugo S. Victoris.

A B C D

QVAESTIO II.

Quomodo Eua non exhorruit serpentis congressum.

ALTERA quæstio est, quomodo Eua serpentis aspectum & ad se accessum naturaliter horrificum homini, non exhorruerit. Magister Historiæ scholasticæ in Historia libri Geneseos capit. 21. Bonauentura in secundo distinct. 21. & Carthusianus hoc loco Bedam nominant à quo sit proditum, elegisse diabolum ad tentandum Euam genus quoddam serpentis virgineum vultum referens: vt, quia naturale est sui similibus gaudere, illius serpentis congressu non modo non perterreretur, sed etiam oblectaretur Eua. Pictores sanè hanc opinionem secuti, historiam huius rei in pictura repræsentantes, muliebri vultu serpentem depingunt. Sed audi verba Magistri Historiæ scholasticæ. *Tunc serpens, inquit, erectus est vt homo, quia posteà per maledictionem Dei prostratus est, & adhuc Pharias, vt tradum, erectus incedit. Elegit etiam quoddam genus serpentis, vt ait Beda, virgineum habens vultum, quia similia similibus applaudunt: & mouit ad loquendum linguam eius, nescientis tamen: sicut per phanaticos & energumenos loquitur diabolus, nescientes quid ipsi dicant.* Sic ille. Verùm hanc sententiam meritò deridet Lyranus: reperiri enim tale genus serpentis, adhuc inauditum, & à nullo philosophorum, aut cui fides haberi possit, traditum est: quocirca vt planè fabulosum & commentitium explodi debet.

Prima opinio fuisse illi serpenti faciem muliebrem. Petrus Comestor. Bonauentura. Dionys. Carthusianus.

BASIL

A BASILIVS in homilia de Paradiso (similia autem Basilio in primo libro Antiquitatum capite primo scribit Iosephus) *Serpens*, inquit, *tunc non erat horrendus homini, sed mitis ac mansuetus: nec terribiliter in telluris superficie veluti natans reptabat, sed sublimis & rectus, pedibusq; insistens ingrediebatur.* Sic Basilius. Verùm hanc sententiam supra refutauimus: Damascenus libro secundo, de Fide orthodoxa capite decimo, *Serpens*, ait, *plus cæteris animalibus familiaris erat homini ipsum frequenter accedens, eique placidis motibus corporis blandiens: unde per ipsum princeps mali diabolus primis nostris parentibus impietatis suæ venenum instillauit. Sunt qui putent aspectum serpentis non nisi post peccatum primi hominis & maledictionem ipsius serpentis, cœpisse homini esse horrificum ac terrificum: post illa, scilicet, Dei verba, Inimicitias ponam inter te & mulierem, & semen tuum &*
B *semen illius, &c.*

MIHI quidem certè, vt valdè consentaneum rationi, probatur maximè quod sentit & tradit Chrysostomus homilia 16. in Genesim, propterea serpentis aspectum & congressum non horruisse Euam, quod ante peccatum & in illo statu innocentiæ omnia animalia placidè atque obedienter essent homini subiecta, & sicut nihil ipsa mali poterant inferre homini, ita nec timorem aut horrorem vllum neque enim id sine aliqua molestia homini accidisset: diuino autem consilio & ratione constitutum fuerat, vt nulla pœna contingeret homini ante eius culpam. *Sententia Chrysostomi quæ placet Auctori.*

SED vide quo procedat curiosa & audax hominis inquisitio. In-
C uestigarunt nonnulli, & quasi compertum & exploratum habuissent, scripto etiam prodiderunt, cuius generis & speciei fuerit serpens ille qui Euam decepit. Eugubinus in sua Cosmopœia putat fuisse Basiliscum, vt sicut diabolus qui tentauit Euam princeps fuisse creditur dæmonum, ita vsus sit vt organo eo serpente qui omnium serpentum tanquam rex habetur: hunc verò esse Basiliscum, & nomen ipsum indicat, & quæ de incredibili eius ad nocendum vi ac potentia Plinius libro octauo, capite vigesimoprimo, & Solinus capite trigesimo, scriptum reliquerunt. Et Plinij quidem hæc sunt verba: *Basiliscum Cyrenaica generat prouincia, duodecim non amplius digitorum magnitudine, candida in capite macula vt quodam diademate insignem. Sibilo om-*
D *nes fugat serpentes: nec flexu multiplici, vt reliquæ, corpus impellit, sed celsus & erectus à medio incedens. Necat frutices non contactos modo verùm & afflatos, exurit herbas, rumpit saxa. Talis vis malo est. Creditum quondam, ex equo occiso hasta, & per eam subeunte vi, non equitem modo sed equum quoque absumptum. Atque huic tali monstro (sæpe enim enectum concupiuere reges videre) mustellarum virus exitio est: adeo naturæ nihil placuit esse sine pari. Inijciunt eas cauernis facile cognitis sola tabe necant illæ simul odore, moriunturq;, & naturæ pugnam conficiunt.* Sic Plinius. *Serpēs ille qui decepit Euā, ex quo genere serpentū fuerit. Opinio Eugubini fuisse Basiliscum, qui tentauit Euā. Mira descriptio Basiliſci ex Plinio & Solino.*

ADIICIAM quoq; Solini verba prædictis simillima, vt animaduertat lector pleraq; Solinū ex Plinio descripsisse: non res modo, sed etiam sententias ac pœnè verba mutuatum. *Basiliscus*, inquit Solinus, *malum* *Solinus pleraque sumpsit ex Plinio.*

malum in terris singulare, serpens est pœnè ad semipedem longitudinis, alba qua- A
si mitrula lineatus caput. Nec hominis tantùm, vel aliorum animantium exitiis
datus, sed terræ quoque ipsius; quam polluit & exurit vbicumque ferale sortitur
receptaculum. Denique extinguit herbas, necat arbores, ipsas etiam corrumpit au-
ras, ita vt in aëra nulla alitum impune transuolet infectum spiritu pestilenti.
Cùm monetur, media corporis parte serpit, media arduus est & excelsus. Sibilum
eius etiam serpentes alij perhorrescunt, & cùm acceperint, fugam quoquo possunt
properant, quicquid morsu eius occiditur, non depascitur fera, non attrectat ales.
Mustellis tantum vincitur, quas illinc homines inferunt cauernis in quibus deli-
tescit. Vis tamen ne defuncto quidem deest. Denique Basiliſci reliquias amplo se-
stertio Pergameni compararunt, & vt Aedem Apollinis manu insignem nec
araneæ intexerent nec alites inuolarent, cadauer eius reticulo aureo suspensum, B
ibidem locarunt. Hæc Solinus.

VERVM non est credibile, serpentem qui Euam adortus est fuisse Basiliscum, propter corporis eius paruitatem ac deformitatem, & pestilentem non morsus tantùm, sed etiam afflatus & aspectus vim ac potentiam. Quod igitur illud serpentis genus fuit? si dicam me scire, planè mentiar. Verùm si conceditur in rebus tam incertis, & ab humana coniectura remotis aliquid suspicari, dicam equidem, diuinando magis quàm certi quicquam statuendo, fortasse illum serpentem fuisse eum, quem Philosophi ac rerum naturalium curiosi scriptores appellarunt Scytalen, quod est animal formosum & pulchrum, tanta præfulgens tergi varietate, vt squamarum nitore ac venustate detineat aspicientes; & quia reptando pigrior est, miraculo C
sui corporis ac pulchritudinis capiat stupentes. Audi Solinum capite 30. *Scytale*, inquit, *tanta præfulget tergi varietate, vt notarum gratia videntes retardet: & quoniam reptando pigrior est, quos assequi nequit, miraculo sui capiat stupentes.* Hæc Solinus.

Auctoris coniectura.

Pulchritudo serpentis, qui appellatur scytale, auctore Solino.

QVAESTIO III.

Cur Eua non obstupuerit audiens secum loquentem & disputantem serpentem. D

Prima opinio Ruperti.

TERTIA quæstio est, quomodo Eua non obstupuerit audiens serpentem humano more secum sermocinantem. Tres sunt opiniones. Rupertus libro 3. de Trinitate & operibus eius, capite 3. hanc ipsam quæstionem ponens, ad eam ita respondet: Vel inquit, *mulier nescivit serpentem æquè vt cæteras animantes ratione & sermone carere, at videtur absurdum, quod nunc in statu miseriæ quælibet mulier non ignorat, primam illam mulierẽ in Paradiso atque in statu innocentiæ nescivisse, vel si sciuit, quomodo non obstupuit,*

A *obstupuit, & dolum atque insidias subesse suspicata est? Verùm sciuit ea serpentem non nisi alieno spiritu potuisse loqui. Sed in eo fuit seductionis immensitas, quod quasi omnipotentiam eius spiritus mirata est mulier, qui per irrationale animal humana formare verba potuisset. Quod si ita est, immo quia ita est, non iam dubium remanet qua ex radice, tam vastatamq; amara idololatriæ arbor pullulans expanderit se in omnes gentes, vel vnde miseris hominibus innatum fuerit, vt tam dementi & stulta reuerentia voces articulatas astutia dæmonum formatas, per innumera quærerent simulacra, pro Deo diabolum, pro veritate colerent mendacium. Hoc, inquam, dubium iam non remanet, vnde tanti erroris vitium tam tenaciter hominibus inhæserit: quia videlicet mater nostra, mater cunctorum viuentium Eua prima, felle huius nequitiæ intrinsecus amaricata est, quando in illa facundiam male diserti ser-*
B *pentis, quasi diuinam diabolici spiritus sapientiam mirata, & stultè venerata est.* Sic Rupertus.

VERVMTAMEN secundum hanc Ruperti sententiam efficeretur, primum hominis peccatum fuisse idololatriam: quod est contra omnes Patres & Theologos, affirmantes fuisse peccatum inobedientiæ vel superbiæ. Deinde, cùm peccatum idololatriæ sit omniũ grauissimum, maximeq; abominatum & exosum Deo, vt ex multis diuinæ Scripturæ locis perspicere licet, cùm Deus increpauit Euam, non tam profecto eam increpasset de esu pomi vetiti, quàm de impietate idololatriæ: de qua tamen nullum verbum fecit, nec de ea
C ea quicquam Scriptura vel expressè, vel subobscurè, vel directè, vel obliquè, aut loquitur vnquam, aut etiam innuit: vt satis appareat proprium istud esse Ruperti commentum.

Vtrum serpẽs qui tentauit Euam, extra Paradisum fuerit. Rupertus.

QVÆRIT præterea idem Rupertus capite secundo eiusdem libri, quomodo serpens accesserit ad Euam, vtrum intra Paradisum, an extra fuerit. Respondet ipse, *serpentem extra Paradisum fuisse: erat enim Paradisus propria hominis habitatio ei pro magna gratia Creatoris data, boni operis & diligentissimæ custodiæ conditione interposita. Nam serpentibus communis erat Paradisus, sequitur vt & lupis atque leonibus, cæterisq; bestiis non caruerit ille deliciarum locus: & ideo non tantæ beatitudinis existimandus fuerit, vt meritò Paradisus voluntatis appellaretur, & ab ipso Deo plantatus fuisse diceretur. Non igitur serpens, præsertim à diabolo corporali-*
D *ter inuadente possessus, in Paradiso fuit: sed mulier corpore & oculis vaga, dum incontinenter deambulat, fortè prospectans qualis extra Paradisum mundus esset, & dum serpens vtpote astutus, dulcedini terræ illius propius & ambitiosius inhiat, locus diabolo datus est & occasio breuiter porrecta vnde tentaret Euam.* Hæc Rupertus. Sed profecto serpentem illum fuisse intra locum Paradisi, fere Patrum ac Theologorum sententia est, idq; satis apertè indicat narratio Mosis, siquis ad eam animum diligenter aduertat.

Secunda opinio Bonauenturæ & Sancti Thomæ.

ALTERA sententia est Bonauenturæ & S. Thomæ in secundo senten. distinct. 21. qui aiunt, Euam non putasse solum esse serpentem qui loqueretur secum, sed existimasse per serpentem aliquẽ spiritum

angelicum loqui: ideo autem non obstupuisse, quia sciebat id face- A
re posse spiritus angelicos. Et Bonauentura quidē scribit, Euam credidisse spiritum illum esse bonum, certè sibi esse beneuolum, suæq; vtilitati benè consulentem, vel, vt inquit S. Thomas, *Eua non diiudicauit vtrum bonus esset spiritus an malus, toto animo & auiditate tam magnificis eius promissis intenta.* Et hoc significauit etiam S. Thomas in prima parte, quæst. 94. artic. vltimo. Nam cùm secundo loco hanc ex verbis Augustini posuisset obiectionem, propterea Euam, auctore Magistro sententiarum, non horruisse serpentem secum loquentem, quia officium loquendi accepisse eum à Deo putasset: soluens ipse posteà eam obiectionem sic ait: *Ad secundum dicendum est, quod mulier putauit* B *serpentem accepisse loquendi officium, non per naturam, sed aliqua supernaturali operatione, quamuis non sit necessarium, auctoritatem Magistri sententiarum sequi in hac parte.*

VERVM tria officere videntur huic sententiæ. Primum, vel eo ipso debuisset mulier serpentis locutionem perhorrescere: secum enim reputasset cur spiritus ille angelicus voluisset per serpentem loqui, ac non potius per seipsum sub specie & figura hominis, qua scilicet specie Deus & Angeli, sibi & marito suo non semel apparuissent: itaque commota fuisset ac perturbata, & aliquem dolum atq; fallaciam subesse suspicata esset. Deinde, si mulier putasset fuisse spiritum angelicum qui secum locutus esset, & à quo fuisset ipsa C
decepta: cùm posteà est à Deo reprehensa, non in serpentem sed in illum spiritum culpam coniecisset: respondit enim Deo, *Serpens decepit me, & comedi*, at dixisset potius, spiritus ille malus decepit me. Denique, cum Deus vellet punire eum à quo Eua fuerat decepta, non vtique serpentem, sed illum spiritum impostorem ac deceptorem Euæ puniuisset.

Tertia sententia Cyrilli, Magistri sententiarum & Tostati, quæ placet Auctori.

TERTIA sententia est Cyrilli, Magistri sententiarum & Tostati, quæ nobis ad veritatē propensior videtur, propterea nō obstupuisse Euam, quia nesciebat facultatem loquendi nulli animali naturaliter D
esse datam: nam & nouitas rerū, & inexperientia ipsius, & quod perfectio conditionis muliebris perfectam omnium rerum naturalium scientiam minimè deposceret, eius ignorationis Euæ causa fuit. Verùm sententiam Auctorū quos nominaui, enucleatius hoc loco declarare oportet. Iulianus Apostata Christianæ disciplinæ, vt Cyrillus refert tertio libro eorum decem quos aduersus eum scripsit, irridebat hanc historiam Mosis de collocutione serpentis cum Eua. *Quonam*, aiebat ille, *idiomate serpentem cum Eua vsum dicemus? nunquid humano? & quid differunt hæ fabulæ ab iis quas poëtæ Græci finxerunt?* Ad hoc respōdet Cyrillus: cùm tunc non esset aliud rationale animal, Euam quæ admodum simplex erat, existimasse forsitan aliis quoque animalibus potestatem humana voce loquendi esse datam. *Reuera tamen*, inquit, *sermonem illum inter Euam & serpentem, dæmonis operatione, serpente velamentum malignitatis illius obumbrante, esse factum.*

Hoc

A *Hoc quod diximus, efficere ac præstare dæmonibus esse facillimum, confirmat ipse clarissimorũ apud ipsos Gentiles tum Poëtarum tum Philosophorũ testimoniis. Etenim Homerus prodidit Achillis equum indita sibi a Iunone loquendi facultate, prædixisse Achilli mortẽ. Porphyrius item vitam describens Pythagoræ, narrat, cùm Pyohagoras multis comitatus flumen Causum transiret, audiẽtibus cunctis, flumẽ ei locutum esse, & salutantiũ more dixisse: Salue Pythagora. Philostratus qui Apollonij nomẽ, diserte scripta eius vita & factis, nobilitare & illustrare voluit, in lib. 6. cap. 5. narrat, cùm Apollonius venisset ad Gymnosophistas, principis eorũ Thespesionis iussu, arborẽ vlmum, propter quam confederant, humana voce salutasse Apolloniũ: & vocem quidem fuisse articulatam & distinctam, tenuem tamen & exilem ac muliebri similẽ. Traditũ præterea est, Dodonæam quercum, per quam olim reddebantur oracula, humanas* B *voces edere solitam. Quinetiam Isigonus Cithiensis in Rhodo insula dicit Iouis taurum humani sermonis expertem non fuisse, Si dæmon igitur per equum, taurum, flumen, & arbores, humanas voces fingere potuit: cur incredibile Iuliano visum est, potuisse eum per serpentem cum Eua loqui?* Hactenus ex Cyrillo.

Dæmones olim solitos per animalia, & res inanimas humano modo loqui, multis exẽplis declarat Cyrillus.

MAGISTER sententiarum in secundo distin. 21. ita scribit: Hic quæri solet quare mulier non horruit serpentem. & respondet ipse, quia cum Eua nouisset serpentem à Deo creatum esse, ipsum quoque officium loquendi à Deo accepisse putauit. Tostatus super 13. caput Geneseos quæst. 457. existimat Euã credidisse, facultate loquendi præditum naturaliter fuisse serpentem: hoc autẽ accidisse ei propter rerum nouitatem recens creatarum, & inexperientiam eius. *Nam licet creata sit à Deo tantam iudicij rectitudinem tantámque rerum co-* C *gnitionem habens, quantam haberet nunc quæcumque fœmina iam ætate matura, dummodo non sit circa aliquod doctrinæ genus ab alio erudita, non tamen a Deo accepit Eua perfectam sapientiam. Si enim eam habuisset, non potuisset decipi: deceptam tamen se esse, ipsamet confessa est: non igitur habuit certam cognitionem eorum quorum nullam tenebat experientiam: qua cùm circa animalia careret, poterat de illis quicquid occurrebat credere. Vel igitur mulier antea non nouerat animalia, siquidem Eua creata est postquam animalia ducta sunt ad Adamum: & idcirco nesciebat, vtrum loqui naturale esset serpenti necne: vel si antea viderat, quamuis non audiuisset serpentem loqui, tamen quia paruo illo tempore non poterat omnes cunctorum animalium pro-* D *prietates & facultates exploratas & perceptas habere, nesciebat vtrum facultas loquendi naturalis esset serpenti, licet paruo illo tempore serpentem ea facultate vsum non vidisset.*

AD id autem quod Rupertus opponit huic sententiæ, absurdum videri Euam in Paradiso & imperfecto illo statu innocentiæ ignorasse vtrum serpens ille loqui posset, quod in statu naturæ corruptæ cuilibet mulierculæ notum sit, respondet Tostatus, dissimilem esse rationem Euæ ac mulierum quæ nunc sunt. *Etenim nunc innumerabilibus experimentis & exemplis compertum & comprobatum est, & apud omnes peruulgatum, naturali facultate loquendi serpentes carere, vt mirum non sit etiam mulierculis id esse notum: tunc autem nulla eius rei præcesserant*

experimenta, nulla vigebat fama. Perfectio autem illius ſtatus innocentiæ, arguit Euam creatam eſſe perfectam: non quidem abſolutè & ſimpliciter, ſed prout conditio muliebris poſcebat: nemo enim negauerit, minorem multo fuiſſe in Eua quàm in Adamo perfectionem. Ad perfectionem igitur conditionis muliebris non pertinebat, habere certiſſimam & perfectiſſimam omnium animalium, omniumq́, proprietatum, virtutum, & facultatum eorum ſcientiam, ſed habere cognitionem rerum agendarum, & eorum quæ ſpectant ad rei familiaris adminiſtrationem, & ad officia omnia quæ erga maritum & liberos tractanda & perficienda erant. Sic Toſtatus. A

Auctoris opinio.

AD hanc equidem ſententiam Cyrilli, Magiſtri, & Toſtati, quàm ad cęteras, proniori feror aſſenſu. Nam præter illorum Doctorum auctoritatem, ducor ea ratione, quod per hanc interpretationem tota Moſis narratio ſecundum expoſitionẽ & intellectum hiſtoricum bellè conſtat: cæteræ autẽ interpretationes, nec ſatis aptè cum Moſis narratione congruunt, & magnis vrgentur ac præmuntur incommodis. Verùm aduerſus hanc ſententiam illa videtur eſſe validiſſima obiectio quam ponit S. Thomas, in 1. parte quæſt. 94. art. vlt. Status enim innocentiæ vacabat omni malo tam animi quàm corporis: ſed error & deceptio mentis non eſt minus vitium & malum quàm ſit fœditas corporis, aut dolor, aut morbus: putare autem ſerpentem loqui poſſe, inſignis eſt mentis error & deceptio, non igitur in tanto errore fuiſſe Euam ante peccatum, exiſtimare conuenit. B

Obiectio Sancti Thomæ aduerſus opinionem Auctoris.

SED hanc obiectionem licet ita repellere, duplicẽ faciunt Theologi ignorantiam, vnam puræ negationis, alteram prauæ diſpoſitionis. Et hæc quidem repugnabat ſtatui innocentiæ, illa verò minimè: pueri namque in eo ſtatu diu fuiſſent multarum rerum ignorantes, quas ſcilicet proceſſu temporis didiciſſent. Firmo autem aſſenſu falſa pro veris, aut vera pro falſis approbare, magnum fuiſſet vitium, magnumq́; malum, perfectioniq́; eius ſtatus omnino contrarium. Eua igitur habuit ignorantiam puræ negationis, neſciens vtrum ſerpens loqui poſſet, nec ne: quam ignorãtiam breui abieciſſet interrogato viro ſuo, & ab eo docta. Nec ipſa credidit firmo aſſenſu ſerpentem poſſe naturaliter loqui, ſed dubio tantùm & quaſi ſuſpenſo. Mota eſt autem ad eum audiendum, eiusq́; verbis credendũ, illecta promiſſis eius, quæ viſa ei ſunt ampliſſima, Pulcherrima, maximaq́; optanda. C D

Solutio obiectionis.

QVAESTIO IIII.

Vtrum maledictio ſerpentis, ad verum ſerpentem an ad diabolum referenda ſit.

RESTAT quarta de ſerpente tractanda quæſtio, vtrum maledictio & pœna, qua Deus ſerpentem puniuit dicens: *Super pectus tuum gradieris & terram comedes; Inimicitias ponam inter*

A *inter te & mulierem: semen tuum, & semen illius: ipsa conteret caput tuum, & tu insidiaberis calcaneo eius*: vtrum, inquam, hæc maledictio, qua Deus perstrinxit serpentem, pertineat ad verum serpentem, vt ipsa verba præse ferunt, an vt figuratè dicta accipienda sit, & sub nomine ac similitudine serpentis, ad diabolum qui per serpentem scelus illud molitus est referenda.

Prima opinio Barcephæ, Ephræm & aliorum, pertinere ad solum serpentem.

TRES INVENIO Auctorum sententias. Moses enim Barcephas lib. de Paradiso. c.27. secutus Ephræm & complures alios Auctores arbitratur maledictionem illam & pœnam verè pertinuisse ad ipsum serpentem, licet ipse nullum patrasset scelus, sed eius flagitij auctor fuisset diabolus, nec serpens libero esset arbitrio, quasi in po-
B testate eius fuisset vel dare se, vel non dare diabolo ad scelus illud exequendum. Probatur hæc sententia eo maximè argumento, quod narratio Mosis historica sit: quemadmodum verba eius secundum propriam significationem, & vt ipsa per se sonant, intelligenda atque interpretanda sunt. Moses autem in tota hac narratione solius meminit serpentis, nullum de diabolo verbum faciens. Si obiicias istis, serpentem fuisse animal rationis expers, & idcirco nec potuisse peccare, nec puniri debuisse, aut certè magis diabolum qui princeps eius peccati auctor fuerat: Iosephus fortasse responderet, serpentem illum nec loquendi nec intelligendi facultate caruisse: ob idque tam peccati quàm supplicij capacem esse potuisse. Verùm, hoc vt maximè absurdum, suprà explosum est.

Iosephus lib. 1. Antiquit. cap. 1.

Matth. 8.

C BARCEPHAS verò cum Auctoribus ab ipso citatis respondet, licet non peccauerit serpens, eum tamen iustè quatuor de causis fuisse punitum. Primo, Deus serpentem detestatus est, vt hoc ipsum Satanæ molestum accideret, qui eo vsus fuerat tanquam instrumento: velut si quis musicum instrumentum confringat, quo afficiat dolore eum qui illo ad canendum vtebatur: aut equum abscissis pedibus prosternat, vt sessori noceat, vel nauem subuertat, vt qui ea vehitur naufragio pereat: ita Deus maledictis feriuit serpentem, quo diabolum qui per eum locutus fuerat, dolore angeret. Quemadmodum etiam legionem dæmonum afflixit, porcos perdendo. Etenim simul atque Satanas conspexit anguem pedibus amissis humi volu-
D tari, acerbo dolore excruciatus est. Præterea, ideo quoque maledixit serpenti, quòd is homini peccandi causa vel occasio extitisset: sicut lege diuina (vt est in Leuitico cap. 20.) sancitum fuerat, vt iumentum cum quo quispiam coiuisset, lapidibus obrueretur atque interficeretur.

Quatuor causæ cur Deus secundũ Barcepham, male dixerit serpẽti, licet is nihil peccasset.

DEINDE, ita Deus maledixit serpenti propter Satanam, vt maledixit terræ propter Adamum, & ad eundem modum iumenta volucresque propter hominum peccata diluuio periere, quæ non deliquerant tamen: quin etiam animantes quotidie, licet insontes, pro delictis hominum mactabantur in sacrificiis. Dauid quoque 2. Reg. cap. 1. maledixit montibus Gelboë, propterea quod in illis ceciderant

Saul & Ionathas à Philistæis interfecti. Quid quod hac etiam de causa serpenti maledicere voluit Deus, quò Adam & Eua videntes quantam sustineret ex diuina maledictione serpens ille mulctam, pedibus orbus, ac super vētrem proreptans: animaduerterent atque intelligerent in quàm grauem ipsi cecidissent errorem, quantumque flagitium admisissent serpenti obtemperantes, ac proinde magno in posterum continerentur metu. Si quis obiiceret istis, serpētem illum naturaliter ambulasse supra pectus suum, non igitur fuisse id *velut* admissi sceleris pœnam: responderent ipsi, serpentem illum antea non super pectus suum, sed pedibus esse ingressum, quibus posteà propter illud scelus sit mulctatus.

EPHRAEM igitur, & item Barcephas, aliique cēsuerunt, anguem illum fuisse antea de genere bestiarum quadrupedum, sed quia fuit Satanæ organum, & idcirco inhæsit ipsi diuina execratio, ex bestia pedibus ingrediente, factum est reptile animal prono ventre prorepens: sicut etiam Satan quia præuaricatus fuerat, ex Angelo euasit dæmonium, & vxor Loth retro contra Dei præceptum respectans, ex muliere transmutata est in statuam salis. Nec incredibile videri debet, serpentem illum aliquando præditum fuisse pedibus, cum Plinius lib. 11. ca. 46. tradit visas serpentes anserinis pedibus, nec id portenti loco memorat.

Genes. 19.

Serpētes Auctore Plinio aliquando visas anserinis pedibus.

VERVM ENIM VERO dicet aliquis, cur saltem non simul cum serpente etiam ipsum Satanam execratus est Deus? Respondent illi, idcirco Deum non maledixisse Satanæ, ne Adamus & Eua animaduerterent spiritum aliquem incorporeum fuisse intra serpentem, eóque in grauiores multô raperētur errores: neque enim adhuc sciebant aliquid esse præter Deum, quod oculis cerni non posset. Ad hæc, propter Hebræorum quoque imbecillitatem, noluit Moses spiritum qui intra serpentem latuerat prodere: ne scilicet illi aduersariam Deo potestatem esse vllam opinarentur, quæ maioribus freta viribus posset aliquid inuito agere Deo, vel certè eius consiliis obsistere, & quæ designauerat ipsi, ne ad exitum finémque perducerentur impedire. Hæc isti. quam etiam opinionem secutus est Tostatus super cap. 13. libri Gen. 688. q.

Confutatio primæ opinionis.

VERVM hæc sententia fortissimo refellitur argumento. Nam vt demus illum serpentem, quia organum is fuerat Satanæ ad scelus illud patrandum, ita fuisse à Deo mulctatum: nulla tamen ratio erat, vt omne genus serpentum qui & tunc erant, & deinceps omni tempore procreandi erant, eadem pœna plecterentur, cùm nec eius sceleris fuissent participes, nec ex eo qui sceleris perficiendi organum fuerat, progenerati essent. Adiice, quod Deus propter peccatum, quæ naturalia sunt, nec dæmoni nec homini ademit, nedum serpenti. Quod si serpens ille suapte natura carebat pedibus, quomodo consentaneum est fuisse id in pœnam ei inflictum, quod antea in eo erat secundum naturam? Tostatus respondet, licet ea naturaliter conuenirent

A uenirent serpenti, attamen eo dicta fuisse illi, vt Deus quodammodo satisfaceret mulieri pro damno quod à serpente ipsa acceperat: putabat enim mulier illa Dei maledicta non esse naturalia serpenti, sed irrogata ei esse tanquam sceleris pœnas & supplicia. Sed hoc valdè friuolum ac futile responsum est, tantóque Tostati ingenio minime dignum. Ecquis enim inducat in animum credere, Deum voluisse satisfactionem dare mulieri, quæ tam stultè, superbè, & iniuriosè in ipsum peccauerat? Et qualis obsecro istiusmodi fuisset satisfactio, inanis nempè fucata & ficta, quæque non veritate, sed falsa mulieris opinione niteretur. Quod si serpens cùm accessit ad mulierem non habebat pedes, iam igitur antea mulier viderat naturale serpenti esse pedibus carere: nec profecto ea simulatio Adamum naturæ animalium scientissimum latere potuisset. Quamobrem ridi-
B culum ei videri potuisset, id pro supplicio imponi serpenti, quod ei natura tribuisset.

Secunda opinio fuit Didymi.

SECVNDA opinio fuit Didymi, qui magister fuit B. Hieronymi, qui vt in Catena Lippomani citatur hæc prodidit: Quidam ex eo quod serpens maledictus est, arbitrati sunt, sublimen ore & erectum corpore aliquando fuisse serpentem: nõ animaduertentes quod non illum solum ex genere serpentum Deus rectum & pedibus ingredi-tem fecisset. Verùm quoniam eum diabolus allocuturus mulierem erexit: ideo iussus est vt in pectus & in ventrem caderet. Putauit igitur Didymus serpentem illum reuera caruisse pedibus, fuisse tamen ad tempus quò deciperetur homo opera dæmonis erectũ, vt arduus & sublimis ingrederetur: ideóque dixisse illi Deum, *super pectus tuum*
C *gradieris*. quasi diceret, licet diabolus te erexerit & cello corpore ingredi fecerit, redibis tamen ad tuam pristinam naturam.

Refellitur Didymus.

NON assentior Didymo: quòd enim dicit, nullius probatæ auctoritatis aut verisimilis coniecturæ fundamento fulcitur. Nec sanè fuisset pœna serpenti redire ad naturalem sui corporis habitum & motum. Quid quod si dæmon serpentem erexisset, exacta tentatione ad naturalem statum suum rediisset serpẽs, & ita comparuisset coram Deo? quocirca illa Dei maledictio minimè conueniens ei fuisset. Denique non potuisset id fugere Adamum: siquidem is nouerat naturas & proprietates animalium, & cum ad illum deducta sunt animalia, serpentem humi reptantem viderat.

Tertia opinio Augustini & aliorum maledictionẽ serpentis ad solum diabolum pertinere. Augustin. Beda in Hexameron. Rupertus lib. de operibus Trinit. c. 18. Hugo de S. Victore.

D TERTIA sententia primæ opinioni planè contraria, plurimorum est Doctorum. Augustini lib. 2. de Genesi contra Manichæos. ca. 17. & 18. & libro 11. de Genesi ad litteram cap. 36. Bedæ item, Ruperti, Hugonis de S. Victore, Caietani, aliorúmque complurium super hoc loco Geneseos, qui ea maledicta quæ Deus in serpentem dixit, non ad verum serpentem, sed sub illius vocabulo & figura ad solum diabolum pertinere arbitrantur. Etenim diabolus, serpens dicitur propter causas à nobis suprà expositas. Dicitur maledictus inter bestias terræ, quia damnatus est æternis pœnis, & quicquid in

bestiis

bestiis corporaliter cernitur obscœnum, fraudulentum, aut trucu- A
lentum, id multo magis in dæmone spiritualiter reperitur. Super
Quid significet super pectus, & super ventrē gradi. pectus & ventrem graditur dæmon, quia duabus viis adoritur se-
ducere homines per superbiam scilicet quæ figuratur pectore, & li-
bidinem quæ adumbratur ventre. Vel quia in pectore est irascibi-
lis in ventre concupiscibilis: quos appetitus commouet & incendit
dæmon, vt hominem ad grauissima flagitia rapiat. Vel secundum
Gregorium lib. 21. Moralium capit. 2. per ventrem significatur exe-
cutio operis luxuriæ: per pectus autem, eius cogitatio & desiderium:
dæmon enim quos non potest ad luxuriæ effectum perducere, in-
terna nititur cogitatione polluere. Idem Gregorius in tertia parte
curæ pastoralis Admonitione 20. prædicta verba sic explanat: *Vnde*
& hosti callido, qui primi hominis sensum in concupiscentiam pomi aperuit, B
sed in peccati laqueo strinxit, diuina voce dicitur: Pectore ac ventre repes: si
ei apertè diceretur, Cogitatione & ingluuie super humana corda dominabe-
4.Reg.25. *ris. Quia gulæ deditos luxuria sequitur: Propheta testatur, qui dum aperta*
narrat, occulta denunciat, dicens, Princeps coquorum destruxit muros Hieru-
salem. Princeps namque coquorum venter est, cui magna cura obsequium à co-
quis impenditur, vt ipse delectabiliter cibis impleatur. Muri autem Hieruſa-
lem, virtutes sunt animæ ad desiderium supernæ pacis eleuatæ. Coquorum igi-
tur princeps muros Hierusalem deijcit, quia dum venter ingluuie extenditur,
virtutes animæ per luxuriam destruuntur: Hæc Gregorius.

Quid sit, Terram comedes cunctis diebus vitæ tuæ. Illvd, *Terram comedes cunctis diebus vitæ tuæ*, significat homines
terrenis cupiditatibus affixos, qui sunt velut esca diaboli quam ille C
auidissimè captat, simúlque indicat quantopere diabolus hominum
perniciem esuriat, vt rectè S. Petrus illud in eum dixerit, *Tanquam*
1.Petri 5. *leo rugiens circuit, quærens quem deuoret.* Audi quid in eamdem senten-
tiam scribat Sanctus Gregorius explanans illum versiculum psal-
mi centesimi primi, qui numeratur quartus inter psalmos de pœ-
nitentia, *Et terræ eius miserebuntur. Per terram*, inquit Gregorius, *pec-*
catores accipimus: vnde serpenti à Domino dictum est, Terram comedes om-
nibus diebus vitæ tuæ. Antiquus enim hostis terram comedit, quia peccatores
quosque in ventrem suæ malitiæ abscondit: isque hominum perditionem dese-
derans, quodammodo reficitur, dum prauis eorum operationibus delectatur. Il-
lud autem, Cunctis diebus vitæ tuæ, designat omne tempus huius vitæ vsque ad D
consummationem sæculi, quo tempore permissum est dæmoni homines tentare,
decipere, ac perdere: quod ille pro vita & magna voluptate habet. Quamobrem
Matthæi 8. *dæmones rogabant Christum ne mitteret eos in abyssum, & alij dicebant ei, Ve-*
nisti huc ante tempus torquere nos.

Non omittam, vt quemadmodum supradicta verba Rupertus li-
bro tertio de Trinitate & operibus eius, capite 18. interpretetur, hic
silentio præteream. *Quid sibi vult*, inquit Rupertus, *quod dictum est ser-*
penti, Super pectus tuum gradieris? num, priusquam dæmon per eum locutus es-
set, pedibus ambulabat pectore à terra sublato: postea verò ademptis, pedibus,
super pectus gradi cœpit, squamis suis & costis pro pedibus & cruribus vtens,

A *& presso repens incessu? Nonne antequam Deus hominem fecisset, produxerat iumenta terræ & bestias omniaq; reptilia, in quibus proculdubio erant serpentes? Quomodo igitur pro pœna infertur illi, quod fuerat illi prius à natura tributum? Igitur sub nomine serpentis quem inuasit diabolus, ipse illis maledictis percutitur: Et qui superbia similis Altissimo fieri concupiuit, propter malitiam suam, infimæ creaturæ quam ipse vitiauit, iudicatur fieri pœnaliter similis. Ergo illius maledictionis hic est intellectus: Sicut hoc reptile cuius calliditate abusus es, super pectus suum graditur, & se ipsum in terram premit: sic tu cum sis rationalis spiritus, rationem tuam semper graui fatuitate onerabis, & quocumque te verteris, semper intentionem tuam deorsum conferes & factis premes contrariis. Inuidendo enim euacuasti meritum hominis: sed*

B *hoc facto gratiæ Dei locum aperuisti, cui amplius inuidebis, dum homo seipso tanto fit altior, quanto gratia Dei cuiusque creaturæ meritis est maior. Dum Deo volens aduersaris: Deo nolens cooperaris: & miro modo cum mala intendis: bona facis: & dum, quasi malleolus, aurum Dei nequiter affligis, affligendo magis etiam extendis ad gloriam. Terram comedes & non cœlum, hoc est, non quorum conuersatio in cœlis est, sed qui terrena sapiunt, illi cibus tuus erunt. Malus operarius & nequam seruus, Deo tamen vtilis, fatigationem iracundiæ tuæ talium deuoratione consolaberis.* Sic Rupertus.

Ex eo autem quod sequitur *Inimicitias ponam inter te & mulierem*, argumentatur Hugo, Euam egisse pœnitentiam de suo peccato &

C fuisse saluam. Nam si deinceps Eua fuit inimica diabolo, ergo fuit grata & amica Deo. At enim, parum est firma hæc argumentatio: hic enim per mulierem non sola intelligitur Eua, sed omne genus mulierum deinceps omnibus sæculis futurum: sicut per serpentem non ille vnus dũtaxat, sed vniuersum genus serpentum intelligi debet. Per semen autem serpentis, quidam interpretantur minores diabolos qui Luciferum in peccando secuti sunt, alij, homines malos intelligunt diaboli discipulos, alumnos, & administros. Quapropter de Iudæis dixit Dominus, *Vos ex patre diabolo estis, & desideria patris vestri vultis facere.* Semen autem mulieris, significat eius progeniem tam masculinam quàm fœmininam. futuri enim erant inter viros &

D fœminas permulti, qui cum diabolo fortiter dimicando eum debellaturi erant, & glorioſissima de eo parta victoria triumphaturi.

Quid sit semen mulieris, & semen serpentis.

Ioan. 8.

Illvd *Tu insidiaberis calcaneo eius*, significat diabolum propterea dici calcaneo hominis quæ est vltima pars corporis, insidiari, quia in primis cupit vitiare intentionem hominis, & bonum actionum finem, eoq; spectat omnis eius tentatio & oppugnatio, vt hominem retrahat ab vltimi finis adeptione. Et quamuis per totam vitam insidietur homini, id tamen in extremo vitæ potissimum facit: quo quidem tempore & callidius insidiatur, & instantius premit ac vexat, & potentius infestat hominem. Ponam hic quæ in eandem sententiam hunc ipsum Geneseos locum tractans scribit S. Greg. in primum caput Iob super illis verbis, *Ne forte peccauerint filij mei, & benedixerint Deum in cordibus suis: Cum antiquus hostis*, inquit, *neque in exordio intentionis*

Quid sit serpentem insidiari calcaneo hominis.

tionis ferit, neque in itinere actionis intercipit, duriores in fine laqueos tendit, quem tanto nequius obsidet, quanto solum sibi remansisse ad decipiendum videt. Hos namque fini suo laqueos oppositos Propheta conspexerat, cùm dicebat, Psal.55. Ipsi calcaneum meum obseruabunt. Quia enim in calcaneo finis est corporis, quid per hunc nisi terminus signatur actionis? siue ergo maligni spiritus, siue praui quique homines illorum superbiæ sequaces, calcaneum obseruant, cum actionis bonæ finem vitiare desiderant. Vnde & eidem serpenti dicitur. Ipsa tuum obseruabit caput, & tu calcaneum eius. Caput namque serpentis obseruare est initio suggestionis eius aspicere, & manu solicitæ considerationis à cordis aditu funditus extirpare. Qui tamen cum ab initio deprehenditur, percutere calcaneum molitur: quia & si suggestione primam intentionem non percutit, decipere in fine tendit. Si autem semel cor in intentione corrumpitur, sequentis actionis medietas & terminus ab hoste callido securè possidetur, quoniam totam sibi arborem fructus ferre conspicit, quam veneni dente in radice vitiauit. Hæc Gregorius. A B

Quid sit conterere caput serpentis.

SEQVITVR *Et ipsa conteret caput tuum.* Hoc multi referunt ad B. Virginem, qua vt nullus fuit hominum (vno excepto Domino nostro) gratior & amicior Deo; ita nullus fuit inimicior & inuisior diabolo. *Ipsa proculdubio*, vt verbis vtar Bernardi quæ sunt in Homilia eius secunda super Missus est, *caput contriuit venenatum, qua omnimodam maligni serpentis suggestionem tam de carnis illecebra, quam de mentis superbia deduxit ad nihilum*. Cuius mulieris semen Christus fuit. Et rectè: solus namque hominum ex fœmina tantùm sine virili commixtione generatus est. Et hic contriuit caput serpentis (nam Hebraicè illud pronomen *Ipse*, non ad mulierem sed ad semen refertur) caput autem diaboli, fuit peccati & mortis potestas, quam ille in omnes habebat: & hanc Christus contriuit atque destruxit. C

Euangelium Christi ab exordio mundi manifestari cœpit. Apoc.13.

PRODITVM est à multis, iam hoc loco & in ipso mundi exordio cœptum esse prædicari Euangelium de Messia venturo mundi Saluatore, & diabolici imperij euersore, atque ob eam causam in Apocalypsi appellari agnum occisum ab origine mundi, quia scilicet pretiosissima eius mors iam inde à mundi origine significari, & vim suam exerere, ac salutarem effectum habere cepit. Addunt

Adam credidit in Christũ vt mundi Redemptorem.

præterea Doctores, hoc mysterium cognouisse Adamum, & in Christum venturum qui peccati sui expiator, & totius humani generis redemptor futurus erat, credidisse, seq; eius gratia & futuræ passionis eius efficacia à peccato suo liberatum iri sperauit. D

Refellitur tertia opinio.

ATQVE hæc est multorum sententia, & diuinæ maledictionis serpentis interpretatio. Quam nos, vt allegoricam & mysticam, maximè, vt historicam verò, non omnino probamus: & vt ex parte libenter amplectimur, sic vsquequaque non sequimur. Etenim Deus maledixit serpenti qui cernebatur ab Eua & Adamo, & maledixit ei comparando eum cum bestiis terræ: *Maledictus*, inquit, *es inter omnia animantia & bestias terræ*: diabolus autem nec visus est primis homini

A hominibus, nec in eum illi sed in serpentem erroris sui culpam reiecerunt. Et nimis durum ac violentum est, diabolum cum bestiis terræ comparari: nec sanè Deus maledicens diabolo, præcisè ac simpliciter appellasset serpentem. Quamquam Hugo Sancti Victoris propterea dicit Deum maledicentem diabolo, vocabulo serpentis perpetuo eum appellasse, quia is figuram & speciem serpentis induerat. *Vt si quis*, inquit, *quo posset aliquid ex monasterio furari, monachalem habitum indueret, qui cum illo habitu deprehensus à iudice damnaretur, & diceret iudex ministris, suspendite istum monachum, propter habitum scilicet monachalem quem sibi ille circumdiderat, & cum quo deprehensus & ad iudicem adductus fuerat.* Sed ridiculum est exemplum. Et verò, secundum Hugonem Deus hæc per irrisionem dixisset diabolo,
B appellans eum serpentem, nec id mysterium Adamus aut certè Eua intellexissent.

Quarta sententia, quæ præ cæteris placet Auctori.

Restat quarta sententia, quæ nobis similior vero, id est, narrationi Mosis aptior atque congruentior videtur. Arbitramur, illam serpentis maledictionem secundum historicum sensum ad verum serpentem pertinuisse, secundum autem sensum mysticum, à Deo tamen principaliter intentum & cùm ea maledicta in serpentem pronunciauit, & cùm ea scriptis à Mose prodita immortali posteritatis memoriæ commendari voluit, ad diabolum esse referendam. Etenim ad scelus illud perficiendum, & diabolus princeps eius sceleris auctor, & serpens tanquam diaboli organum conuenerunt.
C Sed quia solus serpens cernebatur & audiebatur, dæmon autem qui intra serpentem latens maleficium illud operatus est sensum omnem fugiebat, idcirco maledicta illa historico modo de serpente pronuntiata sunt, & de eo intelligi debent, de diabolo autem figuratè & μυστικῶς. Exempli causa, vt rem hanc alia re simili confirmemus, scriptum est in libro Numerorum capitulo vigesimoprimo, ad sanandos lethales morsus serpentium à quibus percussi fuerant Hebræi, Mosen Dei iussu serpentem æneum in sublime elatum Hebræis cernendum proposuisse: cuius illi aspectu, tanto illo malo liberabantur. Illa igitur narratio, secundum historicum & litteralem sensum ad serpentem æneum pertinet, secundum sensum allegoricum &
D mysticum, principaliter ad Christum Dominum referenda est, sicut ipse Dominus apud Ioannem capite tertio indicauit, factum illud ad sese, vt illustrem suæ passionis & mortis imaginem, applicans.

Quod autem illa maledictio serpentis de vero serpente intelligi debeat, ex his manifestum fit quæ supra disputauimus, cùm tertiam opinionem confutaremus. Cum enim hæc narratio Mosis, non minus quàm superiores omnes historica sit, eam secundũ propriam verborum quibus describitur, significationem intelligere & interpretari necesse est. Nec sanè hoc Lectori erit difficile creditu. Illud tamen videbitur arduum ad explicandum, & ad persuadendum

difficile:cum enim, quæ Deus dixit serpenti ei maledicens, fuissent A
in eo ante illam tentationem, quin etiam sint ei naturalia:quomodo
supplicij & pœnarum loco ei potuerunt aut debuerunt infligi?nulla
enim propter illam maledictionem noua vel serpenti, vel diabolo
accessit pœna.De serpente quidem iam diximus: idémque in diabolo
manifestum est: quippe ab initio diabolus propter peccatum suum
æternis damnatus est inferni suppliciis, ex eóque tempore nullam
amplius meretur nouam pœnam, sicut nec Beati nouam glorian es-
sentialem mereri possunt. Vtriq; enim iam sunt in termino, ad quem
qui perueniunt, nec benè nec malè merendi potentes sunt. Quod si
dæmon propter illam tentationem Euæ nouam meruisset pœnam:si-
mili profecto ratione propter innumerabiles tẽtationes quibus quo B
tidie homines decipit ac perdit, nouis quotidie pœnis innumerabili-
bus mulctaretur. Declarare igitur quemadmodam ea quæ serpenti
dicta sunt, & fuerint ei naturalia,& nihilominus tamen vt pœnas sce-
leris ac supplicium eidem sint illata, hoc opus, hic labor est. Verùm
& hoc expedire,quantum nempè rei obscuritas,& nostræ fert facul-
tatis tenuitas, enitemur.

Quemadmodum maledictio illa serpẽtis fuerit ei in pœnam & supplicium.

SCIENDVM igitur est, maledicta illa serpentis, simpliciter &
absolutè loquendo, fuisse naturalia serpenti,vt sæpè dictum est:quo-
dammodo tamen post illam tentationem & peccatum primorum
hominum fuisse ei tanquam pœnas & supplicium: non quidem ha-
bito ad serpentem respectu,qui nullam ex illis pœnam sensit, sed ha- C
bito respectu ad hominem. Nam quæ antea fuerant serpenti natura-
lia, post peccatum,eidem fuere apud homines ad magnum dedecus,
opprobrium,odium, & execrationem:qui enim antea nõ fuisset ho-
mini propter ista inuisus & execrabilis: post peccatum infamis,exo-

Naturalis antipathia inter hominem, & serpentem.

sus, & abominabilis extitit. Est quidem, vt inter alia animalia, sic
inter hominem & serpentem naturalis & vehemens quædam anti-
pathia:vterque enim alterum naturaliter odit & auersatur,sed ea sin-
gulari prouidentia & potentia Dei cohibebatur ante peccatum, co-
hibenda pariter omni tempore quo status ille felicissimus innocen-
tiæ permansisset: cohibebatur,ne erumperet in actum secundum,id
est,in mutuum odium,& nocendi studium atque conatum: quo fie- D
bat, vt id temporis nec homo serpentem exhorresceret, nec serpens
insidiis hominem appeteret. At post peccatum amissa originali iusti-
tia: sublatáque singulari prouidentia & protectione Dei, natura-
lis illa serpentis & hominis antipathia relicta est libera, vt in actum
prodiret: ex quo factum est, vt posteà naturaliter homo serpentem
horreat, non secus quàm ouis lupum, pullus miluum, & mus felem:
& ipse serpens naturali quodam instinctu hominem odio & insidiis
persequatur. Hæc igitur quæ naturalia quidem per se sunt, sed ante
peccatum tamen singulari munere Dei repressa tenebantur, post
peccatum soluta & naturæ suæ permissa sunt,Est autem quędam ve-
lut pœna & supplicium serpentis, vt ex illo tempore eum homo su-

per

A per alia animalia oderit, auersetur, abominetur, & quoquo modo lædere, ac perimere conetur.

POTEST hoc, exemplo mortis quæ propter peccatum homini accidit, declarari & confirmari. Mors enim naturalis est homini, & quidem naturalis erat etiam ante peccatum: homo enim naturaliter mortalis est: verùm eximio & admirabili beneficio Deus in statu innocentiæ mortem ab homine propulsabat & arcebat, ita vt, si nunquam homo peccasset, nunquam mortuus fuisset. Propter peccatum autem spoliatus homo iustitia originali, & illa singulari protectione Dei, destitutus, suæque permissus naturæ, in mortem incurrit. itaque factum est, vt licet mors naturalis sit homini propter peccatum: ta-
B men, vt eius pœnam & supplicium, homini eam contigisse, in sacris litteris proditum & testatum reperiamus.

VOLVIT igitur Deus supplicium esse serpenti, quod prius erat *Genesis 9.* natura: quemadmodum arcus cœlestis fuerat ante diluuium, & fit naturaliter. Deus tamen eum, nunquam in posterum futuri diluuij, signum esse voluit. Eadem quoque fuit natura serpenti post peccatum quæ anteà fuerat: sed cuius forma sumpta est & accommodata ad maleficium, damnata est ad supplicium, pronunciatio ad dedecus & opprobrium, eo quod naturale prius erat, nec, si peccatum non fuisset, infame & execrabile visum esset. Atque hæc fuit damnatio, vt cuius natura est ad fraudem adhibita, confirmata esset ad dedecus, vt esset ei turpe talem esse, cui talem esse prius naturale ac decorum fue-
C rat: Deo volente, vt quod ipse antea serpentis naturam fecerat, deinceps instituto suo, cuius cõsilio omnis obsequitur natura, idem probro & supplicio esset. Nihil igitur damni serpenti accidit: tantùm infame iussum est esse, quod si non esset iussum, fuisset naturale. Nam vt venerabilis & amabilis est crux Domini, in qua genus humanum est redemptum: sic maledictus & abominabilis est serpens, per quem fraus & perditio humani generis perpetrata est. Nec sanè opus erat serpenti nouo supplicio, satis enim ei supérque malorum est: viuit humi reptando per terram, & cum labore corpus trahendo mouetur: in locis desertis & obscuris & abominatis habitat, & pessimis
D hominibus ad maleficia inseruit: tantùm erant hæc demonstranda, diuinóque decreto ad ipsius dedecus & execrationem referenda. Quemadmodum igitur, quod maledictione serpentis continetur, licet ei naturale sit, nihilominus tamen ad eius pœnam & supplicium quodammodo pertineat, ex his quæ breuissimè docuimus, facilè, vt opinor, lector intelliget.

QVAESTIO V.

Cur diabolus serpentis formam potius quàm aliam quampiam assumpserit.

SVPERSVNT duæ quæstiones, priusquam ad explanationem Mosaicæ historiæ transeamus, hoc loco enodandæ. Altera est, cur dæmon sub specie & forma serpentis, potius quàm vel hominis vel alius cuiuspiam animalium, Euam adoriri, & scelus illud perficere voluerit. Altera quæstio est, cur Moses de serpente tantùm locutus sit, nullum de diabolo qui per serpentem locutus & maleficium illud operatus est, verbum faciens. A

PRIMO igitur quæritur, Cur dæmon speciem serpentis assumpserit potius quàm vel hominis vel maiorum bestiarum, cuiusmodi sunt cameli, elephantes: aut cur non ipse oculis Euæ inaspectabilis, per voces tamen humanas ab ipso formatas in aëre, quæ, scilicet, ab Eua possent exaudiri & intelligi, eam non tentauerit? Respondet Augustinus ad hanc quæstionem dupliciter. Nam in libro 11. super Genesim ad litteram capite 3. ad hunc modum scribit: *Non est putandum quod diabolus serpentem per quem tentaret elegerit: sed cum decipere cuperet, non potuit nisi per quod animal posse à Deo permissus est. Nocendi enim cupiditas ineſt cuique à se, sed potestas à solo Deo est.* Significat igitur Augustinus, propterea dæmonem non esse vsum alio animali quàm serpente, quia solius serpentis ad illam tentationem exequendam vsus à Deo ipsi permissus est. At idem libro 14. de Ciuitate Dei cap. 11. aliam & quidem probabiliorem affert causam: *Diabolus*, inquit, *male suada versutia in hominis sensum serpere affectans, cui vtique stanti (quoniam ipse ceciderat) inuidebat, colubrum in Paradiso corporali, vbi cum duobus illis hominibus cætera etiam terrestria animalia subdita & innoxia versabantur, animal, scilicet, lubricum & tortuosis anfractibus mobile, operi suo congruum, per quem loqueretur elegit, eóque per angelicam præsentiam præstantiorémque naturam spiritali nequitia sibi subiecto, & tanquam instrumento vtens, fallaciam sermocinatus est fœmina.* Sic Augustinus. B C

Duplex responsio Augustini ad quæstionem propositam.

ADDIT præterea Magister sententiarum libro 2. distin. 21. *Ne fraus dæmonis*, ait, *nimis esset manifesta in sua specie ille non venit, ne aperte cognitus, statim repelleretur. Ne nimis occulta eius fraus non facilè caueri posset, non in alia forma venire permissus est quàm serpentis quæ nimirum eius detegendæ malitiæ admodum congruebat, vt per illud quod foris erat, astutiam tentantis facilè posset fœmina animaduertere. Voluisset quidem dæmon in specie columbæ venire: hæc nempe, vt animal innoxium & simplex, ad mulierem decipiendam congruentissimum diabolo fuisset instrumentum: sed non erat consentaneum & conueniens, vt per immundum & malignum spiritum redderetur homini columba inuisa & exosa, in cuius posteà specie Spiritus sanctus hominibus erat appariturus.* Hactenus ex Magistro. D

AT verò Moses Barcephas in libro de Paradiso capite 27. enucleatiùs hanc quæstionem tractans, *dæmonem*, tradit, *non apparuisse humana specie, quod sciret Euam non ignorare, alium præter se suumque maritum, hominem esse nullum: nec Deum permisisse vt dæmon hominem simularet ne iustam aut certè probabilem haberet Eua sui erroris excusationem, quod*

ab homi

A *ab homine sibi simili fuisset circumuenta. In figura verò maiorum bestiarum non apparuit, quòd hæ species vastorum animalium nimio metu concussissent & perturbassent mulierem. Quod si eius audisset verba mulier, cuius speciē aut figuram vidisset nullam, nonne eo magis fuisset consternata, nec eius dictis auditum aut assensum accommodasset? Præ cæteris autem animalibus diabolus serpentem sibi in organum delegit, vel potius solum omnino animalium à Deo permissum induit. Primò, vt eo facilius malitia eius deprehendi posset. Tum quia serpens omnium animalium est tortuosissimus, &* B *ad nocendum homini callidissimus atque insidiosissimus, nocendique cupidissimus: videlicet lingua, morsuque venenato exitialis homini. Deinde, vt intelligeretur ad quantam vilitatem & miseriam propter peccatum dæmon esset abiectus, ex similitudine serpentis, qui non sublimis & rectus ingreditur, sed humi prostratus humiliter serpit. Postremò, vt quemadmodum inter hominem & serpentem naturalis est inimicitia & odium, sic existimemus inter dæmonem & hominem perpetuum esse dissidium spiritale.* Hæc ferè Barcephas.

QVAESTIO VI.

Cur Moses in hac historia nullam diaboli mentionem fecerit.

C SED cur Moses in hac historia perpetuô serpentis, nusquam autem diaboli qui eius tamen facinoris architectus fuit & effector, mentionem fecit? Respondemus, Mosen rei gestæ scriptorem non interpretem egisse: & idcirco qualis res visa est, talem ab ipso esse descriptam: non item explicatum quemadmodum se re vera haberet. Eua autem serpentem videbat, serpentem secum loquentem audiebat: diabolus tametsi latebat intra serpentem, Euæ tamen clam erat, oculorum & aurium eius sensum fugiens. Hoc igitur ipsum Moses scripto suo prodidit: sicut etiã in hoc ipso libro Geneseos infra cap. 18. tres viros quos vidit Abraam & hospitio accepit, viros nominauit, cũ viri non essent sed Angeli: & cap. 32. Angelum qui cum Iacob luctatus est, virũ item appellauit. Quod si Paulus, qui tãto temporis interuallo Mosen
D secutus est, cùm res iam tum explicatæ essent, serpenti non Satanæ imposturam attribuit, in cap. 11. posterioris Epistolæ ad Corinthios ita scribens: *Timeo ne sicut serpens Euam seduxit astutia sua, ita corrumpantur sensus vestri & excidant à simplicitate quæ est in Christo*: cur nõ meritò Moses, qui tam multis ætatibus Paulũ antecessit, fraudẽ serpenti ascripsisse videatur? scriptoris enim est res gestas narrare: at interpretis munus est à scriptore prodita explanare. Quare Moses qui scriptor non interpres esse voluit, rectè narrauit serpẽtem cũ Eua collocutum esse: non autem dixit Satanam intra serpẽtem fuisse occultatum. Cæterùm absoluta earum quæstionum & difficultatũ explicatione, quas de serpẽte & diabolo tractare institueramus super illis verbis Mosis,

Serpens

Serpens erat callidior cunctis animantibus terræ, rursus ad interpretationem historiæ & verborum Mosis redeundum est. A

Cur præcepit vobis Deus vt non comederetis ex omni ligno Paradisi.

GEN. C. 3. VERS. 1.

VERISIMILE est, plura verba quàm quæ hic narrantur, inter Euam & serpentem vltro citroque esse habita; sed Mosi breuitatis studioso visum est satis, eius sermonis principes sententias, quæ videlicet faciebant ad declarandum qua ratione primi illi homines transgressi essent mandatum Dei, in sua historia commemorare. His autem verbis ostendit dæmon se bene velle illis hominibus, & de eorum vtilitate ac bono curam agere. Interrogatione vero adortus est mulierem, vt eam ad sibi respondendum prouocaret. Finis verò eius interrogationis fuit, efficere vt præceptum illud Euæ videretur graue, durum, & iniquum, ob idque vehementer ei displiceret. *Cur*, inquit, *præcepit vobis Deus, &c.* quasi diceret, Non satis erat dedisse vobis legem naturalem, supérque addidisse supernaturalem fidei, spei, & caritatis, nisi etiam solis omniũ animantium vobis iugum legis positiuæ imponeret? Duo sunt rerum genera in quibus dęmon hominem tentat: alterum ad fidem, alterum ad mores & præcepta agendi vel non agendi pertinet. In hoc tentat dicendo, cur? quorsum? in illo, quomodo fieri potest? B

ILLVD *Vt non comederetis ex omni ligno*, duplicem sensum potest reddere: Vel vt idem significet, quod *Ex nullo ligno*, & sic ferè exponitur: consulto enim dæmon falsò memorauit præceptum Dei, vt mulierem ad sibi respondendum adduceret: Vel, vt idem significet quod, *Ex non omni*, & ita Tostatus, multiq́ue alij accipiunt. Rupertus expendens hanc serpentis interrogationem: *Quia*, inquit, *diabolus caupo nequissimus est, suam interrogationem mendacio polluit dicendo, Cur præcepit vobis Deus ne comederetis de omnĩ ligno Paradisi? Quamuis enim, quod sub interrogatione profertur, nec verum nec falsum sit; mendacium tamen hic serpens manifestè sibilauit, rem sicut erat se nescire simulans, vt paulatim felle suo miseram audientis venenaret animam. Non dixit, Cur præcepit vobis Deus, ne de illo vno ligno comederetis: Sed de omni ligno Paradisi. Cur ergo sic locutus est nisi vt paulatim serpendo venenum odij quo ardebat ipse contra Creatorem, magis ac magis inijceret homini, & cum aggeratione quasi indigni præcepti conflaret indignationem, excitaretque audaciam rebellandi? Et vide quanta fuerit fallacia deceptoris subtilitas. Tria nempe dixerat Deus, Ex omni ligno Paradisi comede, hoc vnum est: Alterum verò, De ligno scientiæ boni & mali ne comedas: Tertium denique, In quocumque die comederis ex eo, morte morieris. Hoc vltimum quasi nesciat diabolus, dicit, Cur præcepit vobis Deus? Superiora duo confundit ac permiscet, & de duobus veris vnum falsum complet dicendo, Ne comederetis de omni ligno Paradisi? Verum profectò dixit Veritas, Quia ille homicida fuit ab initio, & in veritate* C D

Ruper. lib. 2. de Trinit. & operibus eius. cap. 4.

Ioan. 8.

non

A *non stetit. Cum loquitur mendacium, ex propriis loquitur. quia mendax est & pater eius, scilicet mendacij quod loquitur. In quo dicto proculdubio Dominus præsens hoc caput attendebat, quasi diceret: Ab initio suæ confabulationis cum homine, diabolus homicida & mendax est: quia videlicet in exordio suæ locutionis inuenitur mendax, & homicidium intentat. O igitur antiquum peccatorem, ò vetustum homicidam, & primum mendacij patrem, vere serpentem versipellem & nequam.* Sic Rupertus.

CIRCA illam dictionem *Cur*, paulùm variat Hebraica scriptura, quæ habet, אפכי, *Aphchi*, quod variis modis exponitur. Quidam, *Ita omnino?* alij, *Vere ne?* nonnulli, *Etiamne?* quod videtur consentire cum translatione Chaldaica, quæ ad verbum reddit hanc sententiam: *In veritate dixit vobis Deus?* Latinus interpres secutus est Septuaginta, qui ad verbum habent *Quid*, vel, *Cur dixit vobis Deus*, Oleaster B dicit illud *Aph*, interdum significare iram, eámque significationē putat maximè huic loco congruere, vt sit hæc lectio: *Ira, quoniam dixit Deus, Non comedetis de omni ligno horti*: quasi apertius diceret: Ira est Deo aduersum vos, aut, Iratus vobis Deus est: cuius iræ indiciū est, quod vetuit vos ex omni ligno Paradisi comedere. Rabbi Dauid pro illo *Cur*, interpretatur, *Quanto magis?* dicítque serpētem ante hæc verba dixisse alia mulieri, hæc nempè, vel alia similia: Deus odio habet vos, quamuis cunctis animalibus nobilitate præcellatis: non enim dedit vobis pulchritudinem pauonum, fortitudinem leonum, velocitatem ceruorum: quanto magis, cùm dixerit vobis ne comederetis ex omni ligno Paradisi? ex quo agnoscere potestis odio vos esse C Deo. *Neque additio hac*, inquit Rabbi Dauid, *dura videri debet: tum quia dictio* בי *Chi, semper addit aliquid supra id quod dicitur: tum quia mos est diuinæ Scripturæ, ex fine verborum facere principia eorum intelligere, vt de exploratoribus patet in libro Numerorum qui dixerunt, Dedit Dominus in manu nostra omnem terram, & etiam quia dissoluti sunt habitatores terræ à facie nostra, Neque est rectum, vt hoc fuerit verborum initium: quia dictio* בי, *id est, Quia, reddit rationem eorum quæ prius dixerat.* Hæc iste Rabbinus.

Varia lectio circa illud, Cur.

Mos diuinæ Scripturæ.

Num. 13. & 14.

Cui respondit mulier, De fructu lignorum quæ sunt in Paradiso vescimur: de fructu verò ligni quod est in medio Paradisi, præcepit nobis Deus ne comederemus, & ne tangeremus illud, ne forte moriamur. GEN. C. 3. VERS. 2.

D

EX his verbis liquidò cognoscitur, fuisse inexcusabile mulieris peccatum. Ipsa nempe his verbis declarat se non peccasse tanquam diuini præcepti ignaram aut oblitam: fatetur enim, sibi & marito præceptum illud esse a Deo impositum: simul etiam indicat, non fuisse graue & durum præceptum, nec obseruatu difficile. Dicit enim, vna dumtaxat arbore

excepta, ex cæteris Paradisi arboribus quæ propemodum innume- A
rabiles erant, factam ipsis à Deo edendi potestatem. Illud *Vescimur*,
significare videtur, eos antea solitos edere ex qualibet arbore: ex
quo posset concludi, non paruo eos tempore moratos esse in Para-
diso. Sed forte illud *Vescimur*, dictum fuit pro eo quod est, vesci
possumus, vel nobis vesci licitum ac liberum est.

Cur Eua dixerit tactum arboris sibi esse interdictũ, cũ Deus esum tantummodo vetuerit.

Dvo autem quæ subdit Eua, quemadmodum intelligenda sint,
nonnihil negotij facessunt interpretibus. Subdit enim, Deum præ-
cepisse ipsis ne tangerent arborem scientiæ boni & mali: quod ta-
men in præcepto quod Deus Adamo dedit, non est expressum.
Quidam putant reuera id fuisse præceptum, sed fuisse à Mose supra
prætermissum, ideoque nunc appositum: fuisse autem interdictum B
ipsis eius arboris tactum maioris causa cautionis, quò magis scili-
cet ea ratione ab esu arboris reuocarentur. Sic opinatur Eugubi-
nus. Quod nec Tostato nec mihi placet: nam & suprà & infrà, cùm il-
lud Dei præceptum Moses memorat, nullam tactus, sed esus tantùm
interdicti mentionem facit. neque consentaneum est existimare,
Mosen illud Dei præceptum non integrum vti fuit, sed mutilum &
diminutum commemorasse, Nec Deus cum de violato præcepto ho-
minem obiurgauit, de tactu eum, sed tantùm de esu increpauit. Nec
profecto in statu innocentiæ opus fuit homini illa cautione: neque
enim immoderatè propensus erat magis ad esum arboris quàm ad
tactum. Quòd si ob eam causam vetitus est illis tactus eius arboris. C
propter eandem sanè interdici debuit aspectus, quippe qui Euæ
illecebra fuit comedendi, dicente Scriptura: *Vidit mulier quod bonum esset lignum ad vescendum, & pulchrum oculis, aspectúque delectabile: & tulit de fructu illius, & comedit.*

Opinio Eugubini, quæ refellitur.

Tostatus q. 4. in 3. cap. Gen.

Secunda opinio.

Caietanus in Genesim.

Ambrosivs libro de Adam & Eua quosdã refert dixisse, quod
Eua dixit de tactu arboris, id non à Deo sed ab Adamo fuisse ei in-
terdictũ: quod tamen non est credibile. Nam probabile est quod ar-
bitratur Caietanus & quidam alij, ipsummet Deum tam Euæ quàm
Adamo simul præceptum illud dedisse: quod Eua confirmat hoc
loco dicens, *Præcepit nobis Deus, &c.* Nec Adam nomine Dei iussisset
Euæ ne tangeret arborem, cùm id à Deo non esset iussum. ergo &
Ambrosij, & ferè Theologorũ sententia est, illud *ne tangeremus*, de D
suo Euam addidisse, quo magis exaggeraret præcepti grauitatem:
iam enim ipsi persuasione serpentis interius corruptæ præceptum
illud displicere cœperat. *sicut*, inquit Caietanus, *mulier prohibita à ma-*

Caietanus in Genesim.

rito ne domum exeat, interrogata cur non domo exeat, respondet: Mihi non licet per maritum meum extra cubiculum pedem efferre, exaggerans videlicet displicens sibi præceptum mariti. Ita Eua exaggerando diuinum præceptum, t dixit non esse sibi licitum tangere fructum illius arboris: Huiusmodi autem
exaggeratio, testis est internæ displicentiæ. Itaque iam verè diabo-
lus in mulieris animum serpserat: primo quidem excitando in ea
cupiditatem vanissimæ libertatis tum iniiciendo tantam illius præ-

cepti

A cepti tædium & odium, vt mulier in falsam eius præcepti exaggerationem proruperit.

SED libet verba Ambrosij ad id quod diximus pertinentia, ex libro eius de Adam & Eua siue de Paradiso, vt in aliis voluminibus inscribitur, hunc in locum transcribere. Sic igitur ille capite 12. eius libri scribit: *In mandato quidem Dei nullum vitium est, dixit enim Deus, De fructu ligni scientiæ boni & mali non comedetis: sed vitium fuit in relatione mandati: mulier enim addidit: Ne tangeremus ex eo. Etenim quantum præsens lectio docet, discimus nihil vel cautionis gratia iungere nos debere mandato: siquid enim vel addas vel detrahas, præuaricatio quædam videtur esse mandati. Pura enim mandati forma seruanda, vel testimonij series intimanda est. Plerumque testis dum aliquid ad seriem gestorum ex suo*
B *adijcit, totam testimonij fidem, partis mendacio decolorat. Nihil igitur vel quod bonum videtur addendum est. Namque hic quid offensionis habet prima specie quod addidit mulier, Neque tangetis ex eo quicquam, Non tangetis enim Deus non dixerat, sed non edetis, sed tamen lapsus incipit esse principium. Nam quæ addidit, vel superfluum addidit, vel addendo de proprio, semiplenum intellexit Dei esse mandatum. Docet igitur nos præsentis series lectionis neque detrahere aliquid diuinis debere mãdatis, neque addere. Nam* Apoc. vlt.
si Ioannes hoc indicauit de suis scriptis: Si quis apposuerit, inquit, *ad hæc, adijciet in illum Deus plagas quæ scriptæ sunt in libro isto: & qui dempserit de verbis his prophetiæ huius, delebit Deus partem illius de libro vitæ: quanto nihil diuinis mandatis est detrahendum? Hinc ergo cœpit præuaricatio prima esse mandati. Et plerique putant hoc vitium non esse mulieris, sed Adæ*
C *fuisse: ita Adam dixisse mulieri, dum eam vellet facere cautiorem, vt adderet mandasse Deum: Non tangetis ex eo quicquam. Habemus enim, quia Adam non Eua mandatum acceperit à Deo, nondum mulier formata fuerat. Ipsa quidem verba Adæ quibus mulieri dicit formam seriémque mandati, non prodit lectio: sed intelligimus per virum ad mulierem seriem transisse mandati, Viderint tamen alij quid sentiant: Nam etsi de duobus videatur incertum, tamen sexus prodit, qui prius potuerit errare. Adde quia præiudicio illa constringitur, cuius & postea prior error inuentus est. Viro enim mulier, non mulieri vir auctor erroris est. Vnde & Paulus ait: Adam non est deceptus, mulier autem seducta in præuaricatione fuit.* Hæc Ambrosius.

D SIMILITER etiam mulier de suo addit illud, *Ne forte moriamur*, dubitanter referens quod Deus asseueranter pronuntiauerat: quo declarauit Eua se putasse illam Dei sententiam de morte, non fuisse absolutè sed comminatoriè ab eo pronunciatam. De quo sic in huius loci commentario scribit Caietanus: *Quamquam in his verbis mulieris prima fronte apparet manifesta diminutio diuini præcepti: Deus enim asseruerat, moriendo morieris: mulier autem refert sub dubio dixisse Deum, Ne forte moriamini. Si tamen perspicacius consideretur sensus intentus apparebit Euam inseruisse propriam interpretationem suam, referendo præceptum Dei secundum sensum quo ipsa intellexit illud. Huiusmodi*

autẽ relatio pullulauit ex displicentia præcepti: quod enim nobis displicet, elon- A
gatur quoque à credulitate nostra: minus enim credimus quæ nobis displicent.
Et hinc factum est vt mulier hæsitauerit, an pœnam mortis Deus illi præcepto
apposuisset comminandi tantùm animo, an certo proposito eam infligendi. Non
igitur mulier animo referendi falsò diuinum præceptum, sed manifestando
hæsitationem suam circa sensum diuini præcepti, adiunxit illud: Fortè. Et hic
sensus quadrat valdè subiectis à serpente suggestionibus. Serpsit ergo diaboli-
cum venenum in affectum simul & intellectum mulieris: in affectum quidem
per displicentiam præcepti, vnde statim prodiit exaggeratio vinculi & obliga-
tionis eius, in intellectum verò per hæsitationem futuræ pœnæ, vnde prodiit re-
latio eius, & aduerbium illud, Ne fortè. Sic ex Caietano.

RVPERTVS tradit, Euam tribus modis peruertisse Dei verba: B
addendo, cùm dixit, *Ne tangeremus*: diminuendo, cùm inquit, *Ne*
fortè moriamur: mutando, cùm ait, *Ex ligno quod est in medio Paradisi*:
nam Deus dixerat, *Ex ligno scientiæ boni & mali*: in medio namque
Paradisi erat etiam arbor vitæ nequaquam ipsis vetita. Sed hoc ex-
tremum non probo: nomen etiam scientiæ boni & mali: posteà fuit
ei arbori attributum, scilicet ex falso serpentis promisso, vt docuimus
in tertio libro qui est de Paradiso, cùm de ista eius arboris appella-
tione disputauimus. Verba Ruperti in 5. capite libri 3. de Trinitate
sic habent: *Hæc verba mulieris, iam vitiatæ mentis indicia sunt: nam quan-*
tum in se erat, deprauauit mulier verba præceptoris Domini tribus modis,
quibus vsque hodie deprauare nititur sanctam Scripturam, omnis qui est ex C
parte diaboli: scilicet appositione, diminutione, mutatione. Apposuit nam-
que dicendo, Ne tangeremus illud: quia videlicet Dominus Deus hoc tantùm
dixerat, De ligno autem scientiæ boni & mali ne comedas. Diminuit verò,
quia cum certa & affirmatiua enunciatione dixerit Deus, In quocumque enim
die comederis ex eo, morte morieris, hæc dubium vel friuolum volens esse illud,
Ne fortè, inquit, *moriamur. Mutatione autem, quia cùm dixerit Dominus,*
Ex omni ligno Paradisi comede, & vnum solummodo interdixerit lignum
scientiæ boni & mali: hæc ait, De ligno autem, quod est in medio Paradisi,
præcepit nobis, &c. & mentita est. Nam & lignum vitæ erat in medio Para-
disi, quod Dominus Deus non interdixit. Ergo iam impatienter ferebat &
murmurabat, quod quasi parcus vel auarus Deus pretiosa medij Paradisi re- D
seruaret, & viliora quæq; per circuitum colligenda in cibum hominis concessit.
Sic, inquam, tribus modis, id est, appositione, diminutione, & mutatione,
sanctum præceptum Dei mulier stulta deprauare contendit. Porrò quanta
damnationis sit apponere quid, vel diminuere de verbo Dei, Ioannes testa-
tur in Apocalypsi, cum dixit, Si quis apposuerit ad hæc, apponet super illum
Deus plagas scriptas in libro isto. Si quis diminuerit de verbis Prophetiæ libri
huius, auferet Deus partem eius de libro vitæ, & de ciuitate sancta, & de his
quæ scripta sunt in libro isto. Igitur veraciter, antequam per corporeum vel
visibilem serpentem diabolus loqui inciperet, iam per semetipsum intus ad au-
rem cordis locutus fuerat, pronamque voluntatem vel consensum ad exterius
peccati opus peragendum fore præsens erat. Proindè cætera quæ sequuntur,
sic no

Tribus modis deprauatur diuina Scriptura secundum Rupertum. Apocal. 22.

A *sic nobis accipienda sunt, tanquam stupri vel adulterij diabolici opus consummatum. nam ante hac veluti quædam conditiones occulta inspiratione vel suggestione condelectante animo factæ sunt.* Huc vsque sunt verba Ruperti. Cui quidem non assentior, Euam ante congressum & sermonem habitum à serpente, iam fuisse interius à diabolo vitiatam, & spirituali aliquo veneno corruptam: hoc autē paulò infrà apertius ostendemus.

Dixit autem serpens ad mulierem, Nequaquam moriemini: scit enim Deus quod in quacumque die comederitis ex eo, aperientur oculi vestri, & eritis sicut Dij, scientes bonum & malum. GEN. C. 3. VERS. 4. & 5.

B MIRO DAEMON artificio dupliciter audacem & alacrem reddit mulierem ad violandum Dei præceptum: tum summouendo metum pœnæ quam Deus fuerat interminatus: tum pollicendo magnum quoddam bonum, & homini præter cætera expetendum, vt instar Dei efficerentur omnium rerum scientissimi. Hisce námque duobus acerrimis calcaribus stimulari & incitari solēt homines ad peccandū. *Artificium dæmonis.*

PRAECLARE autem hunc locum tractat S. Gregorius lib. 24. Moralium, cap. 7. & 8. explanans illa verba Iob quæ sunt in cap. 33. Reddet homini iustitiam suam: *Illam*, inquit, *iustitiam reddet Deus homini ad quam conditus fuit, vt inhærere Deo libeat, vt minacem eius sententiam pertimescat, vt serpentis callidi blandis iam promissionibus non credat.*

C *Quod enim in Paradiso egit, hoc quotidie antiquus hostis agere non desistit. Verba quippè Dei de cordibus hominum molitur euellere, atque in eis ficta promissionis suæ blandimenta radicare: quotidie hoc quod Deus minatur, leuigat, & ad hoc credendum quod falsum promittit, inuitat. Falsò enim pollicetur temporalia, vt mentibus hominum ea supplicia leuiget, quæ Deus minatur æterna. Nam cum præsentis vitæ gloriam spondet, quid aliud dicit, quàm gustate & eritis sicut Dij? ac si aperte dicat: Temporalem concupiscentiam tangite, & in hoc mundo sublimes apparete. Et cùm timorem diuinæ sententiæ amouere conatur, quid aliud loquitur quàm id quod primis hominibus dixit, Cur præcepit vobis Deus vt non comederetis de omni ligno Paradisi? Sed quia diuino munere redemptus homo iustitiam recepit, quam dudum conditus ami-*

D *sit, robustiorem se iam contra blandimenta callidæ persuasionis exercet, quia experimento didicit, quantum obediens debeat præcepto. Et quem tunc culpa duxit ad pœnam, nunc pœna sua restringit à culpa, vt tanto magis delinquere metuat, quanto cogente supplicio & ipse iam quod perpetrauit accusat.* Hæc S. Gregorius.

CONTINET autem serpentis oratio quinque non falsa modo sed impia etiam, absurda, & incredibilia. Primum est, Deum esse mendacem, hoc enim significare voluit dicens: *Nequaquā moriemini:* quasi diceret, Non est verum quod dixit vobis Deus, si comederi- *Quinque falsa, impia, & absurda, in verbis ipsius serpentis.*

tis,morte moriemini. Alterum est,Deum inuidisse eis summũ quod- A
dam bonum & felicitatem : quod declarat illud : *Scit enim Deus quod si comederitis ex eo,aperientur oculi vestri,& eritis sicut Dij scientes bonum & malum.* quasi diceret,propterea vetuit,quia noluit vos excellẽtia scientiæ & sapientiæ similes ipsius fieri. Tertium fuit, arborem illam vim habuisse efficiendi ipsos omnium rerum scientes. Denique quartum & quintum fuit,posse homines scientia euadere similes Deo, & quidem propter esum fructus illius arboris.

HAEC ipsa quàm esset falsa & absurda facilẽ intellexisset mulier, nisi iam interiori vanitate animi inflata & elata, superbiaque tumẽs, atque immoderata cupiditate rei sibi vetitæ æstuans , amens , & excors fuisset. Quid enim magis repugnans,aut quid magis ἄλογον, vel ἀδυνάτον dici potest , quàm vel ipsam veritatem mentiri , aut ipsam B
bonitatem inuidere,vel esu corporali cuiusquam rei,Dei sapientiam & similitudinem acquiri posse?Dixisset mulier serpẽti, si ita est vt dicis,cur tu non edis ex ista arbore,vt quod mihi promittis,ipse consequaris?Abi,prior comede,vt ex te periculum faciam, vtrum vera sint quæ loqueris, mihique polliceris. Si Deus tantùm nobis bonum inuidens , eius arboris interdixit esum , cur non potius eam arborem non procreauit,aut cur eam non destruxit ? Rectè igitur Augustinus cap. 30.lib.11.de Genesi ad literã: *Quomodo,* inquit, *verbis crederet mulier serpentis à bona atque vtili re diuinitus se fuisse prohibitã , nisi iam inesset menti eius amor propriæ potestatis, & quædam de se superba præsumptio , quæ per illam tentationem fuerat conuincenda & humilianda.* C

Illa porrò verba , *Aperientur oculi vestri , & eritis sicut Dij scientes bonum & malum.* eodem spectant : Significatur enim , propter esum illius arboris tantùm fore discrimen inter statum in quo tunc erant, & eum statum ad quem prouehendi erant si fructum illum comederent , quantum est discrimen inter eum qui apertis oculis videt omnia,& eum qui clausis oculis nihil videt, quãtumque est inter Deum & homines,sed priusquam ad sequentium explanationem transeam, libet hic apponere egregiam Bernardi sententiam , ad ea quæ proximè dicta & exposita sunt pertinentem. In sermone quodam de quadruplici debito ad hunc modum scribit Bernardus. *Non timeo vobis fratres à viribus Satanæ,cùm nouerim fortitudinem eius per Redemptionis nostri vulnera traductam & deductam ad nihilum. A versutiis & astutiis illius formido mihi est pro vobis,in quibus partim subtilitate naturæ,partim experientia temporum sub tot annorum millibus eruditus , fragilitatem humanæ naturæ quaquauersum se verterit non ignorat. Sic ille insatiabilis homicida primis parentibus nostris non vrsos , non leones , non fortia terræ animalia delegauit , sed tortuosum & callidum serpentem , qui per sinuosa volumina nunc caput cauda , nunc caudam capite tangere consueuit. Denique,& serpens non fortior erat , sed callidior cunctis animantibus terræ , ait Scriptura. Unde & ab interrogatione incœpit,mentem mulieris explorans,sciens ingenio non virib. laborandum esse.Cur præcepit vobis Dominus Deus,* inquiens, *ne comederetis* D

Egregia sententia B. Bernardi.

de li

A *de ligno scientiæ boni & mali? quæ respondit, Ne forte moriamur. Quod Deus pro certo posuerat, dicēs, Quacumque die comederitis, morte moriemini: ista sub dubio supponit, Ne forte,* inquiens, *si comederimus, moriamur. Et audi ingenium malitiámque serpentis. Nequaquam, inquit, moriemini. Deus affirmat, mulier dubitat, Satan negat. Sic & ego timeo, ne sicut serpens Euam seduxit astutia sua, sic & sensus vestri corrumpantur à castitate quæ est in Christo Iesu.* Hæc Bernardus.

PRO eo autem quod sequitur *Eritis sicut Dij*, Hebraicè est אלהים *Elohim*, pluraliter significans Deos, licet nō raro singulariter pro Deo positum inueniatur. Significantur item ea voce tam Angeli, quā inter homines qui sunt principes, magnates, & iudices: quocirca putāt
B quidam hic sumi pro Angelis. Verum huic historię non videtur ea significatio congruere: dæmon enim dixit Deum per inuidiam vetuisse fructum illius arboris, ne videlicet euaderent similes Deo: non erat autem credibile Deum inuidisse homini similitudinem Angelorum, sed sui. Et paulò infrà dixit Deus, *Ecce Adam quasi vnus ex nobis factus est*: quod proculdubio ad personas diuinas, non autē ad Angelos referri debet. Ponitur igitur hoc loco vox אלהים *Elohim*, ad significādum Deum. Nec tamen dæmon homini promisit æqualitatē Dei, id enim nimis erat absurdum atque incredibile: sed eximiam & singularem quādam diuinitatis similitudinem, scilicet excellentem rerum omnium scientiam, & sapientiam.

C TOTA vero hæc serpentis oratio ambigua est, & in diuersas flexibilis sententias: cuiusmodi erant Apollinis Pythij respōsa, quæ ad quemlibet euentum accommodari posse & quadrare videbantur. Namque illud, *Non moriemini*, referri potest vel ad subitam & præsentem mortem quæ esum illius fructus consecutura esset, vel ad ineuitabilē moriendi necessitatem. Illud quoque, *Aperiētur oculi vestri:* vel ad rerum omnium cognitionem, hominisque gloriam, vel ad eius dedecus & confusionē accommodari potest. Et illud *Sicut Dij*, significare potest aut Dei veri bonorúmq; Angelorum similitudinē, aut etiam dæmonum. Deniq; illud *Scientes bonum & malum*, significat aut
D perfectam rerum omnium scientiam, aut cognitionem boni per eius priuationem, & notitiam mali per eius experientiam, quòd genus cognitionis miserrimum & infelicissimum homini est. Ergo sophisticè dęmon locutus est, fuítque princeps omnium Sophistarum. *Qui autem sophisticè loquitur*, vt in ca. 37. Eccle. scriptum est, *odibilis est Deo.*

Ambigua serpentis oratio.

SCITVM est quod scribit Rupertus, dæmonem primo quidem concupiuisse fieri se Deo similem, eius enim sunt illa quæ tumēs superbia dixit apud Esaiam verba: *Conscendam in cœlum, super astra Dei ponam solium meum, ero similis Altissimo.* Verum quia hoc ei non successit voluisse postcà facere Deum sui similem, id est, mendacem, & inuidum: idque homini probare ac persuadere tentasse.

Diabolus Sophista, & princeps omnium Sophistarum. Esaiæ. 14.

IDEM Rupertus in cap. 7. & 8. eiusdem libri 3. de Trinitate, perpendens illa serpentis verba *Nequaquam moriemini*, disertè fallacias, & am

Præclara Ruperti oratio.

& ambages serpentis ad illudendũ & decipiendum hominem artificiosè concinnatas explicat his verbis: *Iam derisor est serpens, & dubia respondet: vt cum Dei veritas impleta fuerit, nihilominus tamen ipse veracem se esse cum hostili cachinno confirmet. Nam cùm duæ mortes sint, altera animæ & altera corporis, quadam morte non statim erant morituri, scilicet ea quæ animam à corpore diuidit. Non enim quia comederunt, idcirco eodem die corporaliter mortui sunt: sed quia comedendo mortem animæ sibimet eodem die conſciuerunt, ideo misericordia Dei corpore mortales facti, ne sicut ipse diabolus irrecuperabiles essent, malè & miserè viuendo in æternum. Igitur quemadmodum Apollo Delphicus fertur solitus fuisse incertis ludere ambagibus, sic iam nunc ludebat idem Dei & hominum inimicus, æquiuocatione mortis nequiter abusus, odibilium Sophistarum maximus. Qui enim sophisticè loquitur, odibilis est, vti ait Sapiens quidam. Nihilominus & cætera quæ sequuntur, æquiuocando cuncta confundit ac perturbat, alio sensu loquens, & alio sua dicta intelligi volens. Scit enim Deus*, inquit, *quia in quocunque die comederitis ex eo, aperientur oculi vestri, Hoc vtique volebat intelligi, quod claritatem omnis sapientiæ, diuinitatem quoque & omnium sapientiam Deus inuidens homini, tale lignum illi interdixit. Hoc, inquam, intelligi volebat in suo sermone, cum sentiret ipse aliter euenturum esse, qui tamen sensus eius circa hæc ipsa verba panè ineffabili versabatur auersione. Aperientur.* inquit, *oculi vestri, videlicet in agnitionem vestræ confusionis. Est enim quædam infelix oculorum apertio, quando reuelati erunt oculi impiorum, quando sicut liber Sapientiæ testatur, Videntes turbabuntur timore horribili, & mirabuntur in subitatione insperatæ salutis, & gementes præ angustia spiritus, dicent intra se pœnitentiam agentes: Hi sunt quos aliquando habuimus in derisum, & in similitudinem improperij. Sed & apud Poëtam eximium, secundum hanc apertionem oculorum loquitur insultando inter tormenta tyrannus inferorum,*

Ecclesi. 37.

Sapien. 5.

Virgil. lib. 6. Aeneidos.

Discite iustitiam moniti, & non temnere diuos.

Item, cum diceret, Et eritis sicut Dij, falsis vtique dijs, ideſt, sui suisque sequacibus angelis apostaticis similes illos facere intendebat: cum aliud, sicut iam dictum est, intelligi vellet in hac promissione sua, cui nimirum suauiter sonanti, quasi vino venenum mortis cõmiscuerat. Nihilominus & addendo, Scientes bonum & malum, hoc moliebatur, vt eos habere faceret & boni perditi memoriam, & mali inuenti experientiam: cum hoc aliud vellet intelligi, quod omnem per illum cibum consecuturi essent scientiam, & nihil eos lateret, quæ profecto scientia solius Dei est. Considera nunc quanta hic alleuatio iuxta sensum eius qui decipitur: quanta sit deiectio iuxta sensum eius qui decipit. Sub eadem pollicitatione cùm dicitur, Aperientur oculi vestri, hac sapientiæ altitudinem, ille cogitat conscientiæ confusionem. Sub eadem dictione, dum dicitur, Et eritis sicut dij, hæc rapere Dei celsitudinem, ille suimet similem cogitat inuenire damnationem. Item sub eadem pollicitatione scientiæ boni & mali, hac plenitudinem scientiæ, ille cogitat experimentum miseriæ. Molestissimum hoc fallaciæ genus est, in quo is qui decipit & palmã obtinet mendacij, & gloriatur quod verus sit, verumq; dixerit: Qui autem decipitur, non habet vnde insultantem sibi falsitatis arguere possit, quãlibet ille fallacissimus sit. Hæc Rupertus.

Vidit

A *Vidit igitur mulier quod bonum esset lignum ad vescendum, & pulchrum oculis, aspectuq; delectabile, & tulit de fructu illius & comedit, deditq; viro suo.* GEN. 3. VERS. 6.

VIDERAT antea mulier arborem illam, sed simplici & innocenti aspectu: vidit tunc, sed ardens iam cupiditate illius fructus edendi. Visa est ei arbor illa longè pulcherrima, quam tamen eandem mox, violato iam Dei præcepto, factaq; cœlestium bonorum iactura, vidit & odit atque detestata est. Sic Amnon filius Dauid sororem suam Thamar prius ar- 2. Reg. 13.
B dentissimè adamauit, sed vbi amoribus eius potitus est, vehementius quàm amauerat, fastidiuit, odit, auersatus est. In his verbis tria denotantur Euæ vitia: curiositas, voluptas, & vanitas. *Vidit enim*, id est curiosius considerauit pulchritudinem arboris: ecce curiositas. *Vidit quod esset suauis ad vescendum*: ecce voluptas, denique, *Vidit quod esset aspectu delectabilis*, vel vt sonant Hebræa & Græca, *Ad intelligendum seu contemplandum desiderabilis*, id est, quod ad intelligendum & contemplandum conducere posset plurimum: ecce vanitas. Hoc triplici funiculo hominem vinctum astrictúmque, ad omnia dæmon flagitia pertrahit. Hæ sunt tres illæ malorum omnium illecebræ, quibus ad se mundus homides allicit, de quibus Ioannes, ait, *Omne* 1. Ioan. 2.
C *quod est in mundo, concupiscentia carnis est, & concupiscentia oculorum, & superbia vitæ.* Sed quæ diximus, eleganti explanatione eorundem verborum quæ est apud Rupertum capite nono libri 3. de Trinitate, illustremus. *Non temerè*, inquit, *dictum est, Vidit mulier: quasi non eam arborem ante vidisset. Et reuera nondum eo modo viderat, quia cum hac præsumptione qua nunc intuita est, nec dum considerauerat. Notandum quippe quod non dixerat Scriptura: Vidit igitur mulier lignum, & tulit de fructu eius & comedit, sed, Vidit mulier*, inquit, *quod bonum esset lignum ad vescendum, & pulchrum oculis, aspectúque delectabile, & tulit de fructu eius & comedit. Vidit igitur, id est, considerauit, diligenter intuita est, curiosius attendit, & iudex eorum quæ audierat ipsa esse voluit. Audierat quod dixisset Deus, In quocumque die comederitis ex eo, morte moriemini: audierat*
D *serpentem è contrario dicentem, Nequaquam moriemini. Inter hæc anceps naturam ligni propriis sensibus diiudicare voluit, vt sciret cui potissimum Deo videlicet vel serpenti palmam concederet veritatis. At illi qui de hoc iudicare debuerant interiores oculi, exteriorum iam erant oculorum concupiscentia præpediti, vt non viderent neque solam mortem corporis, vel quod duplicem illatura esset mortem, non natura ligni, sed transgressio mandati. Itaque solis exterioribus oculis naturam ligni considerauit, & deprehendit, malè cauta quod in fructu ligni non esset venenum mortis: erat enim bonum ad vescendum, & pulchrum oculis, aspectu delectabile. Hæc omni sermoni quem dixerat Deus, repugnantia iudicauit esse, magisq; sermoni serpentis concordare, verámque assertionem eius demonstrare. Sic vidit, & sic sacrilega te-*

Tria Euæ vitia.

meritate diabolo magis quàm Deo, serpenti magis quàm Creatori credidit, & tulit de fructu ligni & comedit. Nec satis illi hoc fuit quod comedit, sed insuper & viro suo dedit. Hæc Rupertus. A

Per quos gradus hominem dæmõ ad sũma flagitia deuoluat.

CONSIDERA porrò, mulierem prius audiuisse serpentem; tum vidisse arborem; posteà decerpsisse fructum; deinde comedisse; postremò induxisse virum ad comedendum. Eodem planè modo, eodémque ordine vsu venit vt in peccando procedamus: Prima enim est suggestio diaboli, tum eius consideratio, posteà delectatio, præterea deliberatus consensus, adhæc praui operis effectio, postremò eiusdem criminis cum aliis communicatio, & tanquam eiusdem morbi ac pestis contagio. Præclarè hunc locum tractat Bernardus in tractatu de gradibus Humilitatis. Námque noxiam Euæ curiositatem & vanitatem perpendens, ad hunc modum scribit: *Tu quoque, ô Eua, in Paradiso posita es, vt cum viro tuo opereris & custodias illum: si iunctum perfeceris, quandoque transitura ad melius, vbi nec opus sit te in alio opere occupari, nec de custodia solicitari. Omne lignum Paradisi tibi conceditur ad vescendum, præter illud quod dicitur scientiæ boni & mali. Si enim cætera bona sunt & sapiunt bonum, quid est opus edere de ligno quod sapit etiam malũ? Non plus sapere quàm oportet sapere: sapere enim malum, sapere non est sed desipere. Serua ergo commissum, expecta promissum, caue prohibitum, ne perdas concessum. Quid tuam mortem tam intente intueris? Quid illo tam crebrò vagantia lumina iacis? Quid spectare libet, quod manducare non liceto. Oculos, inquis, tendo, non manum. Non est interdictum ne videam, sed ne comedã. An nõ licet oculos quoquo volo leuare, quos Deus in mea posuit potestate? Ad quod Apostolus, Omnia mihi licent, sed non omnia expediunt. Et si culpa non est, culpæ tamen indicium est. Nisi enim mens minus se curiosè seruaret, tua curiositas tempus vacuum non haberet. Et si culpa non est, culpæ tamen occasio est, & indicium commissæ, & causa est committendæ. Te enim intenta ad aliud, latenter interim in cor tuum serpens illabitur, blandè alloquitur, blanditiis rationem, mendaciis timorem compescit. Nequaquam, inquiens, morieris. Auget curam, dum incitat gulam. Acuit curiositatem, dum suggerit cupiditatem. Offert tandem prohibitum, & aufert concessum. Porrigit pomum, & surripit Paradisum. Haurit virus peritura, & perituros paritura. Perit salus, non destitit partus. Nascimur, morimur, ideoque nascimur morituri, quia prius morimur nascituri. Propterea graue iugum super omnes filios tuos vsque in hodiernum diem.* Hactenus sunt verba Bernardi.

Præclara D. Bernardi sẽtentia.

B C D

Quãta mala ex incuriosa oculorum custodia permanẽt ad homines.

Ex hoc loco salutare admodum nobis suppetit documentum, quàm solicitè, cautè, ac religiosè sensum oculorum custodire oporteat, cùm videamus initium malorum Euæ, incuriosam fuisse oculorum custodiam. Vidit, inquit Scriptura, pulchritudinem arboris: vnde protinus in animo eius exarsit cupiditas edendi, & audacia decerpendi fructum vetitum, contráque diuinum mandatum comedendi. Incredibile dictu est, sed quotidianis experimentis nimis cõpertum & comprobatum, quot quantáque flagitia per oculos in animum

A animum inuolent, vt merito Dauid obnixè Deum precatus sit *Auerte oculos meos ne videant vanitatem*, & Iob cap. 31. *Pepigi, ait, fœdus cum oculis meis, vt ne cogitarem quidem de virgine.* Quæ verba pertractans Gregorius libro 21. Moralium capit. 2. quia luculentissimis sententiis & exemplis de hac oculorum custodia disputat, gratum me lectori facturum putaui, si rem tam vtilem, & à Gregorio tam accuratè & diligenter explicatam, iisdem verbis quibus ab eo traditur, in præsentia exponam. Sic igitur scribit: *Cùm sit inuisibilis anima, nequaquam corporearum rerum delectatione tangitur, nisi quòd inhærẽs corpori quasi quædam egrediendi foramina, eiusdem corporis sensus habet. Visus quippe, auditus, gustus, odoratus, & tactus quasi quædam viæ mentis sunt, quibus fòras veniat, & ea, quæ extra eius sunt substantiam, concupiscat. Per hos etenim cor-*
B *poris sensus quasi per fenestras quasdam exteriora quæque anima respicit; respiciens concupiscit. Hinc etenim Hieremias ait, Ascendit mors per fenestras nostras. Mors quippe per fenestras ascendit & domum ingreditur, cùm per sensus corporis concupiscentia veniens, habitaculum intrat mentis. Quo contra hoc, quod iam sæpe diximus de iustis, per Esaiam dicitur, Qui sunt hi, qui vt nubes volant, & quasi columbæ ad fenestras suas? Iusti namque volare vt nubes dicti sunt, quia à terrenis contagiis subleuantur: & quasi columbæ ad fenestras suas sunt, quia per sensus corporis exteriora quæque, intentione non respiciunt rapacitatis, eosque fòras non rapit concupiscentia carnalis. Quisquis verò per has corporis fenestras incautè exterius respicit, plerumque in delectationẽ peccati etiam nolens rapitur, atq; obligatus desideriis incipit velle, quod noluit. Præ-*
C *ceps quippe anima, dum ante non prouidet, ne incautè videat, quod cõcupiscat, cœca post incipit desiderare, quod vidit. Vnde & Prophetæ mens qua subleuata sæpe mysteriis internis intererat, quia alienam coniugem incautè vidit, obtenebrata postmodum sibimet illicitè coniunxit. Sanctus autẽ vir, qui acceptis corporis sensibus velut subiectis ministris æquissimus iudex præest, culpas conspicit antequam veniant, & velut insidianti morti fenestras corporis claudit dicens, Pepigi fœdus cum oculis meis, vt ne cogitarem quidem de virgine. Vt enim cogitationes cordis castè seruare potuisset, fœdus cum oculis pepigit, ne prius incautè aspiceret, quod postmodum inuitus amaret. Valde namque est graue, quod caro deorsum trahit, & semel species formæ cordi per oculos illigata, vix magni luctaminis manu soluitur. Ne ergo quædam lubrica in cogitatione versemus, prouidendum nobis est, quia intueri non decet, quod non licet concu-*
D *piscere. Vt enim munda mens in cogitatione seruetur, à lasciua voluptatis suæ deprimendi sunt oculi, quasi quidã raptores ad culpam. Neque enim Eua lignum vetitum contigisset, nisi hoc prius incautè conspiceret. Scriptum quippe est. Vidit mulier, quod bonum esset lignum ad vescendum, & pulchrum oculis, aspectúque delectabile: & tulit de fructu illius, & comedit. Hinc ergo pensandum est, quanto debeamus moderamine erga illicita visum restringere, nos qui mortaliter viuimus, si & mater viuentium per oculos ad mortẽ venit. Hinc etiam sub Iudææ voce, quæ exteriora videndo cõcupiscens, bona interiora perdiderat Propheta dicit, Oculus meus deprædatus est animam meam. Cõcupiscendo enim visibilia, inuisibiles virtutes amisit. Quæ ergo interiorem fructũ*

Psal. 118.

Egregia Gregorij sententia de custodia oculorum.

Viæ mẽtis sensus exteriores.

Hier. 9.

Esaiæ 60.

2. Reg 11.

Gen. 3.

Thren. 3.

per exteriorem visum prodidit, per oculum corporis perdidit prædam cordis. A *Vnde nobis ad custodiendam cordis munditiam, exteriorum quoque sensuum disciplina seruanda est, Nam quantalibet virtute mens polleat, quantalibet grauitate vigeat: carnales tamen sensus puerile quiddam exterius perstrepunt: & nisi interioris grauitatis pondere, & quasi iuuenili quodam vigore refrænentur, ad fluxa quæque & leuia mentem eneruem trahunt.* Sic Gregorius.

GEN. C. 3. VERS. 6.

Tulit de fructu illius & comedit.

HAc ratione consummatum fuit peccatum Euæ, peccatum dico inobedientiæ, violato nempe Dei mandato, quo esus ex arbore scientiæ boni & mali interdictus ei fuerat. Verum de peccato B Euæ paulò subtilius disserendum est.

DISPVTATIO DE PECCATO EVAE.

Euã non peccasse ante cõgressionẽ serpentis.

ANTE omnia vt certum ponere oportet, Euã non peccasse ante congressum & sermonem serpentis. Hoc sanè indicat Scriptura, cùm extremis verbis capit. 2. dixit Adamum & Euam fuisse nudos, nec tamen erubuisse. quo significare voluit eos fuisse in felici statu impassibilitatis & innocentiæ: & proximè subtexit historiam serpentis, qui C Euam tentauit. quo licet intelligere ex ipsa narrationis serie & contextu, primos homines in illo statu innocentiæ vsque ad tẽtationem serpentis permansisse. Atque hoc confirmat Patrum sententia inter peccatum primi hominis, & peccatum primi Angeli discrimen constituentium: quod illud ex suggestione, suasionéque alterius admissum est, & idcirco dignum venia fuit: hoc autem propria malitia, nullius consilio suasu & impulsu patratum est, quamobrem irremissibile fuit. Rupertus tamen cap. 5. lib. 3. de Trinit. eumq; secutus in Commentario huius 3. cap. Ioannes Ferus contra sensérunt: quorum opinionem quidam ea ratione probabilem facere voluerunt, nisi Eua, inquiunt, ante peccasset, non vtique passus esset Deus ten- D tari eam à diabolo: scilicet, ea tentatione sciens eam victum & perditum iri. Sed infirma est argumentatio. Deus enim scientia simplicis intelligentiæ, vt loquuntur Theologi, vidit Euam posse resistere tentationi, eámque vincere sine labore: quapropter siuit eam tentari, quia statui viatoris conueniens est tentatio ad exercitationem liberi arbitrij, ad probationem virtutis, ad occasionem & materiam vberioris meriti, maioríque præmij: præsertim verò quod illa tentatio non fuit interior affligens animum, sed exterior sine vlla hominis molestia. Nimirum hoc genere tentationis etiam Dominum nostrum Iesum Christum Deus Pater tentari à diabolo permisit.

Refellitur Ruperti, & Ioãnis Feri sententia.

Deus cur tẽtari Euã permiserit quam sciebat peccaturam. Matth. 4.

QVÆ

A

QVAESTIO I.

Quod fuerit primum peccatum Euæ.

HOc igitur posito, cẽsemus primum Euæ peccatum fuisse superbiam: etenim statim vt serpens dixit Euæ, *Cur præcepit vobis Deus, &c.* &, vt bene super his verbis monuit Caietanus, non hæc tantùm verba serpentem dixisse Euæ putandum est, sed complura alia, quæ Moses breuitatis causa prodere supersedit: quibus ostendit serpens per illud Dei præceptum valde grauari & opprimi libertatem hominis, eiúsque dignitatem diminui. Statim igitur post hæc verba motus B quidam elationis extitit in animo Euæ, indignè ferentis astrictam se teneri ea lege, cupientísque arbitratu suo liberè viuere nulli subiectam, sibique ipsam ad viuendum sufficientem: & hæc est superbia. Confirmat hanc sententiam diuina Scriptura, quæ Eccles. 10. & Tobiæ 4. *Initium omnis peccati & perditionis facit superbiam.* Declarat hoc ipsum elegantissimis verbis & sententiis August. in lib. 14. de Ciui. Dei cap. 13. hunc in modum scribens: *In occulto autem mali esse cœperũt, vt in apertã inobedientiam laberentur. Non enim ad malum opus peruenireturnisi præcessisset mala voluntas. Porrò malæ voluntatis initium, quod potuit esse nisi superbia? Initium enim omnis peccati superbia est: quid est autem superC bia, nisi peruersæ celsitudinis appetitus? Peruersa enim celsitudo est deserto eo cui debet animus inhærere principio, sibi quodammodo fieri atque esse principium. Hoc fit, cum sibi nimis placet, cum ab illo bono immutabili deficit, quod ei magis placere debuit, quam ipse sibi. Spontaneus est autem iste defectus: quoniam si voluntas in amore superioris immutabilis boni, à quo illustrabatur vt videret, & accendebatur vt amaret, stabilis permaneret: non inde ad sibi placendum auerteretur, & ex hoc intenebresceret & frigesceret, vt vel illa verum crederet dixisse serpentem, vel ille Dei mandato vxoris præponeret voluntatem: putarétque se venialiter transgressorem esse præcepti, si vitæ suæ sociam non desereret etiam in societate peccati. Non ergo malum opus factum est, id est, illa transgressio, vt cibo prohibito vescerentur, nisi ab eis qui mali iam erant, neque enim fieret ille fructus malus, nisi ab arbore mala,* post hæc D interpositis quibusdam subdit: *Manifesto ergo apertóque peccato, vbi factum est quod Deus fieri prohibuerat, diabolus hominem non cepisset, nisi iam ille sibi ipsi placere cœpisset. Hinc enim & delectauit quod dictum est, Eritis sicut Dij: quod melius esse possent, summo veróque principio cohærendo per obedientiam, non suum sibi existendo principium per superbiam. Dij enim creati, nõ sua virtute, sed Dei veri participatione sunt Dij: plus autẽ homo appetendo, minus est: qui dum sibi sufficere delegit, ab illo, qui ei verè sufficit defecit. Illud itaque malum quo cum sibi homo placet tanquam & ipse sit lumen, auertitur ab eo lumine quod ei si placet & ipse sit lumen: illud inquam malum præcesserat in abdito, vt sequeretur hoc malum quod perpetrazum est in aperto. Verum est enim quod scriptum est, ante ruinam exaltatur* Prouer. 16.

Primum peccatum Euæ superbia.

Superbia est peccati initiũ.

Superbia quid.

Opus malum non nisi à malis fit.

Dij creati participatione veri Dei. Dij sunt.

cor,& ante gloriam humiliatur:Illa prorsus ruina,quæ fit in occulto, præcedit ruinam,quæ fit in manifesto,dum illa ruina esse non putatur. Quis enim exaltationem ruinam putat:cùm iam sit ibi defectus, quo est relictus excelsus? Quis autem ruinam esse non videat, quando fit mandati euidens atque indubitata trengressio? Propter hoc Deus illud prohibuit,quod cùm esset admissum, nulla defendi posset imaginatione iustitiæ. Et ideo audeo dicere,superbis esse vtile cadere in aliquod apertum manifestumque peccatum: vnde sibi displiceant, qui iam sibi placendo ceciderant. Salubrius enim Petrus sibi displicuit quando fleuit,quàm sibi placuit quando præsumpsit. Hoc dicit & sacer Psalmus, Imple facies eorum ignominia,& quærent nemen tuum Domine, id est, vt tu eis placeas quærentibus nomen tuum,qui sibi placuerant quærendo suum. Hactenus sunt verba Augustini.

Notabilis admodum sententia B. Augustini.

Matth. 26.

Psal. 82.

QVAESTIO II.

Quæ alia præter superbiam fuerint Euæ peccata.

Accidia spiritualis Euæ.

ALTERVM peccatum Euæ fuit accidia quædam spiritalis: qua factum est, vt auditis serpentis verbis, statim ei præceptum diuinum,quo prohibebatur esu eius arboris,cœperit displicere & tædio esse. Tertium peccatum fuit mendacij: dixit enim Deum interdixisse eis tactum arboris,qui solum interdixerat esum. Quartum fuit peccatum infidelitatis: nam si qui dubius est in fide,infidelis est: Eua profecto infidelis fuit,quia dubitauit de veritate diuinæ sententiæ, qua dictum Adamo fuerat,*Si comederis ex hoc ligno morte morieris:* ipsa verò dubitanter dixit,*Ne forte moriamur:* maluit præterea credere serpenti,quam Deo. Quintum pecccatum fuit superbiæ: nam præter illud primũ,quod memorauimus: rursus audito illo serpentis promisso:*Eritis sicut Dij scientes bonum & malum,* inflammata est cupiditate tam excellentis potestatis & scientiæ: concupiuit enim immoderate excellentiam potestatis,qualem habet Deus rerumque omnium sine aliquo modo & mensura scientiam. Sextum peccatum fuit gulæ: vitiata enim parte superiori per superbiam,continuo peruersa & corrupta est pars inferior flagrantissimè expetendo vetitum sibi fructũ, quod non obscurè significauit Scriptura illis verbis, *Vidit mulier quod bonũ esset lignum ad vescendum,& pulchrum oculis,&c.* Septimũ peccatum fuit inobedientiæ,violata nimirum Dei lege,qua esus illius arboris prohibeatur. atque hic facta est consummatio iniquitatis, propter quam & primi illi homines, & omnes eorum posteri cœlesti dono iustitiæ originalis priuati,& innumerabilibus malis, atque miseriis mulctati sunt. Dixi peccatum inobedientiæ, quia esus illius arboris, remota Dei lege,naturaliter bonus erat,moraliter autem,indifferens ad bonum & ad malum. Fuit igitur tantopere malus & noxius, eam tantùm ob causam, quod fuit contra obedientiam diuini præcepti, quo

Mendacium.

Infidelitas.

Iterum superbia.

Gula.

Inobedictia.

quo fuerat hominibus interdictus: nō sanè ob aliud, quàm vt exploraretur, & probaretur hominis obedientia quemadmodum supra in tertio libro disputauimus. Octauum fuit peccatum scādali: suo enim exemplo, suísque blandis & importunis precibus Adamum ad idem peccatum mouit: pellexit, impulit. Nonum peccatū fuit stulta & impudens admissi sceleris excusatio: námque reprehensa mulier à Deo, non est confessa crimen, non se ipsa accusauit, neque pœnitens delicti indoluit, ingemuit, veniámque petiit: sed culpam erroris in serpentem à quo decepta fuerat transtulit. *Scandalum.* *Excusatio.*

TOT igitur fuere atque ordine, hoc vt verisimile est, ab Eua tunc patrata scelera. Nec tamē intelligi volo supradicta peccata fuisse omnia re diuersa: sed vel distincta fuisse peccata, vel diuersas circunstantias & inordinatos motus atque affectus animi ad vnum idémque
B peccatum tendentis. Sed quærat aliquis, quomodo Eua potuerit inducere in animum credere vera serpentis dicta, & promissa esse posse, cùm essent perquam absurda & incredibilia? Ad hoc respondeti potest: Euam tunc sicut ait Augustinus libro vndecimo de Genesi ad litteram 42. capite, fuisse admodum simplicem & parui intellectus, multáque ignorasse, quæ postea didicisset & cognouisset ex Adamo. Vel dici potest, Euam peccato superbiæ adeo fuisse obcœcatam intellectu, vt vel putauerit dicta serpentis possibilia esse, vel certè non animaduerterit & considerauerit vtrum essent possibilia necne: sed toto animo & cupiditate promissis eius, quæ valdè speciosa erāt maximéque optanda videbantur, intenta fuerit. *Quomodo Eua tam absurdis dictis, & promissis serpentis credere potuerit.*

C *Deditque viro suo, qui comedit.* Ibidem.

CVR Eua sollicitauit Adamum ad fructum illum comedendum? An quia eum summè diligebat, & idcirco sui gaudij boníque participem fieri cupiebat? nā quia post esum fructus vetiti experta fuerat se non esse mortuā, credidit verum fuisse, quod ei serpens dixerat, *Nequaquam moriemini*: vnde spem etiam concepit, verum fore alterum illud eiusdem serpentis promissum, *Eritis sicut Dij scientes bonum & malum*. An illud quoque credibile est, serpentem mulieri suasisse, vt maritum ad edendum adduceret? locutus enim est pluraliter dicens, *Si*
D *comederitis, & Eritis*: denuncians non posse tantum bonum alteri sine altero contingere.

ATQVE hinc patet, verè scriptum esse in libro Ecclesiastici capite 25. à muliere factum esse initium peccati. *Amuliere*, inquit, *initium factum est peccati, & per illam omnes morimur*. Tētauit autem dęmon prius Euam, quàm Adamum, quòd eā nosset faciliorem ad credendū quodlibet, infirmiorémque ad resistendū, & ad casum procliuiorem Hoc ei notum erat ex imbecilliori & ignobiliori constitutione corporis & natura sexus, ex minori præstantia, & perfectione donorum *Cur diabolus prius tentauerit Euam quàm Adamum.*

norum naturalium, & quia fœminam Deus propter virum fecerat: A
ipsum verò Adamum sciebat ab omnibus rebus instructiorem, fir-
miorémque ad resistendum esse. Verùm persuasa & decepta muliere,
per eam, vt quæ Adamo carissima esset, non fore putauit difficile ip-
sum etiam Adamum ad peccandum impelli. Quod his verbis confir-
mat Augustinus lib. 14. de Ciuitate Dei cap. 11. *A fœmina, parte scili-*
cet inferiore illius humanæ copulæ, incepit, vt gradatim perueniret ad totum,
non existimans virum facile credulum, nec errando posse decipi, sed dum alie-
no cedit errori. sic Augustinus. & verò, ita euenit vt machinatus dæ-
mon fuerat.

Qvod si per Euam Adami constantia nõ fuisset labefactata, alias
nihilominus rationes oppugnandi Adamum iniuisset dæmon, nihil- B
que intentatum atque intactum reliquisset, quo eum posset ex illo
felicissimo statu deturbare. Ad hoc eum vrgebat Dei odium, quem
per Adamum & genus humanum glorificari nolebat. tum superbia
instigabat, ægre ferentem se, qui natura præstantior esset homine, non
ei dominari ac præesse, quinimo sibi eum anteponi. Sed omnium ma-
xime vrebat eum inuidia, & præsentis felicitatis in qua collocatum
hominem cernebat, & futuræ quæ promissa ei & parata fuerat, quam
à se amissam, consequi hominem ferre non poterat. Quoniam autem
inuidia proxima fuit causa, quæ dæmonem vehementius ad perden-
dum hominem incitauit, propterea eam solam memorat diuina Scri-
ptura, cùm in libro Sapientiæ capite secundo ait, *Inuidia diaboli mors*
introiuit in orbem terrarum. C

An Eua nar rauerit Ada- mo promissa serpentis.

Non est autem verisimile, Euam narrasse Adamo dicta & promis-
sa serpentis. Si enim ea aperuisset facile Adamus animaduertisset te-
chnas fraudésque dæmonis, sibique cauisset. Siquis autem ex nobis
quærat, quibus rebus adductus sit Adamus ad comedendum: breui-
ter respondebimus, non fide & credulitate promissorum serpentis,
quæ vel ei non sunt exposita, vel non sunt ab eo credita: siquidem
apertè & affirmatè Paulus prioris ad Timotheum Epistolæ capite se-
cundo dicit, Adamum non fuisse deceptum. Quemadmodum nec
Exo. 32. Aaron vitulum aureum conflauit ad adorandum, nec Salomon sa-
3. Reg. 11. crificauit idolis iudicij & opinionis errore: sed ille metu populi per- D
culsus, hic, vt obsequetur mulieribus, quas flagrantissimè amabat.
Inclinatus est igitur animus Adami ad comedendum, partim nimiis
Euæ blanditiis, partim importunis precibus, quibus significabat se
nisi in eo gratificaretur sibi, præ tristitia & mœrore nunquam tran-
quillo & hilari animo futuram. Eodem modo egit Dalida cum Sam-
psone. sic enim legimus in libro Iudicum capite 16. *Cum molesta esset ei,*
& per multos dies iugiter adhæreret, spatium ad quietem non tribuens, defe-
cit anima eius, & ad mortem vsque lassata est, Tunc aperiens veritatem rei,
dixit ad eam: & quæ sequuntur.

Deinde, illud mouit Adamũ, quod vidit Euã post esum fructus

A vetiti non fuisse mortuam, quamobrem cœpit dubitare, aut etiam fortassis credere, illam Dei sententiam fuisse pronuntiatam comminationis & terroris causa, non quod effectum esset habitura. Ad hæc, quia inexpertus fuerat diuinæ seueritatis, in eo falli potuit, vt excusabile veniale crederet, si contra præceptum ex arbore illa ederet ehistimauitque iustam se excusationem & quam Deus facilè acciperet, increpanti & castiganti Deo allaturum: si id se fecisse diceret, vt gratificaretur sociæ, non quã sumpsisset ipse sibi, sed quam dedisset illi Deus. Pulsauit etiam fortasse animum eius audax curiositas & auiditas experiendi, quid lateret in illo fructu, & quidnam illo tacto consequeretur: præsertim cùm tales arbor illa fructus ferret, quales in aliis eiusdem generis arboribus innoxios sibi
B esse senserat.

Sic Augustphilosophatur lib. 14. de Ciuitate Dei c, 11. & lib. 11. de Genesi ad literam c. 31. Et prioris quidem testimonij verba hunc in modum habent: *Sicut enim Aaron erranti populo ad idolum fabricandum non consensit inductus, sed cessit obstrictus: nec Salomonẽ credibile est errore putasse idolis esse seruiendum, sed blandiciis fœmineis ad illa sacrilegia fuisse compulsum: ita credendum est illum virum suæ fœminæ, vni vnum, hominem homini, coniugem coniugi ad Dei legem transgrediendam, non tanquam verũ loquenti credidisse seductũ, sed sociali necessitudine paruisse. Non enim frustra dixit Apostolus, Adam non est seductus, mulier autẽ seducta est; nisi quia illa, quod ei serpens locutus est, tanquam verum esset accepit: ille autem*
C *ab vnico noluit consortio dirimi, nec in communione peccati, nec ideo minus reus, sed sciens prudẽnsque peccauit, sed non est seductus. Nam vtique ipsum peccasse ostendit, vbi dicit, Per vnum hominem intrauit peccatũ in mundum: Et paulo post apertius, in similitudinem, inquit, præuaricationis Adæ: hos autem seductos intelligi voluit, qui id quod faciunt, non putant esse peccatum: ille autem sciuit. Alioquin quo modo verum erit, Adam non est seductus? sed inexpertus diuinæ seueritatis in eo falli potuit, vt veniale crederet esse commissum: Ac per hoc in eo quidem quo mulier seducta est, non est ille seductus: sed eum fefellit, quo modo fuerat iudicandum, quod erat dicturus, Mulier quam dedisti mihi sociam, ipsa mihi dedit & manducaui. Quid ergo opus est pluribus. Etsi credendo non sunt ambo decepti, peccando tamen ambo capti*
D *sunt, & diaboli laqueis implicati.* Sic Augustinus. Non dissimulabo tamen videri fortasse cuipiam posse, Adamum cognouisse dicta & promissa serpentis, & vera credidisse: atque hoc non obscurè indicasse Deum, qui cùm de Adamo loqueretur dixit: *Ecce Adam quasi vnus ex nobis factus est, sciens bonum & malum:* his enim verbis arguit eum affectatæ similitudinis & æqualitatis Dei in scientia boni & mali: significans eum promisso illi serpentis, *Eritis sicut Dij scientes bonum & malum*, fidem & assensum adhibuisse.

Ex. 32.

3. Reg. 11.

2. Tim. 2.

Rom. 5.

Ibid.

Gen. 3.

Gene. 3.

Quomodo Adam expetuerit similitudinẽ & æqualitatem Dei.

Verum quomodo Adam qui sapiens erat, credere potuit posse se æqualitatem diuinæ scientiæ consequi? Respondet S. Thomas in secundo Sententiarum distinct. 25. & Caietanus in Commentariis

suis in secundam secundę B.Thomæ quæst.163.art.4. *Adamum concupiuisse illud non appetitu absoluto, sed conditionali, ad hunc scilicet modum reputans secum: Vellem esse sicut Deus est, si fieri posset.* Vel aliter potest responderi, Adamum non concupiuisse æqualitatem diuinæ potestatis & scientiæ, sed quandam tanoummodo similitudinem potestatis & scientiæ Dei, quæ quidem per se, ac simpliciter non erat impossibilis Adamo, non erat tamen possibilis ei propter legem & ordinationem Dei contrariam. Illa vero similitudo scientiæ & potestatis Dei, tribus in rebus erat posita: primo, liberum esse à subiectione & obligatione legis, saltem positiuæ: tum habere scientiam omniam bonorum & malorum sine vlla exceptione, tam præsentium, quàm futurorum: denique non extrinsecus determinati ad hoc agendum potiùs quàm illud, vel ad hoc sciendum & non illud. Sed huic opinioni videtur illud planè contrariorum, quod scribit Paulus capite secundo prioris Epistolæ ad Timotheum: *Adam*, inquit, *primus formatus est, deinde Eua: Et Adam non est seductus, mulier autem seducta in præuaricatione fuit.* Quibus verbis apertè docet Paulus, Adamum non fuisse deceptum: at fuisset deceptus, si dictis & promissis credens serpentis, putasset se similem Deo sciendo bonum & malum, euadere potuisse. Quam igitur illa Pauli verba sententiam habeant, quantámque vim ad id probandam: cuius persuadendi causa citantur, deinceps paulò accuratius expendendum & considerandum est.

Similitudo Dei quã concupiuit Adamus in quo consistebat.

A B C

DISPVTATIO AN VERE Adam fuerit deceptus.

Explicatur locus Pauli. 2. ad Timoth. 2. Adamum non fuisse deceptum.

Qui patres asserunt Adamũ fuisse deceptum.

MVLTI & in primis graues ac nobiles Auctores censisse videntur, idque scriptis prodiderunt, Adamum serpentis promissionibus stultè credulum, diuinæque similitudinis & potestatis cupiditate incensum, grauissimo cum mentis errore & fidei iactura fuisse deceptum. Hoc tradit Ignatius martyr in Epistola ad Trallianos, *Diabolus*, inquit, *per Euam seduxit Adam patrem generis nostri.* Irenæus libro 3. aduersus hæreses capite 35. *Ab altero*, inquit, *seductus fuit sub occasione immortalitatis, statim timore corripitur & absconditur*, &c. Hilarius Canone 3. in Matthæum: *serpens Adam pellexerat, & in errorem fallendo traduxerat.* Epiphanius contra hæresim 38. disputans: *Ipse*, inquit, *diabolus per mendaciũ decepit Euam & Adam, alia pro aliis dicens, & amicitiam cum Creatore ostendens cum dixit, Eritis sicut Dij, & nequaquam moriemini.* Augustinus in psalmum 68. explanans illa verba, *Quæ non rapui, tunc exoluebam: Quis ait, rapuit? Adam, Quis rapuit primum: ille ipse qui seduxit Adam. Quomodo rapuit diabolus: Ponam sedem meam ad Aquilonem, & ero similis Altissimo: Vsurpauit sibi quod nõ acceperat, & ipso calice*

D

superbiæ

A *superbiæ suæ ei, quem decipere volebat propinauit, Gustate, inquit, & eritis sicut Dij, Rapere voluerunt diuinitatem, & perdiderunt felicitatem.* Idem libro 14. de Ciuitate Dei, capite 17. *Hoc*, inquit, *cognouerunt primi parentes, post transgressionem, quod felicius ignorauerint, si Deo credentes & obedientes non committerent, quod eos cogeret experiri, & infidelitas & inobedientia quid noceret.* Et libro 11. de Genesi ad litteram capit. 34. *Quid mirum*, inquit, *si superbi volentes esse sicut Dij, euanuerunt in cogitationibus suis, & obscuratum est insipiens cor eorum?* Leo sermone de Natiuitate Domini: *Gloriabatur*, ait, *diabolus sua fraude ceceptum hominem diuinis caruisse muneribus: & immortalitatis dote nudatum, duram mortis subiisse sententiam.* & serm. 3. *Illa quæ deceptor inuexit, & homo deceptus admisit, nullum habuerunt in Saluatore vestigium.* & serm. 4. *Homo primus, quia in-*
B *uido & deceptori temere atque infeliciter credidit, & superbiæ consiliis acquiescens propositum honoris augmentum occupare maluit quàm mereri.* Prosper in calce libri aduersus Cassianum: *Adam*, inquit, *& à quanto malo cauere deberet, Deo monente prædidicit: & in quanto bono esset constitutus, dum diabolo credidit, oblitus est.* & lib. 2. de Vita contemplatiua cap. 19. *Nisi primi parentes*, ait, *qui à dilectione Dei iã defecerant, tria mundi vitia dilexissent, nunquã male suasi serpentis consilio credidissent. nam se fieri posse, quod Deus est crediderunt.* Cyrillus libro 3. contra Iulianum, similem habet sententiam. Et Ambrosius in libro de Paradiso cap. 21. *Mulieris*, inquit, *prior error inuentus est: viro enim mulier, non mulieri vir, auctor fuit erroris. Vnde & Paulus ait, Adã non est deceptus: mulier autem decepta*
C *in præuaricatione fuit.* Idem libro de Elia & ieiunio c. 4. *dixit Deus, Ecce Adam factus est quasi vnus ex nobis irridens vtique Deus, non approbans hoc dixit, quasi diceret: Putabas te similem fore nostri: ergo quia voluisti esse quod non eras, desiisti esse quod eras.* Denique & hic ipse Ambrosius super illa verba Lucæ capitis decimi, *Qui etiam despoliauerunt eum:* & Prosper in libro, quem scripsit aduersus Cassianum cap. 19. & 21. non dubitarunt dicere, *Adam perdidisse fidem, nimirum quia plus dictis & promissionibus serpentis, quàm verbis Dei credidit.* Apparet igitur ex his quę velut cursim commemorauimus, quàm multi & clari Auctores Adamum fuisse deceptum existimauerint. Sed quia non est credibile istos auctores non legisse, quod Paulus dixit Adam non fuisse seduc-
D ctum, & multo minus ab eius sententia discrepare voluisse: propterea variæ sunt excogitatæ rationes illum Pauli locum interpretandi.

ILLVM igitur Pauli locum variè interpretati sunt Auctores, quorum interpretationes hic breuissimè recensebo. Prima interpretatio est Epiphanij in hæresi Quintilianorum, & Petri Lombardi, Haymonis, Glossæ ordinariæ, Oecumenij, & S. Thomæ in Commentario eiusdem loci Pauli, quam suggerit ipse verborum Pauli contextus. Sic enim habet: *Adam primus formatus est, deinde Eua.* deinde subdit, *Adam autem non est seductus, sed Eua.* Vbi subintelligendum est illud nomen *Primus*, vt sit hic sensus, Non fuit Adam primus seductus, sed Eua, quæ Adamo postea seductionis auctor fuit.

Quinque interpretationes illorum verborum Pauli. Adam nõ est seductus.

Secunda interpretatio.

ALTERA interpretatio est Hieronymi libro 1. contra Iouinianum, & Chrysostomi atque Ambrosij, vel eius qui falso putatur Ambrosius, in explicatione eius loci, Adam dici à Paulo non esse deceptum, quia non est seductus à serpente, sicut Eua: non enim peccauit Adam seductus à serpente, sed indulgens voluntati & cupiditati Euæ. Verba Chrysostomi sic habent: *Non est par Adami & Euæ seductionis ratio: ille seductus est à muliere quæ data ei fuerat à Deo, & generis societate coniuncta; hæc autem decepta est à bestia, quæ seruituti hominis fuerat addicta. Paulus igitur in cõparatione mulieris dicit non esse Adam deceptum: illa namque ab irrationali animante seducta est, hic autem à libera muliere.*

Chrysost. ho. 9 in epist. ad Corinth.

Ambrosius.

Tertia interpretatio.

TERTIA interpretatio Theophylacti, & refertur ab Oecumenio ac subindicatur à Chrysostomo, eáque præter cæteras placuit Hugoni S. Victoris in quæst. 16. ad priorem Pauli epistol. ad Timoth. propterea dixisse Paulum seductã fuisse Euam, non autẽ Adamum: quia in sacris litteris memoratur deceptio Euæ, non autem narratur deceptio Adami. Etenim Eua confessa est suam deceptionem dicés, *Serpens decepit me*: de Adamo aut* nihil tale legitur, respondit enim Deo: *Mulier, quam dedisti mihi sociam dedit mihi, & comedi*: ergo quia in sacris litteris non traditur Adamũ esse deceptum, sicut proditum est seductam esse Euam, ob eã causam Paulus dixit Euam seductam esse, Adamum verò minimè. Simili nempè phrasi vsus est Paulus in epist. ad Hebræos c. 7. scribens: *Melchisedec nec patrem, nec matrem, nec genealogiam, nec initium, nec finem dierum habuisse: quia hæc certi mysterij causa tacuit Scriptura.*

Genes. 3.

Quarta interpretatio.

QVARTA interpretatio elicitur ex lectione eius loci, quam indicat Ambrosius in libro de Paradiso, cap. 21. & Chrysostomus hoc loco atque, Hieronymus libro primo, contra Iouinianum, necnon & Augustinus libro 11. de Genesi ad literam cap. vltimo: quæ lectio sic habet: *Mulier autem seducta, facta est in præuaricationem.* Vt eorum verborum hæc sit sententia: Adam non est ita seductus, vt fieret mulieri in præuaricationem, id est, auctor mulieri esset præuaricandi: at mulier sic est seducta, vt fieret in præuaricationem Adamo, id est, eum induceret ad præuaricandum. Sic autem eo loco scribit Augustinus: *Neque frustra est quod Apostolus ait, Adã primus formatus est: mulier autem seducta in præuaricatione facta est, id est, vt per illam etiam vir præuaricaretur, Nam & ipsum dicit præuaricatorem: vbi ait: In similitudine præuaricationis Adæ, qui est forma futuri: seductum tamen negat. Nam & interrogatus non ait, mulier quam dedisti mihi seduxit me, & manducaui: sed, Ipsa mihi, inquit, dedit de ligno & manducaui: illa verò, Serpens, inquit, seduxit me. Ita Salomon tantæ sapientiæ, numquid nam credendum est, quod in simulacrorum cultu credidit esse aliquid vtilitatis? Sed mulierum amori ad hoc malum trahenti resistere non eualuit, faciens quod sciebat non esse faciendum, ne suas quibus deperiebat atque diffluebat, mortiferas delicias contristaret. Ita & Adam, postquam de ligno prohibito seducta mulier manducauit, eique*

Roma 5.

3. Reg. 11.

A *eique dedit,vt simul ederent:noluit eam contristari, quam credebat posse sine suo solatio contabescere, si ab eius alienaretur animo, & omnino illa interire discordia. Non quidem carnis victus concupiscentia,quam nondum senserat in resistente lege membrorum legi mentis suæ,sed amicabili quadam beneuolentia, qua plerúmque fit vt offendatur Deus, ne homo ex amico fiat inimicus: quod eum facere non debuisse,diuinæ sententiæ iustus exitus indicauit. Ergo alio quodam modo etiam ipse deceptus est:sed dolo illo serpentino, quo mulier seducta est,nullo modo illum arbitror potuisse seduci in illo modo quo illa potuit. Hanc autem propriè seductionem appellauit Apostolus, qua id quod suadebatur, cùm falsum esset, verum esse putatum est, id est, quod Deus ideo lignum illud tangere prohibuerit,quod sciebat eos si tetigissent velut Deos futuros, tanquam*
B *eis diuinitatem inuideret qui eos homines fecerat. Sed etiam si virum propter aliquam mentis elationem,quæ Deum internorum scrutatorem latere non poterat,solicitauit aliqua experiendi cupiditas, cùm mulierẽ videret accepta illa esca non esse mortuam, secundum ea quæ superius tractauimus:non tamen eum arbitror, si iam spiritali mente præditus erat,vllo modo credere potuisse, quod eos Deus ab esca illius ligni inuidendo vetuisset. Sed quid plura? persuasum est illud peccatum,sicut persuaderi talibus posset: conscriptum est autem, sicut legi ab omnibus oporteret,etsi à paucis hæc intelligerentur sicut oportet:* Sic Augustinus.

Quintæ interpretatio.

Q V I N T A interpretatio ex ipsa Mosis historia colligi potest: Eua verè potuit dicere,*Serpens decepit me:* Adã verò propriè loquendo
C non potuit verè dicere,Mulier decepit me, licet suadente muliere falsum crediderit. Is enim propriè decipit aliquem,qui ei falsum animo fallendi persuadet:& ita serpens decepit Euam. Qui autem putans verum esse, quod dicit,tametsi reipsa falsum sit, id alij persuadet, is profectò non dicitur seducere, quemadmodum nec dolosus aut fraudulentus iure vocatur. Verè igitur,& sicut in scholis dicitur, formaliter loquendo Eua non decepit Adamũ,licet materialiter loquendo decepisse eum existimari possit. Atque hæc interpretatio, quam tangere etiam videtur Augustinus prædicto loco, valdè congruit proposito Pauli:qui eo loco argumentatur mulierem non de-
D bere docere,propterea quòd etiam dum integra & incorrupta esset, tam infirma tamen & fragilis iudicata est,vt diabolus non ad fallendum Adamum,sed ad mulierem decipiendam accesserit,eámque paruo negotio deceperit. Liquet igitur(quod hac disputatione probare intendimus) Adamum nullo modo fuisse deceptum,ex illo Pauli loco non posse concludi.

Quomodo Adam deceptus propriè non fuerit.

Mulier cur docere non debeat.

S E D reuertamur ad explanationem illorũ verborũ Mosis, *Deditq; viro suo, qui comedit:* Illud, *Qui comedit,* denotat peccatũ Adami, quod ille per summum inobedientiæ scelus violato Dei mandato de non edendo fructu arboris scientiæ boni & mali, suo suorumque omniũ posterorum exitio admisit. Verùm illud peccatum non vnius modi ac simplex fuit, sed multiplex, ac velut numeroso multiformique iniquitatis fœtu fœcundissimum. Si quis enim inordinatos & pra-

uos motus affectúsque, quibus Adami mens, & animus tunc vitia- A
tus & corruptus est, diligenti cogitatione perquirat & perpendat,
minimum, octo modis eum peccasse comperiet. Primum peccatum
fuit superbia, natum ex verbis Euæ, quę dixit ei si fructum illum co-
mederet, fore eum Deo potestatis & scientiæ præstantia simillimum.
hinc animus eius inflatus est spiritu superbiæ, elatúsque cupiditate
illius excellentiæ consequendæ.

Octo modis Adami animum fuisse vitiatum atque depraua-tum.

Fvisse autem primum Adami peccatum superbiam, declarat Scriptura quæ Tobiæ quarto, sic ait: *Superbiam nunquam in tuo sensu, aut in tuo verbo dominari permittas: in ipsa enim initium sumpsit homnis perditio.* Et in libro Ecclesiastici capite decimo. *Initium superbiæ hominis apostatare à Deo: quoniam ab eo qui fecit illum recessit cor eius: quoniam initium omnis peccati est superbia.* Et hæc est sententia Patrum, vt videre licet apud Augustinum libro decimoquatto, de Ciuitate Dei, capite decimotertio, & decimoquinto, & libro vndecimo, de Genesi ad literam, capite trigesimo, & quadragesimo secundo, in Dialogo sexagesimoquinto quæstionum, quæstione quarta, super psalmum sexagesimumoctauum, septuagesimum, & octuagesimumsecundum. Chrysostomi, Homilia decimasexta in Genesim, & Homilia vndecima ad populum Antiochenum, & libro primo, de Prouidentia: Gregorij libro trigesimoquarto Moralium, capite decimoseptimo. Damasceni libro secundo, capite decimo. Bernardi sermone primo, de Aduentu, Magistri Sententiarum, in secundo, distinctione vigesimasecunda. atque ibidem ferè Scholasticorum: denique S. Thomæ, in secunda secundæ, quæstione centesimasexagesimatertia. sine causa igitur Scotus id negat in secundo, distinctione vigesimaprima, quæstione secunda, censétque primum Adami peccatum fuisse inordinatum vxoris amorem, sicut arbitrari videtur Augustinus libro vndecimo, de Genesi ad litteram, capite quadragesimosecundo. Verum, ad comedendum quidem adductus est Adam nimio vxoris amore: sed eum amorem animi elatio & superbia præcesserat, vt illo ipso loco significat Augustinus. Sanè per superbiam expetiuisse Adamum excellentem D
quandam similitudinem Dei, perspicuè declarauit Deus, cùm de eo
dixit: *Ecce Adam quasi vnus ex nobis factus est, sciens bonum & malum:*
haud dubiè ipsum arguens expetitæ ab eo affectatæque diuinæ excellentiæ.

Primum Adami peccatũ fuisse superbiam. B C

Primum hominis peccatum superbiã fuisse demonstratur.

Ad id quoque probandum, non infirma suppetit ratio. Aut enim primum peccatum Adami fuit circa bona sensibilia, aut circa bona spiritualia. Non circa bona sensibilia, nam vel hæc concupiuit ex inordinata inclinatione appetitus sensitiui, vel appetitus rationalis, qui est voluntas: non ex illius praua inclinatione: cùm enim ille tam diu subiectus rationi esset, quoad ratio subdita esset Deo, non

potuit

A potuit ille deprauari, nisi prius ratione deprauata. Neque potuit primo Adam peccare circa bona sensibilia ex vitiosa propensione voluntatis: etenim voluntas ferè non solet inordinatè ac vitiosè bona sensibilia expetere, nisi ab appetitu sensitiuo instigata & illecta: qui tamen, vt diximus, non erat vitiatus in Adamo. Deinde, voluntas prius naturali ordine fertur in id, ad quod habet maiorem propensionem, illudque prius inordinatè concupiscit: sed vehementiorem habet voluntas propensionem ad bona spiritualia, vt sunt scientia, gloria, potentia, libertas, siquidem hæc sunt principalius obiectum voluntatis rationalis, quàm bona sensibilia: ergo simillimum vero est, huiusmodi bona inordinatè atque immodicè concupiscendo, vitiatam & corruptam fuisse hominis voluntatem: talium autem bo-
B norum immoderata cupiditas ex superbia in animis hominum exardescit.

LIBET adscribere hoc loco, ad eorum quæ de primo Adami peccato docuimus comprobationem, Augustini, Gregorij, & Bernardi verba. In libro 14. de Ciuitate Dei cap. 13. ita scribit Augustinus: *In occulto autem mali esse cœperunt, vt in apertam inobedientiam laberentur. Non enim ad malum opus perueniretur, nisi præcessisset mala voluntas. Porro malæ voluntatis initium, quod potuit esse nisi superbia? Initium enim omnis peccati superbia est. quid est autem superbia, nisi peruersæ celsitudinis appetitus? Peruersa enim celsitudo est deserto eo cui debet animus in-*
C *hærere principio, sibi quodammodo fieri, atque esse principium. Hoc fit, cum sibi nimis placet: sibi verò ita placet, cùm ab illo bono immutabili deficit, quod ei magis placere debuit, quàm ipse sibi. Spontaneus est autem iste defectus: quoniam si voluntas in amore superioris immutabilis boni, à quo illustrabatur vt videret, & accendebatur vt amaret, stabilis permaneret: non inde ad sibi placendum auerteretur, & ex hoc tenebresceret & frigesceret, vt vel illa verum crederet dixisse serpentem, vel ille Dei mandato vxoris præponeret voluntatem: putarétque se venialiter transgressorem esse præcepti, si vitæ suæ sociam non desereret etiam in societate peccati. Non ergo malum opus factum est, id est, illa transgressio, vt cibo prohibito vescerentur, nisi ab eis qui mali iam erant. Neque enim fieret ille fructus malus, nisi ab arbore mala.* Apud eundem in eiusdem libri capite decimoquinto, sic est: *Quia ergo*
D *contemptus est Deus iubens, qui hominem creauerat, qui ad suam imaginem eum fecerat, qui cæteris animalibus præposuerat, qui in Paradiso constituerat, qui rerum omnium copiam salutisque præstiterat, qui præceptis nec pluribus nec grandibus nec difficilibus onerauerat, sed vno breuissimo atque leuissimo ad obedientiæ salubritatem adminiculatus fuerat, quo super eam creaturam, cui libera seruitus expediret, se esse Dominum commonebat, iusta damnatio subsecuta est: talis quidem damnatio, vt homo, qui custodiendo mandatum futurus fuerat etiam carne spiritalis, fieret etiam mente carnalis: & quia sua superbia sibi placuerat, Dei iustitia, sibi donaretur: nec sicut affectabat, in sua esset omnimoda potestate, sed à seipso quoque dissentiens, sub illo, cui peccando consensit, pro libertate quam concupie*

Præclara sententia B Augustini de superbia Adami.

cupierat, duram miserámque ageret seruitutem, mortuus spiritu volens, & cor- A
pore moriturus inuitus: desertor æterna vitæ, etiam æterna, nisi gratia liberaret,
morte damnatus. Sic Augustinus.

Egregia sancti Gregorij sententia de peccato superbiæ.

B. GREGORII in capite 17. libri 34. Moralium locum illũ Iob cap. 41. *Ipse est rex super vniuersos filios superbiæ* explanantis, hæc sunt verba. *Vt Leuiathan iste, ideſt, diabolus, in cunctis quæ superius dicta sunt caderet, sola se superbia perculit. Neque enim per tot illos vitiorum ramos aresceret, nisi per hanc prius in radice putruisset. Scriptum est námque, Omnis peccati initium superbia. per hanc enim ipse succubuit, per hanc se sequentem hominem strauit. Eo etenim telo salutem nostræ immortalitatis impetijt, quo vitam suæ beatitudinis extinxit. Sed idcirco hanc Dominus fini suæ locutionis inseruit, vt cùm post mala omnia, Leuiathan istius superbiam diceret, quid esset malis omnibus deterius indicaret. Quamuis etiam per hoc quod in imo* B
ponitur, vitiorum radix esse monstretur. Sicut enim inferius radix tegitur, sed ab illa rami extrinsecus expanduntur: ita se superbia intrinsecus celat, sed ab illa protinus aperta vitia pullulant. Nulla quippe mala ad publicum prodiret, nisi hæc mentẽ in occulto constringeret. Hæc est quæ Leuiathã istius sensum ferueſcere sicut ollam facit: vnde & humanas mentes in quodam feruore insaniæ concutit, sed per aperta opera qualiter concussi animam euertat, ostendit. Intus námque prius ebullit in elatione, quod foris postmodum spumat in opere. Hæc Gregorius.

Insignis de vitio superbiæ Bernardi sententia.

Ioan. 8.

Eccle. 10.

Apoc. 4.

Colo. 1.

Ioan. 8.

Isa. 14.

Gen. 3.

Psal. 49.

Esa. 1.

Adam & Eua nostræ originis duces verè principes furum.

DENIQVE apud Bernardum in Sermone primo de Aduẽtu Domini hæc de Lucifero leguntur. *Quid tu superbis terra & cinis? si superbientibus Angelis Deus non pepercit, quanto magis tibi, putredo & vermis?* C
Nihil ille fecit, nihil operatus est, tantùm cogitauit superbiam, & in momento, in ictu oculi irreparabiliter præcipitatus est: quia iuxta Euangelistam in veritate non stetit. Fugite superbiam, fratres mei quæso, multum fugite. Initium omnis peccati superbia: quæ tam velociter ipsum quoque sideribus cunctis clarius micantem æterna caligine obtenebrauit Luciferum: quæ non modo Angelum, sed Angelorum primum in diabolum commutauit. Vnde & protinus inuidens homini, quam conceperat in semetipso, in eo peperit iniquitatem. Suadens, vt lignum vetitum gustans, fieret sicut Deus, sciens bonum & malum. Quid enim polliceris: quid promittis miser? cùm Filius Altissimi scientia clauem habeat, immo & ipse sit clauis Dauid qui claudit & nemo aperit: in eo sunt omnes thesauri sapientiæ & scientiæ absconditi: tu ne eos, vt homini præstes, iniquè fu- D
raberis: Videtis quia verè iuxta Domini sententiam mendax iste est, & pater eius: nam & mendax fuit dicens, Similis ero Altissimo: & mendacij pater, cùm in hominem quoque venenatum suæ falsitatis seminarium effudit, dicens, Eritis sicut Dij. Tu quoque homo, si vides furem curres cum eo? Audistis fratres, quid hac nocte lectum est in Esaia, dicente Domino, Principes tui infideles, vel vt alia translatio habet, Inobedientes, socij furum. Reuera enim principes nostri Adam & Eua, principia nostræ propaginis, inobedientes & socij furum, qui quod Filij Dei est, serpentis, immo diaboli per serpentem consilio subripere tentant. Hactenus S. Bernardus.

Secundum peccatum Adami amor inordinatus vxoris.

ALTERVM peccatum Adami fuit inordinatus affectus, & amor immo

A immoderatus vxoris; non quidem amor concupiscentiæ carnalis, qui necdum excitatus fuerat in membris eius, sed amor quidam socialis,& velut amicittæ; scilicet, ne illam contristaret, paruipendit præceptum Dei.atque hoc amore fit sæpenumero, vt Augustinus inquit libro 14.de Ciuitate Dei,capite 11.& lib.11.de Genesi ad litteram 42.capite.vt offendat homo Deum,ne offendat amicum:*Credendum est*,inquit Augustinus,*illum virum suæ fœminæ, vni vnum, hominem homini,coniugem coniugi,ad Dei legem transgrediendam, non tanquam verum loquenti credidisse seductum,sed sociali necessitudine paruisse*. Et altero in loco:*Noluit Adam Euam contristari, quam credebat posse sine suo solatio contabescere,si ab eius alienaretur animo, & omnino illa interire discordia. Non quidem carnis victus concupiscentia, quam nondum in membris*
B *suis senserat,sed amicali quadam beneuolentia, qua plerumque fit,vt offendatur Deus,ne homo ex amico fiat inimicus:quod eum facere non debuisse, diuina sententia iustus exitus indicauit.*

Secundũ peccatũ Adami amor inordinatus vxoris.

TERTIVM peccatum fuit improba quædam auiditas,& pestifera curiositas experiendi quidnam lateret in eo fructu, quẽ ipsi Deus tantopere interdixerat,quidque eo gustato consecuturum esset.

Tertium peccatum curiositas.

QVARTVM peccatum: quia vidit Euam percepto fructu non esse mortuam, cœpit dubitare de intelligentia illius sententiæ Domini,*In quacumque die comederis,morte morieris*.vtrum scilicet ea verba propriè,an figuratè dicta essent,& vtrum definitiuam sententiã continerent,an tantùm comminatoriam.

Quartũ dubietas.

QVINTVM peccatum: quia inexpertus erat diuinæ seueritatis
C in vindicandis peccatis,existimauit forè peccatum suum excusabile, veniáque dignum; vel propter leuitatem rei, quantulum enim erat vnum pomulum comedisse?vel propter dignitatem personæ suæ,intimámque cum Deo familiaritatem; vel quia id fecerat, vt gratificaretur vxori,quam Deus ei sociam dederat.Adamus enim summo Euã amore diligebat,quòd esset propter eximia corporis & animi ornamenta summè amabilis,quod vnica esset mulier in toto terratum orbe,quòd sua esset vxor,ex qua prolem susceperus, totúmque genus hominum propagaturus esset, quòd sibi à Deo in sociam esset data, denique quòd sua esset ex carne,ossibúsque formata. Putauit igitur hanc rationem satis valido futuram obtentui ad peccati admissi ex-
D cusationem, & verò cernimus hac vna tantùm excusatione Adamũ, cùm is à Deo increparetur esse vsum,*Mulier*,inquit,*quam dedisti mihi sociam,dedit mihi,& comedi*.

Quintũ contẽptus Dei.

Cur Adamus Euam tantopere diligeret.

SEXTVM peccatum fuit gulæ:cernens enim pulchritudinẽ pomi,& audiens ex vxore suauissimi esse saporis, esum eius flagrantissimè concupiuit.

Sextum gula.

SEPTIMVM fuit peccatum inobedientiæ: nam comedendo fructum sibi à Deo interdictum, inobediens fuit Deo. Non fuit tamen peccatum illud Adami formaliter & specialiter inobedientia; sed tantum materialiter & genericè:hoc est non peccauit Adam vo-

Septimum inobedientia.

lens esse inobediens, vel per contemptum diuini præcepti, sed vo- A
lens comedere fructum sibi à Deo interdictum, inobediēs fuit Deo.
Paulus quidem certè in capite quinto Epistolæ ad Romanos dispu-
tans de peccato Adami, non aliud videtur agnoscere, quàm inobe-
dientiam, aut certè hoc maximè: nam cùm dixisset propter pecca-
tum Adami mortem intrasse in mundum, & contagione eius pecca-
ti omnes homines esse infectos, atque corruptos, quale illud fuerit
peccatum declarans subdit, *Sicut per inobedientiam vnius hominis pec-*
catores constituti sunt multi: ita & per vnius obeditionem iusti constituetur
multi. Ac licèt, quantum ad animum & affectum Adami, principale
& formale peccatum eius fuerit superbia, siquidem ad peccandum B
ex obiecto superbiæ motus est; attamen quantùm ad offensam Dei,
& ad damnum, quod ex peccato eius accidit omnibus eius posteris,
principale peccatum fuit inobedientia. propterea enim Deus gra-
uissimè est offensus, quod præceptum ipsius non custodiuisset Ada-
mus: quapropter obiurgans eum, *Quia*, inquit, *comedisti de ligno, de quo*
præceperam tibi, ne comederes, &c.

Octauum excusatio peccati.

OCTAVVM peccatum eius, fuit excusatio peccati à se commis-
si, quæ detestabilior in eo fuit, quàm in Eua; nā hæc culpam in ser-
pentem transtulit, Adamus verò in Deum dicens, *Mulier, quam de-*
disti mihi, sociam, dedit mihi, & comedi. quasi diceret, Tu dando mihi so-
ciam mulierem, peccandi occasionem præbuisti. Verum de hac tam C
scelerata & impia excusatione Adami, plura dicemus infrà.

NON inuoluam silentio quod Augustinus prodidit in Sermone
tertio de festo Annunciationis Domini, qui est 19 de Sanctis: signi-
ficat enim, si Adam cùm de peccato suo reprehensus est à Deo, non
excusasset se, sed humili sceleris patrati confessione ac pœnitentia
veniam ab eo postulasset, futurum fuisse, vt non exularet à Paradiso.

Notabilis Augustini sententia excutitur, Vtrum si Adamus statim humiliter confessus esset peccatum à se commissum, exulasset à Paradiso necne.

Sic autem scribit Augustinus: *Cùm Adam de perpetrata à Domino ar-*
gueretur inobedientia, non se humiliter, vt culpa exigebat accusauit, sed aucto-
rem superbè accusauit dicens, Mulier quam dedisti mihi, dedit mihi fructum,
& comedi. Hæc dicendo, se putauit excusatum: & sic accusauit creatorem mu-
lieris, quæ ad peccandum, virum traxerat in culpam. Qui si humiliter se accu-
sasset, & in auctorem suum culpam non retorsisset, à Paradiso non exulasset: D
Hæc Augustinus. Sed cùm habitatio primi hominis in Paradiso cō-
iuncta esset cum potestate comedendi fructum arboris vitæ, hæc
autem cum immortalitate corporis; propterea enim Deus, vt paulo
infra narrat Moses, eiecit Adamum de Paradiso; ne scilicet manens
ille in Paradiso, vitalem illum fructum comedere, ac vitam in ter-
perpetuare posset: immortalitas porro corporis à iustitia originali,
cæterorúmque illius fælicis status bonorum comitatu separari non
posset; plane conficeretur, si Adamus, secundum Augustinum, per
confessionem sui peccati remansionem in Paradiso impetrasset, si-
militer eum immortalitatem corporis, iustitiam originalē, cæteraq;
illius status bona fuisse recuperaturum. Quod ego tamen vt credam,

non

A non facile possum adduci: video enim Deum absolutè Adamo dixisse, *In quocumque die comederis ex ligno scientiæ boni & mali, morte morieris.* Fuit igitur absoluta, fixa, & immutabilis illa Dei sententia, si Adam comederet fructum vetitum, fore eum necessitati moriendi obnoxium, id est, amissurum promissam corporis immortalitatem cùm qua etiã coniuncta erat cæterorum bonorum amissio, siue Adam postea de peccato suo pœnitentiam ageret, siue nõ ageret, quamquam nõ leuis quorumdam coniectura est, sermonem illũ non esse Augustini, vt neminem auctoritas eius mouere admodũ debeat. Hæc in præsens attigisse satis sit, quæ sacrarum litterarum doctus & prudens lector subtilius & diligentius expendet, ac de nostro iudicio iudicium ipse faciet.

B

DISPVTATIO DE GRAVITATE peccati primorum hominum.

SEQVITVR altera disputatio de grauitate peccati primorum hominum tam absolutè quàm comparatè, sed breuissimè tamen tractanda. Disputandum enim est, vtrum peccatum illud primorum hominum, fuerit omnium, quæ postea vllo tempore, & ab vllo hominum sunt patrata grauissimum: itémque vtrius hominis, Adami ne an Euæ, grauius fuerit peccatum.

QVAESTIO I.

C

An primorum hominum peccatum, fuerit omnium peccatorum grauissimum.

Vnde æstimetur grauitas peccati.

GRAVITAS peccati multis ex rebus æstimari solet, vel ex ipsa specie peccati, sic adulterium grauius est simplici fornicatione, vel ex intentione affectus peccantis, vt si quis vehementiori studio & intensiori affectu rapiatur ad peccandum, vel ex effectu peccati, id est, damno, quod peccatum consequitur, sic homicidium grauius est furto, vel ex variis circumstantiis peccato adiunctis, quæ grauitatem eius amplificant, vt iunt qualitas personæ, locus, tempus, & id genus alia.

D

Quomodo peccatũ primorum hominum & fuerit & nõ fuerit omnium grauissimum.

SI spectetur igitur species peccati primorum hominum non vtique fuit omnium grauissimum, grauius enim fuisset, si peccasset per blasphemiã, per infidelitatem, per contemptum, aut odium Dei. Nec dubitanter dixerim Iudam, Arium, Lutherũ secundum speciẽ peccati grauius peccasse, quã Adamũ, peccauit enim contra legem positiuam, non contra legem naturalem, & contra præceptum de re indifferenti, non de re per se mala. Nec affectus peccandi fuit in illis intensior, vehementior, prauiórq; quã in vllo eorum, qui postea peccauerunt. At enim grauissimum fuit illud peccatum, si penses damnum ex eo consecutum, id est, iacturam tot tantorúmque bonorum

nunquam deinceps recuperandorum, & tot tantorúmque malorum quæ peccatum illud peperit, necessitatem. Neque damnum illud, proprium modò fuit illorum hominum, sed vniuersi generis humani: illi enim primi parentes suo casu & ruina omnes posteros suos, quotquot deinceps fuerunt, futuríque sunt, in peccati & mortis exitium perttraxerunt. Quocirca Paulus tantum hoc damnum ponderans in cap. 5. epistolæ ad Romanos, *Per vnum hominem*, inquit, *peccatum in hunc mundum intrauit, & per peccatum mors: & ita in omnes homines mors pertranſiit, in quo omnes pecceauerunt.*

Peccatũ Adami qua ratione cæteris grauius.

Illvd quoque valde grauat & magnificat peccatũ Adami, quòd is sapiẽtia, & gratia Dei excelleret nullamq; haberet ad malũ proclivitatem: sed contrà, acerrimam ad bonum propensionem, ita vt summa facilitate quantamlibet tentationem propulsare, omneq; peccatum vitare nullo labore posset: quamobrem tantò fuit maior eius in peccando iniquitas, quantò maior erat in eo non peccandi facilitas, quemadmodum Augustinus cap. 15. lib. 14. de Ciuitate Dei his verbis scribit. *Si quis damnationem Adami, vel nimiam vel iniustam putat, meiri profecto nescit, quanta fuerit iniquitas in peccando, vbi tanta erat non peccãdi facilitas.* Idque declarat Augustinus ex contrario, scilicet ex comparatione obedientiæ Abrahæ, & domini nostri Iesu Christi. *Sicut*, inquit, *obedientia Christi eò prædicabilior fuit, quia factus est obediens vsque ad mortem: ita inobedientia primi hominis eò fuit detestabilor, quia factus est inobediens vsque ad mortem. Vbi enim magna est inobedientia pœna proposita, & res à Creatore facilis imperata: quisnam satis explicet quantum malum sit non obedire in re facili, & tantæ potestatis imperio, & tanto terrenti supplicio?* Sic Augustinus.

Augustinus.

Phil. 1.

Locvs præterea Paradisi, quem Adamus scelere suo deho nestauit, ac dedecorauit, detestabilius fuisse peccatum eius arguit: siquidem eo loci nulla erat peccandi occasio, nullúmque malè agendi iritamentum: quinimo plurima & acerrima ad laudandum, colendũ, & amandum Deum, eiúsque iussis obtemperandum incitamenta. Quid ego dicam de circumstantia temporis, quæ non parum scelus eius amplificat? talem enim Deus Adamum fecerat, vt omni tempore summa facilitate innocens, & sanctus perseuerare, omnéque peccatum vitare, & quantamuis tentationem dæmonis nullo negotio superare posset. At ille quàm facile? quàm citò? tamquam inermis & imbecillis atque ignauus miles, prima hostis, minimeque graui ad sustinendum impressione victus & prostratus est? Nimirum, quàm facilis ei victoria esse poterat: tam insigne fuit ad perpetuum dedecus & ignominiam, fuisse victum.

QVAESTIO II.

Vtrius peccatum grauius fuerit, Adami ne, an Euæ.

Sed

A SED age, peccatum Adami cum Euæ peccato comparemus. Enimuerò si ad personā vtriusque & ad damnum ex vtriusque peccato consecutum respectus habeatur, non est dubitandum, quin multò grauius fuerit peccatū Adami, quàm Euæ: etenim longè sapiētior erat Adamus quàm Eua, & perspicacior ad internoscēdum bonū à malo, omnésq; diaboli etiā occultissimas artes & fraudes dispiciēdas atq; discutiendas, fortior item erat ad omnes tentationes superandas, pluribúsque ac maioribus Deo beneficiis obligatus cum esset, obseruantiorem eū diuinorum præceptorum, atque obsequentiorem esse oportebat. denique constituerat eum Deus quasi caput Euæ, quam scilicet, ipse ignorantem erudiret, errantē corrigeret, vacillātem confirmaret, lapsam erigeret: Iam verò, iustitiæ originalis & immortalitatis amissio, B necessitas moriendi, & innumerabilia mala perpetiendi, contagioq; peccati in omnem transfusi posteritatē, deniq; totius corruptela naturæ, non ob Euæ, sed ob Adami peccatū cōsecuta sunt. Si enim Adamus non peccasset, nihil peccatum Euæ, aut ipsi Adamo, aut posteris eius nocuisset. Nam quod in lib. Eccl. c. 25. proditū est, *Propter mulierem*, id est: propter Euam, *omnes homines mori*: intelligēdum est, sicut in scholis loquimur, occasionaliter, non causaliter seu meritoriè. Eua enim occasionem Adamo præbuit peccandi, ex cuius peccato accidit mors, sicut dixit Paulus ad Ro. 5. *Per vnum hominem peccatum in hūc mundum intrauit: & per peccatum mors.* atque hoc ipsum non obscurè indicatur illo ipso loco Ecclesiastici, cùm priùs dicitur. *A muliere initium peccati:* Et deinde subditur: *Per illam enim omnes morimur.*

Peccatū Adami fuit grauius peccato Euæ.

Si Adamus non peccasset, peccatū Euæ non nobis nocuisset.

Ibidem.

C AVCTOR quæstionum Veteris & noui Testamenti, vulgo existimatus, sed falsò, Augustinus, inter cuius scripta volumē illud fertur, in q. 83. scribit Adamum peccasse peccato idololatriæ, quia voluit se Deum fieri: quod profectò falsum est. Non aliter dici potest Adamus peccasse peccato idololatriæ, quàm quiuis hominum peccans mortaliter: ea scilicet, ratione, vt alium sibi quàm Deum cōstituit vltimum finem, quem super omnia diligit, & ad quem sua omnia refert: quemadmodum Paulus de nonnullis dixit, *Quorum Deus venter est*: & alio loco auaritiam, idolorum seruitutem appellauit. Non enim ita concupiuit Adamus similitudinē Dei, vt Deus fieri vellet, & quasi Deus D bolum voluisse Euam inducere ad idololatriam, iniecta animo eius coli & adorari. S. Ambrosius in libro de Paradiso cap. 13. putat diamultorum deorum opinione ac fide, cùm dixit: *Eritis sicut Dij, scientes bonum & malum.* Verba eius sic habent: *In quo licet aduertere, idololatriæ auctorem esse serpentem, eo quod plures Deos induxisse in hominum videatur errorem, quadam serpentis astutia, &c.* Verùm vox illa *Dij*, seu vt Hebraicè est אלהים *Elohim*, posita est pro vno & vero Deo, sumpto nempe, quod nonnunquam fit in Sacris litteris, plurali numero pro singulari, vel ad denotandas diuinas personas, ad quas pertinet, quod paulò infrà dixit Deus, *Ecce Adam quasi vnus ex nobis factus est.*

Adā non peccauit, vt putarunt quidā, peccato idololatriæ.

Philipp. 3.

Ambrosius ceriſuit serpentem voluisse inducere Euā in errorem & impietatem idololatriæ.

Hugo S. Victoris, quomodo dixerit Adamum peccasse per auaritiam

HVGO sancti Victoris dixit, Adamum peccato auaritiæ peccasse. A Sed amplè sumpsit nomen auaritiæ, pro immoderata videlicet cupiditate habendi quodlibet bonum plus quam oportet. Qua significatione vtitur nonnunquam vocabulo auaritiæ Paulus, veluti sub finem primi capitis epistolæ ad Romanos, & in quarto capite epistolæ ad Ephesios, quibus locis Græcè est vocabulum πλεονεξία, ductũ à πλεονέχειν, idest, à plus habendo: significans vitium, quo sibi quis *plus* arrogat, vel affectat quàm ius est: aut potiores partes, fraudatis cæteris, occupat, aut saltem occupare studet tam in diuitiis, quàm in honoribus aliisque rebus. Vocabulum autem πλεονεξία, Latinus interpres alicubi vertit rapinam, aliubi fraudem, sæpe auaritiam. De ea voce legendus est commentarius Hieronymi super illis verbis Pauli capitis quarti epistolæ ad Ephesios, *In operatione omnis immunditiæ, in auaritia*: & rursus, *Nec auaritia nominetur in vobis*. Patet igitur quemadmodum Adami peccatum, quàm Euæ grauius fuerit. B

Πλεονεξία quid.

Caietanus leue peccatum Euæ cur existimet.

PECCATVM autem Euæ Caietanus leue admodum facit: explanans enim illa verba tertij capitis, *Tulit mulier de fructu arboris, & comedit*: affirmat primum illud Euæ peccatum fuisse minimum, tũ ex re dicebat, hoc est, affectu libertatis: tum ex ratione peccandi, appetitu, scilicet similitudinis diuinæ: tum ex re appetita, quæ fuit scientia boni & mali, tum ex specie actus exterioris, qui fuit comedere fructũ pulchrum oculis, & ad vescendum suauem: tum ex causa peccandi, nimirum seductione serpentis: tum denique ex conditione peccantis, quia mulier erat. sic Caietanus. Veruntamen, si peccatum vtriusque C parentis nostri simpliciter & absolutè pensemus, non modo graue fuisse peccatum Euæ, sed etiam tribus de causis grauius quàm Adami intelligemus. Primò enim peccauit infidelitate, id est, contra fidem, quæ est virtus supernaturalis & Theologica: credens serpenti falsa, & impia de Deo loquenti, quinetiam mendacij, atque inuidiæ Deum insimulanti. Peccauit item ingenti stultitia & væcordia, sperans se scientiam boni & mali, ac similitudinem Dei per esum fructus corporalis posse consequi. Denique peccauit in virum suum, blãdis eum verbis & importunis precibus ad comedendum fructum vetitum illiciens atque impellens. Itaque prima omnis peccati & mortis, quæ vniuersum genus humanum peruasit occasio, ex Eua fuit.

Tripliciter, grauius peccatum Euæ, quàm Adami.

Peccatum Adami cur nõ fuerit omnium grauissimũ, grauissima tamẽ pœna sit mulctatum.

SI QVIS autem propterea cõtendat, peccatum primorum hominum fuisse grauissimum omnium, quod grauissima pœna sit mulctatum, id est, tot tantorúmque bonorum amissione, & necessitate tot tantísque malis animi & corporis subiacendi: sciat is eiusmodi pœnã non respondisse peccato Adami secundum quãtitatem propriæ speciei, sic enim respondit pœna æterna inferni, quæ non erat omnium maxima: sed ea duntaxat ratione, vt fuit primum peccatum, per quod scilicet, sublata est iustitia originalis, & fœlix ille status innocentiæ deperditus: cui malo, necessario cætera damna consequentia & connexa erant. Lege B. Thomam in 2.2. quæstione 165. articul. 3. D

Aperti

A *Aperti sunt oculi eorum, & cognouerunt se esse nudos.* VERS. 3.

NON sunt aperti eis oculi, quasi antea fuissent clausi: nã quomodo Adamus clausis oculis vidisset animalia ad se adducta, & mulierẽ ex latere suo formatã? quomodo mulier vidisset serpẽtem, & fructum arboris vetitæ pulchrum esse oculis? Nec aperti sunt eis oculi, quasi tunc primum vsu rationis, ac liberi arbitrij pollere cœperint: quæ enim antea dixisse Adamum & Euam legimus, satis declarant eos perfe-
B cto fuisse rationis vsu. Nec propterea tunc oculi dicuntur eis aperti, quòd per esum fructus vetiti, vt significat Iosephus, maius ingenij acumen, acriorémque vim ad intelligendum sint adepti: siquidem neque id per esum eius fructus potuit effici: neque si factum esset, damno eis, sed magno lucro esus illius fructus fuisset. Nec probanda est Rabbi Salomonis sententia, antea primos illos homines solius boni cognitionem tenuisse: post illius autem fructus esum, etiam mali notitiam eis contigisse: námque contrariorum eadem est disciplina. Itaque bonum & malum, tam ante quàm post cognouerunt, dissimili tamen ratione. Antè nouerant bonum per possessionem, malum verò ex boni oppositione: posteà bonum nouerunt
C per priuationem, malum per experientiam, infælici nempè & execranda cognitione.

Quomodo intelligendum sit aperios fuisse primis hominibus oculos.

Iosephus libro 1. Antiquit. cap. 1.

QVOMODO igitur Moses dixit tunc fuisse apertos eis oculos? Nimirum tunc primum aduertere cœperunt nuditatem corporis sibi turpem & ignominiosam esse, propter inordinatos & obscœnos carnis aduersus rationem rebellantis motus: statim enim vt peccarunt, mutua exarserunt libidine, quam per membra corporis contra iudicium & voluntatem rationis immoderatè sese efferentem, & comprimendam iudicabant, & comprimere tamen non valebant: quapropter maiorem in modum erubescebant, & illas corporis partes quamprimum occultare & velare satagebant. At nuditas quidem
D earum partium ante peccatum non magis pudori eis fuerat, quàm est nobis vel manus, vel oris nuditas. Ergo accidit eis similiter quo dammodo vt pueris, qui priusquam ad rationis vsum perueniant, de nuditate earum partium minime verecundantur: vbi autem ratio vim discernendi bonum à malo exercere, & ipsi libero arbitrio vti cœperint: continuò de earum partium nuditate erubescunt. quod igitur pueris propter ætatem contingit, hoc illis propter iustitiæ originalis præsentiam vel absentiam euenit.

Quomodo Adamus & Eua se nudos esse cognouerint.

HANC interpretationem, vt alia permulta, ex fontibus hausimus Augustini, apud quem in libro 14. de Ciuitate Dei capite. 17. sic est: *Nudi erant, & non confundebantur: non quod eis sua nuditas esset incognita, sed turpis nondum erat, quia nondum libido membra illa præter arbitrium commo*

Augustinus.

commouebat: nondum ad hominis inobedientiam redarguendam, sua inobedientia caro quodammodo testimonium perhibebat. Neque enim cæci creati erant, vt imperitum vulgus opinatur: quandoquidem & ille vidit animalia, quibus nomina imposuit, & de illa legitur, Vidit mulier quia bonum est lignum in escam, & quia placet oculis ad ad videndum. Patebant ergo oculi eorum, sed adhuc non erant aperiri hoc est, non attenti vt cognoscerent quid eis indumento gratiæ præstaretur, quando membra eorum voluntati repugnare nesciebant. Qua gratia remota, vt pœna reciproca inobedientia plecteretur, extitit in motu corporis quædam impudens nouitas, & fecit attentos, reddiditq; confusos. Hinc est quod postea quam mandatum Dei aperta transgressione violarunt, scriptum est de illis, Et aperti sunt oculi amborum, & cognouerunt quia nudi erant, & consuerunt folia fici, & fecerunt sibi campestria. Aperti sunt, inquit, oculi amborum non ad videndum, nam & antea videbant, sed ad discernendum inter bonũ, quod amiserant, & malum in quod ceciderant. vnde & ipsum lignum eo quod istam faceret dignoscentiam, si ad vescendum contra vetitum tangeretur, ex ea re nomen accepit, vt appellaretur lignum scientiæ boni & mali. Experta enim morbi molestia, euidentior fit etiam iucunditas sanitatis. Cognouerũtergo quia nudi erant: nudati scilicet ea gratia qua fiebat, vt nuditas corporis mulla eos lege peccati menti eorum repugnante confunderet. Hoc itaque cognouerũt quod fœlicius ignorarẽt, si Deo credẽtes & obediẽtes non cõmitterent, quod eos cogere, experiri, infidelitas & inobedientia quid nocerent. Sic Augustin.

Augustinus. HORVM simillima reperiet lector apud eundem Augustinum in libro vndecimo de Genesi ad litteram capite trigesimoprimo. Quomodo, ait, aperti sunt oculi amborum, nisi ad inuicem concupiscendum? Neque enim clausis oculis facti erant, neque in Paradiso deliciarum cæci palpantésque oberrabant, vt vetitum lignum etiam nescientes attingerent, palpantésque fructus prohibitos ignorando decerperent. Quomodo enim animalia adducta sunt ad Adamum, vt videret quid vocaret ea, si non videbat? Quomodo mulier ad virum ducta est, vt de illa quam non videbat diceret, Hoc nunc os de ossibus meis, & caro de carne mea? Quomodo vidit mulier fructum illum esse pulchrum oculis, si clausi erant eius oculi? & tamen apertos dicit Scriptura eorum oculos, translato verbo & figurata narratione vtens, apertos vtique ad aliquid intuendum, & cogitandum, quod antea nunquam aduerterant. Vbi enim ad transgrediendum præceptum audax curiositas mota est, auida experiri latentia quidnam tacto fructu vetito sequeretur, & noxia libertate habenas prohibitionis rumpere delectata, probabilius existimauit nõ esse mortẽ, quam timuerat secuturam. Mox ergo vt præceptã transgressi sunt, intrinsecus gratia deserente omnino nudati, quam typho quodam & superbo amore suæ potestatis offenderant, in sua membra oculos iniecerunt, eáque motu, quem non nouerant, concupiuerunt. Ad hoc igitur aperti sunt oculi, ad quod antea non patebant, quamuis ad alia paterent. Idem Augustinus lib. 1. Locutionum in Genesim, numero 9. Quod scriptum demum est de Adam & Eua, Aperti sunt oculi eorũ, cùm absurdè credatur eos in Paradiso cœcos, vel oculis clausis prius oberrasse, locutionis est, qua etiam de Agar scriptum est, Aperuit oculos suos & vidit puteum, neque enim clausis prius oculis fodebat. Et quod in fractione panis aper

Gen. 21.

Luc. 24.

A *nis aperti sunt oculi eorum, qui cognouerunt Dominum post resurrectionem. Neque enim per viam cum illo clausis oculis ambulabant.* Sic Augustinus. *Luc 24.*

ILLVD præterea posset dici apertos fuisse eis oculos, quia tunc clarè viderunt, quod antea libidine peccandi obcœcati non viderant: Deum scilicet veracem esse, diabolum verò mendacem ac fallacem. Simúlque illud, quàm verum esset cognouerunt, quod multis post sæculis Dauid cecinit, *Mihi adhærere Deo bonum est, ponere in domino Deo spem meam.* & Illud, *Qui elongant se à te peribunt: perdidisti omnes, qui fornicantur abs te.* Et illud videbant, quàm non leue sit nec paruipendendum Dei non obtemperare voluntati. *Fit quidem quotidie.* ait Serapion scriptor Græcus, *in nobis, quod in primis illis hominibus factum est quando peccamus, tunc cœci sumus: vbi peccauimus, tunc demum agnoscimus, quantum mali admisimus, nostriq; facti nos pudet, tædet, ac pœnitet. Diuina Scriptura,* inquit Theodoretus, *apertionem oculorum, vocat sensum peccati, & pudorem sceleris admissi: nam patrato flagitio insurgit continuo aduersus nos conscientia, nósque vehementer obiurgat & condemnat.* vnde est illud Pauli, *Quem fructum habuistis in his, in quibus nunc erubescitis.* *Quomodo aperti sunt eorum oculi.* *Psalmo. 72.* Ibid. *Theodoretus q. 33. in Genesim.* *Rom. 6.*

VOLO vt etiam lector cognoscat, quemadmodum hunc ipsum locum interpretatus sit Rupertus, scilicet piè admodum, grauiter, ac disertè. Nam in libro tertio de Trinitate & eius operibus capite decimo, hoc modo scribit: *Quomodo tandem dictum est, Et aperti sunt*
C *oculi amborum? Nunquid cœci erant antequam comederent, & comedendo illuminati sunt? Non vtique, iam enim & mulier viderat, quod bonum esset lignum ad vescendum, & pulchrum oculis, aspectúque delectabile. Iam & ad Adã adduxerat Dominus cuncta animantia, vt videret quid vocaret ea. Nõ ergo exteriores, sed interiores, quos contra Deum clauserant aperti sunt oculi amborum: quia scilicet veracem Deum, serpentem verò in sua miseria falsissimum cognouerunt. Nãque protinus sequitur, Cúmque cognouissent se esse nudos, consuerunt folia ficus, & fecerunt sibi perizomata. Ergo id quod dictum est, Et aperti sunt oculi amborum, duplicem constat habere sensum. Nam si ad expectationem illorum respicias, quam ex promissione serpentis conceperant dicentis, Aperientur oculi vestri, & eritis sicut Dij, scientes bonum & malum,*
D *acerba nimis ironia est, & gemebunda conquestio scriptoris dicentis, & aperti sunt oculi amborum. quod idem est, ac si diceretur, & non iuxta promissum serpentis aperti sunt oculi amborum: nisi quod acerbius nũc sub affirmatione ironica dicitur, quasi aperta voce negaretur. Porrò si verum euentum expectes, magnæ confusionis demonstratio vel agnitio est, de qua & protinus subinfertur quod iam dictum est, Cúmque cognouissent se esse nudos. &c. Cum,* inquit, *nudos se esse cognouissent: id est, cum se honore in quo positi erant & conditi, spoliatos & iumentis comparatos, sine omni protectione Dei nudatos esse animaduertissent. Nam tale est & illud quod item Scriptura hæc veridica, quæ veris nominibus res appellat & congruis acta verbis, prout oportet enunciat, Videns igitur Moses populum quod esset nudatus, spoliauerat enim eum Aaron*

propter ignominiam sordis, & inter hostes constituerat nudum, &c. Igitur duplex quidem sensus, in eo quod dictum est, Et aperti sunt oculi amborum. Sed verus vtrobique gemitus, magnum vndique est mutuæ confusionis opprobrium, Deus iratus, diabolus risu & cachinno dilatatus, vterque sexus ignominia percussus, & inter hæc omnia reorum & animi torquebantur, & oculi confundebantur. statim namque genitalis pars corporis vtrumque peccatorem ob superbiæ meritum, iniussis motibus similiter colaphizare incepit. Ignominiam huius passionis pudendam esse natura sponte cognoscit, sine doctore intelligit, vltroneæ fugæ confitetur. Cur hoc? quia rationali creaturæ inesse non debuit, sed ab offenso Deo, non intelligenti honorem suum imposita est, vt comparetur iumentis. Quicquid enim homini à Deo siue propitio siue irato institutum est, hoc omnino natura hominis nescire non potest. Idcirco sicut ratione, quam propitius Deus dedit carere non potest, sic istam passionem libidinis confusibilem esse, nescire illi impossibile est. Erubescit in ipsis coniugibus, & mutuam alterutræ nuditatis refugit intuitum, sicut & isti coniuges primi, qui nondum habentes, quos erubescerent nisi semetipsos qui erant caro vna, consuerunt folia ficus, & fecerunt sibi perizomata, id est, succinctoria. Hactenus sunt verba Ruperti.

GENE. 3. VERS. 7.

Cúmque cognouissent se esse nudos, consuerunt folia ficus. & fecerunt sibi perizomata.

Cur in Paradiso nudi fuerint primi homines.

CVR Deus primos illos homines in Paradiso nudos esse voluit? Nimirum illi vestibus nec ad iniurias cœli propulsandas, neque ad vllam corporis turpitudinem & obscœnitatem velandam eguerunt. Siquidem erant illi corpore impassibiles, & animo pariter, atque corpore omni libidinis motu sensúque planè carentes. Audi quæ Basilius hac de re disputans in homilia quæ inscribitur, Quod Deus non sit auctor malorum, hoc modo scribit: *Comederunt, inquit, & aperti sunt oculi eorum, cognouerúntque quod nudi essent. Oportebat enim se nudos minimè cognouisse, ne mens hominis ad eorum cupiditatem quæ deesse viderentur, traheretur. Amictum namq; nuditatis, defensionem solatiúmque esse existimauit: & omnino per carnis curam ab obseruantia Dei abstractus est. Cur, inquis, nõ statim eis ab initio amictus sunt præparati? Quoniam hæc nec naturalia esse, neque ex arte decebat. Nam naturalia, propria sunt brutorum, vt penna, seta, pellium crassitudines, quæ & rigoribus resistunt, & æstus ferunt, in quibus nihil alterum ab altero distat, æquali omnibus natura existente. Homini autem secundum proportionem in Deum caritatis, bonorum distributio conueniebat. Quæ vero ex arte sunt opera, negotium generant: quod vt maximè homini noxium, vitandum erat. Quamobrem Deus nos ad Paradi-*

si

A *disi vitam reuocans, ex animabus nostris curas euellere conatur dicens, Nolite animæ vestræ cogitare quid edatis, aut corpori quid induamini. Neque igitur ei ex natura, neque ex arte conueniebat, sed alia parata erãt si virtutem ostendisset homo insignia, quæ ex gratia Dei erãt illum illustratura, vt pote fulgores quidam, quales sunt Angelorum, qui omnem florum varietatem, omnem astrorum claritatem superarent. Hac igitur de causa non vestes ei statim præbitæ, quoniam virtutis præmia illis reposita erant, quæ consequi vis diabolicæ tentationis non permisit.* Hæc Basilius. *Matth. 7.*

A D explanationem eorumdem verborum spectãt verba illa Ambrosij, quæ sunt in 13. capite libri eius de Paradiso. *Et antea,* inquit, *nudi erant, sed non sine virtutum integumentis. Nudi erant propter morum simplicitatem, & quod amictum fraudis natura nesciret: Nunc autem multis*
B *simulationum inuolucris mens humana velatur. Ergo postquam spoliatos se illa sinceritate & simplicitate viderunt integræ incorruptæque naturæ, quærere mundana & manufacta cœperunt, quibus nuda suæ mentis operirent, delectationes delectationibus, & mundi huius vmbratiles voluptates velut folia foliis assuentes, quibus obumbrarent genitale secretum. Nam quomodo clausos oculos corporis habuit Adam, qui omnia animantia ita vidit vt his & nomen imponeret: Quomodo cognouerunt, id est interiore, & altiore scientia, non tunicam sibi, sed virtutum deesse velamina.* Sic Ambrosius.

Cur primi homines foliis ficus potius, quàm aliarũ arbor um verenda sua tegere voluerint.

S E D cur ex foliis ficus, velandæ turpitudini, quam tunc primum
C senserunt, potius quàm aliunde tegumentum sibi compararunt: Nõ sanè, quòd illa fuerit arbor scientiæ boni & mali, vt visum est quibusdam, id quod superius à nobis in tertio volumine quod est de Paradiso, cum de ea arbore ageremus confutatum est: sed fortè ob amplitudinem foliorum, sunt enim, inquit Plinius libro 16. latissima ei arbori folia: vel quod illis conscientia patrati sceleris, & inusitato libidinis sensu vehementer animo commotis ac perturbatis, prior illa occurrit arbor, magisque ad manum eis fuit. *Neque enim arbitror,* inquit, Augustinus libro 11. de Genesi ad litteram capit. 32. *Cogitasse eos aliquid in illis foliis ficus, quod talibus congrueret contegi iam membra prurientia: sed occulto instinctu ad hoc compulsi, in illa perturbatione, vt etiam talis pœnæ suæ significatio à nescientibus fieret, quæ peccatorem factum conuinceret, & doceret Scriptura lectorem.* Magister Historiæ scholasticæ in historiæ Geneseos capite 23. tradit, folia ficus si te-
D rantur, eorúmque succo caro hominis inungatur, statim excitari quamdam voluptatis pruriginem: quare illo facto significatum esse, primos illos homines post peccatum puriginem voluptatis in sua carne sensisse.

Succinctoriũ ficulneũ Irenæus putat fuisse signum pœnitentiæ Adami.

A T Irenæus censet eos non temere, aut casu incurrisse in eam arborem, nec sine consilio & ratione tegumentum sibi ex foliis eius confeciisse: sed id feciisse eos quo manifestam darent significationem pœnitentiæ, quam ipsi de patrato scelere & animo agebãt, & corporis etiam maceratione declarare volebant. Folia enim ficus admota carni, pungunt & affligunt eam. & illud quidem indumentum tam-

quam cilicium perpetuo Adamus humilitatis & pœnitentiæ causa A
gestasset, nisi Dominus, qui est misericors, & suauis, & benignus,
pro aspero indumento ficulneo, tunicas pelliceas, vtiliorem nempe
ac molliorem amictum eis dedisset. Verba Irenæi in cap. 37. lib. 3. ad-
uersus hæreses hęc sunt: *Per succinctorium, quod sibi Adamus circũdedit,*
ipso facto ostendit suam pœnitentiam, foliis ficulneis semetipsum contegens, exi-
stentibus & aliis foliis multis, quæ minus corpus eius vexare potuissent: condi-
gnum tamen inobedientiæ amictum fecit conterritus timore Dei, & retundãs
petulantem carnis impetum: quoniam indolem & puerilem amiserat sensum,
& in cogitationem peiorem venerat, frænum continentiæ sibi & vxori suæ cir-
cundedit, timens Deum, & aduentum eius expectans, & velut tale quid signi-
ficans. Quoniam, inquit, *quam habui à spiritu sanctitatis stolam amisi per in-* B
obedientiam, & nunc cognosco quoniam sim dignus tali tegumento, quod dele-
ctationem quidem nullam præstat, mordet autem & pungit corpus. Et hoc vi-
delicet semper habuisset indumentum, humilians semetipsum, nisi Dominus, qui
est misericors, tunicas pelliceas pro foliis ficulneis induisset eos. Sic Irenæus.

VERVM alij Patres, tegumentũ illud ficulneũ Adami ad tropo-
logicam intelligentiam traducentes, multa eo facto peccasse Ada-
mum disputant. Primo, voluit per semetipsum tegere peccatũ suum,
sed frustra. neque enim à quoquam alio, nisi à Deo potest tegi, hoc
est, deleri, testante Dauide, *Beati quorum tecta sunt peccata.* sed à quo? de-
Psal.31. clarat ipse mox subiungens, *Beatus vir cui non imputauit Dominus pec-*
catum. Deinde, in quoque errarunt, quod foliis peccatum suum tegi C
Tegere foliis peccatũ quid fit. posse existimarunt. Foliis tegunt peccata qui ea vel negant, vel excu-
sant, vel occultant, vel propria vi & potestate deleri ea posse arbitrã-
tur. Verùm hæc non modo peccatum non tollunt, sed illud etiam
magis augent. Quocirca Dominum apud Matthæum cap. 21. arbori
ficus nihil habenti præter folia, legimus maledixisse.

B. Ambro-
sius. PRAECLARA est apud Ambrosium huius loci mystica inter-
pretatio, quam hic non adscribere nefas duxi. Sic ille ait in libro de
Paradiso, cap. 13. *Et assuerunt folia ficus & fecerunt sibi succinctoria. Ficum*
hoc loco, pro qua specie debeamus accipere diuinarum nos docet series lectio-
Corint.9. *num, Quandoquidem sanctos esse qui sub vite & ficu requiescunt, Scriptura*
memorauerit: & Paulus dixerit, Quis plantat ficum, & de fructu eius nõ man- D
ducat? Et Dominus ad ficum venerit, sed ideo sit offensus quod non inuenerit
fructum, sed folia tantum. Docet ergo me Adam quid sint folia, qui postea-
Galat.5. *quam peccauit, de foliis ficus fecerit sibi succinctorium, qui de fructibus magis*
eius gustare debuerit. Iustus fructum eligit, folia peccator. Quis est fructus? Fru-
ctus, inquit spiritus, est caritas, gaudium, pax, patientia, benignitas, modestia,
Quicunque mandatũ Dei præuaricatur spoliatur. *continentia, dilectio. Non habebat fructum, qui gaudium non habebat. Non*
habebat fidem, qui præuaricatus erat mandatum Dei. Non habebat continen-
tiam, qui de interdicto sibi gustauerat ligno. Ergo quicumque præuaricatur
mandatum Dei, spoliatur atque nudatur, & fit ipse sibi turpis. vult se operire
quibusdam ficus foliis, fortassis quibusdam inanibus & vmbratilibus sermo-
nibus, quos compositis mendaciis assuens, & verbum de verbo struens, ad ope-
riend

A riendam conſcientiam ſuæ mentis, factiq́, vel amen peccator intexit, vt pudenda ſua contegat. Iacit enim contra ſe folia, qui culpam velare deſiderans, aut diabolum delicti memorat auctorem aut carnis prætendit illecebras, aut alium quempiam perſuaſorem prodit erroris. Et de Scripturis diuinis frequenter ponit exempla, quibus iuſtos in culpam perhibet incidiſſe, dicens, ſi fortè in ſtupris fuerit deprehenſus, Et Abraham cum ancilla concubuit, & Dauid alienam adamauit, & ſibi aſciuit vxorem. Aſſuit enim ſibi quædam exempla de propheticarum ſerie Scripturarum, fructum earum non putat requirendũ. Nonne tibi videntur etiam Hebræi folia aſſuere, dum legis ſpiritalis verba corporaliter interpretantur? Quorum interpretatio fructum omnem viriditatis amittit: damnata maledicto ariditatis æternæ. Bona igitur interpretatio, hoc eſt, ſpiri-

B tualis ſicus eſt fructuoſa, ſub qua iuſti ſanctiq́, requieſcunt. Quam qui plantauerit in animis ſingulorum, ſicut Paulus ait, Ego plantaui, Apollo rigauit, &c. manducabit ex ea fructum. Mala autem interpretatio fructum ferre, viriditatem ſeruare non poterit. Quod igitur grauius eſt, hac ſe Adam interpretatione ſuccinxit eo loco, vbi fructum magis caſtitatis ſe ſuccingere debuiſſet. In lumbis enim quibus præcingimur, quædam ſemina generationis eſſe dicũtur. Et ideo malè ibi ſuccinctus eſt Adam foliis inutilibus, vbi futuræ generationis non fructum futurum, ſed quædam peccata ſignaret, quæ manſerunt vſque in aduentum Domini Saluatoris. Cæterùm poſteaquam Dominus aduenit, ficum inuenit incultam, rogatus ne eam iuberet excidi, vt coleretur permiſit. Et ideo iam non foliis, ſed diuino ſuccingimur ſermone, quia ipſe Dominus ait, Sint lumbi ve-

C ſtri præcincti, & lucernæ ardentes, &c. vnde etiam pecuniam in zonis noſtris portare prohibet: non enim ſecularia, ſed æterna debet zona noſtra ſeruare. Hæc Ambroſius.

1.Cor.1.

Luc.23.

Luc.12.

CAETERVM, illud quo vſi ſunt Lxx. Interpretes Græcũ vocabulum περιζώματα, Latinè ſignificat ſuccinctoria, vel ſubligacula. nã licet vniuersè ſignificet omne id quòd ambit & circũcingit, propriè tamen hic ſignificat ſuccinctoria lumborum. Latina tranſlatio quam habuit Auguſtinus, pro ſuccinctoriis hoc loco habebat campeſtria. Sic enim ille ſcribit libro 14. de Ciuitate Dei. cap. 17. *Et fecerunt ſibi campeſtria genitalium: nam quidam Interpretes ſuccinctoria poſuerunt. Porro autem campeſtria, Latinum quidem verbum eſt, ſed ex eo dictum, quod iu-*

D *uenes, qui nudi exercebantur in campo, pudenda operiebant: vnde qui ita ſuccincti ſunt, campeſtratos vulgus appellat. Quod itaque aduerſus damnatam culpam inobedientiæ, voluntatem libido inobedienter mouebat, verecundia prudenter tegebat. Ex hoc omnes gentes, quoniam ab illa ſtirpe procreatæ ſunt, vſque adeo tenent inſitum pudenda velare, vt quidam Barbari illas corporis partes nec in balneis nudas habeant, ſed cum earum tegumentis lauentur. Per opacas quoque Indiæ ſolitudines cùm quidem nudi philoſophentur, vnde Gymnoſophiſtæ nominantur, adhibent tamen genitalibus tegumenta, quibus per cætera membrorum carent.* Sic Auguſtinus.

De vocabulo Perizomata.

Cur pudendæ velare omnibus etiã Barbaris inſitum.

TESTATVR etiam Cicero lib. 1. Officiorum, tantum fuiſſe apud Romanos pudoris ſtudium & obſeruantiam, vt ne ſcenici quidem in publicum ſine ſubligaculis prodirent. *Scenicorum quidem*, inquit,

mos tantam habet à vetere disciplina verecundiam, vt in scenam sine subli- A
gaculis prodeat nemo. Verentur enim, ne si quo casu euenerit, vt corporis par-
tes quædam aperiantur, aspiciantur non decoræ. Neque barbarissimis etiam gentib. non magna & religiosa velandi pudenda fuit cura. Nicolaus Damascenus apud Strabonem lib. 15. Antiochiæ se affirmat vidisse Legatos Pori Indorum regis potentissimi ad Augustum missos cum litteris & munerib. in his erant octo serui toto corpore nudi, præter pudenda subligaculis obtecta. Diodorus Siculus libr. 4. de Æthiopibus: scribens, narrat eos cætero quidem corpore nudos ingredi, pudenda tamen vel caudis vulpinis, vel ex capillis subligaculis contextis velare. Videtur igitur hæc tegendorum pudendorum cura, ex illo primorum parentum exemplo velut hæreditaria quadam & natu- B
rali disciplina ad omnes gentes permanasse. Iulius Pollux tradit tres olim fuisse hominis partes, quas pudendas & idcirco velandas censebant, & suum cuique earum fuisse propriũ tegumentum: sed priora duo fuisse mulierum, tertium verò virorum æquè ac fœminarum. Vnum erat, mulierum cingens mammas appellatum fascia: alterum ventrem tegens dictum περιζῶμα siue velamen: tertium quo pudenda velabantur. Ferunt nonnulli perizomatum vsum inualuisse apud Assyrios exemplo Semiramidis reginæ, quæ muliebrem pertæsa sexum, virilémque vt animum sic habitum induens, non modo tiara caput tegere, sed etiam cruribus velamenta circumdare cœpit: quod C
& suos facere iussit, ne quid ipsa nouo habitu sola occultare videretur, vt tradit Iustinus libro primo.

Tres hominis partes velãdæ.

GEN. C. 3. VERS. 3. *Et cùm audissent vocem Domini Dei deambulantis in Paradiso ad auram post meridiem, abscondit se Adam & vxor eius à facie Domini Dei in medio ligni Paradisi.*

Vox Dei, qua Adamus perterritus se abscondit qua fuerit.

VOCEM Dei, qua perterritus Adamus abdidit se in nemus Paradisi, permulti putant eam fuisse, qua eum Deus D
compellauit dicens, *Adam vbi es?* verùm non rectè: cùm enim hoc dixit Deus, iam erat Adamus absconditus, idcirco enim ita Deus locutus est, siquidem per hanc vocem non modo Adamus non est absconditus, sed potiùs cùm esset absconditus, ex latibulo suo processit in apertum, & in Dei conspectum venit. Verisimile igitur est eam vocem nõ fuisse aliud quàm ingentem quendam terrificumque sonitum ac fragorem, quo Deus aduentum suum Adamo præsignificare voluit. Solet enim Scriptura ingentes aliquos sonos appellare voces: vt cùm ait: *Vox aquarũ, vox Cataractarũ, vox nubis, vox tonitrui, vox tubæ:* sicut videre licet in Apocalypsi non semel, & in Psal. 28. 41. 46. 76. & aliis in locis. Ergo Deus qui antea pacatè & blandè Adamo consueuerat apparere, tunc ei se re-

Vox pro sono sæpe in scriptura vsurpatur.

præsen

A præsentauit formidabilem & terribilem, & quasi peregrè aduenientem, ac velut ira tumẽtem, tuentémq;, & suo ingressu concutientem terram, ipsásque Paradisi arbores pressis vestigiis tremefacientẽ, scilicet, vt illi ea re perturbati & pauidi, scelus suum agnoscerent, atque confiterentur, Deique misericordiam & veniam implorarent.

ILLVD porro *Ad auram post meridiem*, variè legitur: quidã enim codices Latini quos citat Hieronymus & secutus est Augustinus, habebãt tantũ *Ad vesperam*, alij *Post meridiem*. Verba Hieronymi sunt hæc in quæstion. b. Hebraicis in Genesim: *In plerisque codicib. Latinorũ pro eo quod hic posuimus, Ad vesperas, Post meridiẽ. habetur: quia τὸ δειλινὸν, Græcum sermonem ad verbum transferre non possumus: pro quo in Hebraico scriptum est,* לרוח היום *Leruah haiom: quod Aquila interpretatus est,* ἐν τῷ αὔριον τὴν ἡμέρας, id est, *In vento diei: Symmachus verò,* διὰ πνεύματος ἡμέ- B ρας, id est, *Per spiritum diei. Porrò Theodotion manifestius,* ἐν τῷ πνεύματι ὀρθρου καταψύξει τὴν ἡμέρας, *vt meridiano calore transacto, refrigerium auræ spirantis ostenderet.* Hæc Hieronymus. Paraphrasis Chaldaica habet, *Ad quietem diei*, haud dubiè vesperam significans: videlicet eo tempore incipit diei æstus quiescere, ac remitti. Pagninus & Vatablus habent, *Ad auram diei*, id est, sub vesperam: nam eo tempore ventus spirare solet, præsertim autem Zephyrus. Dicitur autem ventus diei, qui post meridiem & ante solis occasum in locis maritimis aspirare solet. Ægyptus enim, terráque Chanaan. in quibus Hebræi, ad quos volumen hoc scripsit Moses, habitauerant & habituri erant, sunt regiones maritimæ, à latere Occidentis terminatæ clausæque mari Mediterraneo: in quib. regionib. ex vespertino solis accessu, C quotidie ventus seu aura ex mari excitari & spirare consueuit: quem ventum, Hebræi ventum diei nominabant. Est igitur periphrasis pomeridiani seu vespertini temporis, quo tempore Deus in Paradisum venit. sunt præterea, qui existiment, significari his verbis ventum quemdam antecessisse quasi prænuncium Dei aduentus, sicut Eliæ contigit in monte Horeb.

Quid sit Ad auram post meridiem.
Augustinus.
Hieronymus.
Aquila Pontieus.
Symmachus
Theodotion.
Aura diei quid sit.
3. Reg. 19.

NEC mysterio vacat, quod Deus ad increpandum Adami peccatum, & ad eius peccati delendi auctorem redemptoremque promittẽdum, venerit post meridiem & ad vesperam, scilicet ea re adumbrare voluit aduentum Christi ad redimendum genus humanum, ad mundi vesperam futurum: sicut interpretatur Irenæus libro 5. D aduersus hæreses. Ad vesperam quoque columba reuersa est ad Noë, quæ virentem oleæ frondem ore gestans aquarum diluuij cessationem nunciauit. Gregorius lib. 28. Moralium, cap. 2. eleganti interpretatione mystica hunc locum explanans sic ait: *Quid est quod post peccatum hominis, in Paradiso Dominus iam non stat, sed deambulat, nisi quod irruente culpa, se à corde hominis motum demonstrat? Quid est quod ad auram post meridiem, nisi quod lux feruentior veritatis abscesserat, & peccatricem animam culpæ suæ frigora constringebant? Increpauit ergo Adam deambulans, vt cæcis mentibus nequitiam suam non solum sermonibus,*

Interpretatio mystica. Genes. 8.

D. Gregorij moralis horiẽ verborum expositio.

nibus, sed etiam rebus aperiret: quatenùs peccator homo, & per verba, quod se- A
cerat audiret: & per deambulationem, amissio æternitatis statu, mutabilitatis
sitæ inconstantiam cerneret: & per auram, feruore caritatis expulso torporem
suum animaduerteret: & per declinationem solis, cognosceret quod ad tenebras
propinquaret. Idem 33. Moralium cap. 3. *Primus homo,* inquit, *post culpam,*
inter arbores Paradisi ad auram post meridiem abscõsus inuenitur. Quia enim
meridianum caritatis calorem perdiderat, iam sub peccati vmbra quasi sub fri-
gore aurę torpebat. Iste igitur Behemoth, quia in illis quasi quamdam requiem
inuenit, quos à veri solis ardore subtrahendo frigidos fecit: sub vmbra dormire à
sancto Iob perhibetur. Sic Gregorius.

Cur Adamus voluerit se abscondere à facie Dei.

Qvod autem Adamus voluerit se abscõdere à facie Dei, id non- B
nulli malam in partem interpretãtur, quasi putauerit aliquid Deum
latere posse. Non est fugiendum à Deo, sed confugiendum est ad
Deum: peccator autem si fieri posset, vellet se suaque omnia sceleta
Deo esse abscondita & occulta. At verò Augustinus libro vndecimo
de Genesi ad litteram capite 33. scribit feciſſe id Adamum, vehemẽ-
ter animo turbatum, præ nimio pudore ac metu nescientem quid
ageret: turbati enim homines interdum quædam faciunt similia de-
mentibus. Augustini hæc sunt verba. *Cùm Deus auertit intrinsecus fu-*
ciem suam, & fit homo conturbatus: non miremur hæc fieri, quæ similia sunt
dementiæ, per nimium pudorem ac timorem. Illo quoque occulto instinctu non
quiescente, vt ea nescientes facerent, quæ aliquid significarent quandoque sci-
turis posteris, propter quos ista conscripta sunt. Hoc modo Augustinus. Ire- C
B. Irenæus. næus tamen fugam illam & abscondendi se conatum Adami bonam
in partem accipit, referens ad pium quemdam & salutarem humi-
lis & pœnitentis animi metum & pauorem. Nam libro tertio ad-
uersus hæreses cap. 37. hunc in modum scribit: *Ab altero seductus Ada-*
mus sub occasione immortalitatis, statim timore corripitur & absconditur: non
quasi posset effugere Deum, sed confusus quoniam transgressus erat præceptum
Dei, indignum se putauit venire in conspectum & colloquium eius. Timor au-
tem Domini, initium est intelligentiæ: intellectus verò transgressionis fecit
pœnitentiam. Hæc Irenæus.

Ea quæ fecit Adamus post admissum scelus, cum animo meo co- D
gitantem atque reputantem subit recordatio eius, quod Paulus scri-
bit ad Romanos cap. 6. *Quem ergo fructum,* inquit, *habuistis tunc in illis,*
in quibus nunc erubescitis? nam finis illorum mors est. Verissimè hoc dictum
esse Adami exemplum, & quotidiana experimenta confirmant. Sed
Quinque amari & pestilentes peccati fructus. in Adami exemplo videor mihi animaduertere quinque peccati
fructus, atque eos quidem omnes amarissimos & pernicioſissimos.
Primus est aperto oculorũ. Primus peccati fructus est apertio oculorum: ante peccatum enim,
vel etiam in peccando planè cœcus est homo, quantum mali in pec-
Secundus nuditas. cato sit nequaquam cernens: at continuo post peccatum aperiuntur
ei oculi, clarissimè enim videt, pro exigua & breui peccati volupta-
te maximum & sempiternũ malum sibi cõparatum. Alter fructus est
nuditas: propter peccatum enim spoliamur plurimis & maximis Dei

ornam

A ornamentis, & pretiosissimis virtutum cælestium vestibus. Legitur Exo. 32. Hebræum populum post adorationem vituli nudum fuisse, *Spoliauerat enim eum Aaron*, inquit, Scriptura, *propter ignominiam sordis, & inter hostes nudum constituerat*. Quocirca Deus in Apocalypsi capite tertio, cuidam peccatori dixit, *Nescis quia tu es miser & miserabilis, & pauper, & cæcus, & nudus: suadeo tibi emere à me aurum ignitum, probatum, vt locuples fias, & vestimentis albis induaris, vt non appareat confusio nuditatis tuæ*. Et Ioel, *Nudans*, inquit, *spoliauit eam, & proiecit*. Apud Oseam vero capite 2. loquens peccatrici animæ Deus, *Ne forte*, inquit, *expoliem eam nudam, & statuam eam secundum diem natiuitatis suæ, & ponam eam quasi solitudinem, & statuam eam velut terram inuiam, & interficiam eam siti*. *Ioel 2.*

B

Tertius pudor.

TERTIVS fructus est pudor & confusio animi, & ad supprimendum dolorē ex peccato contractum, ad inanes mundi consolationes perfugium. hoc enim est consuere sibi ex ficulneis foliis pudendorū subligacula. Atque hunc de plurimis vnum peccati fructum supradicto loco Paulus expressit, *Quem*, inquit, *fructum habuistis tunc in iis, in quibus nunc erubescitis?* Huc etiā spectat illud, quod est apud Hier. cap. 33. *postquam conuertisti me egi pœnitentiā: & postquā ostendisti mihi, percussi femur meū. Confusus sum & erubui, quoniā sustinui opprobriū adolescētiæ meæ.*

Quartus cōscientiæ testimonium.

QVARTVS fructus est iudicium ac testimonium conscientiæ, vehementer hominem patrati sceleris accusantis & condemnantis: id quod apparuit in Adamo & Eua, qui, vt narrat Moses, cùm audissent vocem Domini Dei, absconderunt se à facie eius: & Paulus ad

C Rom. 2. *Testimonium*, inquit, *reddente illis conscientia ipsorum, & inter se inuicem cogitationum accusantium, aut etiam defendentium*. Quæ conscientiæ vexatio, & vt vocant, morsus, licet grauis homini pœna sit, vtilis tamen ei & salutaris est. alioquin in plura scelera rueremus: retrahit enim nos à peccando, & ad agendam pœnitentiam stimulat.

Quintus est pauor & trepidatio.

QVINTVS fructus est pauor & trepidatio, diuinique iudicij & vindictæ metus: quod significatur de Adamo & Eua illis verbis, *Absconderunt se à facie domini Dei in medio ligni paradisi*. Nam vt scriptum est in libro Sapientiæ cap. 17. *Improbi homines frequenter præoccupant pessima, redarguente conscientia. Cùm sit enim timida nequitia, dat testi-*

D *monium commendationis: semper enim præsumit sæua perturbata conscientia*. Atque hic perpetuus conscientiæ stimulus & cruciatus, tāta est pœna, vt etiam Philosophi ac Poetæ tradiderint, quamuis nulla peccatū alia consequeretur pœna, hanc vnam tamen videri debere grauissimam & acerbissimam, vt millies profectò mors præoptanda peccato sit, quod tanta plectatur pœna. Vnde est illud Iuuenalis Satyra 13.

Exemplo quodcumque male committitur, ipsi
Displicet auctori, prima est hæc vltio, quod se
Iudice, nemo nocens absoluitur.

Iuuenalis.

Notus est ex Græcis tragicis, Orestes ille matricida, quem scelus in matrem admissum, nullam quietis partem capere, nullo loco consi-

stere, nusquam respirare sinebat, sed cruentæ matris species, & flammiuomi oculi per magnam orbis partem vagum, & profugum, & velut exulem agebant. Idem quoque infra narrat Moses de Cain qui post fratricidium, totam vitam pauidus, trepidus, ac profugus vixit. A

Explanatio huius loci secundum Rupertum.

NON celabo lectorem hoc loco, quod Rupertus libro 2. de Victoria verbi Dei, capite 14. hunc ipsum Mosis locum, quem nunc versamus pertractans, egregiè scripsit. Ponam hic integrum eius locum: *Paululũ*, inquit, *quasi dormitauerat Dominus Deus, dum res interim accidit qua se victorem esse serpens ille, id est, propositum Dei auertisse putabat. Nisi* *Psalm. 43.* *enim quodammodo dormitasset, nihil aduersarius eius efficere potuisset. Hoc ipsum, videlicet eum dormiisse dormitione quadam propter quam solemus dicere, Exurge, quare obdormis Domine? Scriptura innuit, cùm dicit, Et cum audissent vocem domini Dei ambulantis in Paradiso ad auram post meridiem. Post meridiem namque deambulare ad auram, consuetudinis humanæ est, vt* B *post calidum soporem, quispiam qui forte crapulatus obdormierat, in aura tepida respiret, & corpus suum refrigeret ac releuet. Dormierat ergo quadam dormitione, id est, taciturnitate, permittendo serpentem accedere, mulierem colloqui cum serpente, virum quoque mori pariter per inobedientiam morte animæ. Porro vt sic dormiret Deus, culpa hominum extitit, quia Deum neque gratias agendo, neque inuocando excitauit: Quid igitur à diabolo factum fuerat, nisi quoddam latrocinium? Quomodo gloriari solet fur cum furatus recesserit,* *Psalm. 77.* *sic ille deceptor, ad horam gloriari pro scelere suo potuit. Verùm sicut tempore longè posteriori factum & scriptum est, Et excitatus est tanquam dormiens Dominus, & tanquam potens crapulatus à vino, & percussit inimicos suos, ita &* C *de illo tempore rectè dici potest. Excitatus enim est tunc tanquam potens crapulatus a vino, id est, tanquam negligens factus hominis propter ausum superbiæ qua Deo fieri similis ambierat homo. Excitatus, inquam, est, id est, requisiit perditum, & percussit inimicos suos, videlicet serpentem, virum, & mulierem. Quo percussit eos? nimirum verbo suo, verbo victorioso, singulos quidem prementis, sed non eadem animaduersione percussit. Nã quo modo percutit quis inimicum suum vt interficiat illum ita percussit serpentem antiquum, vt damnaret, immo vt damnationis sententiã confirmaret super eum. Et quomodo percutit quis filium vel seruum suum, vt corripiat eum, ita percussit superbientem hominẽ, vt ad humilitatem quæ initiũ salutis est, reduceret eũ.* Sic Rupertus.

VERS. 9. *Vocauitque Dominus Deus Adam, & dixit ei, Vbi es?* D

Dei iudicium sed cum misericordia coniunctum.

HIc primum homo sistitur ante tribunal & iudicium Dei, vt qui Deum non coluit, vt patrem, vt iudicem, ac vindicem experiatur. Quàm sit autem formidabile iudicium Dei subire, satis Dauid indicauit illis verbis, *Domine, non intres in iudicium cum seruo tuo: quia non iustificabitur in conspectu tuo omnis viuens.* & Iob inquit, *Si voluerit homo con-*

Psalm. 142. *tendere cum eo, non respondebit ei vnum pro mille.* Absconderat se Adamus à facie Dei, sed eius vocatu in publicum extrahitur, vt appareat

A reat quàm verum sit illud, *Nihil est opertum, quod non reueletur, & occultum, quod non sciatur:* & Amos capite 9. *Non erit,* inquit, *fuga eis. Fugient, & non saluabitur ex eis, qui fugerit. Si descenderint vsque ad infernum, inde manus mea educet eos: & si ascenderint vsque in cælum, inde detraham eos.* Sed verissimè dictum est à propheta Habacuc capite 3. *Cùm iratus fueris, misericordiæ recordaberis,* & a Dauide Psalm. 76. *Nunquid in æternum obliuiscetur misereri Deus? aut continebit in ira sua misericordias suas?* Nam in hoc ipso Dei iudicio misericordia eius mirabiliter eluxit; quòd non, vt diabolum, statim Adamum condemnauit ac perdidit, sed tempus & locum dedit pœnitendi: quòd prior quæsiuit eum, & ad petendam veniam prouocauit: quod non nimis durè & asperè eum tractauit, sed ei pudore simul & metu perturbato & consterna-
B to, loquendi & obsecrandi fiduciam dedit. Verissimũ igitur est quod ipse dixit per Ezechielem 18. *Nolo mortem peccatoris, sed vt magis conuertatur & viuat.* Discant hoc exemplo Christiani iudices, præsertim autem Ecclesiastici, non esse nimium veloces ad condemnandum, nec asperis & minacibus verbis reos terrere, neminémque non ante citatum vel auditum damnare; ac quantum in ipsis fuerit, procliuiores esse ad miserendum quàm ad puniendum.

Iob. 9.

Matth. 12.

VERVM pensemus quemadmodum Deus Adamũ appellauerit. *Adam,* inquit, *vbi es?* Non sunt hæc verba ignorantis, vbinam locorũ Adamus esset: In omni enim loco oculi Domini contemplantur bonos & malos; sed inuitantis ad fidenter comparendum, & intrepi-
C dè colloquendum. Sunt patris quærentis filium suum perditum. Sũt medici requirentis ab ægroto locum vulneris, vt ei congruentem ac salutarem applicet medicinam: nam licet corporalis medicina ægroto etiam nescienti nec volenti adhiberi & prodesse queat; non tamen medicina spiritalis. Sunt verba declarantis, Adamum propter scelus admissum, de numero eorum esse quibus dicet Dominus, *Nescio vos vnde sitis.* & de iis, qui longè sunt à Deo, de quibus dixit Dauid, *Longè à peccatoribus salus,* & rursus, *Qui elongant se à te, peribunt.* Sunt verba indicantis, Adamum non esse in loco suo: namque vt lapidis locus naturalis est centrum, sic hominis Deus, extra quem scilicet nusquã homini bene est. Per peccatum enim fit homo vagus, profugus, nullóque loco consistens. Vnde est illud Iuuenalis Satyra 13.

Quid significauerit Deus dicens Adamo. Vbi es? Prouerb. 15.

Luc 13. & Matth. 25. Psalm. 18. Psalm. 72.

D *Mobilis & varia est ferme natura malorum.*
Cùm scelus admittunt.

Denique verba sunt reducentis in memoriam Adamo, qualis tunc esset, & quantum mutatus ab illo, qui fuerat ante peccatum, videlicet ex quanta fælicitate in quantam deiectus miseriam. quasi diceret, Vbi nunc sunt illa tam magnifica serpentis promissa? vbi est prima illa tua tranquillitas mentis? securitas animi? pax conscientiæ? tot, tãtorúmque bonorum possessio? omniumque malorum vacuitas?

AVDIAT lector Ambrosium in libro de Paradiso cap. 14. hæc in eamdem sententiam scribentem: *Dicendo autem vbi es? non locum*

quærit, qui nouit arcanum, neque enim Deus clausos oculos habebat, vt non videret latentem. Denique ideo dixit, Factus est Adam tanquam vnus ex nobis, quia aperuit oculos. Et hic quidem aperuit oculos, vt culpã suam videret, quã vitare non potuit, Magis enim postquam peccauimus, nescio quo modo nostra delicta cognoscimus: & tunc peccatum esse intelligimus, quod antequam peccaremus, non putabamus esse peccatum. Certè non quasi peccatum putabamus esse damnandum, nam si damnaremus, non admitteremus. Deus autem omnium videt culpas, & omnium delicta cognoscit: super omnem animam super omnium occulta oculos habet. Quid est ergo Adam vbi es? id est, non in quo, sed in quibus es? Non ergo interrogatio est, sed increpatio. De quibus, inquit, bonis, de qua beatitudine, de qua gratia, in quam miseriam incidisti? Dereliquisti vitam æternam: & attumulatus es morti, consepultus errori. Vbi est illa tua bene sibi conscia confidentia? Timor iste culpam fatetur: latebra præuaricationem. Vbi ergo es? hoc est, non in quo loco quæro, sed in quo statu. Quo te deduxerunt peccata tua, vt fugias Deum tuum: quem ante quærebas? Hæc Ambrosius.

Peccata magis cognoscimus postquã peccauimus.

Quemadmodum oporteat intelligi, Deũ esse locutum cum Adamo, Eua, & serpente.

CAETERVM quod narrat Moses hoc loco, Deum vocasse Adamum & dixisse ei, *Vbi es?* & mox subtexit variam Dei sermocinationem cum Eua & serpente: quæstionem habet silentio in præsens minimè obruendam, quemadmodum intelligere oporteat locutum esse Deum, an spiritali tantùm & intellectuali modo: num per voces humanas in aëre formatas: an potius per semetipsum, aut per Angelum aliquem, sub humana tamen specie & figura. Neque verò huius tantùm loci interpretationem hæc attingit quæstio, sed latissimè patens ad plurimos pertinet diuinæ Scripturæ locos, quibus Deum vel cum Angelis, vel cum hominibus locutum esse legimus. Tractauit eam quæstionem Sanctus Augustinus cum aliis libris, tum nó semel in libris de Genesi ad litteram. In cuius operis vndecimo, volumine cap. trigesimotertio, ad hunc modum scribit: *Et audierunt vocem domini Dei ambulantis in paradiso ad vesperam. Ea quippe hora eos iam conuenerat visitare, qui defecerant à luce veritatis. Fortassis enim in aliis intrinsecus vel ineffabilibus modis Deus cum illis antea loquebatur, sicut etiam cum Angelis loquitur ipsa incommutabili veritate illustrans mentes eorum, vbi est, intellectus nosse simul quæcumque etiam per tempora nõ fiunt simul. Forte, inquam, sic cum eis loquebatur, etsi non tanta participatione diuinæ sapientiæ, quantum capiunt Angeli: tamen pro humano modulo quantumlibet minus sed ipso genere visitationis & locutionis, fortassis etiam illo qui fit per creaturã, siue in ecstasi spiritus corporalibus imaginibus: siue ipsis sensibus corporis aliqua specie præsentata vel ad videndum, vel audiendum, sicut in Angelis suis solet videri Deus, vel sonare per nubem. Nunc tamen, quod audierunt vocem Dei ambulantis in paradiso ad vesperam, non nisi per creaturam visibiliter factum est: ne substantia illa inuisibilis, & vbique tota, quæ est Patris & Filij & Spiritus sancti, corporalibus eorũ sensibus, locali & temporali motu apparuisse credatur.* Sic Augustinus.

Deus loquitur modis nefabilibus.

Deus locutus est per creaturam.

SED cogitanti mihi & memoria repetenti, quæ Patres de modo,

A do, quo Deus loquitur creaturæ intellectuali prodiderunt, succurrit, eximiè sanctum Gregorium ea de re in libro 28. Moralium capite 2. & sequentibus vsque ad 7. disseruisse. Ac, nisi me aut memoria fallit aut iudicium, nullus Patrum de hac quæstione vel diligentius, vel enucleatius, vel disertius: vel sacris exemplis & argumentis copiosius atque luculentius, quàm Gregorius disputauit. Equidem reor nec alienum, nec superuacaneum, nec molestum lectori visum iri, si tanti Patris tam egregiam doctrinam, compluribus nempe diuinarum litterarum locis illustrandis vtilissimam iisdem quibus ab eo exposita verbis est, in præsentia exponam. Lõgiuscula est, fateor, ea Gregorij disputatio, & ob id fortasse, aliquorum iudicio,
B his commentariis nequaquam inserenda: sed inseretur tamen: nam (si qua est) prolixitas orationis, abundanter doctrinæ grauitate & vtilitate, necnon dictionis pietate, ac iucunditate compensatur. Explanans igitur Gregorius verba illa Iob quæ sunt in cap. 38. *Respondens autem Dominus Iob de turbine dixit*, super his verbis ad hunc modum disputat: *Sciendum est, quia duobus modis locutio diuina distinguitur, Aut per semetipsum namque Dominus loquitur, aut per creaturam angelicam eius ad nos verba formantur. Sed cùm per semetipsum loquitur, sola nobis vis interna inspirationis aperitur. Cùm per semetipsum loquitur, de verbo eius sine verbis ac syllabis cor docetur: quia virtus eius, intima quadam subleuatione cognoscitur: ad quam mens plena suspenditur, vacua grauatur. Pondus enim*
C *quoddam est quod omnem animam, quam replet, leuet. Incorporeum lumen est, quod & interiora repleat, & repleta exterius circumscribat. Sine strepitu sermo est, qui & auditum aperit, & audire sonitum nescit.*

Valde notabilis & obseruanda B. Gregorij doctrina de variis modis, quibus Deus creaturis suis, loqui solet.

Post hæc expendens Gregorius in Actis Apostolorum capite octauo, & decimo, spiritum dixisse quædam Philippo & Petro, subiungit: *Spiritum enim Dei quasi quædam nobis verba dicere, est occulta vi ea quæ agenda sunt intimare, & cor hominis ignarum, non debito strepitu & tarditate sermonis, peritum repente de absconditis reddere. Nam quia auditus ea quæ ad se fiunt, non simul omnia dicta comprehendit, quippe qui & causas per verba, & particulatim verba per syllabas percipit, visus autem noster in eo, quod se dirigit, totum subito & simul apprehendit. Dei locutio ad nos intrinsecus facta videtur potius quàm audiatur, quia dum semetipsum sine mo-*
D *ra sermonis insinuat, repentina luce nostræ ignorantiæ tenebras illustrat. Vnde & Baruch Neriæ filius cum requisitus exponeret: quemadmodũ verba Hieremiæ prophetantis audisset, ait, Ex ore suo loquebatur quasi legens, & ego scribebam. Qui verò legens loquitur, alio intendit, sed alio verbum facit, quia quod videt dicit. Prophetæ ergo Dei: quia eius verba vidẽt potius in corde, quàm audiunt: quasi legentes loquuntur. Cùm verò per Angelum voluntatem suam Dominus indicat, aliquando eam verbis, aliquando rebus demonstrat: aliquando simul verbis & rebus: aliquando imaginibus cordis oculis ostensis, aliquando imaginibus, & ante corporeos oculos ad tempus ex aere assumptis, aliquando cœlestibus substantiis, aliquando terrenis, aliquãdo simul terrenis & cœlestibus. Nonnunquam verò etiam per Angelum humanis cordibus ita loquitur Deus,*

Quid sit spiritum dicere.

Hiere. 36.

cùm nil in imagine ostenditur, sed superna verba locutionis audiuntur, sicut dicente Domino: Pater clarifica nomen tuum, protinus respondetur, Et clarificaui, & iterum clarificabo. Neque enim Deus, qui sine tempore vi impulsionis intima clamat, in tempore per suam substantiam illam vocem edidit, quam circumscriptam tempore per humana verba distinxit: sed nimirum de cœlestibus loquens, verba sua, quæ ab hominibus audiri voluit, rationali creatura administrante formauit. Aliquando rebus per Angelos loquitur Deus, cùm nil verbo dicitur: sed ea qua futura sunt, assumpta de elementis imagine nuncian-
Ioan. 12.
Ezechiel. 1. tur: sicut Ezechiel nil verborum audiens, electri speciem in medio ignis vidit, vt videlicet dum solam speciem aspiceret, quæ essent in nouissimis ventura sen-
Expositio visioni Ezechielis. tiret. Electrum quippe ex auri argentique metallo miscetur, in qua promixtione argentum quidem clarius redditur, sed tamen fulgor auri temperatur. Quid ergo in electro, nisi mediator Dei & hominum demonstratur? qui dum semetipsum nobis ex diuina atque humana natura composuit: & humanam per deitatem clariorem reddidit, & diuinam per humanitatem nostris aspectibus temperauit. Quia enim virtute diuinitatis eius tot miraculis humanitas fulsit, ex auro creuit argentum, & quod per carnem Deus cognosci potuit, quódque per carnem tot aduersa tolerauit, quasi ex argẽto temperatum est aurum. Quod bene, & in medio ignis ostenditur: quia incarnationis eius mysterium: subsequen-
Ioannis 5. tis iudicij flamma comitatur, Scriptum quippe est, Pater non iudicat quẽquam, sed omne iudicium dedit filio. Aliquando per Angelos verbis simul & rebus loquitur Deus, cum quibusdam motibus insinuat hoc quod sermonibus narrat. Neque enim Adam post culpam in diuinitatis substantia videre Dominum
Gen 3. potuit, sed increpationis verba per Angelum audiuit, de quo scriptum est, Cum audisset vocem domini Dei deambulãtis in Paradiso ad auram post meridiem, abscondit se inter ligna Paradisi. Aliquando imaginibus, cordis oculis ostensis
Genes. 28. Actor. 10. per Angelos loquitur Deus: sicut Iacob subnixam cœlo scalam dormiens vidit: sicut Petrus linteum reptilibus & quadrupedibus plenum in ecstasi raptus aspexit, qui nisi in corporeis oculis hæc cerneret, in ecstasi non fuisset: sicut
Actor. 16. Paulo in visione noctis vir Macedo apparuit, qui transire eum in Macedoniam rogauit.

ALIQVANDO imaginibus & ante corporeos oculos ad tempus ex aëre
Gen. 18. assumptis per Angelos loquitur Deus: sicut Abraham non solum tres viros videre potuit, sed etiam habitaculo terreno suscipere: & non solum suscipere, sed
Angeli cur assumant corpora. eorum vsibus etiam cibos adhibere. Nisi enim Angeli quædam nobis interna nunciantes, ad tempus ex aëre corpora sumerent, exterioribus profecto nostris obtutibus non apparerent: nec cibos cum Abraham caperent: nisi propter nos solidum aliquid ex cœlesti alimento gestarent: Nec mirum: quod illi ipsi qui susceptí sunt, modo Dominus, modo Angeli vocantur: quia Angelorum vocabulo exprimuntur, qui exterius ministrabant, & appellatione Domini ostenditur, qui eis interius præerat: vt per hoc præsidentis imperium, & per illud clarescere officium ministrantium. Aliquando cœlestibus substantiis per Angelos loquitur Deus: sicut baptizato Domino scriptum est, quia de nube vox sonuit di-
Matth. 3. cens, Hic est Filius meus dilectus in quo mihi bene complacui. Aliquando terrenis substantiis per Angelos loquitur Deus: sicut cùm Balaam corripuit, in

ore as

A ore asinæ humana verba formauit. Aliquando simul & terrenis & cœlestibus substantiis per Angelos loquitur Deus: sicut ad Mosem in monte, cum iussionis suæ verba edidit, ignem rubúmque sociauit, atque aliud superius, aliud inferius iunxit. Quod tamen tunc sólum agitur, cùm ex ipsa aliquid coniunctione signatur. nam per succensum rubum Mosen alloquens quid aliud ostenditur, nisi quod eius populi ductor fieret, qui & legis flammam perciperet, & tamen peccati spinam nequaquam vitaret? vel quod ex illo populo exiret, qui in igne deitatis carnis nostræ dolores quasi rubi spinas susciperet, & inconsumptam humanitatis nostræ substantiam, etiam in ipsa diuinitatis flamma seruaret? Num.22. Exodi 3. Expositio loci Exodi.

NONNVNQVAM verò humanis cordibus etiam per Angelos Deus, secreta eorum præsentia, virtutem suæ adspirationis infundit. Vnde & Zacharias ait, Et dixit ad me Angelus qui loquebatur in me. Dum ad se quidem, sed B in se tamen loqui Angelum dicit, liquidò ostendit, quòd is qui ad ipsam verba faceret, per corpoream speciem extra non esset. Vnde & paulò pòst subdidit, Et ecce Angelus qui loquebatur in me egrediebatur. sæpe enim non exterius apparent, sed sicut sunt angelici spiritus, voluntatem Dei Prophetarum sensibus innotescunt, atque eos ita ad sublimia subleuãt, & quæque in rebus futura sunt, in causis originalibus præsentia demonstrant. Humanum namque cor ipso carnis corruptibilis pondere grauatum, hanc ipsam corpulentiam suam quasi obicem sustinens, interna non penetrat: & graue exterius iacet, quia leuãtem manum interius non habet. Vnde fit, sicut dictum est, vt Prophetarum sensibus ipsa, vt est subtilitas, angelicæ virtutis appareat, eorumque mens quo subtili spiritu tangitur leuetur: & non iam pigra torpénsque in imis iaceat, sed repleta intimis afflatibus ad superna conscendat, atque inde quasi de quodam rerum ver- C tice, quæ infra se ventura sunt videat. Sed ne quis in prædictis Zachariæ verbis. Angeli designatum nomine vel Patrem vel Filium vel Spiritum sanctum putet, si textum Scripturæ sacræ considerat, quod sentit velociter emendat, quæ nunquam Patrem, nunquam Spiritum sanctum, & non nisi per incarnationis suæ prædicationem, Filium Angelum vocat. Vnde & in eiusdem Zachariæ verbis apertè osteditur, quòd in illo verè Angelus, id est, creatura loqueretur, cùm diceret. Et ecce Angelus qui loquebatur in me egrediebatur, Statimque subiungitur, Et alius Angelus egrediebatur in occursum eius, & dixit ad eũ: Loquere ad puerum istum dicens, Absque muro habitabitur Hierusalem. Non est itaque Deus Angelus qui mittitur, cui verba ab Angelo, quæ dicere debeat, iubentur. Sed quia in conspectu conditoris angelica ministeria ordinata, gra- D duum positione distincta sunt, vt & pro communi fœlicitate beatitudinis opificem suum simul videntes gaudeant, & tamen pro dispositione dignitasis aliis alij subministrent, ad Prophetam Angelus Angelum mittit: & quem secum de Deo gaudere communiter conspicit, & docet & dirigit: quia eum & per superiorem scientiam virtute cognitionis, & per præstantiorem gratiam culmine potestatis excedit. Hæc igitur dicta sunt, vt quibus modis loquatur Deus hominibus: demonstraretur. Et hactenus quidem fuere S. Gregorij verba. Zach.2. Pater & Spiritus sanctus nunquam Angeli in Scripturis vocantur, nec filius nisi ratione susceptæ humanitatis.

Vocem

VERS. 10. *Vocem tuam Domine audiui in Paradiso, & timui, eo quòd nudus essem, & abscondi me.*


DICET aliquis, Nónne priusquam audisset vocem Dei Adamus, iam subligaculis siculneis pudenda contexerat? quomodo igitur dixit se Dei voce commotum ac perculsum, eo quod nudus esset, timuisse, ac se abscondisse? Respondent quidam, Adamum non se operuisse, nisi postquam audiuit Dei vocem. Sed hoc manifestè aduersatur contextui verborum Mosis, & ordini narrationis, quæ habet, statim post admissum scelus, Adamum conspecta nuditate sua operuisse eam. Deinde, si cùm Adamus Dei vocem audiuit, nudus erat; profecto eius aduentu & præsentia perterritus, non potuisset subligacula sibi conficere, partim ob temporis angustias, partim nimia perturbatione animi, & terrore consternatus. Ergo dicendum est, Adamum opertis etiam pudendis erubuisse in conspectum Dei venire; tum quòd cætero corpore nudus esset; tum quòd erubescceret apparere coram Deo nudus, sicut prius solebat ante peccatum commissum, itaque verecundabatur coram Deo ob eam rem, propter quam sibi nuditatem corporis velandam iudicauerat. Quod autem causam timoris sui Adamus non assignat peccato suo, sed nuditati corporis; satis indicauit se nondum flagitij sui grauitatem agnouisse: scilicet propter eam magis erubescere, ac dolere, quàm propter corporis nuditatem debebat. Sic vsu venit, vt homines de factis à se sceleribus angantur, non tam propter Dei offensam, aut cœlestium bonorum amissionem, quàm propter incommoda, & mala fortunæ aut corporis, quæ illis ex peccato acciderunt: exempli causa, propter publicum dedecus vel infamiam; propter offensionem hominum, apud quos gratiosi esse cupiunt; denique propter detrimentum rei familiaris, aut damnum aliquod corporis.


Adamus cur nudus in Dei conspectũ venire ausus nõ fuerit.

VERS. 12. *Dixitque Adam, Mulier quam dedisti mihi sociam: dedit mihi de ligno, & comedi.*

Excusatio peccati detestabilis.

EXEMPLO Adami & Euæ liquido cernitur, quale sit discrimen inter virum iustum & iniustum. *Iustus enim*, vt scriptum est Prouerb. 18. *prior est accusator sui.* Nam initium bonorum, quæ daturus est Deus homini, vt quodam loco dixit Augustinus, confessio malorum est, quæ commisit homo. Negatio autem, vel excusatio, & defensio peccati,




Sophie Charlotte Ernestine.
670a

2150
750.
580.
370.
250.
65
4065.

750
240
990.

4079

A peccati non modo nulla est eleuatio, vel diminutio sceleris, sed contra, detestabilior eius aggrauatio & exaggeratio. Audi quæ Augustinus scribat libro 14. de Ciuitate Dei capite 14. *Peior est*, inquit, *damnabiliorque superbia, qua etiam in peccatis manifestis suffugium excusationis inquiritur, sicut illi primi homines, quorum & illa dixit. Serpens seduxit me, & manducauit: & ille dixit: Mulier quam dedisti mihi, hæc mihi dedit de ligno, & edi: nusquam hic sonat petitio veniæ, nusquam imploratio medicinæ. Nam licet isti non sicut Cain, quod commiserunt negent: adhuc tamen superbia quærit in alium referre, quod perperam fecit: superbia mulieris in serpentem, superbia viri in mulierem. Sed accusatio potius quàm excusatio vera est, vbi mandati diuini est aperta transgressio. Neque enim hoc propterea non fecerunt, quia id mulier serpente suadente, vir muliere impertiente commisit, quasi quic-*

Superbia damnabilis qua in manifestis peccatis suffugium excusationis inquiritur.

B *quam Deo cui vel crederetur, vel cederetur, anteponendum fuit.*

VERVM hanc sententiam atque hunc Mosis locum, grauissimis & disertissimis verbis tractauit B. Gregorius in libro 22. Moralium cap. 13. *Hæc sunt*, inquit, *veræ humilitatis testimonia, & iniquitatem suam quemque cognoscere, & cognitam voce confessionis aperire. At contra, vsitatum humani generis vitium est, & latendo peccatum cõmittere, & commissum negando abscondere, & conuictum defendendo multiplicare. Ex illo quippe lapsu primi hominis hæc augmenta nequitiæ ducimus, ex quo ipsam radicem traximus culpæ. Sic namque ille dum lignum vetitum contigisset, abscondit se à facie Domini inter ligna paradisi. In qua absconsione scilicet, quia Deum latere non poterat, non latendi effectus describitur, sed affectus notatur. Qui cum*

Humilitatis veræ testimonia.

C *argueretur à Domino quod de ligno vetito cõtigisset, illica respondit, Mulier quam dedisti mihi sociam, ipsa mihi dedit de ligno, & comedi. Ipsa quoq; mulier inquisita respondit dicens, Serpens decepit me, & comedi. Ad hoc quippe requisiti fuerant, vt peccatum quod transgrediendo commiserant, confitendo delerent. vnde & serpens ille persuasor, qui non erat reuocãdus ad veniã, non est de culpa requisitus. Interrogatus est itaque homo vbi esset, vt perpetratã culpã respiceret & cõfitendo cognosceret quã longe à conditoris sui facie abesset. sed adhibere sibimet vtrique defensionis solatia, quàm cõfessionis elegerunt. Cumq; excusare peccatum voluit vir per mulierẽ mulier per serpẽtem, auxerunt culpam, quã tueri conati sunt: obliquè Adam Dominum tangẽs, quod ipse peccati eorũ auctor extiterit, qui mulierem fecit: & Eua culpam ad Dominum referẽs qui serpentem in paradiso posuisset. Qui enim more diaboli fallentis audierant,*

Cur Deus Adamum & Euam interrogauerit non serpentem.

D *Eritis sicut Dij: quia Deo esse similes in diuinitate nequiuerunt, ad erroris sui cumulum, Deum sibi facere similem in culpa conati sunt. Sic ergo reatum suum dum defendere moliuntur: addiderunt vt culpa eorum atrocior discussa fieret, quàm fuerat perpetrata.*

VNDE nunc quoq; humani generis rami ex hac adhuc radice amaritudinẽ trahunt, vt cùm de vitio suo quisque arguitur, sub defensionũ verba quasi sub quadam se arborum folia abscondat, & velut ad quædam excusationis suæ opera secreta, faciem conditoris fugiat, dum non vult cognosci quod facit. In qua videlicet occultatione non se Domino, sed Dominum abscondit sibi. Agit quippe ne omnia videntem videat, non autem ne ipse videatur. Quo contrà

Quanti momenti sit, peccata sua cui oportet sincere aperire, & humiliter cõfiteri.

cuique peccatori, iam exordium illuminationis est humilitas confessionis: quia sibimet ipsi iam parcere renuit, qui malum non erubescit fateri, quod fecit: & qui defendendo accusari potuit, accusando se celerrimè defendit. Vnde & mortuo Lazaro, qui mole magna premebatur nequaquã dicitur, Reuiuisce, sed Veni foras. Ex qua scilicet resurrectione quæ gesta in illius est corpore, signatur qualiter nos resuscitemur in corde, cũ videlicet mortuo dicitur, Veni foras, vt nimirum homo in peccato suo mortuus, & per molem malæ consuetudinis iam sepultus, quia intra conscientiam suam absconsus iacet per nequitiam, à semetipso foras exeat per confessionem. Mortuo enim veni foras, dicitur: vt ab excusatione atque occultatione peccati, ad accusationem suam ore proprio exire prouocetur. Vnde Dauid propheta ab illa tanti mole facinoris reuiuiscens, ad vocem Domini quasi foras exiit, dum per Nathan correptus, quod fecerat, accusauit. Quia igitur hæc occultationis culpa in humano genere vehemẽter excreuit, bene, beatus Iob cùm diceret, Si abscondi peccatum meum, interposuit Quasi homo. Hominis quippe esse proprium conspicit, quod ex parentis veteris imitatione descendit. Sic Gregorius.

Ioan. 11.

2. Reg. 12.

B

S. Bernardus.

Nec prætereundum quod dixit in eandem sententiam B. Bernardus sermone primo in festo omnium Sanctorum, Considerandum, inquit, Adamum, quàm fuerat indulgens vxori in culpa, tam fuisse aduersus eam postea crudelem in subeunda pœna. Nã transferendo culpam à se in vxorem, pœnam quoque meritam voluit in eam solam traducere. O peruersitas, pœnam pro ea suscipere refugis, & culpam admittere non recusasti? Perniciosè misericors fuisti, vbi seuerus esse debebas: sed pernicioſius crudelis fuisti, vbi misericordiam impendere debebas, Nunquam enim propter alium peccari debet, quod est iustitiæ: libenter tamen aliena peccata portare decet, quod est misericordiæ. Quattuor sunt peccandi gradus, primus, interior consensus: alter, exterior perfectio: tertius: consuetudo, quartus, peccati excusatio vel defensio, & ad hunc supremum gradum primi homines peruenerunt. Atque hæc quatuor peccati incrementa Iob mystice deplorans, Quare, inquit, non in vulua mortuus sum? egressus ex vtero non statim perij? cur exceptus sum genibus? cur lactatus vberibus? Etenim peccatum primo latet in cogitatione: tum prodit in opus: deinde consuetudine firmatur ac roboratur: denique lactatur & nutritur excusatione ac defensione. Hæc Bernardus.

C

Quatuor peccati gradus ex beato Bernardo.

Iob. 3.

D

VER. 14. *Et ait Deus ad serpentem, Quia fecisti hoc, maledictus es inter omnia animantia & bestias terræ: super pectus tuum gradieris, & terram comedes cunctis diebus vitæ tuæ.*

MVLTA quæ spectabant ad explanationem horum verborum quibus Deum serpenti maledixisse narrat Moses, supra exposuimus cum illam tractaremus quæstionem, Vtrum hæc maledictio serpentis, ad verum serpentem, an potius ad diabolum pertineret. Nunc igitur nonnullas duntaxat Ruperti eorum verborum quibus

A bus maledictio serpentis expressa est, interpretationes adscribendas duximus, pias nempe, disertásque, nec sane ineruditas: scilicet quas legere vt periucundũ, ita si prætermissæ essent, molestũ lectori futurũ fuisse existimauimus. Itaq; Rupertus lib. 2. de Victoria verbi Dei cap. 15. supradicta verba explanans: *Profecto*, inquit, *neque mulieri, Maledicta es, neque viro Maledictus dixit, sed tantùm hoc, Maledicta terra in opere tuo: cuius videlicet terræ maledictio, non aliud est quàm multimoda & frequens afflictio, qua per varios euentus terræ ex eo corruptæ & deteriorate affligitur homo, Soli serpenti dixit Maledictus eris, quo videlicet dicto firma & immutabilis intelligenda est sententia æternæ damnationis: quamuis enim* B *ita littera sonet, vt de animante serpente possit intelligi: nihilo tamen minus, & multo amplius de serpente diabolo totum oportet intelligi. Alioquin quomodo pro maledicto, vel pœna maledicti reputabitur illi, quod dictum est ei, Super pectus tuum gradieris, cum hoc ipsum prius à natura habuerit, quàm diabolus eo vsus fuit ad perditionem hominis? Magis ergo illi serpenti antiquo hoc positum est in maledicto, vt supra pectus suum gradiatur, & terram comedat cunctis diebus, id est, vt super homines eos tantùm, qui ita terra sunt vt non desiderent aut respiciant cœlum, quærat, deuoret odio insatiabili, corde impœnitenti: ita datus in reprobum sensum, vt contra intentionem suam semper bonum Dei circa electos, dum impedire nititur, magis expediat & adiuuet propositum, quod est miro modo gradi super pectus proprium, Porrò ad mulierem & ad virum quæcumque dicta sunt, etiam ipsa mors corporis, quam imponens* C *misericors Deus, Quia puluis es, ait, & in puluerem reuerteris, verba sunt corripientis, & saluare cupientis, & iam tunc vias hominis auersi, sapientis spinis, vt saltem sola vexatio det intellectum auditui, memorémque faciat hominem suæ conditionis, vt humiliatus corrigi possit & saluari.* Sic Rupertus.

Rupertus.

Cur serpenti dicatur Maledictus.

Inimicitias ponam inter te & mulierem, & semen tuum & semen illius. VER. 15.

D SVPER his verbis Rupertus libro 3. de Trinitate & operibus eius cap. 19. egregiè ad hunc modum disputat: *Hoc à fraudibus inimicitiæ differũt, quod fraudes pacatam sermonis, vel cuiuslibet rei prætendunt superficiem, inimicitiæ verò manifestam contrarietatis habent intentionem. Constat autem, quod subdolus diabolus in serpente mulieri non tanquam armatus aduersarius occurrit, se d tamquam fidus consiliarius lateri eius in via sese adiunxit. Cùm igitur dicit Deus. Ponã inimicitias inter te & mulierẽ, profectò magnũ gratiæ suæ opus promittit, quod victorem diabolum qui vicerat fraude, victa hunc mulier vincere quandoque debeat fortitudine. Porrò hæ inimicitiæ non per ipsam mulierem, sed per semen illius exercendæ, & vsque ad victoriã perducendæ sunt. Proinde cum dixisset, Inimicitias ponã inter te, & mulierẽ, continuo subiunxit, Et semen tuum, & semen illius. Quo enim de semine hæc dicuntur, nisi de vno qui est Christus? Ipse namque solus ita semen mulieris est, vt*

Quid fraus & inimicitia differant.

Solus omniũ hominũ Christus in terra perfectas inimicitias exercuit cum diabolo.

non etiam viri semen sit: quare recta additio est, cùm dictum sit à Domino Deo, A Inimicitias ponam inter te & mulierem, & semen illius, subauditur Christus. Nam hic planè cum illo antiquo serpente fortiter sese exercuit, nec vnquam illi in aliquo consentiens fuit. Vnde & liberior atque expeditior fuit, accinctus gladio super femur suum potentissimus, speciosus, & pulcher, intendit prospere, processit, & regnauit: hostémque publicum ante pedes suos productum contriuit, & vulnerauit, iuxta Psalmistam dicentem: Tu humiliasti sicut vulneratum superbum, in virtute brachij tui. Tunc adimpletum est mulieri in isto semine suo, quod hic fuerat prædictum, Ipsa conteret caput tuum. Vnde in alio Psalmo propheta dicit, Tu contribulasti capita draconũ in aquis. tu confregisti capita draconis. B

Psal 88.

Psal. 73.

Quomodo cũ dæmone perfectas inimicitias non geramus.

Quis omnium nostrum quicumque viri pariter ac mulieris commixtum semen sumus, inimicitias cum isto deceptore integras se habere gloriabitur? Nonne omnes Dei potius inimici fuimus, nisi quia per hoc vnicum vnius mulieris semen reconciliati sumus? Ergo secundum illius quidem gratiam, nunc filij vel amici Dei sumus, & cum illo draconе inimicitias habemus: secundum nos ipsos autem, vel secundum primos parentes nostros, socij & consentanei rebellionis eius fuimus, & necdum perfecta fide adulterinas eius blandicias respuimus. Nã quoties ad aliquod peccatũ pertrahimur, ille primum nobis capite blanditur, deinde nos ventre oblectat, tandémque cauda ligat: quia videlicet tribus modis omnis eius tentatio perficitur, suggestione, delectatione, consensu. Inter hæc proculdubio nequaquam veras contra illam inimicitias habemus. Certissimè igitur hic illius semen mulieris promittitur, quod est Christus, per quod sexus idem, qui deceptus est, deceptoris caput omne contriuit, quando ad destructionem peccati, beata Virgo sine peccato nouum hunc & cœlestem hominem mundo edidit. Et tu, inquit, insidiaberis calcaneo eius, id est, ingeres te in extremis vitæ illius. Insidiaberis, inquit, sed non etiam mordere poteris. Hoc planè licet sub audiri, quod verbis aliis idem filius mulieris euidenter astruit, dum mox ducendus ad passionem dicit, Venit enim princeps mundi huius, & in me non habet quicquam. C

Tres modi tẽtationis diabolicæ.

B. Virgo contriuit caput serpentis.

Ioan 14.

EADEM verba tractans Rupertus lib. 2. de victoria verbi Dei, ca. 16. Quid primum, ait, in verbo hoc gratiosa fides meretur? quid potissimum collaudat? Verbi veritatem, an Patris eius bonitatem? Vtrumque collaudet, vtrumque dignè prædicare desideret, quia verè bonitate sic elocutus est: magna & constanti veritate locutio eius adimpleta est, Inimicitias, inquit, ponam inter te, & mulierem: tanquam diceret, Nunc mulier simul & vir tibi fœderati sunt, tecúmque fecerunt pactum, & cum morte fœdus percusserunt: vt pote quia à facie mea profugi atque absconditi, dum requirunтur à me, quare hoc fecerint, contemnunt vocem commonentis: & defendendo peccatum suum, palam faciunt, quia tibi fauent, tibi consentientes, tui amici sunt. Ego autem huiusmodi amicitias dissoluam: inter te, & mulierem inimicitias pœnam. Cur hoc ad ipsam mulierẽ non dixit? Poterat nãque, vbi dixit mulieri: Multiplicabo ærũnas tuas, & conceptus tuos, &c. hoc ipsum sic ad eandem dicere, inimicitias ponam inter te, & serpentẽ, & semen tuum & semen illius. Cur ergo non dixit? Nimirũ duplicem ob causam: primum, quia D

Cur Deus se inimicitias positurum inter ipsam, & serpẽtem mulieri nõ dixerit.

propter

A *propter peccatum, & peccati defensionem hoc mulier non merebatur, vt iam tunc ad eam promissiones tales, promissiones tantæ gratiæ faceret Deus. Deinde, quia non ad ipsam Euam, sed ad alteram eiusdem sexus personam, videlicet ad B. Virginem Mariam intendebat ipse, qui loquebatur. Rectè igitur non ad mulierem malè meritam facta est auxiliatricis gratiæ promissio, sed potiùs ad serpentem hostilis & bellica comminatio. Quid autem hoc dicto Deus, nisi semetipsum in proposito suo manere velle testabatur? Serpens namque insidiabatur, ne fieret, quod proposuerat Deus dicendo:* Faciamus hominem ad imaginem & similitudinem nostram. *Vicisse, & hoc propositum se auertisse gloriabatur: Deus autem eiusdem propositi sui victoriam in potestate habens, serpenti comminabatur.*

Virgo Mariæ mulier est, & mulier est, & Christus mulieris semen, de quo hic Deus loquitur. sed omnes etiam vtriusq; sexus electi hoc loco designantur.

IDEM capite sequenti. *Equidem,* inquit, *principaliter B. Virgo Maria* B *mulier illa est, inter quam & serpentem inimicitias positurum se dixit, & posuit Deus, & semen illius, filius est ipsius Iesus Christus. Verumtamen quoniam mulier vniuersale fœminei sexus nomen est, omnes, per mulierem, intelligimus personas electas virilis sexus, quarum omnium videlicet personarum vtriusque sexus, Iesus Christus cum eadem ex qua factus est muliere princeps & caput est. Quòd si ratio quæritur, cur per semen mulieris, personæ intelligi debeant sexus virilis: aiunt, qui de naturis scripserunt, ex paterno semine puellas, & ex materno pueros nasci: & quia duplici semine constat omnis partus, cuius maior pars inualuerit, occupat similitudinem sexus. Igitur cùm dicit:* Inimicitias ponam inter te, & mulierem, & semen tuum, & semen illius: *omnes electos tam fœminei, quàm virilis sexus, per mulierem & semen illius* C *intelligimus. Et econtrario sicut per serpentem diabolus, ita & per semen serpentis, omnes iniqui & maligni homines imitatores eius rectè intelliguntur, licet neminem genuerit, aut creauerit ille. Nam si iniqui & impij homines, serpentis, id est, diaboli semen non essent, nequaquam Dominus diceret Iudæis.* Et vos quæ vidistis apud patrem vestrũ, facitis: *Itemque,* Vos facitis opera patris vestri: *profectò diabolum volens intelligi: sequitur enim protinus in eodem sermone,* Vos ex patre diabolo estis, & desideria patris vestri vultis facere. *Eorum qui tam constanter dicuntur semen serpentis, id est, filij diaboli, causa vt nascerentur, peccatum extitit, dicente Deo, postquam peccauit consentiens diabolo,* Multiplicabo ærumnas tuas, & conceptus tuos. *Porro illorum qui intelliguntur per semen mulieris, causa vt nascerentur extitit benedictio Dei, qua ante præuaricationem primis hominibus benedixit, sicut* D *scriptum est,* Masculum & fœminam creauit eos, benedixit, & ait: Crescite & multiplicamini. Hucusque sunt verba Ruperti.

Ioan. 8.

Ioan. 8. Omnes iniqui semen sunt diaboli.

CAVSAM verò cur Deus inimicitias posuerit inter hominem & diabolũ, egregiè tractat S. Basilius in homilia, quæ inscribitur, Quod Deus non sit auctor malorum, hoc modo scribens: *Quæris vnde diabolo sit contra nos bellum? Quoniam, cùm omnis ipse mali promptuarium existeret: inuidiæ quoq; morbũ ipse recepit, & inuidit nobis illatum honorẽ, nec facilè tulit vitam in Paradiso beatã ducere. Quamobrem dolis hominem aggressus, eadem ambitionis cupiditate quam ipse ab initio habuit, velle similem esse Deo: hac rursus ad decipiendum nos vsus, lignum ostendit, per cuius degustationem*

B. Basilius disputat, cur Deus posuerit inimicitias inter hominẽ, & serpentem.

tionem pollicitus est hominem similem fore Deo : Si comederitis, inquit, *eritis velut Dij malum ac bonum cognoscentes.non inimicus igitur nobis a Deo constitutus est, sed ipse ex inuidia sese nobis opposuit. Animaduertens enim se ex Angelorum ordinib, expulsum, non tulit, terrenam creaturam ad Angelorum dignitatem per virtutis profectum exaltari. Quoniam itaque inimicus est factus inimicitiam nobis Deus erga illum indidit,vt serpenti,quo ille malus abusus fuerat, dixit, sed ita vt minas ad serpentem referret,* Inimicitias ponam inter te,& inter semen illius. *Reuera namque noxiæ sunt amicitiæ,quæ cum malitia contrahuntur. Nam ea est amicitiæ huius lex & vis, vt per similitudinem malitiam coniunctis inferat. Quamobrem rectè prouerbium dicit,*Corrumpunt bonos mores colloquia praua. *Quemadmodum enim in pestilentibus locis sensim attractus aër,latentem corporib. morbum iniecit:sic item in praua consuetudine ac conuersatione, maxima nobis mala hauriuntur,etiam si statim incommodum non sentiatur. idcirco nobis aduersus serpentem irreconciliabilis indita est inimicitia. Si autem instrumentum hoc, tanto dignum odio est, quanto magis illi nos qui serpentem adegit, aduersari oportebit?* Hæc Basilius.

Amicitiæ noxiæ quæ cum malitia contrahuntur.

1. Corinth. 15.

VERS. 15.

Tu insidiaberis calcaneo eius, & ipsa conteret caput tuum.

Rupertus.

RVDITA & elegans apud Rupertum, lib. 3. de Trinitate cap. 20. horum in verborum tractatu interpretatio reperitur: *Grandes,* inquit,*inter mulierem & serpentem inimicitiæ positæ sunt : Vtrinque non tam rationis iudicium, quàm sensus naturalis perpetuum seruat odium. Hæc enim etsi nō semper actu, semper tamen potestate quadam conteret caput illius : Ille autem, vt pote humi depressus,& nō arduus,calcaneo huius insidiatur. Nam si nuda mulieris planta dentem serpentis præuenerit, & viuacissimum caput eius vel leuiter presserit,statim totum cum capite corpus repente interit, ita vt nullus omnino motus,nullus sensus in aliqua parte residuus sit, quod nec malleis aut vectibus certè, nec gladiis concidentibus, citò aut leuiter effici potest, siquidem excisum caput cū duobus aut tribus digiticulis, viuere & abire perhibetur. Hoc quoque quod prædictum est,ita esse,ipsorum qui per industriam explorauerunt, fidarelatione comperimus. Vnde & fertur, quod nudum corpus eius contingere non ausus sit. Econtrario,ille quamlibet exiguus sit, si vel extremæ plantæ dentulum infixerit,occidit.morsu namque infusa pestis,per venas vegetatione corporis aucta discurrit,animámque eximit:adeo graues inter vtramque naturam inimicitiæ positæ sunt,antiqui mali, super nouum exhibentes monimentum. Mox vt venenum morsu iniectum sanguinem hominis tetigerit, paulatim serpit, & inimicum suæ naturæ animal interficit.* Vnde sic ait quidam.

Notabile dictum Ruperti de potentia mulieris aduersus serpentem.

Noxia serpentum est admixto sanguine pestis,
Morsu virus habent,& fatum in dente minantur.

Lucan libr. 10. Pharsal. Serpens animal maledictum, & homini naturaliter inimicū.

Omne enim venenum frigidum est, & idcirco anima quæ ignea est, fugit venenum frigidum. Serpentum verò quot genera, tot venena:quot species, tot pernicies:quot colores,tot habentur & dolores. Maledictum quippè animal est, ex quo

A *ex quo diabolo ad ministerium mortis propria calliditate suffragatum est, & exinde homini naturaliter inimicum est. Sed quid mirum hoc malum à Deo permitti homini: cùm & ipse homo ad interfectionem proximi, serpentum sese armet venenis, & quod non habet natura virus, acquirat peruicacia, comparet pecunia? Hoc enim Auctor idem qui supra, tali execratione declamat.*

Sed quis erit lucri nobis pudor? inde petuntur
Huc Libycæ mortes: effecimus aspida mercem. *Idem ibidem.*

PROINDE quia homines ipsi quodammodo serpentes fiunt, dum non tantùm spiritualiter venenum aspidum sub labiis eorum, sed realiter quoque venenum aspidum in fistarciis eorum patiantur, & ipsi nec murmurent quod venenantur, & intereunt tot homines pestib. serpentum. Idem Rupert. lib. 2. de Victoria verbi Dei. c. 18. ob has inter mulierē & serpentē, & inter *Scriptura sacra liber bellorum Domini & Iustorum.*

B semen illius & semen huius cōtinuas & implacabiles inimicitias docet, sacram Scripturā appellari librum bellorum Domini. Num. 21. & lib. Iustorū. 2. Reg. c. 1. *Quid enim aliud continetur vel agitur in Scripturis sanctis, nisi bellum & certamen verbi ad destructionem peccati & mortis? Ab hoc igitur initio libri Iustorum & libri bellorum Domini, vbi dictum est.* Inimicitias ponam inter te, & mulierem, & c. *tamquam de monte excelso virtutem contemplemur verbi Dei, descendentem velut in campi planiciem, aduersus malitiam siue mendacium diaboli serpentis antiqui, qualiter pugnauerit, qualiter vicerit, atque triumphauerit, vt completo proposito suo, in quo benedixit primis hominib. in constitutione mundi, in fine eius dicat electis, & serpentis victoribus*: Venite benedicti Patris mei, possidete paratum vo- *Matth. 15.*

C bis regnum à constitutione mundi.

Mulieri quoque dixit, Multiplicabo ærumnas tuas, & cōceptus tuos, in dolore paries filios, & sub viri potestate eris, & ipse dominabitur tui. VERS. 16.

TRIBVS huius Diuinæ sententiæ tanquam verberibus, sexum fœmineum perpetuo cruciari scribit Rupertus capite 22. libro tertio de Trinitate. *Triplici autem pœna mulier punitur, quia triplo maius fuit peccatum eius quàm Adami. Primo, quia credendo serpenti plusquam Deo, seducta* *Cur triplici pœna mulier sit mulctata.*

D *est. Deinde, quia ligni vetiti pulchritudinem & suauitatem delectabiliter concupiuit: Tertio, quia non contenta transgressione propria, virum quoque ad transgressionem induxit. Meritò igitur triplici peccato triplex vindicta, præter communem sibi cum viro mortem, reddita est. Nam quia serpenti credidit dicenti:* Eritis sicut dij: *iustè ipsa contra hoc, quod Deus viuorum est & non mortuorum, non viuorum, sed mortuorum mater esse meruit, dicente Deo,* Multiplicabo conceptus tuos. *Omnes enim conceptus eius, anima & corpore in peccato moriuntur, & nemo eorum viuit, nisi viuificetur per Christum. Item quia visa illius arboris pulchritudine, intemperanter fructum eius expetiuit, pro illo visus delectamento, contrarius*

rius redditur vteri dolor, In dolore, *inquit,* paries. *Tertio, quia virum importunitate muliebri ad comedẽdum illexit: idcirco Sub viri potestate,* inquit, *eris, & ipse dominabitur tui. Ita pro seductione, conceptuum multiplicitas: pro gulæ oblectamento, vteri dolor: pro temerario imperio & scandalo, quod viro exhibuit, seruitutis viri pœna ei reddita est.* Hactenus ex Ruperto. A

Quomodo multiplicatio conceptus, sit pœna mulieris.

VERVM multiplicatio prolis magnum est bonum, magnúmque parentum gaudium: futura etiam, si homo non peccasset, in Paradiso, & in statu innocentiæ, quomodo igitur ea mulieri pro scelere admisso, tamquam ingens quoddam malum, pœnæ loco denunciatur? Hieronymus Oleaster hoc loco noua interpretatione illud, *Multiplicabo conceptus tuos,* non refert ad multiplicationem prolis, sed ad tempus, quo post conceptum gestatur fœtus in vtero vsque ad partum: arbitratur enim, si non peccasset primus homo, fore, vt statim proles B concepta ederetur in lucem: in pœnam autem peccati, tempus illud per nouem menses multiplicatum & prolatum est.

Refellitur. Oleaster.

SED hoc non modò falsum, verùm etiam absurdum & ridiculum est. Nam longa mansio fœtus in vtero, naturalis est, & ex causis naturalibus proficiscitur: quamobrem non debuit propter peccatum variari. Nam sicut locus ipsius fœtus in vtero, sic modus nutritionis eius, accretionis, auctúsque corporalis naturalia sunt, & idcirco eadem ante peccatum fuissent, quæ sunt post peccatum: ita etiam tanta fœtus mora in vtero, naturalis est, nec peccati pœna. Non enim statim conceptus partui maturus & validus est, sed paulatim augescens, valescens, & matureſcés fit idoneus, vt ex vtero edi queat: C quemadmodum non statim post partum, iustã corporis molem, aut rationis vsum assequitur.

Quatuor ob causas multiplicatio conceptus, pœna fuit post peccatum.

MVLTIPLICATIO igitur conceptus, quattuor ob causas intelligitur post peccatum esse pœna mulieris, & magnum quoddã malum. Primum, quoniam multi conceptus priusquam ad maturitatem & perfectionem veniant, per abortum in vtero matris intereunt. Deinde, quia multi generantur partium corporis vel mole, vel numero, vel figura, vel situ, vel imbecillitate & deformitate, vel sensuum vitio, vel animi & rationis defectu deprauati, atque monstrosi: quod maximo dolori est parentibus. Præterea, eorum qui generantur pauci sunt electi & prædestinati: plerique verò propter eorum flagitia æternis suppliciis destinati. His accedit, multitudinem prolis plerúmque vel ob parentum paupertatem, cui educandæ non sufficiũr, vel propter flagitiosam & probrosam filiorum vitam, vel propter miserrimos casus & exitus, acerbissimum parentibus tormentum & infortunium esse solere. D

Rupertus lib. 3. de Trinitate c. 22.

NON est, inquit Rupertus hoc loco, *hæc multiplicatio benedictionis, sed damnationis: non gratiæ, sed iræ: non clementiæ, sed vindictæ. Vnde non dixit tantùm Multiplicabo conceptus tuos, sed insuper addidit, Et ærumnas tuas. Mulier quippe quantò fœcundior, tantò ærumnosior. Post singulos conceptus, dolor cruciat, per singulos partus: suus eam sanguis fatigat, quippe quæ & cùm*

sana

A *sana videtur, menstruis floribus laborat. Mulier námque vnum & solum est menstruum animal. Quanta putas hæc ira, quanta est vindicta, concipi vel nasci tot homines, qui numerum excedant: qui ad Dominum, vel ad vitam æternam non pertineant, quibus proinde melius erat, si nati non fuissent. Nempe, si incorrupta naturæ nostræ terra permansisset, si non Dei benedictionibus pestem maledicti serpentis superinduxisset; solas bonas arbores, id est, solos bonos germinasset homines, & nullum agrestium lignorum, quæ ad hoc nata sunt vt excidantur & in ignem mittantur, quia fructum non ferunt, succi eius abundãtia produxisset. Hæc fortis, atque terribilis nimis, & timenda magis quàm discutienda diuini iudicij seueritas est.* Sic Rupertus.

Mulier vnum & solum est menstruum animal.

Si Adam non peccasset omnes fuissent boni.

VEL illud, *Multiplicabo conceptus & ærumnas tuas*, sic dictum est modo loquendi diuinæ Scripturæ non infrequenti, vt si dictum es-
B set, Multiplicabo conceptus tuos cum ærumnis, vel, In conceptibus tuis multiplicabo tibi ærumnas, seu vt vox Hebræa sonat, dolores, angustias, compressiones, & alia mala quibus mulier afficitur, dum fœtum gestat in vtero. Multa enim eo tempore contingunt mulieri valdè molesta & acerba, vt cibi fastidium, frequens suspiratio, tardus motus, color infestus, pericula abortus, notabilis animi & corporis perturbatio & vexatio. Audi Plinium hac de re libri 7. cap. 6. &
C 7. elegantissimè scribentem: *A conceptu*, inquit, *decimo die dolores capitis, oculorum vertigines tenebræque, fastidium in cibis, redundantia stomachi, indices sunt hominis inchoati. Melior color marem ferenti, & facilior partus, motus in vtero quadragesimo die. Contraria omnia in altero sexu: Ingestabile onus, crurum & inguinum leuis tumor. Primus autem nonagesimo die motus. Sed plurimum languoris in vtroque sexu, capillum germinante partu, & in plenilunio: quod tempus editos quoque infantes præcipuè infestat. Si respirauere, difficilius enituntur: Oscitatio quidem in enixu lethalis est, sicut sternuisse à coitu abortiuũ.* Et capite sequenti: *Miseret, atque etiam pudet æstimantem quàm sit friuola animalium superbissimi origo, cùm plerúmque abortus causa fiat odor à lucernarum extinctu.* Hæc Plinius.

Vox Hebræa est עִצְּבוֹן, *Isthonech.*

Incommoda mulierum gestant in vtero. Plinius.

Supermissimi animalũ hominis origo vilissima.

HAEC Plinij verba, maximam partem, ex Aristotele sumpta esse, vt liquido agnoscat lector, hic ipsa Aristotelis verba ex capite quarto libri septimi de Historia animalium transcribere libuit: *Euenit profectò*, inquit, *vt mulieres à conceptu, corpore toto grauentur, & oculorum*
D *caligines, & dolores capitis moueantur. Quæ aliis maturius, & ferè, die decimo accidunt, aliis serius, pro vt magis minúsve ex materia superuacua tentantur. Nauseæ item & vomitus plurimas capiunt, & præcipue quibus purgationes constiterint. Aliquæ principio magis laborant, aliæ post cùm iam fœtus plenius creuerint. Sæpe etiam multas distillatio vrinæ ad postremũ infestat, sed magna ex parte, quæ marem ferũt, facilius exigunt, minúsque pallent. Contrà quæ fœminam: sunt enim pallidiores, & grauius degunt. Multis etiam tumores, extuberationésque carnis in cruribus incidunt. Solẽt appetitus varij grauidis euenire, citoq; commutari: quod picare quidam à Picaaue denominant. Et nimirum cùm fœtum sexus fœminei ferunt, auidius appetunt, minusq; frui iam repræsenti quã cupierint, possunt: fastidiunt enim statim, quod modo vehemen-*

ter appeterent: sed præcipuè tum fastidiunt tædioq́, fatiscunt, cùm fœtui capillus oriri incipit. Dolor etiam ex fœmina continuus, sed obtusior, ex mare acer & longè molestior. Hæc Aristoteles atque Plinius de grauidarum mulierum molestijs doloribus, ærumnisque prodiderunt. A

Plinius de fœditate mẽstrui mulieris.

IAM verò sanguinis menstrui, quem vt materiam corporando fœtui natura comparauit, quàm sit fœda, quàm nocens, ac pestilens vis, & natura, si auet lector cognoscere, audiat, quæ de eo mira tradit Plinius capite 15. libri 7. *Sed nihil, inquit, facile reperiatur mulierum profluuio magis monstrificum, Acescunt superuentu musta, sterilescunt tacta fruges, moriuntur insita, exuruntur hortorum germina, & fructus arborum quibus insedere decidunt: speculorum fulgor aspectu ipso habetatur, acies ferri præstringitur, eboris que nitor, aluei apum emoriuntur: æs etiam ac ferrum rubigo portinus corripit, odórque dirus aera: & in rabiem aguntur gustato eo canes, atque insanabili veneno morsus inficitur. Quin & bituminum sequax alioquin ac lenta natura, in lacu Iudeæ qui vocatur Asphaltites, certo tempore anni supernatans, nequit sibi auelli, ad omnem contactum adhærens, præterquam filo, quod tale virus infecerit. Etiam formicis, animali minimo, inesse sensũ eius ferunt: abiicique gustatas fruges, nec postea repeti. Et hoc tale tantúmque omnibus tricenis diebus, malum in muliere existit, & trimestri spatio largius. Quibusdam vero sæpius mense, sicut aliquibus nunquam: sed tales non gignunt, quando hæc est generando homini materia, semine è maribus coaguli modo hoc in sese glomerante, quod deinde tempore ipso animatur, corporaturque. Ergo cum grauidis fluxit, inualidi aut non vitales partus eduntur, aut sanioſi, vt auctor est Nigidius.* Hæc Plinius. B C

De acerbitate dolorum mulieris in partu.

SEQVITVR, *In dolore paries filios.* Naturale est mulieri cum labore ac dolore filios parere. Naturalis enim vteri meatus, angustior est, quam vt per eum fœtus exire possit: quamobrem claustra vteri, præter naturalem eius constitutionem vehementer laxari ac dilatari necesse est, quod sine magno doloris sensu fieri non potest. Audi Basilium qui explanans verba illa Psalmi 114. *Circumdederunt me dolores mortis, pericula inferni inuenerunt me,* ad hũc modum scribit: *Dolores propriè de parturientibus dicuntur, quando ad tumorem venter insurgẽs extra fœtum pellit: deinde partes illæ genitales diuexatæ, & circum prodeuntem ex vtero fœtum distentæ conuulsionibus, ac fibrarum contractionibus acutissimos dolores, & vehementes cruciatus parientibus gignunt. Transtulit autem Dauid dolores partus ad mortis pœnas circa animal, in animæ & corporis diuisione instantes.* Sic Basilius. D

SI igitur naturale est mulieri parere cum dolore, quomodo Deus Euæ pro sceleris admissi pœna dolores partus inflixit? Verùm in statu innocentiæ Deus singulari quadam & supernaturali ratione, mulierem omni labre & dolore partus liberasset, fecissétque vt fœtum & sine labore ac molestia in vtero gereret, & sine vllo doloris sensu in lucem ederet: qua Dei gratia & beneficio propter peccatum priuata mulier, obnoxia fuit doloribus partus. Qui sanè dolores simpliciter quidem naturales sunt mulieri: respectu autem habito

A bito ad ſtatum innocentiæ, in quo ab huiuſmodi doloribus immunis & vacua Eua fuiſſet, peccati pœna cenſeri debent.

SED quomodo fieri potuit, vt in ſtatu innocentiæ mulier ſine dolore pareret? Reſpondet Auguſtinus libro 14. de Ciuitate Dei ca. 26. *Cùm fœtus in vtero iam partui fuiſſet maturus, tunc fore, vt materna viſcera ſponte in tantum laxarentur, vt commodum fœtui ſine matris dolore tranſitum præberent.* Sic ad pariendum, ait Auguſtinus, nõ doloris gemitus, ſed maturitatis impulſus fœminea viſcera relaxaret, vt ad cõcipiendum non libidinis appetitus, ſed voluntarius vſus naturam coniugis vtriuſque coniungeret. At enim ſcire oportet, vacuitatem illam dolorum in partu, non tantùm non potuiſſe proficiſci ex vlla cauſa naturali, ſed neque ex aliqua virtute ſupernaturali in corpore
B & membris ipſius mulieris inhærente, ac manente eſſe profectam: verùm quotieſcumque id fiebat, nouo Dei potentiæ miraculo fiebat: quamquam quia id fuiſſet in eo ſtatu vſitatum & perpetuum, non fuiſſet pro miraculo habitum.

Quemadmodum in ſtatu innocẽtiæ mulier ſine dolore peperiſſet.

QVANTA porrò & quàm multiplex pœna ſit mulierum in partu, præter quotidianã experientiam, ſatis declarat diuina Scriptura, magnitudinem alicuius doloris cum exaggerare vult, aſſimilans eum doloribus parturientium, & Dominus noſter in Euangelio, *Mulier*, inquit, *cum parit, triſtitiam habet, quia venit hora eius.* Ac præter do-
C lorem, ingruit etiam ſæpe parienti vitæ periculũ, non paucis in enixu prolis extinctis, ſicut accidit Rachel in partu Benjamin: multíque, vt Plinius tradit, enecta parente gignuntur. Sic prior Scipio Africanus natus eſt, primúſque Cæſarum à cæſo matris vtero dictus, qua de cauſa & Cæſones appellati. Simili modo natus & Manlius, qui Carthaginem cum exercitu intrauit.

Ioan. 16. Geneſ 35. Plin lib 7. cap 9.

DE mulierum autem in partu doloris hæc ſcribit Ariſtoteles libro 7. de Hiſtoria animalium capite 9. *Mulieribus cùm parturiunt, dolores multas quidem in partes incumbunt, ſed plurimis ad alterutrum femur. Cæterum quibus aluum tormina vehementer exercent, ocyſſime pariunt: quæ lumbos dolent, vix pariunt: quæ imũ ventrem, expeditius. Si mas naſcitur profluit ſanies diluta palli diuſcula: ſed ſi fœmina, cruenta: verùm ea quoque præhumida eſt, ſed fieri quoque poteſt, nonnullis, vt eorum accidat. Cæteris anima-*
D *libus partus non laborioſi eueniunt, minùs enim cum parturiunt, infeſtari videntur, at mulieribus dolores vehementiſſimi incidunt, & præcipuè ſtabilibus & ſellulariis, & quibus non bona latera ſunt, neque facultas retinendi ſpiritus ſuppetit: difficilius etiam edunt, ſi inter ea dum per vim retinent, coactæ eruperint reſpirationem. Primum aqua illa ſubter cutem fuſa, per fœtus motionem, ruptis membranis effluit: deinde fœtus inuerſo vtero, & ſecundis interna euoluentibus, foras venit in lucem.* Hæc Ariſtoteles.

Nõ vt hominis partus, ſic ceterorũ animalium eſſe laborioſos.

RESTAT illud explicandum, quod inter Euæ pœnas extremo loco ponitur, *Et ſub viri poteſtate eris, & ipſe dominabitur tui.* Fuiſſet etiã in ſtatu innocẽtię mulier ſub viri poteſtate, verũ nõ coactè, nec mole ſtè, nulláque voluntatis repugnantia: cùm enim mulier eſſet: integro

Quomodo pœna fuerit mulieris eſſe ſub viro, cum ita fuiſſet etiã in ſtatu innocentiæ.

animo,rectáque mente,non niſi quod erat honeſtum & rectum expetens, libens gaudénſque ſub imperio viri fuiſſet:quia id voluntati diuinæ,rationíque conſentaneum eſſe intelligebat. Imperium quoque viri fuiſſet plenum æquitatis atque caritatis: nec vxor habita eſſet vt ſerua & ancilla,ſed vt cariſſima vitæ ſocia, & conſiliorum atque officiorum mariti particeps, & ad generationem prolis, atque educationem adiutrix.Poſt peccatum autem grauis pœna eſt mulieri ſubeſſe viro:tum ob ingenij muliebris leuitatem atque vanitatem, animíque ſuperbiam iniquo animo maritum ſibi præeſſe ferentis: tum etiam quia plerumque viri vxores ſuas ſuperbè, iracundè, & aſperè tractantes: imperium eis ſuum oneroſum,acerbum, & odioſum faciunt. A

Varia lectio huiusloci.Hebræa ſunt ואל אשת תשוקתך *veeliſtcheth teſſchukatec.*

Beatvs Hieronymus in traditionibus Hebraicis in Geneſim, variam ponit horum verborum lectionem. Nam Septuaginta verterunt: *Et ad virum conuerſio tua:* Aquila, *Ad virum ſocietas tua*: Symmachus, *Ad virum appetitus,vel impetus tuus.* Certè Hebręa,ſi quis verbum pro verbo reddat,hoc ſonant, *Ad virum deſiderium vel concupiſcentia tua.* Atque harum lectionum hæc videtur ſententia:Quãuis in enixu prolis maximos perpeſſura ſis cruciatus:mox tamen,quaſi dolorum oblita,rurſus ad virum conuerteris,& congreſſum eius expetes,vt ex eo iterum concipias prolem.tanta,ſcilicet, eſt inſita mulieribus aut rabies libidinis,aut potius generandæ prolis cupiditas. Vel aliter poteſt hoc intelligi:Omnia tua optata,omnes cogitationes,& curæ,officiáque,ad virum tuum conuerſa erunt: videlicet illum ſpectabis,ex illius ſtudio,ſermone,nutúque tota pẽdebis.Fœmina enim cùm à viro accipiat victum, veſtitum, prolem, ac ferè omnia, quæ optare poteſt:velit nolit,ex viro pendere cogitur. B C

Verum illuſtrandus eſt hic locus de ſubiectione mulieris, ſub viri poteſtatem duabus egregiis ſententiis,vna B. Auguſtini, & altera Ruperti.In libro 11.de Geneſi ad literam capite 27.ſic habet Auguſtinus: *Videndum eſt quemadmodum propriè poſſit accipi illud,quod mulieri dictum eſt,Et ad virum conuerſio tua, & ipſe dominabitur tui. Neque enim & ante peccatum aliter fuiſſe decet credere, niſi vt vir mulieri dominaretur & ad eum ipſa ſeruiendo conuerteretur.Sed rectè acci poteſt, hanc ſeruitutem, ſignificatam, quæ cuiuſdã conditionis eſt potius quàm dilectionis: vt etiam ipſa talis ſeruitus, qua homines hominibus poſtea ſeruire cœperunt, de pœna peccati reperiatur exorta.Dixit quidem Paulus,* Per caritatem ſeruite inuicem:*ſed mulierem dominari in virum non permittit Apoſtolus: hoc enim viro potius Dei ſententia detulit,& maritum habere dominum,meruit mulieris non natura,ſed culpa:quod tamen niſi ſeruetur, deprauabitur amplius natura,& augebitur culpa.* Sic Auguſtinus.

Mulieris ſeruitus cõditionis potius eſt quàm dilectionis. Galat.5. 1.Timot.2.

Rupertus.

Rvpertvs verò lib.3.de operibus Trinitatis, c.21.putat,grauioris eſſe dominationis,vxorẽ eſſe ſub viro tanquã ſub domino,quã eſſe ſub viri poteſtate. Hoc enim modo ſcribit: *Sed adhuc rectè quæri poteſt, Quid illud ſit,mulierem ſub viri poteſtate eſſe,& virum mulieris Dominum*

A *num esse, quoniam vtrumque dixit,* Et sub viri potestate eris, & ipse dominabitur tui. *Ad hoc respondendum, valentioris esse dominationis, mulierē sub Domino, quam sub potestate viri esse. Nam & secundum Romanas leges, sub viri potestate est mulier antequam in manum viri conueniat: sub potestate, inquā viri verumtamen non tanquam Domini, sed tanquam tutoris, ita vt sine auctoritate eius, testamentum illi facere non liceat. Quæ autem in manu viri cōuenit multo magis quamdiu vixerit vir, testamentum illi sine viro facere non licebit: vnde & capite diminuta dicitur mulier, quæ in manum viri conuenit. Adeo apud Gentiles quoque, qui hanc Scripturam non legerant vel huius veri Dei præcepta non obseruabant: hæc lex naturaliter valuit, quam Dominus naturæ imposuit dicēs mulieri,* Et sub viri potestate eris, & ipse, dominabitur tui.

Viri in mulierē potestas quanta iure ciuili.

Fœminam viris imperare contra naturæ ordinē est.

B Qvaedam *tamen barbaræ nationes, sicut cætera ita & hunc naturæ ordinem confuderunt, vt mulier sine capite, id est, sine viro suo super viros ageret potestatem & dominium. Vnde & apud Romanum defensorem: mulier causam suam tuetur sic inter alia dicendo:*

Luc. lib. 10.

------- *Non vrbes prima tenebo*
Fœmina Niliacas: nullo discrimine sexus,
Reginam scit ferre Pharos.

Veruntamen non tam ius aut lex, quàm vsurpatio dicenda est. Rectè ergo non tantum dixit, Sub viri potestate eris: *nam & puerulus masculus sub viri: id est, tutoris potestate est: sed addidit.* Et ipse dominabitur tui: *scilicet, vt nūquam mulier libera sit de sub iugo viri, sed eius tam ætas quam conditio primū sub potestate viri tutoris, & deinde cùm in manu viri per legitimas coniugij tabulas venerit, sub Dominio viri sit. Verùm castis & fidelibus mulieribus, hanc*

C *tertiam pœnam benevolentia nullam, aut leuissimam efficit. & non solùm non obest, sed etiam laudi est. Propter quod & Petrus Apostolus mulieres ad subiectionem spontaneam cohortans dicit,* Similiter & mulieres subditæ sint viris suis. *Sic enim aliquando & sanctæ mulieres sperantes in Deo ornabant se subiectæ propriis viris, sicut Sara obediebat Abrahæ, Dominum eum vocās, &c.* Ita Rupertus.

2. Pet. 3.

Genes. 18.

VERS. 17. 18. & 19.

Adæ verò dixit. Quia audisti vocē vxoris tuæ, & comedisti de ligno, ex quo præceperam tibi ne comederes, maledicta terra in opere tuo: in laboribus comedes ex ea cūctis diebus vitæ tuæ: spinas & tribulos germinabit tibi, & comedes herbas terræ. In sudore vultus tui vesceris

D *pane tuo donec reuertaris in terram, de qua sumptus es, quia puluis es, & in puluerem reuerteris.*

HAnc Dei sententiam, vt iustissimam, ita verissimam & tunc Adamus, & deinceps omnis eius posteritas, perpetua eorū malorū quæ minatus est Deus perpensione cognouit, & sensit. Pro illo. *In opere tuo,* Hieronymus in traditionib. Hebraicis super Ge-

Hieronym.

nesim legit, *In operibus tuis:* quo etiam modo verterunt Septuaginta. A
Opera verò hic significari putauit Hieronymus, non ruris colendi, sed peccata. Vnde in Hebræo est, *Maledicta terra propter te*, Similiter habet etiam paraphrasis Chaldaica, itaque vertit Aquila, sed clarius id transtulit Theodotio, *Maledicta*, inquit, *terra in transgressione tua.* Verùm si sequamur historiam, hoc significatur his verbis, hominem colendo & operando terram, experturum eam sibi maledictam, id est, vtilium rerum sterilem: contrà verò inutilium & noxiarum feracem, nec quæ ad victum necessaria, sunt: sine magno labore & sudore hominis generãtem. In sacra enim Scriptura, vt vocabulum benedictionis copiam & abundãtiam bonorum significat: ita maledictionis, bonorum inopiam & sterilitatem, malorúmque & miseriarum copiam. B

Verba Hebraea sunt ארורת האדמה בעבורך *arurah haadamach baaburecha.*

Quomodo terra fuerit maledicta propter peccatum.

Nec putandum, naturalem terræ fertilitatem propter hominis peccatum, aut omnino demptam fuisse, aut diminutam: eodem modo se illa habuit ante & post hominis peccatum: sed propterea ita dictum est, quod ante peccatum non fuisset opus homini terram colere ad percipiendos fructus degendæ vitæ necessarios, aut certè sine labore & molestia fuisset culta. Etenim Paradisi terra, in qua versatus esset homo per se fertilissima, quæcumque ad hominis victum pertinuissent, spõte naturæ suppeditasset largissimè: post peccatum autem fœlicissimo Paradisi solo exterminatus homo, & multo magis quàm fuisset antea multiplicatus, omnésque per terras dispersus, ex multis & diuersis terris ac plerisque sterilibus, aut ægrè fructus optatos ferentibus, alimenta sibi petere coactus est. Ante peccatũ igitur etiam terra generabat tribulos & spinas, verùm non Adamo, sed aut brutis, aut ob plenitudinem & vniuersitatem specierum mundi. C

Falsa opinio Iosephi, Eugubini & Pelagianorũ de morte corporali. Iosephus li. 1. Antiquit.

Illvd quod sequitur, *Terra es & in terram reuerteris*, Apertè significat propter Adami peccatum, mortẽ homini accidisse. Quod nõ intellexit Iosephus hoc loco scribens, si Adamus non peccasset, futurã ei fuisse quàm longissimam vitam, tardissimámque senectutem: propter peccatum autem, & vitam fuisse diminutam, maturatámque senectutem: quæ multis post sæculis hæresis fuit Pelagianorum affirmantium mortem esse naturalem homini, non autem ortam ex peccato Adamúmque, licet non peccasset, nihilominus tamen fuisse moriturum. In quam sententiam iuit quoque Eugubinus in libro suarum Annotationum super Genesim in digressione de Paradiso. Verùm ea opinio errorem continet manifestè contrarium diuinæ Scripturæ, tradenti, tum in libro Sapientiæ capite secundo, tum etiam ad Romanos capite quinto, Deum fecisse hominem inexterminabilem, mortem verò propter peccatum & inuidiam diaboli inuasisse genus humanum: damnatũ etiam ab Ecclesia & nuper in Cõcilio Tridentino sessione quinta de peccato originali, & olim in Cõcilio Mileuitano capite primo: refutatũ quoque ab Aug. lib. 13. de Ciuitate Dei ca. 15. vbi ait, *inter Christianos qui veraciter Catholicam fidem tenent cõstare etiam* D

Conc. Trid. Concilii Mileuitanum.

A *re: etiam ipsam corporis mortem non contigisse nobis lege naturæ, sed meritò inflictam esse lege peccati, quia peccatum vindicans Deus dixit primo homini, in quo tunc omnes eramus, Terra es, & in terram ibis.* Et alias quidem supradictas pœnas quidam vel in totum, vel certè maximam partẽ effugiũt: vt qui in labore hominum non sunt, & cũ hominibus non flagellantur. At verò pœna mortis communiter & æqualiter tenentur omnes: *Psalm. 70.*

Mors enim, vt ille dixit Poëta, *æquo pulsat pede pauperum tabernas Regúmque turres.* *Hor. lib. 1. Caminum.*

VERVM licet mors pœna fuerit peccati, fuit tamen ea maximè vtilis & salutaris: ne & malitia & miseria hominis fieret immortalis: & vt metus impendentis mortis, & à male agendo reuocaret, & sollicitaret ad benè agendum. Non equidem committam, vt non memo-

B rem hoc loco præclaram Ruperti sententiam, fuisse homini post peccatum vtilissimam, qua mulctatus à Deo est, mortis pœnam, graui & diserta oratione demonstrantis. Sic enim scribit in libro tertio de Trinitate & eius operibus c. 24. & 25. hunc ipsum in quo versamur Mosis locum pertractans: *Saltem hæc mortis plaga superbiam cineris domare, & redigendas in lutum ceruices quandoque flectere habebat, Iam antea quidem miser homo verè mortuus, quia Deo mortuus erat, scilicet morte peccati, quæ animam à Deo separat, Dixit autem Deus*, quia in quocunque die comederis ex eo, morte morieris. *At ille repenti petulantia carnis delibutus, eius mortis amaritudinem non sentiebat: quemadmodum & nos hodie,* *Egregia Ruperti sententia, quod post peccatũ fuerit homini vtilissimum, obnoxium esse morti.*

C *cum tam multos quotidie carne quoque morientes videamus, lasciuiente adhuc sanguine iocamur ac ridemus: iamque gaudiis æternis priuati, & mox temporalibus quoque priuandi, tamen læti sumus. Quid si numquam carne morituri essemus? Quomodo animæ mortem, & futurum in fine sæculi iudicium surdis auribus præteriremus, qui cras morituri hodiéque, superbimus? Quid inquam, si interim dum viuimus absque laboribus, & absque sudore vultus sui omnis homo pane suo vesceretur, cùm semper in sollicitudine famis, & alternãte diuersarum rerum penuria, præterea de imminente morte nobis semper incertis: tamen adhuc semetipsam caro nostra præ superbia nesciat, & libidinibus diffluat?*

BENE ergo Deus bonus, ne malam mortem animæ suæ homo nesciret, & securus vsque ad vltimi iudicij diluculum in suis voluptatibus dormiret, *morte carnis illum percellit: vt saltem eius instantis metu aliquis euigilet. Et*

D *interim quia saturitas panis & otium, istam quoque posset abolere sollicitudinem: voluit illum non sine laboribus & sudore vultus sui vesci pane suo: quin- etiam fortiter laborãtem, nonnunquam sterilibus annis magna ex parte priuari fructu suo. Hoc non inutile homini esse, adeo verum est, vt Gentilium quoque Poëta eximius dicat.* *Vtile esse hominem laboribus exerceri.*

----- Pater ipse colendi *Vir. 1. Geo.*
Haud facilem esse viam voluit, primúsque per artem
Mouit agros, curis acuens mortalia corda,
Nec torpore graui passus sua regna veterno.

INVTILEM testatus est esse regno, quem Iouem esse dicebat, torporem

porem vel otium, quamuis vt pote Gentilis prætereat, quod ex otio nascitur pec- A
Eccle 33. catum. Qui tamen gloriabundus, alio loco & cuiusdam infantuli adulatoriis vacans blanditiis, pro magna felicitate spontaneas diuitias inter cætera promittit.

Virgil. Egl. 4.
Molli paulatim flauescet campus arista,
Incultisque rubens pendebit sentibus vua,
Et duræ quercus sudabunt roscida mella, Et reliqua.

SED non mirum de hoc nullius bonæ professionis homine ethnico, cùm & plerique nominis Christiani professores fuerint, qui non ignorantes saturitatem
Ezech. 16. Hæc sumpta sunt ex Hieronymo in Matthæum capite 19. panis & otium, peccatum fuisse Sodomorum, mille annos Christo futuros esse prædicauerunt, dicentes, tunc nobis centupla omnium rerum quas dimisimus, carnaliter esse reddenda: non recogitantes, quod si in cæteris digna sit retributio, in vxoribus appareat turpitudo, vt qui vnam pro Domino dimiserit, centum B
recipiat in futuro. Et capite sequenti: *Igitur non iratæ iustitiæ sed miserantis est gratiæ, quod vitiatum hominem, Deus mortalem esse, & interim dum viuit in laboribus pane suo vesci voluit, vt videlicet antequam veniret dies iudicij, quo cum peccatore antiquo damnandi sunt omnes iniqui, resipiscant aliqui laboribus & doloribus tandémque ipsa morte eruditi, quatenus vel sola vexatio*
Esaiæ 28. Deus est misericors in eo quod diu nos viuere non sinit. *det intellectum auditui. Quod Gentilium quoque quidam philosophus Plotinus sentiens, & rationabiliter vtilem esse arbitratus hominibus mortalitatem, Tunc Pater,* inquit, *misericors mortalia illis condebat corpora. Adeo hoc expedire persensit, vt Deum in eo misericordem assereret, quod homines mortales esse voluit. Porrò illorum, qui nec tantis paternæ disciplinæ verberibus afflicti resipiscunt damnatio iustæ est, quia culpa inexcusabilis est. Quid enim vltra faciat*
Esaiæ 1. *Deus, vt eos à malis coerceat?* Super quo, inquit, percutiã vos vltra, addẽtes præuaricationem? Terra vestra deserta, & ciuitates vestræ succẽsæ igni: Regionem vestram corã vobis alieni deuorant, & desolabitur sicut in vastitate hostili: *Hæc cùm per Prophetã dicit, profectò illud patenter innuit, quod & vniuersum genus humanum & ipsa tandẽ morte percusserit, vt non, sicut immortalis diabolus, adderent præuaricationem, sed potiùs ab antiqua præuaricationis superbia per humilitatem pœnitentiæ refugerent.* C

AD *hoc valet & illud, quod eiusdem mortis diem vel horam homini incognitam*
Matth. 25. *esse voluit, vt dum nescitur quando sit, quæ sine dubio futura est; semper sollicitum reddat, semperque suspectum superbire non sinat. Dixit enim indefinitè, Donec reuertaris in terram, de qua sumptus es: & non dixit, vsque* D
ad tot annos, vel tot dies, quibus transactis statim reuerteris in terram de qua sumptus es. Ita ergo viuere hominem voluit, quasi altera die iudicandum, & rationem de propriis factis redditurum. Et vide quàm terribiliter hominem, qui existimauit iniquè quod esset Deo similis, arguat, & statuat eum contra faciem suam dicendo, Quia puluis es, & in puluerem reuerteris. Huius sententiæ percussionem adeo natura sentit, vt hominibus antiquitus in summa afflictione pro maximo doloris instrumento capita cinere aspergere solenne fuerit. Verùm hæc propriæ conditionis recordatio, tunc vtiliter se aperit, cum ex sapienti humilitate procedit, iuxta exemplum patris Abrahæ dicentis, Loquar ad Domi-

num

A *num meum, cum sim puluis & cinis. Cùm enim hæc humiliter nos recordamur, misericorditer & ipse recordatur, sicut scriptum est*, Quomodo miseretur pater filiorum, misertus est Dominus timentibus se, quoniã ipse cognouit figmentum nostrum, & recordatus est quoniã puluis sumus. Hucúsque sunt aurea planè verba Ruperti. *Genes.18. Psal.102.*

Et vocauit Adam nomen vxoris suæ Eua, eo quod mater esset cunctorum viuentium.

B NOMEN Euæ tam apud Græcos, quàm apud Latinos corruptè legitur: nec ea vox capit etymologiam quam tradit hoc loco diuina Scriptura. Quapropter dicẽdũ est pro Eua, חוה *Chauàh*: ducitur enim à חי *Chai*, quod significat viuentem vel animalem. Ponitur autem, חוה *Chauuàh*, pro *Chaiàh*: nam ratio nominis est, quia ipsa erat futura mater omnium viuentium: חוה *Chauuàh* autem non significat viuere, sed nunciare, חיה *Chaiàh*, verò significat viuere, & litteræ, א,ח,ו,י, A,E,V,I, sunt ad inuicẽ permutabiles, vt ex grãmatica cõstat. Atque huius nominis corruptela apud Latinos fecit, vt multi dixerint, *Aue* dictũ esse ab, *Eua*, per inuersionem litterarum: obidque Gabrielem archangelum, Deiparam virginem salutando, dixisse ei, *Aue*, quasi ea mundo latura esset bona planè contraria iis malis, quę inuexerat Eua. *De Etymologia nominis Euæ.*

C NON satis liquet an hæc impositio nominis præpostero ordine narretur à Mose, sitque id nominis impositum vxori ab Adamo vel ante peccatum, vel postquam è paradiso sunt eiecti: non enim verisimile fit, cùm Adamus iudicio Dei vehementer premeretur, inter medias pœnas & flagella, amariſſimámque mortis denunciationem, quasi tranquillo & vacuo animo, de imponendo nomine vxori cogitasse. Nec desunt qui existiment, Adamum ingenti dolore obstupefactum, quod tantis bonis spoliatus esset, tantísque malis mortíque malorum omnium extremo addictus, vxorem suam eorum malorum auctorem & mortis causam, ceu per amarum quemdam iocum acerbámque ironiam appellasse Matrem viuentium: quemadmodum Græci furias infernales appellant Eumenides, id est, faciles ac mites, à contrario nempe, quippe cùm sint duræ & inexorabiles. Illa verba, *Quod esset Mater cunctorum viuentium*, sunt ipsius Mosis: & illud *Esset*, dictum est, pro futura esset. Eugubinus ridet Lyranum, interpretantem nomen Euæ tamquam significans matrẽ omnium, non simpliciter, sed ærumnosè ac miserè viuentium. Sunt qui opinentur, sic vxorem suam appellasse Adamum, habito respectu ad vẽturum Messiam, à quo solo peccati sui remedium expectabat, qui nasciturus erat ex sola muliere sine cõmixtione viri: & iccirco mulier dicta est Mater omnium viuentium, non autem Adam dictus *Quando nomen Euæ sit impositũ primæ mulieri.* *Cur Eua non Adamus mater omniũ viuentium dicta sit.*

ctus & Pater omnium viuentium. A

Mirabilis, sed non probabilis, Ruperti sententia.

Plus meo iudicio nouitatis & admirationis habet quàm fidei quę est apud Rupertum in capite 26. libri tertij de Trinitate & eius operibus, horum verborum interpretatio & sententia. Censet enim Rupertus, Adamum ex ingenti superbia, animíque peruicacia, hanc diuinam sententiam mortis aduersum se pronuntiatam aut minimè credentem, aut paruipendentem, appellasse vxorem suam matrem viuentium: quasi diceret, Nec timeo mortem: quinimo & me victurum credo nihilominus, quàm si non peccassem: & idcirco vxorem meam appellari Euam volo, quod futura sit mater viuentium. Sed audiat Lector Rupertum suis ipsum verbis sententiam hanc explicãtem. *Quid*, ait, *insanius, quàm in illo talis causæ iudicio illam nuncupare* B *Euã, id est, vitã quæ vitam in se non habebat: eámq; dicere matrem cunctorum viuentium, quæ, quæ potius mater est cunctorum morientium? omnes enim in peccato eius moriuntur, & nemo filiorum viuit, nisi qui per vnum hominem Christum viuificantur. Mirabile itaque est, quòd vbi mortis corporeæ sententia ferebatur, iam spirituali morte mortuus, & postea corporali etiam moriturus, illic vxorem suam Euam, id est, vitam appellauit. Igitur cùm hoc narrauit Moses, Adamum accepta mortis sententia vxorem suam appellasse nomine vitæ, hoc proculdubio significare voluit. Quemadmodum superius dicenti Deo, In quocumque die comederis ex hoc ligno, morte morieris, non credidit, sed comedit: quia mulierem quæ prior comederat, non statim corporaliter mortuam esse vidit: Sic & nunc dicenti Deo, Quia puluis es, & in puluerem reuerteris, adeo non credidit, vt è contrario vocaret nomen vxoris suæ Euam, id est, vitam,* C *eò quod mater esse cunctorum viuentium.* Sic Rupertus.

VER. 21. *Fecit quoque Dominus Deus Adæ & vxori eius tunicas pelliceas, & induit eos.*

Quales fuerint, & quo modo confectæ illæ tunicæ pelliceæ.

SVPER his verbis: primum, quales fuerint illæ tunicæ pelliceæ, & quomodo confectæ: deinde cur eiusmodi tunicis Deus primos illos homines induere voluerit: in præsentia disputandum est. Origenes in cõmentariis suis super Genesim, vt de eo referũt Methodius & Epi- D phanius in Ancorato, quod dicitur de tunicis pelliceis, id non propriè, sed metaphoricè, ac figuratè intelligendum esse censuit. Significari autem, primos homines post peccatum corpore mortali ac fragili, & innumeris malis atque miseriis obnoxio fuisse indutos. Ridiculum enim esse, existimate Deum quasi sutorem quemdam vel coriarium, decoriatis mortuis animantibus, pelles eorum inhumanarum vestium vsum aptasse, atque concinnasse. Similis est Gregorij Nysseni, & aliorum quorundã interpretatio. Verùm hi si putẽt, hanc esse Mosis germanam & historicam verborum sententiam, sine dubitatione falsos eos esse dixerim. Est enim huius loci, vt superiorum

Tunicas pelliceas propriè esse intelligẽdas.

A rum rerum historica narratio: ob idque, vt ipsa verba sonant, sic accipienda est. Nec mirum videri debet Deum homini vestes comparasse, cùm cibum ei certum etiam præstituerit, atque assignauerit. Quin ipse Origenes homilia 6. in Leuiticum intellexisse videtur, illas fuisse veras tunicas pelliceas, idoneas scilicet vestiendis peccatoribus, vt quæ mortalitatis cui propter peccatũ fuerat homo subiectus, & fragilitatis quæ ex carnis corruptela oritur, indices ac testes essent. *Genes. 1.*

AVGVST. 39. capite libri 11. de Genesi ad litteram, quæ scripta sunt de tunicis pelliceis, historicè dicta, & intelligenda arbitratur: quamquam illud ad figurandum, & significandum aliquid factum scriptúmque fuerit. Sic enim ait: *Et hoc, de tunicis scilicet pelliceis, significationis gratia factum est, sed tamen factum: sicut illa quæ significationis gratia dicta sunt, sed dicta tamen sunt. Hoc enim, quod sæpe dixi, nec me sæpius piget dicere, à narratore rerum propriè gestarum exigendum est. vt ea narret facta esse, quæ facta sunt: & ea dicta esse, quæ dicta sunt. Sicut autem in factis quæritur quid factum sit, & quid significet: ita & in verbis quid dictum sit, & quid significet. Siue enim figuratè, siue propriè dictum sit, quod dictum esse narratur, dictum tamen esse, non debet putari figuratum.* *Vestes pelliceæ & veræ fuerunt, & aliquid significauerunt.*

B

SED vnde aut quomodo illæ vestes confectæ sunt? Existimant nonnulli, illas vestes ex pellibus animalium non esse factas, sed ex arborum corticibus aptatis ad vestium humanarum compositionem & vsum, rationem eas conficiendi Deo primis illis hominibus sug-

C gerente. Huius sententiæ auctorẽ Barcephas in libro suo de Paradiso laudat Gregoriũ Nazianzenũ: cuius etiã probatores, defensoresq; fuere Theodorus Heracleæ, & Gennadius Constantinopoleos Episcopi. Verùm, vt vulgatior ita probabilior est opinio, fuisse vestes ex animalium pellibus confectas. nusquam enim in Scriptura vocabulum Hebræum, quod est hoc loco significat corticẽ arboris, sed vbique pellem animalis. Nec est curiosius disquirendum, quomodo factæ sint vestes: fieri enim potuerunt vel ex nihilo, vel ex aliqua materia subitò Dei potẽtia cõmutata in pelles, vel cæsis animalibus detractæ pelles, ad formam & vsum vestium accommodari potuerunt. *Vocabulum Hebraum est* עור *or. Quo modo pelles factæ sunt.*

NAM quod Theodoretus huic obiicit interpretationi, non po-

D tuisse id fieri sine interitu alicuius speciei animantium: bina enim tãtùm in vnaquaque specie animalium vnum scilicet marẽ, vnamq; fœminam fuisse in exordio mundi à Deo creata, vt ipse putat, nec verũ est, nec verisimile, nec potest probari ex diuina Scriptura. quin potius multa secundũ quamq; speciẽ vtriusq; sexus animalia esse facta. magis consentaneũ rationi est, & à nobis superioribus libris demonstratum Quidnam verò Theodoretus senserit de vestibus illis pelliceis, si lector etiã cum cura legat ac perpendat, quæ ab eo trigesimã nonam quæstionem in Genesim explicante scripta sunt, vix diuinare poterit: adeò verba eius obscura & in ambiguum implicata sunt. Varias narrat, miscétque, atque confundit sententias, easdémque *Theodoretus quæst. 39. in Genesim.*

primum quidem probans, mox improbans, tandémque nec probans nec improbans, sed in medio & incerto relinquens. Hugo S. Victoris interpretatur factas esse illas tunicas, vel ex elementis vel ministerio Angelorum, vel Deum docuisse primos illos homines rationem cóparandi sibi vestes ex pellibus animalium.

Rupertus. RVPERTVS, illud, *Fecit*, dictum credit pro eo quod est, iussit fieri ab illis, fecitq; potestatem cædendi animalia, si non ad victum, saltem ad vestitum, declarauitq; facto propter peccatum humano corpore fragili admodum & patibili, ipsis extra Paradisum habituris, eiusmodi vestibus opus esse. Ad hunc autem modum verba hęc Mosis tractans Rupertus, scribit li. 3. de Trinitate & eius operibus. c. 27.

Origenis error. *Et hoc leuiter dictum, ac pœnè risui proximum videtur, quod Dominus Deus tunicas pelliceas fecerit Adæ, & vxori eius. Nec enim eiusdem dignitatis est, detractas mortuis animantibus pelliculas consuere, & tunicas facere, cuius sunt ea, quæ hactenus de Domino Deo dicta sunt. Verbi gratia, cœlum sicut pellẽ extendere, terram fundare, solem, lunam, & stellas in firmamento ponere, postremò ipsorum animantium, quorum pelliculæ sunt, naturas condere. Vnde & nõnulli hoc opificium Deo adscribere in tantùm refugerunt, vt dicerent tunc primum corpora illis facta esse, & idcirco pro corporibus tunicas pelliceas esse dictas, quia sicut nunc tunicis vestiuntur corpora, sic tunc Deus propter peccatũ corporibus vestierit animas. Sed hic error omni irrisione dignus, iamdudũ explosus est. Melius sapere oportet, terrena corpora quasdam quidem esse animarum tunicas: verumtamen ipsa prius esse facta, quàm animas, sic enim supra-*

Secundũ Rupertum, prius formatum est corpus primi hominis quã creata sit anima. *scriptum est, quia prius* formauit Dominus Deus hominem de limo terræ, *& deinde* inspirauit in faciem eius spiraculum vitæ.

Genes. 2. QVID *ergo inquis, Nunquid Dominus Deus sutor, aut pellifex erat, & impensa artis opera tunicas fecit pelliceas? Fecit vtique tunicas pelliceas, quia sic præsens testatur Scriptura: non tamen cogit nos confiteri, quod eo modo quẽ rideant, sed eo modo quem fiere debeant omnes tunicati, fecerit illas. Fecit enim, id est, faciendi necessitatem illis imposuit. Talia quippè támque misera propter peccatum corpora esse voluit, quæ sine tunicis pelliceis durare non possint. Et notandum, quod non qualescúmque tunicas, sed tunicas fecit illis pelliceas: hoc optimè dictum est. Nec enim solum modo ob libidinem turpia, vel pudenda, sed etiam ad patientiam frigoris infirma sunt nuda sexus vtriusque corpora. Benè ergo non tãtùm tunicas, sed tunicas pelliceas illis fecisse dicitur Dominus Deus: quia iustè talia voluit illorum esse corpora, quæ non sólùm tegi propter turpitudinem, sed etiam calesieri opus esset propter infirmitatem. Habes itáque duo miseriæ solatia, cum labore & indigentia homini proposita, victum scilicet & vestitum. Victum, vbi paulò ante dixit,* In sudore vultus tui vesceris pane tuo: *Vestitum, vbi nunc dictum est,* Fecit quoque Dominus Deus Adæ & vxori eius tunicas pelliceas, & induit eos. Hæc Rupertus.

De antiquissimo vsu vestitus hominũ ex pellibus. EX HOC loco diuinę Scripturę liquidò intelligitur, primas vestes hominũ fuisse pelliceas, earumq; vsum multis sæculis durasse, quoad scilicet ars ex lana linóque conficiendi vestes inuenta est. Fabulæ igitur sunt, quod libro 5. ex disciplina sui Epicuri scripsit Lucretius

A tius,primæuos homines nudis fuisse corporibus, nec nisi longo post tempore vestibus vti cœpisse. Versus eius sic habent, *Refellitur Lucretius.*

Nec dum res igni scibant tractare,neque vti
Pellibus,& spoliis corpus vestire ferarum.
Sed nemora atque cauos montes syluásque colebant,
Et frutices inter condebant squallida membra,
Verbera ventorum vitare,imbrésque coacti.

Vetustissimi sane mortalium,vt Plato inquit in Protagora,cædebant animalia, non vt eorum carnib.tantùm vescerentur, verumetiam vt pellib.eorum tegerentur. Cicero quidem certè in 1.Tusculana,quadruplicem agnoscit vsum bestiarum,propter quem bestiæ hominum causa creatę sunt à Deo:partim,scilicet ad vescendũ,partim ad cultus
B agrorum, partim ad vehendum, partim denique ad corpora vestienda. Strabo lib. 15. tradit apud Indos fuisse Philosophos, qui ceruorum damarúmque pellib. tegerentur:quam etiam ob causam Scythæ olim dicti sunt pelliti,vt videre est apud Hieronymum in Epitaphio ad Nepotianum. Hoc item nomine primos illos Romanæ curiæ Senatores,tantíque conditores imperij, appellat Propertius his versib.

Curia,prætexto quæ nunc nitet alta Senatu, *Pelliti Senatores cur dicti*
Pellitos habuit,rustica corda,Patres.

Fuit prætereà hic habitus pelliceus quondam in populo Dei magnæ venerationis, quòd eo viri pietate, sanctitateque perquam insig-
C nes vsi sint, vt de Elia & Ioanne Baptista proditum est in sacris litteris:ac de his,aliisque sanctissimis viris loquens Paulus ad Hebr.11. *Circuierunt*,inquit,*in melotis,& in pellibus caprinis.* *4.Reg.4. Matth.3.*

SEQVITVR vt aperiamus cur Deus tunicis pelliceis primos homines post peccatum induere voluerit. Multiplex profecto eius rei causa & ratio afferri potest. PRIMA causa fuit:vt sic verecundiæ & continentiæ consuleretur, siquidem nuditas corporis, homini non insano, maximè pudenda est,& aspectus nudi corporis magna est libidinis illecebra. ALTERA causa:facti primi homines propter peccatum morti omnibúsque iniuriis cœli, multísque ærumnis & incómodis obnoxij,moxque eiiciendi ex Paradiso,præmuniuntur ac proteguntur eiusmodi vestibus aduersus intemperiem cœli, sub quo
D deinceps victuri erant. TERTIA causa:vt ostenderet in posterũ fore ipsis licitum occidere animalia,si non ad esum, qui ante diluuium non fuit hominib.vsitatus,certè ad vsum vestium ex eorum pellib. *De octo causis, cur Deus primos homines post peccatum vesturi tunicis pelliceis voluerit.*

QVARTA CAVSA: vt demonstraret Deus, ipsos etiam peccatores, & Paradisi extorres, non orbatum tamen iri sua prouidentia & cura, quantum ad ea quæ necessaria ipsis essent ad victum & vestitum. Non enim propter peccatum, quæ naturalia sunt, adimuntur homini: nec generalia, & naturalia diuinæ prouidentiæ beneficia,& auxilia peccatoribus subtrahuntur. Deus enim, vt Dominus dixit in Euangelio, *Solem suum oriri facit super bonos & malos, & pluit super iustos & iniustos.* Et infrà: *Nolite soliciti esse, dicentes, Quid man-* *Matth.5.*

ducabimus,aut quid bibemus, aut quo operiemur? scit enim Pater vester quia A
his omnibus indigetis. Et Paulus Actor.14. cum dixisset Deum in præteritis generationibus dimisisse, omnes gentes ingredi vias suas, proximè subiecit: *Et quidem non sine testimonio semetipsum reliquit, benefaciens de cœlo, dans pluuias, & tempora fructifera, implens cibo, & lætitia corda nostra.*

QVINTA causa fuit hæc: tribuens enim primis hominib. Deus vestes non sericas, nec purpureas, nec molles, aut delicatas, sed pelliceas: significauit qualis vestitus probo & honesto viro comparandus sit: scilicet qui non ad luxum, molliciem, & superbiam faciat, sed protegendo tuendóq; corpori sufficiat. SEXTA causa: vt declararet B
quantò meliùs ipse hoc vestitu pelliceo Adamum contexerit & vestierit, quàm Adamus amictu ficulneo seipsum velare & obtegere voluerit. Ille enim vestitus ex ficulneis foliis, nec benè corpori poterat applicari, nec eius nuditatē vsquequaq; protegebat, nec ab iniuriis & incommodis externis satis defendebat, nec ipsum corpus fouebat. quin, pungendo carnem, molestiam, & dolorem afferebat: qui vt fuisset bonus & commodus, attamen quia fragilis, & facile dissolubilis erat, diuturnus esse non poterat. Quo licet intelligere, quam sint infirma, caduca, nulliúsq; auxilij, quæ sibi ex reb. terrenis homines arcessunt, & asciscunt præsidia, atq; solatia. Vestitus autem pelliceus, quo Deus primos homines induit, planè contraria illi vestitui ficulneo præstabat homini. SEPTIMA causa: voluit Deus eo vesti- C
tu indicare, quemadmodum Adamus, & quiuis peccatorum nuditatem animæ suæ, ac fœditatē peccari obtegere deberet. Etenim pelles mortuorum animalium figurabant virtutē pœnitētiæ, per quam moriendum est peccatis, omnesq; carnales, & terrenæ cupiditates spiritus vigore perdomandæ, ac mortificandæ sunt. Sola enim pœnitentia ritè peracta, idoneum potest esse peccatorum integumentum, de quo licet intelligere illud quod dixit Dauid: *Beati quorū remissæ sunt iniquitates, & quorum tecta sunt peccata.* Sic profectò res habet: fracta innocentiæ naui, factoq; naufragio, vnica tantum superest homini tabula pœnitentiæ, qua confestim arrepta mordicusq; retēta, peccator horrendam Dei vindictam æternáque inferni supplicia possit euadere. D

Psalm.31.

Pœnitentia vnica post naufragium tabula.

OCTAVA causa: vt sic vestitus primus Adamus, velut figura
Hebr 7. quædam esset secundi Adami Domini nostri Iesu Christi, qui cùm esset sanctus, innocens impollutus, segregatus à peccatoribus & excelsior cœlis factus: indui tamen voluit pellibus mortuorum animalium, id est, vestiri peccatis nostris, habitu inuentus, vt homo, & in si-
Philip.2. militudinem carnis peccati factus. Itaque tamquam Iacob pellibus
Genes.27. Esau vestitus, à Deo Patre benedictionem nobis obtinuit, & quod Adamo per ironiam dixit Deus: *Ecce Adam quasi vnus ex nobis factus est, sciens bonum, & malum:* id verissimè in eum, quà homo erat, dici potuit. Ille enim homo per vnionem personalem naturæ humanæ cum Verbo, factus est quasi vnus ex diuinis personis, id est, Filius Dei. Nec

Christus quasi vnus ex diuinis personis factus est.

ilia

A illa particula *Quasi*, veritatem rei minuit, sed declarat. sicut alio loco dicitur, *Vidimus gloriam eius, gloriam quasi vnigeniti à Patre*: Nec illud, *Sciens bonum & malum.* ad hanc interpretationem non aptissimè quadrat: de Christo enim prædixerat Isaias, *Butyrum & mel comedet, vt sciat reprobare malum, & eligere bonum. Tentatus enim per omnia est pro similitudine, absque peccato.* *Ioan.1. Esaiæ.7. Hebræ 4.*

Et ait, Ecce Adam quasi vnus ex nobis factus est, sciens bonum & malum. VERS. 22.

B HOC FERE Interpretes censent dictum esse à Deo per ironiam, vt intelligeretur quanta irrisione & ludibrio dignus sit peccator. Vnde Prouerb.ca.1. dicit Deus peccatoribus. *Ego quoque in interitu vestro ridebo, & subsannabo, cùm vobis id quod timebatis euenerit.* Neque verò volunt aliqui ex his verbis Dei posse concludi, Adamum concupiuisse & affectasse Dei æqualitatem: sic enim is stultissimo & impiissimo opinionis errore seductus esset: seductum autem eum fuisse, prima Epistola ad Timoth. cap. 2. negat Paulus. Verùm hac de re diligenter à nobis suprà in hoc ipso libro disputatum est. Quocirca hæc Dei verba referri existimant, vel ad redarguendam Euæ stultitiam & vaecordiam, illam Dei æqualitatem sibi maritóque sperantis: vel ad demonstrandum quàm mendax, & fallax fuerit serpẽs, id eis promittẽs. At enim videtur Augustinus ea Dei verba præcipuè ad Adamum referre: siquidem ea lib. 11. de Genesi ad litteram cap. 39. explanans, sic

C ait: *Hoc*, inquit, *non aliter intelligendum est, nisi vt propter Trinitatem numerus pluralis accipiatur, sicut prius dictum est*, Faciamus hominem. *& Dominus de se & Patre suo ait*, Ad eum veniemus, & mansionem apud eum faciemus: *Replicatum igitur est in caput superbi, quo exitu concupierit, quod dictum est à serpente*, Eritis sicut Dij: *Ecce*, inquit, *Adam factus est quasi vnus ex nobis. Verba sunt hæc Dei non tam huic insultantis, quam cæteros ne ita superbiant, deterrentis, propter quos ista conscripta sunt. Quid enim aliud intelligendum est, nisi exemplum timoris incutiendi esse propositum quod non solùm non fuerit factus, qualis esse voluit, sed nec illud quod factus fuerat, conseruauit.* Hæc Augustinus. *Trinitas personarum vt sit hic designata. Ioan.14.*

D ILLVD autem, *Quasi vnus ex nobis factus est.* Hieronymus Oleaster, deliramenta Hebræorũ potius, quã verissimas & à S. Patrib. suggestu incitatuq; Spiritus sancti proditas interpretationes secutus, non ad Trinitatẽ diuinarũ personatũ referẽdũ putat: sed vel ad Angelos, quib. Deus ea verba dixerit, vel vt Deus secum locurus sit more magnatum & summorum Principum, qui maioris auctoritatis & maiestatis exprimendæ causa, numero plurali de se ipsi loquuntur. Sed hoc absurdũ & ridiculũ cõmentũ est, & à nobis supra li.4 cũ in illorũ verborũ, *Faciamus hominẽ ad imaginẽ & similitudinẽ nostram*, tractationẽ versaremur, satis confutatũ. Incongruũ profecto erat, Deiq; maiestate valdè alienum, Angelis, qui eius sunt ministri & serui, quasi sodalib. suis, & *Refellitur Oleaster.*

æqual

æqualis conditionis, eiusdémque dignitatis, auctoritatis, & maiestatis consortibus dixisse, *Ecce Adam quasi vnus ex nobis factus est.* A

Per Ironiam Dei verba dicta sunt.

ERGO illa verba per ironiam dicta, videntur eam reddere sententiam: scilicet, Adamus magnificis serpentis & vxoris credens promissis, post esum fructus vetiti factus est tamquam vnus ex nobis: ideſt, Factus est omnipotens, vt sum ego Deus Pater: aut omniscius & sapiens, vt est Filius meus vnigenitus: aut omnino bonus, purus, & sanctus, vti est, qui ex me & Filio meo pariter procedit Spiritus sanctus. Aut factus est sua vi, & natura immortalis, ex nullo pendens, nullius egens, & per se beatus, vti nos sumus, vnus in personarum Trinitate Deus.

Rupertus.

VERVM explanationem horum verborum à Ruperto traditam libro tertio Commentariorum eius in Genesim capite 28. quia existimaui placituram lectoti, hoc loco adscribendam duxi. Sic autem inquit: *Ita demum iam spiritualiter homine mortuo, & corporaliter morituro, victus quoque pariter & vestitus indigente facto, idem Dominus Deus exclamat,* Ecce Adam quasi vnus ex nobis factus est, sciens bonū & malum. *Ecce, quod est ostendentis aduerbium, cùm dicit Dominus Deus, magnum in præsenti fragorem incutit cunctis aures audiendi habentibus, Quid enim ostendit:* Adam, *inquit,* quasi vnus ex nobis factus est. *In Adam, quod interpretatur terrenus, virum simul & mulierem intellige, quia viri pariter & mulieris commune nomen est, sicut iam dictū est. Quid est,* Quasi vnus ex nobis factus est? *quasi Deus factus est. Eadē enim Trinitas hic loquitur, quæ & superius locuta est pluraliter ad semetipsam dicendo,* Faciamus hominē ad imaginē & similitudinē nostram. *Eadē, inquam, Trinitas hic ostendit, qualis Adam vitio suo factus sit, quæ supra proposuerat, qualem illum facere voluerit. Dicit ergo,* Quasi vnus ex nobis: *nēpe, ex tribus personis Trinitatis,* vnus est Pater, vnus est Filius, vnus est Spiritus sanctus: Et hi tres vnū sunt. *Alius est enim Pater, alius Filius, alius Spiritus sanctus. Adam ergo,* inquit, *Dominus Deus,* quasi vnus ex nobis factus est, *vt iā non simus nos Trinitas, sed Quaternitas: quamquā non cum Deo Deus, sed contra Deum affectauerit esse Deus.* B C D

Tres Trinitatis personæ.

1. Ioan. 4.

Grauissima hæc, more Domini Dei, & acerba nimis ironia est. Quis enim, vel qualis Adā: Adā in anima iam mortuus & corpore quoq; in breui moriturus, indigens victu, & necessario coopertus, atque cooperiendus vestitu. Sed enim quilibet ex nobis, siue Pater, siue Filius siue Spiritus sanctus, neq; mortuus est, neque morietur, neque propter famē victu, neque propter turpitudinem, aut frigus, indiget vestitu. Ergo non verè, sed ironicè dictum, aut dicendū est, quia hic talis, quasi vnus ex nobis factus est, & cū tali ironia irridendus est. Videlicet, quia stultè & superbe fallacissimo diabolo credidit dicenti, Et eritis sicut dij: *Ecce quomodo sicut Deus, vel quasi vnus ex nobis factus est: quomodo sciēs bonum & malum factus est. Non quomodo ipse sperauit, sed sic factū est istud quomodo deceptor voluit. Non scit bonū & malum: quomodo omniū prospiciens Deus, sed iam expertus bonum, sic nunc experitur & malum, quomodo non Deus. Hoc modo quasi affirmatiua enunciatione dictum, grauitate dicentis adiuuante, multo acerbius denegatum est, quàm si negatiua dictione exclamasset,*

Homo quam Deo dissimilis post peccatū.

A *massetsic dicendo:Ecce Adam nequaquam, vt sibi promissum fuerat, quasi vnus ex nobis factus est. Et quidem ille non solum nequaquam sicut Deus, sed panè factus erat sicut diabolus.sed accelerauit & præuenit miserator dominus Deus,ne Deo mortuus, sic immortalis permaneret homo, sicut diabolus.* Hæc Rupertus.

Emisit eum Dominus Deus de paradiso voluptatis, vt operaretur terram,de qua sumptus est. VER. 23.

DISPVTATIO QVANDIV ADAM & Eua commorati sint in Paradiso.

B EX his verbis quæstio existit nec facilis explicatu,& dignissima iucundissimáque cognitu quanto tempore Adam & Eua in Paradiso commorati fuerint,vtrum diuturna,an breuis atque adeo ne vnius quidem diei eorum in Paradiso fuerit mansio.

QVAESTIO I.

An eodem die quo creatus est Adam sit eiectus paradiso.

C PERVVLGATA opinio est, eadémque vt multorum; sic in primis nobilium & illustrium Auctorum firmata consensu,eodem ipso die, quo creatus est Adamus, fuisse eum introductum in paradisum, & inibi tentatũ ac lapsum,atque ex eo loco eiectum;nec mãsisse in paradiso vnum diem integrum artificialem,hoc est, per duodecim horas,sed tantùm,vt quibusdam placet,per sex horas, vt visum est aliis, per septem,vt nonnulli tradunt,per decem, Etenim (nescio quibus ducti coniecturis) putant isti, Adam prima hora illius sexti diei artificialis fuisse creatum extra paradisum : deinde tertia hora collo-
D catum in paradiso.postea circa horam sextam comedisse fructum vetitum:ad horam autem nonam venisse Deum in Paradisum,& increpasse Adamum & Euam, suísque vtrũque pœnis mulctasse:ad vesperá vero,& ante solis occasum eiectos esse ex paradiso. Videtur ea sententia placuisse Irenæo in libro quinto aduersus hæreses,cuius item probatores citãtur Cyrillus & Epiphanius. Moses Barcephas libro de Paradiso, & probat eam, & fuisse in ea confirmat, tum alios multos,tum in primis Philoxenum in oratione, quam scripsit de Arbore vitæ,Ephræm quoque in Commentariis, quos scripsit in Genesim, necnon & Iacobum Sabugẽsem in Oratione de passione Domini:ad quos adiungi potest Diodorus Tharsensis Episcopus, vt citatur in

Prima opinio multorũ, Adamum eodem die quo est creatus, fuisse paradiso eiectum.

Auctores huius sententiæ.

Catena in Geneſim ſuper illa verba tertij capitis, *De omni ligno Paradiſi veſcimur.* A

Argumenta pro ſupradicta opinione.

NEC ad faciendam huic opinioni fidem, deſunt argumenta. Principio, videtur id perſpicuè ſignificari illis verbis, quæ ſerpens dixit Euæ, *Cur præcepit vobis Deus, vt non comederetis ex omni ligno paradiſi?* id eſt, vt ex nullo ligno paradiſi ederetis. Quibus ex verbis licet intelligere, nihil vſque ad id temporis, quo ſerpens hæc dixit, Adamum & Euam comediſſe: namque ſi veſcentes eos ante vidiſſet ſerpens, id profectò minimè dixiſſet: iam verò, ſi multò ante conditi, & in paradiſo verſati eſſent, nequaquam ſanè potuiſſent tamdiu abſque fame cibóque viram tolerare. Deinde, multo facilius primi homines decipi potuerunt in ipſo exordio, quàm ſi longo tempore Paradiſum incoluiſſent. Si enim diutius apud animum ſuum meditando expendiſſet Adamus imperatam ſibi à Deo legem, cautior factus, minimè lapſus eſſet. verùm quia exiguum illic ſpacium temporis egit, facilius potuit eius animus, ſcilicet in illis primordiis incautus, atque improuidus, ad malum inclinari. Adhæc, credibile eſt, Deum, quem paradiſo pulſurus erat, noluiſſe eum longo tempore tanta fælicitate frui, ne poſtea eius poſſeſſione orbatus, nimium excruciaretur, ſed mollius, ac minus ægrè ferret tantis ſpoliatum ſe deliciis. Solet enim Deus caſtigationem & animaduerſionem ſuam ad imbecillitatem eorum, quos puniendo emendare, non perdere vult, moderari, & clementer exercere. B

Analogia inter Adamum & Chriſtum Dominum.

AD extremum, cùm Chriſtus dominus noſter mortem paſſus ſit, vt peccatum Adami tolleret, euenit, vt quæ ipſe paſſus eſt, emendando expiandóque Adami delicto mirificè reſpondeant. Etenim ſexta die Adamus eſt creatus, eodem quoque die paſſus eſt Chriſtus. in eius diei exordio ille eſt ex luto cõpoſitus, hic itẽ ad tribunal raptus, & ſordidiſſimis fœdatus ſputis. hora eius diei tertia inductus eſt Adamus in paradiſum, & Chriſtus tertia hora, mortis accepta sẽtentia, vrbe Hieroſolyma extractus eſt ad ſuppliciũ. inter ſextam & nonam horam Eua & Adamus protenderunt manus ad decerpendos fructus negatos, ex quorum guſtu nefariam ceperunt voluptatem, hoc tempore Chriſtus ſuas manus extendit ſuper ligno crucis, & amariſſimo felle potatus eſt. Denique poſt meridiem Dominus eiecit Adamum ex paradiſo, Chriſtus autem latronem, ſicut ei promiſerat, in paradiſum introduxit. His igitur argumentis, prędicta nititur & fulcitur ſententia. C D

Altera ſentẽtia, plus vno die fuiſſe primos homines in Paradiſo.

SED aliorum Doctorum contraria eſt ſententia, plus vno die verſatos eſſe primos illos homines in paradiſo. Non enim omnia, quæ Moſes de illis narrat, priuſquam paradiſo pulſi eſſent, vnius diei ſpatio confecta videntur. Quod ſi Adamus necdũ fructum paradiſi vllum guſtaſſet præter illum vetitum, neque ſatis adhuc eius loci amœnitatem, aut eorum, quæ in eo erant ſuauitatem & delicias expertus ſolùm vertiſſet, quomodo potuiſſet per comparationem ex

eius

A eius terræ, vnde exciderat, fælicitate, eam in quam detrudebatur, duram, horridam, & infælicem existimare? Fuisse videtur in hac sententia Iosephus libro primo Antiquitatum, Basilius homilia de Paradiso, Damascenus libro 2. de Fide orthodoxa, capit. 10. quippe qui scriptum reliquerint, serpentem in paradiso præter cæteras animantes frequenter ad primos illos homines adire, & cum eis blande, ac quasi familiariter versari solitum: indéque postea diabolum ansam decipiendi mulierem rapuisse. Idem sensisse Augustinum, illa eius verba, quæ sunt capite 31. libri 11. super Genesim ad litteram, declarant: *Tale*, inquit, *pomum in arbore illa vetita credendum est fuisse, cuius generis poma iam in aliis arboribus innoxia sibi serpserant.* Idem quoque in B libro 20. de Ciuitate Dei capit. 26. licet primos homines non longo tempore mansisse in paradiso censeat, diutius tamen quàm vnum diem eo in loco fuisse, non obscurè indicat. Apertius hoc ipsum significat B. Gregorius in libro 4. Dialogorum ca. 1. *In paradiso*, inquit, *assueuerat homo verbis Dei, & beatorum Angelorum spiritibus cordis mundicia ac celsitudine visionis interesse.* Tostatus quamuis super tertium caput Geneseos quæstione 14. scripsisset, Adamum non nisi vnum diē, ac ne eum quidem integrum in paradiso fuisse: postea tamen reuocata sententia, super 13. caput Geneseos à quæstione 606. vsque ad 611. ea de re disputans, contrariè sensit & scripsit. Atque hæc ferè ab aliis de hac quæstione disputata, concertata, & scriptis prodita sunt.

Basilius homilia 11.

Gregorius.

Tostatus mutauit sententiam de mansione Adami in paradiso.

C

QVAESTIO II.

An plus vno die Adam fuerit in paradiso & quanto plus.

EGo sententiam meam quò breuius, distinctius, ac dilucidius aperiam, quinque propositionibus explicatā hoc loco subiiciam.

PRIMA propositio. Eodem die quo peccauit Adamus, paradiso eiectus est. Hoc manifestum est ex narratione Mosis, narrantis post peccatum illos erubuisse ob nuditatem corporis, ad eámque velandam fecisse sibi subligacula, & audita Dei D voce, pudore simul, & timore perculsos, in medium sese Paradisi ne mus abstrusisse: indéque iussu Dei egressos, fuisse ab eo increpatos, & paradiso exterminatos. Nec sanè locus ille paradisi propter fælicem innocentiæ statum comparatus, hominique, quoad is rectitudinem, atque integritatem animi & corporis custodiuisset, assignatus, amisso iam illo statu, ei propter inobedientiam corrupto, & inimico Dei facto, conueniens erat. Quid quod si diutius mansisset in paradiso post admissum peccatum, proculdubio commixtus fuisset cum vxore, cùm iam mutua exarsissent libidine? atqui Moses, postquam eiectus est Adamus ex paradiso, primum memorat cognitam fuisse ab eo Euam: & Augustini atque aliorum Patrum

Eodē die quo peccauit Adā, Paradiso pulsus est.

Paradisus hominis conueniēs post peccatū locus nō erat.

sentẽtia est,primos homines,dũ fuerunt in paradiso, virgines fuisse. A

Adam sub vesperam paradiso eiectus est.

SECVNDA PROPOSITIO.Eiecti sunt ex paradiso sub finem eius diei, quo peccarunt, id est, paulo ante solis occasum. Etenim Moses narrat venisse Deum in paradisum post meridiem ad auram, id est,quo tempore in locis maritimis ventus refrigerans excitari & spirare solet, nimirum Sole ad occasum vergente.

Non fuisse lõgo tẽpore primos homines vna in Paradiso.

TERTIA PROPOSITIO.Simillimum vero est,non fuisse eos longo tempore in paradiso. Siquidem credibile admodum est, dæmonem quem inuidia humanæ fœlicitatis vrebat, & flagrantissima cupiditas deturbandi hominem ex illo fœlici statu perdendíque vehementer instigabat,diu tenere se non potuisse, quin hominem oppugnare adoriretur, & per dolum ac fraudem circumuenire conaretur. Fieri etiam non potuisset, quin longo tempore ibi commoratus Adamus,fructum arboris vitæ comedisset, quò vita eius multò quàm deinde fuit,longior extitisset. B

Non fuisse primos homines vno tantũ die in paradiso.

QVARTA PROPOSITIO.Nõ vno tãtùm de primi homines in paradiso versati sunt.nam si tam exiguũ tempus inter creationem eorum,& serpentis tentationẽ interfluxisset,nulla ratio erat cur serpens diceret Euæ, *Cur nõ ex omni ligno Paradisi comeditis?* Nã potuisset respõderi:Quia nec dũ vel necessitas, vel cupiditas cibi sumẽdi ipsos incessisset. Verùm,quia serpens obseruauerat eos ex omnium arborum fructibus edere solitos præter vnum arboris scientiæ boni & mali fructũ à quo religiosè videbat eos sese abstinere:ex eo cepit occasionem sic aggrediendi Euam, quæ idipsum visa est suo responso confirmasse cùm dixit,*De fructu lignorum quæ sunt in paradiso vescimur: de fructu vero ligni quod est in medio paradisi, præcepit nobis Deus ne comederemus,* Quid est *Vescimur?* nisi vesci solemus ? quãquã nõ me fugit id posse etiã accipi pro:vesci possumus, vel licitum nobis est vesci.Nec verò consentaneum videtur,tam multa & varia,quæ inter creationẽ Adami,& eiectionem eius narrantur facta, in dimidium ferè vnius diei coarctari. Etenim sexto die primum quidem creata sunt animalia terrestria. postea verò creatus est homo extra paradisum : deinde in paradisum introductus accepit præceptum à Deo abstinendi ab arbore scientiæ boni & mali. post hæc ducta sunt ad eum animalia, quorum singulis,considerata cuiusque eorum vi & natura cõgruentia impositа ab eo sunt nomina;cúmque in eis nullum ei reperiretur idoneum ad societatem vitæ prolísque generationem adiutorium, ex Adami altissimo somno sopiti latere formata est Eua. adhæc nudi versabãtur ambo in paradiso sine vllo aut nuditatis suæ pudore, aut externi incommodi vel molestiæ perpessione. post hæc consecutus est sermo inter serpentem & Euam vltro citróque habitus, scilicet, (vt credibile est) multo longior quàm à Mose commemoretur. Eua, porrò serpentis decepta promissis, ad arborem vetitam adiit,eiúsque curiosè spectata & considerata pulchritudine, decerpsit fructum,comedit, perrexit ad virum, & suis blandiciis eum pel- C D

lexit

A lexit ad comedendum quo facto cùm eos protinus suæ nuditatis puderet, ad eam tegendam fecere sibi subligacula, auditáque Dei ad eos venientis voce, sese in medium Paradisi locum densissimis opacatum arboribus abdiderunt: vnde iussu Dei egressi, vterque separatim ab eo interrogati, increpati, puniti, tandem è Paradiso eiecti sunt. Tantam igitur hanc rerum molem, respuit animus credere in dimidium vnius diei commodè includi posse. Hoc præterea probabilius fit auctoritatibus Doctorum sic existimantium, paulò suprà ad confirmationem secundæ opinionis allatis.

Quandiu primi homines commorati sint in Paradiso.

QVINTA propositio. Quanto tempore fuerint in Paradiso? præcisè ac definitè non potest constitui: nam neque potest id colligi ex diuina Scriptura, nec vt certum traditum est à probatis Auctoribus, B nec antiqua certáque maiorum traditione compertum, nec verisimilibus coniecturis persuasum est. Quidam prodiderũt, tot annos fuisse eos in Paradiso, quot annos Christus Dominus vitã in terris mortalem & ærumnosam egit: sed id nullo modo probabile est. Alij, per quadraginta dies: totidẽ enim dies Christus ieiunauit in solitudine, vt hoc ieiunij remedio, intemperantiæ illorum peccatum sanaret. verùm neque hoc speciem probabilitatis aliquam habet. Tostatus supradicto loco existimat fuisse eos postero die quàm creati sunt Paradiso eiectos, qui quidem fuit dies sabbathi: id quod profectò cum historia Mosis nequaquam videtur cõgruere. Etenim cùm illum diem C sabbathi sanctificauerit & benedixerit Deus, requiescens ab omni opere suo, quod patrauerat: non videbatur congruum, eo die tam seuerum diuinæ vindictæ iudicium exerceri.

Tostati sententia reijcitur.

Auctoris cõiectatio.

SI mihi fas sit diuinare, dicam fuisse eos in Paradiso per octo dies, & octauo die quàm fuerant creati, qui dies fuit feria sexta hebdomadæ, eiectos fuisse Paradiso. Nam spacium octo dierum sufficiens fuit experiendæ aliquantulum eius status fœlicitati: & conuenientiã atque consonantiam habet cum eo, quod circa secundum Adamum, id est, Christum Dominum euenit: quippe qui feria sexta conceptus esse in vtero beatissimæ Virginis à multis creditur, eadémque die est in cruce mortuus, quo verè interpretari licebit, quod à Patribus est traditum, eodem die Adamum esse creatum & peccasse, ac Paradiso D pulsum esse: eodem, inquam, die, non numero, sed eadem feria hebdomadæ. O breuem, & vix quasi primoribus degustatam labiis primorum hominum in terris fœlicitatem: eóque acerbiorem illis tam beati status amissionem, æstimantibus quanta bona, quàm cito, sua culpa perdidissent: quibus ipsi perpetuò, nisi planè stolidi ac desipiẽtes fuissent, nullo suo labore, summâque corporis, & animi tranquillitate ac iucunditate frui potuissent.

Secundum Rupertũ arborem vitæ fuisse in Paradiso ignotã Adamo & diabolo, eamque arborem vel semel eius fructu gustato vim habuisse immortalẽ faciendi hominem.

RVPERTVS capite 30. libri tertij Commentariorum in Genesim tractans illa verba, *Nunc ergo, ne forte mittat manum suam, & sumat etiam de ligno vitæ, & viuat in æternum:* duo tradit non admodum probabilia, mihi certè minimè probata. Ait enim, arborem vitæ fuisse

à Deo consitam in Paradiso, ignorasse Adamum quin etiam latuisse A
diabolum: Si enim is cognouisset vim eius arboris, vt suasit comedere fructum vetitum scientiæ boni & mali, vt eos miseros faceret: ita suasisset comedere fructum vitæ, vt eos in æternum miseros, & miserè æternos redderet. Arbitratur item, arborem vitæ habuisse vim, vel semel percepto eius fructu, vitam hominis perpetuandi. Verba Ruperti sic habent: *Nunc illud notandum, quod non dixerit solùm, Ne mittat manum suam: sed, Ne fortè, inquit: Mittat manum suam. Planè per hoc liquet, quod non sic fuerit illud lignum vitæ, vt est herba aliqua sanitatis medicamentum. Siquidem medicinalis herba fortè sumpta non perpetuam confert sanitatem, sed studio prouisa seruatur contra fortè redituram infirmitatem. De hoc autem ligno dicit, Ne fortè comedat, & viuat in æternum. Ergo nequaquam (vt nonnulli arbitrantur) frequentandum erat necessario lignũ, tamquam perpetuandæ vitæ transitiuum medicamentum, sed semel hoc sumpto viueret corpus in æternum. Nihilominus & per hoc intelligitur, quòd hactenus Adam nescierit lignum illud esse vitæ, dum dicitur, Ne fortè, Ille namque forte feciſſe quid, & inuenisse dicitur, qui in conscientia non habuit esse in loco vel in re hoc ipsum quod consequitur: veluti qui terram vertit serere volens, nec aliud intendens, & thesaurum inuenit. Dixit autem Deus, Ne forte mittat, manum suam, tamen certus quòd non scienter mitteret, licet quasi dubitans aut sollicitus velut homo, ne casu id eueniret. Igitur nec Adam cognouit, nec ipse serpens diabolus sciuit, quod etiam lignum vitæ plantasset Dominus Deus in medio Paradisi. Si enim vel ille scisset, numquam consilium suæ malignitatis ita dimidiasset: sed sicut illud lignum temere persuasit, vt miseros faceret: sic & istud præripere suasisset, vt æternaliter miseros, & miserè æternos efficeret.* B C

Nec verò (subdit Rupertus) *mirandum cuiquam accidat, aut incredibile videatur, quod inanimatum & insensibile lignum viuacitatis æternæ fructum potuerit afferre. Nunquid enim non & in hoc paupertatis nostræ exilio multa nascuntur, quæ naturali virtute mortalitatis nostræ naturam in statũ meliusculum permutare comprobantur? Nonne circa ea maximè, quæ in terra radicantur medicina, quæ non est, nisi à Deo versatur? Vt de cæteris taceam, nõne Mandragorarum potenti auxilio, sterilis vterus Rachelis adeo melioratus est, vt conciperet & pareret, primúmque Ioseph, & secundum Beniamin, licet cum periculo mortis enixa est? Sed vsque hodie medici pro commendatione artis non fabulosum, sed verum illud fuisse contendunt, quod in libris Gentilium legitur, Aesculapium medicaminibus herbarum suscitasse mortuũ, & ob hoc illum esse fulminatum, videlicet ne assuescerent homines artem, per quam effugerent vtile sibi mortis edictum. Cur igitur incredibile videatur cuiquam materiale lignum vitæ esse potuisse, quod virtute sua manducantem hominem defenderet à corporali morte, donec emeritus post obedientiam, plenius iucunditate cum beatis Angelis frueretur diuinæ Maiestatis visione?* D

Genes. 30.

Infrà 35. Aesculapius dicitur potentia medicinæ mortuum reuocasse ad vitam.

Hæc Rupertus.

***

Eiecitq;

A *Eiecítque Adam, & collocauit ante Paradiſum voluptatis Cherubim, & flammeum gladium atque verſatilem ad cuſtodiendam viam ligni vitæ.* VERS. 24.

HÆC verba obſcuriſſimam habent ſententiam, & difficillimum explicatum: enitendum igitur efficiendúmque, vt aliquam huic loco lucem afferamus. Et illud primum ſcire conuenit, verba illa. *Et poſuit ante Paradiſum,* Septuaginta Interpretes in tranſlatione huius loci iunxiſſe cum eo quod præceſſit, *Eiecítque Adam,* volentes ea intelligi de Adamo, quem Deus licet Paradiſo eieciſſet, voluit tamen eum è regione Paradiſi habitare: quò, ſcilicet, frequenti Paradiſi aſpectu, & B eius quam perdiderat fœlicitatis aſſidua recordatione, vehementius intimis animi ſenſibus angeretur, maiorique odio diabolum, qui ſibi tantorum malorum auctor fuerat, ſuúmque peccatum tantæ infœlicitatis cauſam proſequeretur: & ex animo ſceleris admiſſi pœnitens, veniam à Deo promereretur. Atque hanc Septuaginta Interpretum lectionem ſecuti, atque interpretati Patres, magnificant & exaggerant hanc Dei prouidentiam, eámque pro magno beneficio homini tributo prædicãt. Lectio autem Septuaginta Interpretum ſi verbum è verbo Latinè reddas, ſic habet hoc loco, *Et eiecit Adam, & collocauit eum ante Paradiſum voluptatis, & poſuit Cherubim, & flammeum gladium verſatilem ad cuſtodiendam viam ligni vitæ.* Verùm ſcriptura Hebraica, Paraphraſis item Chaldaica, & noſtra verſio Latina illud, *Et poſuit ante Paradiſum,* coniungunt cum Cherubino & flammeo gladio verſa- C tili: quibus ante Paradiſum à Deo collocatis, aditus homini ad arborem vitæ omnino eſt intercluſus.

Lectio huius loci ſecũdum Septuaginta Interpretes.

Scriptura Hebraica, ſi quis eam deſiderat talis eſt

וישכן מקדם
לגן קדן את
הכרבים
ואת להט
החרב
המתהפכת
לשמר את
דרך עץ
החיים

vaieſchen mikkedem legan eden & ſi accerubim veetlahat hachereb hammittapheccet liſchmor & derec ets hachaiim.

DISPVTATIO DE CHERVBIM & gladio verſatili poſitis ante aditum Paradiſi.

SED quid per *Cherubim*, quid item per *Flammeum gladium verſatilem*, ſignificauerit Moſes, & intelligi voluerit, interpretari & aſſe- D qui: hoc opus, hic labor eſt. Exponã igitur primo & expendam aliorum ſententias: deinde meam quoque lectori opinionem aperiam.

QVAESTIO I.

An quod dicitur Cherubim, & gladio flammeo, & verſatili, hiſtoricè, an tantùm figuratè ac myſticè ſit accipiendum.

QVIDAM

QVIDAM putant, hanc Mosis orationem non esse historicam, nec vt verba propriè significant interpretandam, sed esse figuratam ac metaphoricam, eáque significari, firmissimo Deum præsidio aditum paradisi muniuisse, ne quis eum in locum posset intrare, ideſt, facultatem & spem omnem ademisse homini, fœlicem atque immortalem vitam in terris agendi. A

Mystica huius loci interpretatio.

VERVM non placet, quæ hoc loco, similiter vt superiora omnia, historicè narrantur à Mose, ea vnam tantùm ad interpretationem allegoricam contrahere. Nam si iuuaret allegoricas sequi commentationes, possemus dicere, vt à nonnullis, quibus curæ fuit talia consectari, proditum est, Mosem his verbis significasse magna impedimenta, quibus homines post peccatū ab ingressu in paradisum cœlestem retardantur. Quorum impedimentorum duplex est genus: Vnum est inuisibile, ex ipsis dæmonibus hic significatis per Cherubim, profectū. Nā vt Paulus inquit, *Non est nobis colluctatio aduersus carnē & sanguinem, sed aduersus principes & potestates, aduersus mundi rectores tenebrarum harum, contra spiritualia nequitiæ in cœlestibus.* Alterum est visibile tam bonorum, quàm malorum corporalium, quibus homines vel deliniti, vel deterriti, fractique, à consecutione bonorum cælestium retrahuntur: quod adumbratum est à Mose per flammeum gladium & versatilem. Quamquam & illud ea re insinuari potuit, nō sine perpetua dimicatione patere nobis in cœlum posse aditum, *Regnum enim cœlorum vim patitur, & violenti rapiunt illud:* & verū esse quod dixit Iob, *Militiam esse vitam hominis super terram.* B C

Impedimentorum ad æternā vitam genus duplex.

Ephes. vlti.

Matth. 11.

Iob. 7.

ILLVD præterea ad eiusmodi mystologias addi potest, denotari tria genera rerum quæ magno sunt hominibus ad consequendam æternam vitam impedimento. Etenim vocabulum Cherubim, significat plenitudinem scientiæ: curiosum autem scientiæ studium, mentisque superbia recusantis humiliter subijci disciplinæ, ac fidei Christianæ, multos ingressu cœli prohibet. Per gladium verò flammeum significantur omnes cupiditates & vitia, quæ oriuntur ex appetitu sensitiuo. hic autem duplex est, Concupiscibilis, qui significatus est per flammam, & Irascibilis per gladium. Volubilitas autem eius gladij, instabilitatem denotat, atque inconstantiam rerum humanarum, ipsorumque hominum, quorum plerique, si quādo bene agere incipiunt, mox tamen defatigati deficiunt, nec in bonis studiis, propositis, cœptisque perseuerant. Hæc igitur & alia horum similia super his verbis Mosis allegoricè à nobis disputari possent. D

Tria rerum genera, quæ magno sunt hominibus ad consequēdam vitā beatam impedimento.

Quæ vt acutè, doctè, piéque cogitata, & tradita non inficior; sic alium sententiæ Mosis sensum historicum, & litteralem quærendum esse contendo.

* * *

QVÆ

A

QVAESTIO II.

An illis verbis significetur situs paradisi sub æquinoctiali & Zona torrida.

EXISTIMANT nonnulli Mosem his verbis significare, voluisse situm Paradisi: qui erat sub Aequinoctiali: ante ipsum enim fuisse Zonam torridam, quæ metaphoricis verbis hoc loco describitur à Mose. Flammeus enim gladius insinuat flagrantissimum æstum Zonæ torridæ, B ad similitudinem gladij eo accedentes ferientem, qui propterea nominatur versatilis, vt denotetur perpetua Solis conuersio super Zonam torridam, vnde magnitudo illius æstus efficitur. Illum gladium tenebant Cherubim, id est, Angeli, quoniam motus cœlorum & corporalis naturæ, auctore Augustino, à Deo per Angelos disponitur & efficitur. Ergo significatur hac oratione Mosis, paradisum propter Zonam torridam, qua est circumdatus, esse mortalibus inaccessum. Sequitur hanc sententiam B. Thomas in secunda secundæ quæst. 165. art. vltimo: in qua, multis ante B. Thomam sæculis, etiam fuisse Tertullianum, qui diceret, non temerè meo iudicio diceret. In Apologetico enim affirmat Tertullianus locum paradisi esse velut quaC dam maceria igneæ Zonæ à communi nostri orbis notitia segregatum. Verùm hæc opinio, & interpretatio verborum Mosis, refellitur hoc argumentd: Liquet ex narratione Mosis, post primorum hominum peccatum eorúmque de paradiso eiectionem, collocasse Deum in aditu paradisi Cherubim, & gladium flammeum atque versatilem: at situs Zonæ torridæ & æstus, quem in ea Sol efficit, non est propter peccatum hominis à Deo factus, sed qualis nũc est, talis fuit ab eordio mundi: quippe qui naturalem ipsius mundi constructionem & confirmationem, rationémque motuũ cœlestium necessario consequitur.

Opinio Tertulliani & S. Thomæ de Cherubim & flammeo gladio.

Cælorũ motus à Deo per angelos disponitur.

S. Thomas. Tertullianus. Refellitur.

QVAESTIO III.

D

An illis verbis significetur Ignis ambiens Paradisum instar muri.

NICOLAVS de Lyra, qui putauit Paradisum in celsissimo orbis terrarũ monte fuisse collocatũ, hoc loco arbitratur, ex illo altissimo paradisi monte, iussu Dei, circumquaque maximam vim, & copiam ignis erupisse, & in modum coronæ seu muri, omnem paradisi aditum à Deo esse circumclusum. Non probatur hoc Tostato, quia si ex illo monte tãta vis ignis perpetuò eructaretur, necesse esset interiora illius montis esse sulphurea, terrámque illam penitus exustam, quod

Opinio Lyrani, Tostati, & Magistri Historiæ scholasticæ.

locum paradisi fecisset infructuosum, sterilem, atque inamœnum. A
Credit ipse(quæ est opinio etiam Magistri Historiæ scholasticæ) illũ
gladium igneum non fuisse aliud,quàm ingentem quamdam vim,&
copiam ignis non ex terra paradisi emicantis,sed vel aliunde illuc al-
lati,vel inibi recens à Deo creati, qui instar muri circum paradisum
esset,vel ad similitudinem propugnaculi ante paradisi aditum esset
positus:quæ duo impedimenta putat Epiphanius tantisper duntaxat
durasse,quoad vixit Adamus.Ille autẽ ignis,dictus est gladius versati
lis vel gladius vtrimque scindens, ad indicandam vim & efficacitatẽ
ignis maximè penetrantis:cuius natura in perpetuo motu, & agita-
tione versatur, & ad modum gladij in acumẽ desinens,flammas qua-
si vibrat.Verùm istorum explanatio,& mutila est,quia de Cherubim
nullum faciunt verbum,& impropria est nec litteralis: quippe quæ B
verba Mosis à propria significatione detorquens aliorsum, sensum
historicum non exprimit.

QVAESTIO IIII.

An illis verbis significatus fuerit ignis purgatorius.

Ambros. & Ruperti de Igne purgatorio valde obseruanda sententia.

SANCTVS Ambrosius explanando versiculum illum Psalmi 118. *Retribue seruo tuo, vt viuam, & custodiam verba tua,* ignem hunc in aditu paradisi collocatum, interpretatur ignem purgatorium: in quo iustorum animæ C
qui in hac vita maculas peccatorum penitus non absterserunt, vel pro condonatis sibi delictis non plenè Deo satisfecerunt, in totum purificantur, omníque debito persoluto expiantur.

Apocal.21. Nihil enim inquinatum, vt scriptum est in Apocalypsi,in cœlestem illam ciuitatem intrare potest. Duplicem autem putat Ambrosius à Deo constitutum ad purganda hominum peccata baptismum: vnum in hac vita,qui fit per aquam baptismi,quo eluuntur delicta:

Psal.65. alterum post hãc vitam,quo peccata omnino exuruntur,vt verè Deo iusti dicere possint,*Transiuimus per ignem & aquam,& eduxisti nos refrigerium.* Ambrosij verba si habent: *Est etiam baptismum in paradisi vestibulo,quod antea non erat:sed posteaquam peccator exclusus est, cœpit esse romphæa ignea quam posuit Deus, quæ antea non erat quando peccatum non* D
erat.Culpa cœpit,& baptismum cœpit, quo purificentur qui in paradisum redire cupiebant vt regressi dicerent,Transiuimus per ignem & aquam.Hic per aquã,illic per ignẽ.Per aquã,vt abluantur peccata:per ignẽ,vt exurãtur. Sed, quod est grauius,& hic ignẽ, & illic sustinemus.Quis est,qui in hoc igne baptizãt? Non presbyter, non Episcopus,non Ioannes qui ait, Ego vos baptizo in pœnitentiam,non Angelus,non Archangelus,non Dominationes, non Potestates,sed de quo Ioannes ait,Qui venit post me,fortior me est, cuius non sum dignus calceamenta portare:ipse vos baptizabit in Spiritusancto & igni. Habet ventilabrum in manu sua, & permundabit aream suam, & congregabit triticum in horreum suum, paleas autẽ comburet igni inextinguibili.Non de hoc

Duplex ex Ambrosio baptismus.

Ioan 2. Matth.3.

Ibidem.

baptis

A *baptismate quod sit per sacerdotes Ecclesiæ dictum ipse Dominus testificatur siquidem post consummationem sæculi missis Angelis, qui segregent bonos & malos, hoc futurum est baptisma, quando per caminum ignis iniquitas exuretur, vt in regno Dei fulgeant iusti, sicut sol in regno Patris sui: & si aliquis vt Petrus sit aut Ioannes, baptizatur hoc igni.* Matth 13. Ibidem.

VENIET *Baptista magnus (sic enim eũ nomino quomodo nominauit Gabriel dicens, Hic erit magnus,) videbit multos ante paradisi stamnes vestibulum, mouebit romphæam versatilem, dicet iis qui à dextris sunt non habentibus grauia peccata, Intrate qui præsumitis, qui ignem non timetis. Prædixeram enim vobis, Ecce venio sicut ignis. Et per Ezechiel: dixeram, Ecce proficiscar in Hierusalem, & in sufflabo in vos in igne iræ meæ, vt tabescatis à plumbo & ferro. Veniat ergo ignis consumens, exurat in nobis plumbum iniquitatis, ferrum* B *peccati, faciátque nos aurum syncerum. Vrat renes meos & cor meum, vt bona cogitem, ea quæ castitatis sunt concupiscam. Sed quia hic purgatus, iterum necesse habet illic purificari, illic quoque nos purificet, quando dicat Dominus, Intrate in requiem meam: vt vnusquisque nostrum vstus romphæa illa flãmea non exustus, introgressus in illam paradisi amœnitatem, gratias agat Domino suo dicens, Induxisti nos in refrigerium. Qui ergo per ignem transierit, intrat in requiem. Transit à materialibus atque mundanis ad illa incorruptibilia atque perpetua. Alius iste ignis, quo exuruntur peccata non voluntaria, sed fortuita, quem parauit seruulis suis dominus Iesus, vt eos ab ista cõmoratione quæ permixta est mortuis emundet: & alius ille ignis, quem deputauit diabolo, &* C *angelis eius, de quo dicit, Ite in ignem æternum: quo ille dives ardebat, qui stillari sibi de Lazari digito poscebat humorem. At vero Lazarus in Abrahæ sinu recumbens vitam carpebat æternam, quam sibi promittit Propheta dicens, Viuam & custodiam verba tua.* Hæc Ambrosius. Lucæ 1. Isaiæ 66. Ezech. 21. Psal. 65. Duplex ignis post hanc vitã inferni & purgatorius. Matth. 25. Lucæ 16.

SIMILIA Rupertus scribit libro tertio Commentariorũ in Genesim capite 32. & 33. affirmans, propterea ignem fuisse positum ante paradisum, vt qui ex hac vita excedunt, non omnino puri atque immaculati, per illum examinatorium ignem purificati, beatã in patriam admittantur: vt verissimè possint dicere: quod est in Psalm. 65. *Probasti nos Deus, igne nos examinasti sicut examinatur argentum.* Et quia ministerio Angelorum animæ iustorum introducũtur in cęlũ, & pro meritis cuiusque, aliæ citius, aliæ tardius ex igne purgatorio in æ-D ternam requiem per Angelos transferuntur: idcirco dicuntur etiam Cherubim fuisse ante paradisum. His addit Rupertus, ignem illum, qui positus est in aditu paradisi, cunctis mortalibus esse inaccessibilem. Etenim afflatus eius longè latéque vehementer vrens, ante sentitur intolerabilis, quàm possit quispiam eo propius accedere, quãobrem vbi sit paradisi locus, nemini potest esse cognitum: cuius rei sit etiam illud argumentum, quod qui contra cursum Nili processere inquirentes eius fontes atque originem, quantò longiùs progrediebatur, tantò feruentiores regiones, & aquas Nili calidiores experiebantur. Quod illi quidem referebant ad Zonam torridam quam Nilus permeat: sed verius & credibilius dictu est id accidere Rupertus de eodem igne sententia.

propter ignem, quem Deus ante fores Paradisi collocauit: cùm diuina Scriptura tradat ex ipso Paradiso Nilum profluere. A

VERVM, vt satisfaciam curiosis lectoribus nouas & admirandas grauium auctorum sententias propriis eorũ verbis expressas, & proditas legere, nosseq; cupientibus integrã hac de re Ruperti orationẽ & disputationem hic adscribam. Ad hunc igitur modum ait: *Et hic ira grandis, necessariæ nobis misericordiæ societatem non relinquit. Iræ namque iustæ Dei est, quòd ante Paradisum flammeum gladiũ collocauit: misericordiæ, verò, quòd eum gladium versatilem esse voluit. Gladius versatilis, sententia est diuini iudicij, quæ talis est, vt possit versari, id est, non semper eadem districtione claudat hominibus aditum Paradisi. Flammeus autem esse dicitur, quia reuera iudicium Domini, iudicium flammæ ignis est iuxta Apostolum, dantis* B
2. Thess. 1. *vindictam in flamma ignis, iis qui non nouerunt Deum. Porrò Cherubim, nomen est Angelicarum fortitudinum. Hæc ad Paradisum esse posita ad custodiendum ligni vitæ aditum, cùm legimus, miramur: cùm tamen publica fide teneamus & cõfiteamur, quòd per ignem transituri, & non, nisi per Angelorum ministerium examinati, Paradisum intraturi sumus.*

Ruperti verba.

1. Corint. 13. TERRIBILE *valdè est, quod ex hoc loco cum cæteris Scripturarum locis collato concipitur, verbi gratia, cum eo quod dicit Apostolus: Si quis superædificat super fundamentum hoc, aurum, argentum, lapides pretiosos, ligna, fœnum, stipulam, vniuscuiusque opus manifestum erit. Dies enim Domini declarabit, quia in igne manifestabitur. Et vniuscuiusq; opus quale sit, ignis probabit. Si cuius opus manserit quod superædificauit mercedem accipiet. Si cuius opus arserit, detrimentũ patietur, ipse autẽ saluus erit, sic tamen quasi per* C
ignem. Quid enim ex huiusmodi dictis colligimus, nisi ad hoc flammeum gladium, atque versatilem ante Paradisum esse collocatum, vt quicunq; deinceps admittendi sunt, illuc transeant per examinatorium ignem? Tamquam diceret, Quia multiplicandi erant conceptus Euæ, & futura erat confusa vel permixta multitudo bonorum & malorum, multos autem dominus Deus admittere nolebat, nisi quos ipse nosset ex nomine, & sic excussos, vt dicere possint, Quoniam probasti nos Deus, igne nos examinasti, sicut examinatur argentum, &c. idcirco collocauit ante Paradisum Cherubim, & flammeum gladium atque versatilem. Et rectè Angeli, qui in huiusmodi præsunt, Cherubim, id est, plenitudo scientiæ vocantur. Ipsi namq; iudicandi plenam habent scientiam. Sciunt enim, quid in libro cuiusque nostrum sit scriptum, id est, benè habent me- D
moriæ traditum, quid boni aut mali gesserit quisque nostrum. Quotidie sin-
Daniel. 7. *gulariter legunt, & in nouissimo vniuersaliter recitaturi sunt libros illos, de quibus in Daniele scriptum est, Iudicium sedit & libri aperti sunt. Rectè itaque Cherubim, non tam ad laudem ipsorum, quàm ad terrorem nostrum dicti sunt, quia nostra illis occulta publicanda sunt.*

Ignis purgationis fidelibus exuperabilis est.

SCIENDVM *autem, quòd tã animabus quàm corporibus ignis ille molestissimus est, & inaccessibilis cunctis mortalibus. Mortuis autẽ, id est, mortuorũ fidelium animabus à tẽpore dominicæ passionis exuperabilis est, & corporibus quoq; illorum in resurrectione erit peruius. Porrò ante eandem Domini nostri passionem, nulli omninò filiorum Adam peruius fuit, donec fusus de*

cor

A *corpore eius sanguis cum aqua, ignem illum exuperauit: non quod substantiam eiusdem ignis extinxerunt, sed quia illis, qui eum expectauerant hanc virtutem contulit, vt eis ille nocere non posset ignis. secutus est confestim latro ille venerabilis, quem confessum in cruce continuo munierat fides sanguinis Christi contra illum ignem, ne obsisteret illi. Consequimur & nos omnes, fundamentum quod est Christus, habentes, alij aurum vel argentum, alij lapides pretiosos, alij ligna, fœnum stipulam, id est, diuersorum quinque ponderum vel modiorum peccata portantes. Et sicut horum alia aliis facilius vel difficilius igni, consumuntur: ita quique nostrum pro diuersitate peccatorum alij citius, alij tardius purgati, Paradisi fœlicitatem ingredientur. Hic ignis non solùm hoc loco, sed* Luc. 3.

B *plerisq; Scripturæ locis gladius dicitur, vt illic, In igne enim Domini deuorabitur omnis terra, & in gladio eius omnis caro. Igitur dum dicit Scriptor iste diuinus, Et collocauit ante Paradisum Cherubim, & flammeum gladium, atque versatilem ad custodiendam viam ligni vitæ, breuius quidem ac secretius rem attigit, scilicet iudicium ignis, per quod transituri sumus, quàm in plerisque Scripturæ locis inuenitur: sed diligenter intuentib. terribilius enunciauit difficultatem regressionis, qua filij benedictionis in hoc exilio generati per gratiam Dei illuc reuocantur.* Sopho. 3.

Et cap. seq. *Minus*, inquit, *quàm ea quæ dicta sunt, videtur sonare illud quod in fine positum est, Ad custodiendam viam ligni vitæ: Hoc idem namque constat dici potuisse, si non esset arcendus quisque ab illo ligno vitæ, nisi quãdiu viueret in isto corpore propter causas superius iam dictas: ad hoc profectò sufficeret flammeus gladius, neq; opus esset vt Cherubim quoque ante Paradisum*

C *collocarentur. Ille quippe ignis cunctis viuentibus est inaccessibilis, & ante afflatus eius est intollerabilis, quàm possit vllatenùs sciri vbinam Paradisus sit. Sic enim ab hominibus compertum est, qui Nilum contra sequentes, vt caput eius inuenirent, potuerunt bibere calentem, & non potuerunt ad eius peruenire originem. Sic enim Romanus auctor dicit:*

---- *Illos rubicunda perusti.* Lucan. li. 10.

Zona poli tenuit Nilum videre calentem.

Non pertinet hic ad nos, quid tales homines de quinque Zonis cœli dicant, quia de Scripturis veritatis non habent fundamentum, cùm sint opiniones vel coniecturæ sæcularium, sed hoc cum illorum confessione certum comprobamus, quod propter intollerabilem ignis vaporem, nemo mortalium potuit vnquam Nili

D *fluminis consequi fontem, cuius constat secundum hanc Scripturam ex Paradiso manare originem. Ergo etiamsi non Cherubim ante Paradisum collocarentur, sufficisset ad abigendos homines flammeus gladius.* Secundum Rupert. neque Henoch, neque Elias translati sunt in Paradisum ex quo eiectus est Adam.

Quod *si obijcitur ab hæc, Henoch & Eliam adhuc viuentes in Paradisum esse translatos: dicimus, potuisse quidem Dominum Deum transferre illos illæsos per ignem iam dictum, quippe qui transferendo Eliam, per currum leuauit igneum, Verùm hoc nusquam Scriptura dat intelligi, quod illos tulerit in ipsam Paradisum, vbi comederent de ligno vitæ & viuerent in æternum: sed ita sublati sunt, vt in secreta quadam regione terræ ducerentur, vbi in magna carnis & spiritus quiete viuerent, quò ad finem mundi redeant, & mortis debitum soluant.*

IGITVR *non solùm repulsam hominum, quod solùm littera videtur sonare dicendo, Ad custodiendam viam ligni vitæ, sed iudicia quoque de admittendis & non admittendis, rationabili discretione, facienda, significat ipsum nomen custodiæ ob quam non solus flammeus gladius, sed Cherubim quoque dicitur excubare. Aliqui Doctorum ita distinguunt, vt flammeum gladiũ, id est, murũ igneum in circuitu Paradisi, propter homines: Angelorum verò custodiã, propter malignos spiritus positam esse intelligant. His ita dumtaxat assentimur, vt spiritibus quoque malignis ignem corporeum pœnalẽ esse non negemus. Ignis namque æternus, iuxta Euangelicam veritatem, paratus est diabolo & Angelis eius. Sanctis autem Angelis non nocet ignis, quippe quos impassibiles iustitia fecit: sed nec animabus iustis, quas mandauit & muniuit fides sanguinis iusti Dei, & hominis Iesu Christi.* Huc vsque sunt verba Ruperti. A

Matth. 5.

Examinatio opinionis Ambrosij & Ruperti.

AT enim verò, hæc Ambrosij & Ruperti interpretatio, quà ignem purgatorium comprobat atque confirmat, verissima est, nec à Catholico vllo negari, aut in dubium vocari potest: quà verò ad hũc ignem purgatorium, ille qui ante Paradisum erat accommodatur, secundum allegoricum & mysticum sensum, egregia valdeque laudanda est interpretatio. Quod si contendat quispiam hanc esse historicam & litteralem verborum Mosis sententiam & intelligentiam, huic ego nõ facilè assentiar. Ignis enim ille positus erat ante Paradisum terrestrẽ, ignis verò purgatorius transeundus est ante ingressum in cœlestem Paradisum. Et ille in aditu Paradisi locatus erat, ne quis eum in locũ penetrans, fructumque arboris vitæ comedens, in æternum viueret: hoc autem in purgatorium ignem minimè quadrat. Quid quòd ignis purgatorius intra terram ponitur à Theologis non procul terræ centro, ignis autem de quo loquitur Moses, supra terram & ante Paradisum terrestrem erat positus? Deniq;, nunc in illis regionibus vbi creditur fuisse Paradisus, nusquam eiusmodi ignis reperitur. Dicendum igitur (secundum istam opinionem) esset, ignem purgatorium, vel è medio esse sublatum, vel alia in loca translatum. B C

QVAESTIO V.

Quid significet vox Cherubim secundum Theodoretum.

THEODORETVS in quæstionib. super Genesim, in q. 40. putat Cherubinos ad Paradisi custodiam positos, nõ fuisse incorporeas & inuisibiles Angelorum virtutes, vt plerique opinantur, sed potentes quasdam, & terribiles visiones, ac figuras animalium horrificas, quæ Adamum territãdo, ab ingressu Paradisi arcerent. Quotiescumque autem Scriptura vocat Cherubim, non significat vel animalia, vel naturas aliquas inuisibiles, sed illud omne, quod magna pollet vi & potentia, quemadmodum dixit Dauid, *Qui sedes super Cherubim*, hoc est, Qui potenter regnas, & alibi, *Ascendit super Cherubim, & volauit, volans super pennas ventorum*, Hoc est, cum magna venit potentia & virtute, Theodoreti hæc ipsa sunt verba: *Non est credendum, Cherubim dicere virtutes quasdam* D

Psalm. 79. Psalm. 17.

A *quasdam inuisibiles, vt quidam existimant, quoniã inuisibilis natura nihil illic contulisset: cùm visio sensibilis esse deberet, quæ ipsum Adam exterreret. Nõ igitur gladius ille flammeus naturaliter igneus erat, sed visu talis: neque Cherubim erant animalia, sed talia videbantur. Siquidem & Ezechiel Cherubim vidit habentes quatuor facies: cùm tamen inuisibilis natura quadruplicem faciem non habeat: sed Cherubim vocat illud omne, quod potentia præditũ est. Sic dicit, Qui sedet super Cherubim, hoc est, qui potẽter regnat: & Ascendit super Cherubim, hoc est, aduenit cum multa virtute. Illud igitur, Et statuit Cherubim, dixit, vt indicet potentem quandam, & terribilem visionem, & formam, perinde ac si quædam animalia in ingressu Paradisi collocasset, quibus inde Adam arceretur.* Sic Theodoretus. *Ezechiel.1.*

EADEM fuit opinio Theodori Heracleæ Episcopi, & Procopij Gazæi hunc Mosis locum in Comment. suis, quos scripserunt in Genesim, explanantium. Ergo isti arbitrantur, Cherubim quæ ante Paradisum erant, non fuisse aliud, quam spectra quædam, & simulachra terribili forma ad incutiendum horrorem, metumque primis hominibus in vestibulo paradisi collocata, more agricolarum, qui in hortis & satis ligneos defigunt palos laceris humanarum vestium pannis obuolutos, vt eo terriculamenti genere aues à seminum & frugum pastu deterritas arceant. Verùm, si negare isti volunt nomen Cherubim significare aliquando in sacris litteris ordinem quemdam cœlestium spirituum, nequaquam sunt audiendi, id quippe aduersatur probatissimæ Theologis doctrinæ à B. Dionysio in cœlesti illo de cœlesti hierarchia libello traditæ, idemque videre licet apud Athanasium in sermone super illis verbis, *Omnia mihi tradita sunt à Patre meo,* Chrysostomum sermone 3. de incomprehẽsibili Dei natura, & in Liturgia: quin etiam apud ipsummet Theodoretum in libro diuinorum decretorum, c. 7. Hebræi tradunt, vocabulum hoc Cherubim propriè pictùram seu figuram significare, semper ferè hominum, præterquam apud Ezech. c. 9. & 10. vbi significat figuras animalium. B. Dionysius & Hieronymus vocem Cherubim interpretantur multitudinem seu plenitudinem scientiæ.

B

C

Cherubim vnus est cælestium spirituũ ordo.

Cherubim quid propriè significet.

QVAESTIO VI.

Quæ sit vera & germana illorum verborum sententia.

D CÆTERVM lõgè probabilior est sentẽtia, certè multorũ & grauiũ Auctorũ assensu cõprobata, hæc Mosis verba, vt sonant, ita esse accipienda & interpretanda. Muniuit igitur Deus Paradisi aditũ duplici custodia, & quasi prę-sidio, tum Angelorũ, tũ earũ rerũ quæ maximè sunt homini formidabiles ac terribiles: vt est ignis & gladius. Voluit enim Deus ingressũ Paradisi occludere tã cõtra diabolũ, quã cõtra hominẽ. Ad arcendũ diabolũ, apposuit multos Angelos, quòd significatur vocabulo Cherubim. licet enim id nominis propriè tribuatur octauo Angelorum ordini, extenditur tamen ad omnes ordines Angelorum.

Cherubim nomen extenditur ad omnes Angelorum ordines.

ILLA

Vere Theologica Dionysij sententia.

ILLA enim vera est Dionysij sententia, omnes proprietates omnium ordinum angelicorum in singulis etiã reperiri, verùm hoc discrimine: proprietates superiorum ordinum reperiuntur etiam in inferioribus, sed per diminutam earum proprietatum participationem proprietates autem inferiorum ordinum sunt item in superioribus, sed eminenter & excellenter. Cherubim igitur significat plenitudinem scientiæ, quæ per excellentiam est in octauo ordine, per participationem autem communicatur cum inferioribus ordinibus. Itaque hoc loco nomen Cherubim non significat spiritus cœlestes octaui ordinis, sed inferiorum ordinum Angelos, supremæ enim Hierarchiæ spiritus non mittruntur à Deo ad externa ministeria. Angeli porrò, quibus custodia Paradisi assignata est, rite nominati sunt Cherubim ex abundantia scientiæ: vt ex eo intelligeretur, vigilantissimum & sapientissimum Paradisi custodem esse à Deo positum, quem scilicet nemo aut dolis fallens, aut viribus vincens, in Paradisum intrare posset. A B

Cur arcendus fuerit dæmon ab ingressu Paradisi.

SED quærat aliquis, Cur opus fuit custodia Paradisi aduersus dæmones, quos nulla incessere poterat cupido intrandi in Paradisum? quorsum enim intrare cuperent? an vt oppugnarent homines? at nullus inibi hominum erat, an potius vt voluptatem caperent ex amœnitate loci? sed natura incorporea, voluptatibus & deliciis corporeis affici & oblectari non potest. Respondendum est, debuisse à Paradisi aditu arceri dæmonem, ne eum in locum penetrans, decerperet fructum arboris vitæ, cuius promissione ac donatione, mortales prorogandæ vitæ auidissimos & curiosissimos falleret, & ad sui cultum & obsequium adduceret. C

Quid significetur per flammeũ gladium ac versatilem.

PER flammeũ autẽ gladiũ, non aliud equidẽ intelligo, quam illos ipsos Angelos sub specie & figura hominum, tenentes manibus suis gladios acerrima acie acutissimos, & ex eorũ vibratione fulgentissimos. Solet enim ensis cùm vehemẽter vibratur, emissis quasi scintillis & fulgore explendescere. Similiter enim legimus Numerorum 22. visum esse Balaam Angelum cum gladio districto: & proditum est libro 2. Regum, cùm Hierosolymis atrox sæuiret pestis, sublatis oculis vidisse Dauidem Angelum tenentem manu sua gladium, similemque ferite gestienti. Quòd autem dicitur gladius versatilis, periti linguæ Hebrææ significari volunt gladium illum fuisse ancipitem, ideſt, vtrinque acutissima acie, & ad feriendum acerrima præditum.

Capite vltimo.

Quid gladius versatilis significet.

Epilogus sexti libri & transitio ad septimum.

SED huius sexti libri, quem de infœlicissimo sempérque lacrymabili primorum hominum casu scripsimus, hic finis esto. Deinceps reliquum vitæ, quod illi Paradiso exterminati ærumnosè ac miserè cõplures annos exegerunt, vsque ad supremam mortis pœnam, quam suæ inobedientię decretam, ac debitam persoluerunt, necnon & progeniem eorum, atque humani generis vsque ad diluuium propagationem, septimo libro persequemur. D

FINIS LIBRI SEXTI.

A

BENEDICTI PERERII,
COMMENTARIORVM
B
IN GENESIM.

LIBER SEPTIMVS.

Qui est de Cain & Abel, ceteraque progenie primorum hominum vsque ad diluuium.

PRAEFATIO.

C ABSOLVTA est prima huius libri pars, tribus superioribus capitibus à Mose descripta & explicata. Primam equidem illam dixerim, præcipuamq; huius voluminis partem, originis antiquitate, mirabilitate diuinæ potestatis, & operationis varietate, ac præstantia tot tantorúmq; Dei operũ, quibus rerum constat vniuersitas, doctrinæ sublimitate, plurimarũ quæstionũ, quæ cum ea doctrina cõplicatæ sunt, altitudine & obscuritate, orationis grauitate ac maiestate, deniq; tractatus & explicatus difficultate. In hac autem parte duo potissimum à Mose tradita sunt: alterũ est, Deum ab initio tẽporis, ex nihilo, nulla necessitate, sed summa volũtatis libertate, infinita potentia & sapientia mundũ creasse: alterũ est, in hoc mundo condidisse hominẽ quasi eius principem & dominũ, eumq; omnium copia bonorũ instructũ ornatúmq;, fælicissimo in statu collocasse: sed mox eum voluntate sua, Dei lege violata, ex tanta fælicitate deiectũ, innumerabilibus malis & calamitatibus fuisse obnoxium. Prioris rei cognitio multũ confert, quò sit homini perspectum, quæcumque sunt in rebus, siue magna, siue parua, siue mortalia, siue immortalia, siue conuenientia & vtilia homini, siue contraria & noxia, non casu & fortuito, nec suapte natura extitisse, nec à multis principiis esse facta, sed ab vno,

Primæ partis libri Geneseos commendatio.

Deo,& ab initio esse constituta, & omni tempore conseruari, A atque gubernari,eaq; ratione cunctis innotesceret incomparabilis Dei bonitas,vis, & sapientia, quæ in mundi huius molitione,eius que partium omnium decentissima,& pulcherrima dispositione, mirabiliter elucet. Posterioris autem rei notitia conducit plurimum, scilicet, vt exploratum sit mortalibus, quæ fuerit origo & causa eorum malorum & ærumnarum, quibus omne genus humanum miserè conflictatur, inobedientia nempe primi hominis,nequis fortè putet, qualis nunc B est homo, talem ab initio fuisse eum à Deo creatum: simúlque vt intelligeretur maxima necessitas aduentus Messiæ, quē veluti scopum tota spectat & petit diuina Scriptura. In consequentibus autem huius libri capitibus vsque ad eius finem,describitur humani generis propagatio: primùm quidē ex Adamo vsque ad Noe, duobus proximè sequentibus capitibus:tū, diluuio cunctis præter octo deletis hominibus, narratur quemadmodum post diluuium ex tribus Noe filiis prosemi-natum sit genus humanum, & in varias gentes atque linguas multiplicatum, & per omnes maris & terrarum oras dispersum: eaque narratio perducitur vsque ortum Abrahæ, vndecimo capite huius voluminis à Mose proditum. Ex quo loco deinceps vsque ad finem libri, vt fuerit populus Dei ab aliis gētibus segregatus,& paulatim auctus,atque in Aegyptum introductus,commemoratur. C

Summa libri huius & reliquorum Geneseos capitū quæ in hoc opere explicātur.

De duab. ciuitatibus altera Dei, & altera diaboli.

Augustini libri de Ciuitate Dei commendantur.

In quarto autem & quinto capite quæ hoc septimo libro explanaturi sumus, contemplari licet nascentes duas ciuitates, alteram, Dei ortam in Abel: alteram diaboli, ex Cain inchoatam, cum vtriusque vario & mirabili progressu & successu. in quibus duabus ciuitatibus subtiliter expo- D nendis duos & viginti libros consumpsit Augustinus, illos dico nobilissimos, nec vmquam satis à quoquam laudandos de Ciuitate Dei libros. Verùm ciuitas diaboli originem ex Cain habens prior fuit, & idcirco prior à Mose describitur, sed paucis, expeditur. Etenim principale diuinæ Scripturæ propositum est, agere de Ciuitate Dei, eiúsque ciuibus: de ciuitate autem diaboli, eiúsque ciuitatis incolis & diaboli ministris, qui est populus impiorum, agit quidem etiam sacra historia, sed ea tantùm ratione, quia mali, dum

in ter

A in terris viuitur, mixti sunt bonis, cósque insequendo & affligendo, ad profectum virtutis gloriæque incrementa maiorem in modum exercent: & quod in diuina impiorum omnium animaduersione, bonorúmque aduersus eos propugnatione ac protectione, iustitia & misericordia Dei mirificè resplendet. Sed redeo ad duas illas, quas supra posui ciuitates. harum vtriusque diuersas ciuium proprietates, expressè representant duorum primorum fratrum non modo dissimilia ingenia, mores, studia, & instituta, sed ipsa quoque eorum vocabula Cain & Abel. *Scripturæ principale institutũ est agere de Dei ciuitate.*

B Siquidem nomen Cain, Latinè significat possessionem: ciues autem huius mundi, in hac vita sibi possessionem & hæreditatem quærunt & comparare student: mundana enim bona, eorum spectant vota, curæ, spes denique omnes: horum bonorum adeptione & possessione, fælicitatem suam, eorundem amissione & priuatione, summam miseriam metiuntur ac definiunt. Nec ad hoc non bene quadrant, quæ paulò infrà tradit Moses, Cain primum omnium mortalium ciuitatem ædificasse. Sic profecto est:

C qui ad ciuitatem diaboli pertinent in terris sibi sedem, quietem, & fœlicitatem quærunt Vocabulum porro Abel, si Latinè interpreteris, significat luctum aut vanitatem, aut nihilum. Nimirum, tale est ingenium, talis animus, tale studium, & institutum piorum hominum, quibus solenne est lugere sua pariter, atque aliena peccata, Deique iniurias & offensas, omniáque huius mundi bona, vt inania, caduca, nulliúsque momenti, & instar nihili ducere.

VERVM hoc libet duabus Augustini sententiis confir- *Augustinus De distinctione duarum ciuitatũ, quarum altera est Dei, altera diaboli.*

D mare & illustrare. In exordio libri 15. de Ciuitate Dei hunc in modum scribit Augustinus: *Omnes genus humanum in duo genera hominum distribuimus: vnum eorum, qui secundum hominem, alterum eorum qui secundum Deum viuunt: quas etiam mystice appellamus ciuitates duas, hoc est, duas societates hominum, quarum est vna, quæ prædestinata est in æternum regnare cum Deo, altera æternum supplicium subire cũ diabolo. Harũ exortus fuit siue in Angelis, quorum numerus ignoratur à nobis, siue in duobus primis hominibus: processus autem & excursus earum ciuitatum*

est, ex, quo duo illi homines generare cœperunt, donec homines gene- A
rare cessabunt. Hoc enim vniuersum tempus, in quo cedunt morien-
tes, succeduntq; nascentes, istarum duarum ciuitatum excursus est.
Natus est igitur prior Cain ex illis duobus generis humani paren-
tibus, pertinens ad hominum ciuitatem: posterior Abel, ad ciuitatem
1. Cor. 15. *Dei. Sicut enim in vno homine quod dicit Apostolus experimur:*
Quia non prius quod spiritale est, sed quod animale, postea verò
quod spiritale, sic in vniuerso genere humano, cùm primum duæ
istæ cœperunt nascendo atque moriendo procurrere ciuitates, prior
est natus ciuis huius sæculi, posterior autem isto peregrinus in sæcu-
lo, & pertinens ad ciuitatem Dei, gratia prædestinatus, gratia ele- B
ctus, gratia peregrinus deorsum, gratia ciuis sursum, Scriptum ita-
Genes. 4. *que est de Cain, quod condidit ciuitatem: Abel autem tanquam pere-*
grinus non condidit. Superna est enim sanctorũ ciuitas, quamuis hic
pariat ciues suos: in quibus tamen peregrinatur, donec regni eius
tempus adueniat, cùm congregatura est omnes in suis corporibus
resurgentes, quando eis promissum dabitur regnum, vbi cum suo
principe Rege sæculorum sine vllo temporis fine regnabunt. Sic ibi
Augustinus.

IDEM autem Augustinus extremo capite libri 14. eiusdem C
operis, vnde istæ ciuitates originem, & quatenus ptocessum
Amores duo duarum ciuitatum auctores. habeant, præclarè his verbis exponit: *Fecerunt ciuitates duas*
amores duo: terrenam, scilicet, amor sui vsque ad contemptum Dei,
cœlestem vero amor Dei vsque ad contemptum sui. Et illa quidem in
seipsa, hæc autẽ in Domino gloriatur. Illa quærit ab hominibus glo-
riam, huic Deus conscientiæ testis maxima est gloria. Illa in gloria
Psalm. 3. *sua exaltat caput suum: hæc dicit Deo, Gloria mea, & exaltans ca-*
put meum. Illi in principibus eius, vel in eis quas subiugat nationi-
bus dominandi libido dominatur: in hac seruiunt inuicem in cari-
tate, & præpositi consulendo, & subditi obtemperando. In illa sa- D
pientes eius secundũ hominem viuentes, aut corporis, aut animi sui
bona, aut vtriusque sectati sunt: aut qui potuerunt cognoscere Deum
Rom. 1. *non vt Deum tamen honorauerunt, vel gratias egerunt, sed eua-*
nuerunt in cogitationibus suis, & obscuratum est insipiens cor eo-
rum, ad simulacra enim adoranda, vel duces populorum, vel secta-
tores fuerunt: In hac autem ciuitate nulla est hominis sapientia nisi
pietas, qua rectè colitur verus Deus, expectans præmium in societa-
te sanctorum, non solum hominum, verumetiam Angelorum, vt sit

Deus

A *Deus omnia in omnibus.* Hæc Augustinus. Verum nos historiam Cain & Abel à Mose traditam, ad explanationem quarti capitis aggredientes, diligenter excutiamus atque perpendamus.

CAPVT QVARTVM
LIBRI GENESEOS.

B ADAM verò cognouit vxorem suã Heuam, 1.
quæ concepit, & peperit Cain, dicens, Possedi ho-
minem per Deum. Rursumque peperit fratrem 2.
eius Abel. Fuit autem Abel pastor ouium, &
Cain agricola. Factum est autẽ post multos dies vt offerret 3.
Cain de fructibus terræ munera Domino. Abel quoque ob- 4.
tulit de primogenitis gregis sui, & de adipibus eorum. Et re-
spexit Dominus ad Abel, & ad munera eius: ad Cain au-
tem, & ad munera illius non respexit. Iratúsque est Cain
C vehementer, & concidit vultus eius. Dixítque Dominus 5.
ad eum, Quare iratus es? & cur concidit facies tua? Nonne 6.
si bene egeris, recipies, sin autẽ male, statim in foribus peccatũ 7.
tuum aderit? sed sub te erit appetitus eius, & tu dominabe-
ris illius. Dixitq; Cain ad Abel fratrem suum, Egrediamur 8.
foras. Cúmque essent in agro, cõsurrexit Cain aduersus fra-
trem suum Abel, & interfecit eũ. Et ait Dominus ad Cain, 9.
Vbi est Abel frater tuus? Qui respondit, Nescio. nunquid 10.
D custos fratris mei sum ego? Dixitq; ad eũ, Quid feci sti? vox 11.
sanguinis fratris tui clamat ad me de terra. Nunc igitur
maledictus eris super terram: quæ aperuit os suum, & sus-
cepit sanguinem fratris tui de manu tua. Cùm operatus fue- 12.
ris eam, non dabit tibi fructus suos: vagus & profugus eris
super terram. Dixitque Cain ad Dominum, Maior est ini- 13.
quitas mea, quàm vt veniam merear. Ecce eijcis me hodie 14.

à facie terræ, & à facie tua abscondar, & ero vagus, & profugus in terra: omnis igitur qui inuenerit me occidet me. A
15. Dixitq; ei Dominus, Nequaquam ita fiet: sed omnis, qui occiderit Cain, septuplum punietur. Posuitq; Dominus in Cain signum: vt non interficeret eum omnis, qui inuenisset eum.
16. Egressusq; Cain à facie Domini habitauit profugus in terra
17. ad orientalem plagam Eden. Cognouit autem Cain vxorē suam: quæ concepit, & peperit Henoch, & ædificauit ciuitatem. vocauitq; nomen eius ex nomine filij sui Henoch. Porrò B
18. genuit Irad, & Irad genuit Mauiael, & Mauiael genuit
19. Mathusael, & Mathusael genuit Lamech. Qui accepit duas vxores, nomen vni Ada, & nomen alteri Sella. Genuitq;
20. Ada Iabel, qui fuit pater habitantium in tentoriis,
21. atque pastorum. Et nomen fratris eius Iubal. Ipse fuit pater canentium cithara & organo. Sella quoque genuit Tu-
22. bal-cain, qui fuit malleator & faber in cuncta opera æris & ferri. Soror quoq; Tubal-cain Noema. Dixitq; Lamech C
23. vxoribus suis Adæ & Sellæ, Audite vocem meam vxores Lamech, auscultate sermonem meum: quoniam occidi virum in vulnus meum & adolescentulum in liuorem
24. meum. Septuplum vltio dabitur de Cain: de Lamech verò septuagies septies. Cognouit quoque adhuc Adam vxo-
25. rem suam, & peperit filium, vocauitque nomen eius Seth, dicens, Posuit mihi Deus semen aliud pro
26. Abel, quem occidit Cain. Sed & Seth natus est filius, quem vocauit Enos: D
iste cœpit inuocare nomen
Domini.

Adam

A *Adam verò cognouit vxorem suam Euam, quæ concepit & peperit Cain dicens, Possedi hominem per Deum.* VERS. I.

CVM propter alia, tum vel hoc nomine lingua Hebræa qua vtitur diuina Scriptura, meritò appellatur sancta, quòd viri & mulieris commixtionem carnalémque copulam tam honestè castéque significet, appellans eam, cognitionem fœminæ. Honestè quidem Latini id dixerunt, dare operam liberis, & Græci, communicare mulieri: sed Hebraicè honestius, virum cognoscere vxorem. Cur autem congressus

B viri cum muliere, nominetur cognitio mulieris, varias afferunt rationes Lyranus & Oleaster: sed quas, vt leuiusculas, neque castis auribus ingerendas, præteriri hoc loco satiùs fuerit. Ex hoc loco satis apparet, primos homines quoad fuerunt in Paradiso, fuisse virgines, siquidem primam eorum commixtionem fuisse indicat Moses, postquam Paradiso eiecti sunt. Et hæc sententia est Patrum, eò maximè probabilis, quòd perexiguo tempore illi fuerint in Paradiso ante peccatum: statim autem vt peccarunt, eodem, inquam, die, Paradiso pulsi sunt. Scitum igitur est illud Hieronymi aduersus Iouinianum: *Nuptiæ*, inquit, *terram replent, virginitas Paradisum.*

NEQVE hoc dicimus, quòd in Paradiso futuram generationem

C prolis fuisse negemus: sed quòd breui illo tempore quo sunt in Paradiso versati, virginitatem illibatam custodierint: quòd vmbram & imaginem quamdam prætulit eius virginitatis, quæ in Paradiso cœlesti post resurrectionem corporum in omnem æternitatem à sanctis conseruanda est. At enim, dicet aliquis, Deus præceperat primis illis hominibus, vt generationi prolis operam darent, dicens, *Crescite & multiplicamini, & replete terram*: confestim igitur eos diuinis iussis obtemperantes, generationi prolis operam dedisse putandum est. Verùm, illud Dei præceptum, affirmatiuum erat, id est, obligans semper, sed non ad semper. Et, vt inquit Augustinus, *diuinum illi homines mandatum expectabant vacãdi prolis generationi, quod illis dum fuere in Paradiso non est datum.*

D Ex interpretatione vocabuli Cain satis liquet, linguam, qua primi homines vsi sunt, fuisse Hebræam, vt in qua sola omnium linguarum, huiusmodi vocabulorum interpretationes locum habent. Simul & illud intelligitur, non rectè libro vndecimo de Præparatione Euangelica capite quarto, Eusebium vocem Cain interpretantem dixisse eo vocabulo significari inuidiam, quod scilicet Cain fratris sui Abel ardens inuidia eum occiderit. Illud autem, *Possedi hominem per Deum*, Iusiurandum esse putat Rupertus libro tertio Commentariorum in Genesim, capite 34. sed non rectè. Hebraicè est, *Deo vel Domino*: sed ad explendam sententiam adiungi debet præpositio

Honestas & sanctitas linguæ Hebrææ.

Primos homines fuisse in Paradiso virgines.

Hiero. lib. 1. adu. Iouin.

Cur primi homines in Paradiso simul commixti nõ fuerint.

Prima omniũ linguarum, Hebræa.

Verba Hebraica sunt קניתי איש את יהוה *Kanithi isch & Adonai.*

sitio aliqua. Septuaginta interpretes eósque secutus Interpres noster Latinus, addiderunt præpositionem *Per*, qua significatur, prolem illam datam fuisse Euæ, potestate, munere, ac fauore Dei. Similisque sententia est in paraphrasi Chaldaica, quæ sic habet ad verbum: *Acquisiui virum de coram Domino.* quamquam huic lectioni nonnulli existimant hanc subesse sententiam: Acquisiui virum coram Domino, hoc est, qui nobis defunctis Dominum Deum timeat, colat, & coram eo ambulet. A

Vtrum Cain fuerit primogenitus Adami.

Sed numquid Cain fuit primogenitus Adami? an potius alios ille procreauit liberos ante Cain, quos more suo tacuit Scriptura, quod nihil de illis memorabile prodendum esset? Verùm proculdubio Cain primogenitus fuit: hoc enim narratio Mosis indicat, Euam cùm primum à viro cognita est, peperisse Cain. Idémque demonstrat etymologia nominis Cain: eo nempe generato, dixit Eua, *Possedi hominem per Deum*: quod non vtique dixisset, si alios filios ante Cain genuisset, in illos enim potius, quàm in Cain id nominis conueniebat. B

Quãto tempore post eiectionem primorum hominum e Paradiso, Cain & Abel generati fuerint.

Ceterum, illud fortasse aliquis de nobis quærat, quanto tempore postquam primi homines Paradiso expulsi sunt, Cain & Abel generati fuerint. Auctor historiæ scholasticæ in historia libri Geneseos cap. 25. refert memoriæ proditum esse, Methodio Martyri, cùm is propter fidei confessionem in carcere esset, huiusmodi quamdam reuelationem accidisse: Patefactum enim ei diuinitus fuisse, primos homines cùm electi sunt Paradiso, fuisse virgines, & postea per quindecim annos copula carnali abstinuisse; toto scilicet eo tempore lugentes peccatum à se commissum, & tot tãtorúmque bonorum, quibus donati fuerant à Deo, amissionem deplorantes: decimoquinto autem anno quàm Paradiso exterminati fuerant, generasse primum filium Cain, & sororem eius nomine Calmanan: deinde quindecim annis post, ideſt, trigesimo anno quàm primi homines expulsi fuerant Paradiso, generatum esse Abel & sororem eius Delboram: Anno præterea centesimo & trigesimo Adami Cain occidisse Abel, quem Adamus & Eua centum annis luxerunt: finitóque luctu, genuerunt pro eo alterum filium nomine Seth: hic enim, vt habet trãslatio Septuaginta interpretum, natus est, patre Adamo trigesimum & ducentesimum annum agente. Et hæc quidem feruntur Methodio reuelata. C D

Commentitia quædam reuelatio falso afficta Methodio martyri refellitur.

Verum hæc legentem, atque cogitantem, magna subit indignatio, tam ineruditum & futile commentum sanctissimo viro & Martyri, sub specioso reuelationis obtentu esse affictum. Est verò probandum, primos illos homines cùm matura ætate, & ad generandum idonea creati essent, eísque præcepisset illud Deus, *Crescite & multiplicamini*, atque ipsi naturali prolis desiderio tenerentur, necnon & post peccatum vis libidinis & concupiscentiæ carnalis acrior in illis & ardẽtior fuisset, expectasse illos quindecim annos, vt operã liberis darẽt? Neque verò, vacare generationi prolis, eorũ propositum, atque instituto

A instituto pœnitentiam agendi aduersabatur, cùm res esset honesta, & à Deo præcepta, & in exordio mundi ad propagationem humani generis per necessaria.

ILLVD autem quantam habet probabilitatem, inter generationem Cain & Abel interfluxisse quindecim annos? cum ex narratione Mosis existimari possit, Abel secundum fuisse filium Adami, & statim natum post Cain. nisi quis putet, Euam edito Cain, fuisse per quindecim annos infœcundam, quod desipientis est hominis opinari. Etenim primis hominibus maximam Deus tribuit fœcunditatem: hoc nempe paucitas illa hominum, & ad conseruationem humanæ speciei, multiplicatio generis humani id temporis exigebat.

B QVOD autem dicitur, Adamum filij sui Abel mortem centum annis luxisse, totoque eo tempore à carnali copula sese abstinuisse, quis inducat in animum credere: Neque enim Adam, cùm vir esset prudentissimus, tandiu mortuum filium lugeret, nec ob eam causam tamdiu à generatione prolis abhorreret: quin, propter mortem Abel, vehementius cuperet alterum filium pro eo gignere. Id quod nõ obscurè indicauit ipse, cùm procreato Seth dixit, *Posuit mihi Deus semen aliud pro Abel quem occidit Cain.* Falsitas quoque eius traditionis conuincitur ea ratione, quod in ea dicitur Seth natum esse anno ducentesimo & trigesimo ætatis Adami: cum Hebraica Scriptura, & Latina versio vulgata habeant eum centesimo & trigesimo anno Adami esse generatum. Licet enim in translatione Septuaginta interpretum sit, Adamum fuisse ducentorum & triginta annorum cùm genuit Seth: eam tamen translationem in eo numero annorum, atque in nonnullis aliis consequentibus numeris esse aliorum vitio, & culpa deprauatam & corruptam, infrà ostendemus.

Genes. 4.

Septuaginta interpretum versio corrupta.

C

Fuit autem Abel pastor ouium, & Cain agricola. VERS. 2.

D POST peccatum Adami, primus omnium hominum, qui iustus & innocens appellatur in diuina Scriptura, fuit Abel. & hic primus omnium fuit pastor, suóque exemplo maiorem in modum hanc pastoralem artem cohonestauiit ac nobilitauit, vt eam deinceps omnes Patriarchæ & principes populi Hebræi præter cæteras partes summo studio coluerint: nec profectò sine causa. Est enim pastoralis ars omnium simpliciſſima, miniméque operosa vel artificiosa nec ita animum hominis occupatum tenet, vt non ei otium relinquat ad meditationem rerum naturalium, diuinarúmque contemplationem: neque certis indiget domiciliis, aut stabiles fixáſque sedes exigit: sed à peregrinantibus etiam tractari & exerceri potest, eiúsque multiplex vtilitas est ad humanæ vitæ, & diuini cultus vsum. Suppeditat enim victum & vestitum, materiam item oblationum & sacrificiorum, quæ Deo fieri oportet. Refert præterea imaginem quã-

Laus pastoritiæ artis.

Homerus vocat reges ποιμένας λαῶν.

dam regalis administrationis & gubernationis : talem enim decet esse regem erga sibi subditos, qualiter pastor gregem suum regit: quapropter apud priscos illos non aliter boni reges, quàm pastores populorum appellabantur. Quid plura? repræsentat hæc pastorum ars & exercitatio, Dei prouidentiam erga homines, præsertim autem erga electos: quamobrem Deus & Christus dominus gaudet pastoris appellatione, eoq; nomine frequenter in sacris litteris nominantur. A

Ioannis 10. Ezechiel 34. & alibi. Vnde Abel cognouerit sacrificandum esse Deo.

SED vnde Abel in exordio mundi didicit sacrificia offerre Deo: Didicit profecto vel ex patre Adamo, qui id à Deo doctus, itidem filios suos docuerat: vel etiam nullo docente, potuit id Abel naturali ratione cognitum habere, & tacito quodam naturæ instinctu & impulsu ad id faciendum adduci. Quemadmodum enim naturalis ratio docet vnum esse Deum omnium rerum conditorem ac dominum. ita docet ac præcipit hunc Deum esse ab homine omni cultu tam interiori quàm exteriori colendum atque venerandum. Sicut enim inter homines, qui aliorum potestati & imperio subiecti sunt, & tributa pendunt, & munera offerunt dominis suis, quod id argumentum sit & dominationis eorum, suæque subiectionis atque seruitutis: ita oportet omnes homines exterius & interius venerari Deum, ea re profitentes atque testificantes, ipsum esse Dominum omniũ, séque seruos eius: qui nisi eius potestate ac benignitate, nec malis quibus premuntur liberari, nec bona quæ optant consequi, nec ad æternam vitam & fælicitatem peruenire possunt. Ad hanc de sacrificio Abel illustrandam historiam, multa de his quæ tractat B. Thomas in secunda secundæ quæstion. 85. disputans de sacrificio, quod soli Deo, etiam secundum legem naturalem, à cunctis hominibus fieri debet, bellè accommodari possunt. B

Ommes homines lege naturali obligatos esse vt Deum tam interiori cultu veneretur, in signum eius dominationis suæque seruitutis.

S Thomas. C

Cur nusquam Scriptura memoret Adamũ & Isaac sacrificasse Deo.

ILLVD fortasse alicui mirandum accidet: Cùm cæteros Patriarchas Deo sacrificasse sacra memoret historia, cur duos maximè insignes Patriarchas Adamum & Isaac sacrificasse Deo, nusquam in sacris litteris proditum sit: augétque magis admirationẽ, quòd primus omnium hominum Adamus sacrificasse creditur, primúsque fuisse posterioris suis sacrificandi doctor & auctor: Isaac verò, sanctũ ac religiosum Dei cultorem quàm qui maximè, quis dubitet sæpenumero sacrificasse Deo: Verùm sine dubitatione vlla credendũ est, duos istos Patriarchas sacrificasse Deo propterea tamen de sacrificio Adam tacuit Scriptura, quod cùm in eo fuisset origo peccati, non videbatur conueniens ac decens, vt in eodem ostenderetur origo sanctitatis & religionis: sed id potius in Abel, qui primus omnium mortaliũ appellatus est iustus & innocens, expressum est. Isaac porrò, quoniam ea re fuit maximè illustris Christi domini figura, quod à patre suo, quantum in ipso fuit, immolatus & sacrificatus est, vt remaneret integra eius figuræ vis plenúmque mysterium: iccirco non inducit eum Scriptura offerentem Deo externa sacrificia. Quãquã & illud simplicius, ac veritati historiæ propius & conuenientius D

Genes. 22.

fuerit

A fuerit responsum, eorum dumtaxat sacrificia in sacra historia memorari, in quibus aliquid euenit diuinitus mirabile admodum atque memorabile, cuiusmodi quia nihil in sacrificiis istorum accidit: propterea nihil etiam de illis esse proditum.

Factum est autem post multos dies, vt offerret Cain de fructibus terræ munera Domino: Abel quoque obtulit de primo genitis gregis sui, & de adipibus eorum. VERS. 3.

B CVR Abel obtulit primogenita gregis & adipem? An quia meliora esse solent primogenita, & dominis cariora, ob idque magis Deo grata & accepta: quod ipse Deus postea declarauit, lege per Mosem lata, præcipiens offerri sibi primogenita. Illud autem *De adipe eorum*, duplicem sententiam habere potest: vel quod Abel adipem animalium cremauerit, & adoleuerit Deo, eo nempe modo, quo postea per Mosem fieri præcepit Deus: Vel significat obtulisse Abel Deo ex pecoribus maximè adipatis & pinguibus. vt ex hoc loco intelligere liceat, quæ multis post sæculis per legem Mosis præscripta & præcepta sunt Hebræis, ea iam inde ab exordio mundi in vsu fuisse apud viros pios. Ex hac igitur narratione, apparet, oblationem Abel tribus de causis me-
C liorem ac laudabiliorem fuisse, quàm oblationem Cain. Fuit enim illa vberior & copiosior: fuit item electior & excellentior, id est, lectissimarum & optimarum rerum: fuit denique magna fide & eximia pietate animi Deo facta.

Cur Abel obtulerit primogenita & adipem. *Exod.* 13.

Exod. 29. *Leuit* 3.

Abelis oblatio melior oblatione Cain tribus de causis.

QVAMOBREM merito eam oblationem laudauit Paulus cap. 11. epistolæ ad Hebræos ita scribens, *Fide, plurimam hostiam Abel, quàm Cain obtulit Deo: per quam testimonium consecutus est esse iustus, testimonium perhibente muneribus eius Deo, & per illam defunctus adhuc loquitur.*

Explicatur locus Pauli qui est 11. *cap. epistolæ ad Hebræos.*

QVEM locũ Pauli luculentè tractans Rupertus libro quarto Cõmẽtariorũ in Genesim capite secũdo, ad hunc modum ait, *Rectè Paulus*, inquit, *fide Abel plurimam hostiam obtulisse: nam cultu vel religione po-*
D *tiorem vterque obtulit hostiam, siquidẽ vterque cui debuit obtulit, sed non rectè vterque diuisit. Nam Cain cùm Deo offerret sua, seipsum sibi retinuerat, repositum habens in cupiditate terrena. Huiusmodi portionem Deus non accipit, Sed Præbe*, inquit, *fili cor tuum mihi: at Cain cor suum retinuit sibi, & fructus terræ obtulit Deo. Abel autẽ primo cor suũ, deinde rem suam offerendo, plurimam hostiam per fidem obtulit: credendo scilicet futurum esse, vt versaretur, seu remoueretur gladius ille, quem collocauerat Dominus ante Paradisum ad custodiendam viam ligni vitæ, credendo, inquam, futurum esse illud semen mulieris, quod contereret caput antiqui serpentis. Hac fide emeritum, non dubitandum est prophetiæ quoque spiritum accepisse, vt illud semen mulieris, inter quod audierat Deum posuisse inimicitias & inter semen serpentis, sciret non tantùm fore semen mulieris sed & Fi-*

Egregia Ruperti sententia.

Prouerb. 23.

lium Dei, qui verus agnus Dei per suam innocentiam, serpentis conculcaret A
malitiã, & per suum sanguinem, flammeũ gladiũ restingueret. Hæc Rupert.

VERS. 4. *Et respexit Dominus ad Abel, & ad munera eius: ad Cain autem, & ad munera eius non respexit.*

Quid sit Deum respexisse ad Abel, & quo signo id cognosci potuerit.

PRO *Respexit*, Hebræum verbum quo hic vsus est Moses, significat respicere, attendere, animaduertere, intentoq; & defixo obtutu aliquid cernere. Secundum Oleastrum verò propriè significat desinere, quiescere, & requiescere: quæ verbi notio bene congruit huic loco. Paraphrasis Chaldaica B sic ad verbum habet, *Fuit complacentia apud Deum erga Abel*, hoc est, placuit Domino munus Abel, vel vt aliàs dicere solet sacra Scriptura, complacuit sibi Deus, vel complacitum est Deo in munere Abel. Dupliciter autem significare solet Scriptura placuisse Deo aliquod sacrificium: vel dicendo, Deum respexisse ad illud sacrificium, sicut hoc loco, nec aliud est respicere, quàm approbare, & acceptum habere: vel dicendo, Deum esse odoratum illud sacrificium in odorem suauitatis, quod Moses infrà cap. 8. huius libri scribit de primo sacrificio, quod Noë post diluuium obtulit Deo.

Hebræũ verbum est ושע *vaischa à radice* שעה

Quo signo sibi Abelis sacrificium placuisse Deus ostenderit.

INTELLEXIT autem Cain Deo placuisse oblationem Abel, non autem suam, signo quodam externo: quod non fuit aliud, quàm C vt docet Hieronymus in lib. Traditionum Hebraicarum, in Genesim, de cœlo repente misso igne cremasse Deum, & consumpsisse sacrificium Abel, intacta prorsus oblatione Cain. Id quod secutus Theodotio, si hunc locum vertit, *Et inflammauit Dominus super Abel.* Neque coniectura hæc fidem non habet. Siquidem eo signo legimus posteà sæpe declarasse Deum sibi placuisse aliquorum hominum sacrificia: quemadmodum de sacrificio consecrationis Aaron proditum est, Leuit. 9. de sacrificio Gedeonis, Iudic. 6. Dauidis prioris libri Paralip. cap. 21. Salomonis. 2. Paralip. c. 7. Eliæ. 3. Reg. 18. Neemiæ. lib. 2. Machab. cap. 1. Simile quoddam prodigium ostentare solitum dæmonem alicubi in sacrificiis quæ sibi offerebantur (adeo sem- D

Prodigiosa dæmonũ fallacia ex historia Solini.

per nequissimus diuinitatis æmulator, & callidissimus simulator fuit dæmon) tradit Solinus cap. 11. *Nec longè*, ait, *inde collis est Vulcanius, in quo qui diuinæ rei operantur, ligna vitea super aras struunt, nec ignis apponitur in hanc congeriem, cùm porricias intulerint. Si adest Deus, sic sacrũ probatur: Sarmenta licet viridia ignem sponte concipiunt, & nullo inflammãte à litato numine sit incendium. Ibi epulantibus alludit flamma, quæ flexuosis excessibus vagabunda, quem contigerit non adurit, nec aliud est quàm imago nuncia perfecti ritè voti.* Ita Solinus.

Cur in generatione prior nominetur Cain

CVR AVTEM Moses describendo generationem horum duorum fratrum, priorem nominet Cain quàm Abel: mox autem narrando vtriusque oblationem, & diuinam approbationem munerum

Abel

A Abel nõ autem Cain, prius memoret Abel, quàm Cain, rationem exponens B. Ambrosius libri primi, de Cain & Abel. cap. 3. ad hunc modum scribit: *Non est otiosum, quod cùm ante generatus sit Cain, vt lectio docet, prælatus sit hoc loco Abel, nec idem sit ordo nominum, qui est ordo naturæ. Quid sibi vult mutatio ordinis, vt prius iunioris meminerit, vbi scribitur vitæ status, operisq; vsus? Officiorum interrogemus distantiam, vt colligamus causam prælationis. Operari terram vsu prius est, gratia inferius quàm oues pascere. Hoc enim instar est cuiusdam doctoris & principis. Meritòque prior se à vetustioribus inchoauit, iunior recentiora prætulit, quæ nullas spinas, nullos tribulos germinarent, nulli sententiæ essent obnoxia. Denique peccati reus Adam de Paradiso dimissus est voluptatis, vt operaretur terrã. Rectè ergo vbi nascuntur hi fratres, seruatur etiam in prædicando ordo naturæ: vbi* B *verò exprimitur disciplina viuendi, seniori iunior ante fertur: quia etsi tempore iunior, virtute præstantior est. Innocentia enim tempore posterior est quàm malitia, & quadam suppar ætate, sed meritorum nobilitate antiquior. Senectus enim venerabilis est non annis incana, sed moribus, & ætas, inquit, senectutis vita immaculata. Vbi enim generatio exprimitur, præueniat Cain: vbi disciplinarum fit prædicatio, præcurrat Abel. Adolescentiam igitur, & ipsam in exordiis iuuentutem variarum illecebris passionum feruere quis abnuat? Sed vbi maturior ætas successerit, tamquam pubescentis lasciuiæ tempestate discussa tranquillitatem refundi, & in quosdam portus quietos lassæ animæ nauigium subducere. Itaque graues motus nostræ adolescentiæ fida senectutis statione placidantur.* Sic Ambrosius. C

In oblatione autem prior memoretur Abel.

B. Ambrosius.

Sapien. 3.

Dixítque Dominus ad Cain. Quare iratus es? & cur concidit facies tua? Nonne si bene egeris, recipies: sin autem male, statim in foribus peccatum tuum aderit? sed sub te erit appetitus eius, & tu dominaberis illius. VERS. 6. & 7.

D HIc locus quatuor modis legitur: aliam enim lectionem habet nostra versio Latina, aliam paraphrasis Chaldaica, aliam scriptura Hebraica, aliam denique Græca translatio Septuaginta interpretum. Harum nos quatuor lectionum singulas propriè, ac distinctè tractantes & interpretantes, huius loci sententiam & doctrinam ex luculentis Patrum commentariis & scriptis illustrare, exornare, ac locupletare volumus: nobilissimus enim hic locus est, & à Patribus & Theologis crebrò vsurpatus, miréque celebratus.

Quadruplex lectio huius loci.

PRIMO autem lectionem Latinam quam suprà posuimus, interpretemur. *Quare iratus es? Dixit Dominus Cain, & cur concidit facies tua?* Vehementer Cain iratus fuit, quòd diuino respectu & approbatione fratris sui munus suo prælatum esset: vnde protinus arsit inuidia simul, & odio fratris: idque ab effectis statim claruit, quia

Explicatur lectio vulgatæ versionis Latinæ secũdum Rupertum.

concidit vultus eius: videlicet *ira in odium versa*, (vt ait Rupertus lib.4. Commentariorum in Genesim, c.3. *trabali pondere declinauit in terram vultum & oculos suos, terram namque aspiciunt, qui crudelia meditantur. Vnde est illud in psalmo,* Proiicientes me nunc circumdederunt me, oculos suos statuerũt declinare in terram. *Vtrumq́, ab illo requirit Deus. Dixit enim:* Quare iratus es? *addiditq́,* & cur concidit facies tua: *Siquidem etiam si non occidere vellet, iam pro tali causa iratum fuisse, scelus est, peccatum diabolicum est, quia diabolum imitatur qui alterius iustitiæ inuidet. Aliàs autẽ moueri vel irasci, humanum est, dummodo ira prius resideat, quàm peccati opus generet. Quapropter in Psal. dictum est,* Irascimini & nolite peccare: quæ dicitis in cordib. vestris, & in cubilib. vestris compungimini. *Ac si diceret, Etsi ad horam, vt homines, mouemini, nihil tamen per iram operemini, & de hoc ipso quòd moti vel irati fuistis, cito pœnitemini. Sed hanc iram, qua iratus est Cain, nusquam Scriptura concedit: nam ipsa est inuidia diaboli. Bene ergo Deus vtrumque requirit dicendo,* Quare iratus es? & cur concidit facies tua? *Quia videlicet iratus fuerat inuidendo, & conciderat facies eius parricidium meditando. Ita percunctando vocat illum mitis ad misericordiam, ad conscientiã suam, inuitat eum ad cor suũ, vt videat ipse quod cogitet, bonum, scilicet sit an malum. Amplius autem subiungendo.* Nonne si bene egeris recipies, &c. *Forti illum inuectione pulsat, vt vultum suum subleuet à terra, vt mentis oculos sustollat à terra, scilicet vt trabem de oculo suo eijciat, & procul aspiciat, videatq́, prudenter quod magis expediat, quid euenturum sit, quis finis, quis fructus succedat, si malum quod cogitatione deliberat, opere perficiat. Nonne,* inquit, *si bene egeris, recipies? sin autem male, statim in foribus peccatum tuum aderit? sed subter te erit appetitus eius, & tu dominaberis illius. Quod est dicere, Quia tu mente deliberas perpetrare opus peccati, en ego priusquam id facias, ne posteaquam feceris, quasi de ignorantia te excuses, dico tibi, Nonne scis quia si bene egeris, recipies? sin autem male (subauditur & illud recipies) nam statim in foribus peccatum aderit, vt quocunque te verteris quicquid agere volueris, tecum sit comes in itinere, princeps in opere. Et tunc quidẽ super te erit & dominabitur tui, quia videlicet. Omnis qui facit peccatũ, seruus est peccati. Nũc autem antequam facias illud, dum adhuc est in appetitu, ipse appetitus eius subter te erit, & tu dominaberis illius: verbi gratia, quemadmodum is qui nondum rex creatus est, subter populum est, & populus dominatur illius, ita vt eum recipiat si vult.* Hactenus Rupertus.

Psalm.16. *Psalm.4.* *Ioan.8.*

Ira quæ in Scriptura cõcessa, & quæ non.

A B C D

Ex hac autem lectione Latina liquidò intelligitur, Deum æquissimum esse hominum iudicem tam remunerandis eorum benefactis, quàm maleficiis puniendis, *Si,* inquit, *bene egeris recipies?* scilicet præmium & mercedem tuorum benefactorum: *sin autem male egeris, statim in foribus peccatum tuũ aderit:* id est, peccati tui pœna & vindicta præsto tibi erit, nec te finet tranquillo & quieto animo viuere: aduersariam enim tibi intra te conscientiam habebis, quæ te dies & noctes accusans, & diuini iudicij ac supplicij metu territans, numquam te pacato & læto animo esse patietur. Simile huius loci est, quòd scripsit Paulus ad Rom. c.2. *Reddet,* inquit, *Deus vnicuique secũdum opera eius: iis quidem*

Quanta sit Dei iudicis æquitas.

A *dem qui ſecundum patientiam boni operis, gloriam & honorem, & incorruptionem quærunt, vitam æternam: iis autem qui ſunt ex contentione, & qui non acquieſcunt veritati, credunt autem iniquitati: ira & indignatio. Tribulatio & angustia in omnem animam hominis operãtis malum, Iudæi primum & Græci: gloria autem & honor & pax omni operanti bonum, Iudæo primum & Græco: non enim eſt acceptio perſonarum apud Deum.*

ILLVD quoque concludi poteſt ex hac lectione Latina, idemque ex lectione Græca & Hebraica, quas paulo infrà ſubiiciam, argumentari licet, atque id plurimum valet aduerſus noſtri temporis hæreticos, hominem eſſe liberi arbitrij, nulláque trahi ad peccandum neceſſitate, ſed in eo eſſe peccare & non peccare, & dominari peccato, à ſe illud arcendo, vel ipſum admittendo, turpiſſima ei ſeruitute ſubiici, ac mancipari. *Sub te*, dixit Dominus Cain, *erit appetitus eius, & tu dominaberis illius.* Quem locum egregiè tractans Bernardus ſerm. 5. de

B Quadrageſima. *Grande*, inquit, *periculum eſt, & grauis luctа aduerſus domeſticum hoſtem, maximè cùm nos aduenæ ſimus, & ille ciuis: ille ſuam inhabitet regionem, nos exules ſimus & peregrini. Magnum quoque diſcrimen aduerſus diabolicæ fraudis aſtutias, tam crebros: immo continuos habere conflictus, quem nec videre quidem poſſumus, & quem nimis aſtutum fecerit tam natura ſubtilis, quàm longa exercitatio malitiæ eius. Verumtamen in nobis eſt, ſi vinci nolumus, & nemo noſtrum in hoc certamine deijcitur inuitus. Sub te eſt, ô homo, appetitus tuus, & tu dominaberis illius. Poteſt inimicus tuus excitare tentationis motum, ſed in te eſt, ſi volueris dare, ſeu negare conſenſum. In tua facultate eſt, ſi volueris inimicum tuum, facere ſeruum tuum, vt omnia tibi cooperentur in bonum. Ecce enim inflammat inimicus deſiderium cibi, vanitatis,*

C *aut impatiẽtiæ, cogitationes ingerit, aut excitat libidinis motum: tu ſolummodo nec conſenſeris, & quoties reſtiteris, toties coronaberis. Verumtamen negare non poſſumus: moleſta ſunt hæc & periculoſa ſed & in ipſo certamine, ſi viriliter reſiſtimus, quædam pia tranquilitas de conſcientia bona naſcitur. Credo etiam, ſi cogitationes illas, quam cito in nobis aduertimus, non patimur remorari, ſed in ſpiritu vehementi animus aduerſus illas excitatur, quoniam inimicus confuſus abſcedet à nobis, nec tam libenter illico reuertetur. Sed qui ſumus nos, aut quæ fortitudo noſtra, vt tam multis tentationib. reſiſtere valeamus? Hoc erat certe, quòd quærebat Deus, hoc erat ad quòd nos perducere ſatagebat, vt videntes defectum noſtrum, & quòd non eſt nobis auxilium aliud, ad eius miſericordiam tota humilitate curramus.* Ita Bernard.

D PARAPHRASIS Chaldaica hanc habet huius loci lectionem, *Nunquid ſi emendaueris opera tua remittetur tibi? quod ſi non emendaueris opera tua, ad diem iudicij peccatum tuum conſeruatur, quo futurum eſt, vt pœna ſumatur à te, ſi non pœnitentiam egeris: quod ſi pœnitentiam egeris, remittetur tibi.* Pro illa voce, *Opera*, vocabulum Hebræum non ſolùm operari, ſed etiam colere ſignificat: ideo quidam hoc loco cultum Dei, hoc eſt, ſacrificium quod Deo Cain obtulerat, interpretantur, quaſi Dominus eum monere voluerit, vt exemplo fratris ſui Abel, maiori deinceps fide ac pietate ſacrificia ſua offer-

ret, ſi

Libertas humanæ voluntatis.

Cum dæmone luctа periculoſiſſima.

Declaratur lectio, quam habet paraphraſis Chaldaica.

Vocabulum Chaldaicum quod hic deſignatur eſt, עבוד *Guadach.*

ret, si ea Deo grata & accepta esse cuperet. Alij verò ad bona opera, A
vitæque emendationem id referunt: quasi dixerit Dominus, Si emẽdaueris opera tua, tuámque vitã correxeris, placebunt mihi sacrificia tua, quæ nihil facio, si ea non ex animo fideli pio & innocenti proficiscãtur. Sic est profectò: dignitas & meritũ externorũ operũ, ex interiori cordis fide, pietate, & caritate spectatur & æstimatur. Verissimáque est illa Salomonis in libro Prouerbiorũ sententia: *Victimæ impiorũ abominabiles Domino: vota iustorum placabilia.* Verũ nullo modo hic tacendum est, quemadmodum hunc locum Thargum Hierosolymitanum interpretetur. Sic enim in eo est, *Nonne si emendaueris opera tua in sæculo isto, condonabitur & remittetur ibi in sæculo futuro: quod si non emendaueris opera tua in sæculo hoc, ad diem iudicij magni peccatum tuum conseruabitur, & ad ostium cordis quiescet. Verumtamen in manum tuam tradidi potestatem concupiscentiæ tuæ, & tu dominare ei siue ad bonum, siue ad malum.* B

Externa opera ex interiori fide & caritate pẽsantur.

Prouerb. 15.

Notabilis interpretatio huius loci, quam habet Thargũ Hierosolymitanũ.

SEQVITVR lectio Hebraica huius loci, quam breuiter explanãs B. Hieronymus in libro Quæstionum Hebraicarum in Genesim. *Necessitate compellimur*, ait, *in singulis diutius immorari, siquidem & nunc multò alius in Hebræo, quàm in Septuaginta translatoribus sensus est. Ait enim Dominus ad Cain: Quare irasceris, & quare concidit vultus tuus? Nonne si benè egeris, dimittetur tibi? & si non bene egeris, ante fores peccatum tuum sedebit: & ad te societas eius? sed tu magis dominare eius. Quod autem dicit, hoc est: Quare irasceris, & inuidiæ in fratrem liuore cruciatus, vultum demittis in terram? Nonne si bene feceris, dimittetur tibi omne delictum tuum? siue, vt Theodocion ait, acceptabile erit, ideſt, munus tuum suscipiam, vt susceperi fratris tui, quod si male egeris, illico peccatum ante vestibulum tuum sedebit, & tali ianitore comitaberis. Verum quia liberi arbitrij es, moneo, vt non tibi peccatum, sed tu peccato domineris.* Sic Hieronymus. Sed quia verbum Hebræum, שׂאֵת *Seeth*, pro quo Interpres vertit, recipies, significat etiam condonare & remittere, itémque attollere & leuare: propterea nonnulli sic vertunt ex Hebræo, *Nonne si bene egeris, condonabit*, subaudi, tibi Deus peccatum tuum? Alij sic, *Nonne si bene egeris, attolles, seu leuabis:* subaudi vultum tuum, ideſt, Nonne incedes recto vultu, viuésque in gaudio & lætitia? Nec desunt qui ad hunc modum interpretentur, *Nonne si bene egeris, exaltatio erit tibi?* quasi dicat, Tu videris dolere, quòd frater tuus sit elatus, & euectus supra te: at si etiam tu bene facere studueris, attolleris & exaltaberis vt ille, atque hanc isti explanationem conuenire magis Hebraicæ veritati contendunt. C D

Homo est liberi arbitrij.

Tractatur lectio Hebraica huius loci.

VERVM eorum, qui ad veritatem lectionis Hebraicæ sacras litteras interpretari & tractare studuerunt, nemo videtur subtiliùs & enucleatiùs hunc locum examinasse, quàm Hieronymus ab Oleastro: cuius super hoc loco plenum commentarium, probabilémque sententiã, ne quid lector desideret, hic adscribã. *Verbum*, inquit, שׂאֵת *Seeth, à* נָשָׂא *Nassa, ortũ habet, quod multa significat, propriè tamẽ videtur significare portare, leuare, & eleuare. Dictio verò* חַטָּאת *Chattàh, peccatum, significat*

Oleaster.

A *significat,& pœnam pro peccato inflictam,sicut Zachariæ 14.Hoc erit* חטאת *Cattath,hoc est,pœna peccati Ægypti* וחטאת *Vechattath,id est pœna peccati seu punitio omnium gentium. Significat etiam oblationem pro peccato frequenter in Exodo & Leuitico.Vt Leuitici quarto, Omnem adipem iuuenci* החטאת *Hachattath, id est,peccati seu oblationis pro peccato, quo capite ter aut quater in eadem accipitur significatione Sequens vero dictio, scilicet* רבץ *Robes, quam vertimus Cubans significat iacere, cubare, vt patet infra Geneseos 49. Curuauit se* רבץ *Rabas, id est, accubuit seu iacuit vt leo. Sic Iob 11.* ורבזת *Verabastha,id est, & accumbes, aut iacebis, & non erit exterrens. Potest ergo hic* חטאת *Chattath, significare punitionem peccati, &*

B *peccatum ipsum. Et si pœnam aut punitionem significet tunc sensus est, Nonne si bene egeris, portare,id est, portabis præmium. Si autem non bene egeris ad ostium peccatum iacet? id est,propter te est punitio peccati: Et ad te desiderium eius, id est, cupit te tenere pœna peccati tui: Sed tu, si vis dominaberis illius, id est, apud te situm erit declinare pœnam eius seu punitionem. Loquitur autem hic Dominus metaphoricè, comparando peccatum seu punitionem peccati cani,qui ad ostium cubat cupiens ingredi:sed in potestate Domini est claudere ianuam, ne ingrediatur, aut aperire,vt intret. Nouerat enim cordium scrutator,Cain iniquè aduersus fratrem cogitare, ideo illi dicit, punitionem ad ostium iacere. Videtur enim quod quamprimum aliquis peccatum committit, pœna seu punitio desideret eum tenere: & iste meo iudicio est sensus huius loci. Si autem peccatum pro peccato, & non pro punitione*

C *accipias, tunc sensus erit, si bene egeris, leuare,id est, erit leuatio peccati,seu condonatio,id est. Si bene egeris, facilis erit condonatio peccati. Alis,si bene egeris erit leuatio animi & vultus qui concidit:ac si dicat, erit hilaritas: Si non bene egeris,peccatum ad ostium cubat,id est,desiderium occidendi fratrem prope te est,& cupit ad te ingredi scilicet ad exequendum homicidium,sed in potestate tua erit acceptare. Præfert autem priorem sensum secundo contextus littera:præcedit enim:Nonne si bene egeris,portabis,scilicet præmium. vbi non de bono opere,sed de præmio illius est sermo.Cùm ergo sequitur,Si autem malè, ad ostium peccatum cubat: videtur etiam de pœna seupunitione peccati esse sermo:ac si dicat,Si bene egeris,portabis præmium, si verò malè pœnam, quoniam punitio è vestigio peccatum sequitur,&c.*

Restat lectio Græca huius loci secundum translationem

D Septuaginta interpretum, quam plerique Patrum secuti sunt: ea verò, vt ipsam citat Hieronymus in libro Traditionum Hebraicarum in Genesim,vt videre licet apud Ambrosium, Chrysostomum, & Augustinum,sic habebat,*Dixit Dominus ad Cain,Quare concidit vultus tuus? Nonne si rectè offeras, non rectè autem diuidas,peccasti? Quiesce:ad te conuersio eius, & tu dominaberis illius.* Cuius lectionis instar copiosissimi & exactissimi commentarij atque interpretationis, lectori esse debent quæ tres eximij Catholicæ Ecclesiæ Doctores Ambrosius,Chrysostomus,& Augustinus,hunc locum pertractantes, scriptis suis prodiderunt.Ambrosius quidem certè libri secundi de Cain & Abel extremo capite sexto & per totum caput septimum ad hunc

Interpretatio huius loci secundum Ambrosium.

modum scribit: *Non ergo quantitas oblationis, sed animus reddentis, & qualitas consideratur, & affectus. Rectè igitur Cain obtulit, quia oblatio insigne deuotionis, & indicium gratiarum est: sed non rectè diuisit, quia ante omnia Deo debuit deferre primitias, vt à gratia inchoaret auctoris. Etenim diuisionis hic ordo est, vt prima secundis, non primis secunda præcurrant, & cœlestia terrenis, non terrena cœlestibus præferantur. Sed quia Cain hunc ordinem confudit, dicitur ei Peccasti: quiesce. Omnia docet Deus primum ne pecces, vt in Adam monuit: secundo, si peccaueris, quiescas, vt in Cain doceris: Erubescere enim debemus, & condemnare peccatum non defendere, quia pudore culpa minuitur, defensione cumulatur Et silendo corrigimur, contentione prolabimur. Sit saltem verecundia, vbi non est absolutio. Inde illud, Iustus in exordio sermonis accusator est sui, & per Isaiam Dominus, Dic tu iniquitates tuas primus vt iustificeris. Quanta pudoris gratia, vt iustitiã teneat verecundia, quam culpa reatus abstulerit. Ideo autem ait, Quiesce, quoniam non habes, quod excuses. Culpæ ipsius ad te conuersio est: non enim frater ei adiicitur, sed error adscribitur cuius ipse sibi auctor est, In te, inquit, reuertetur crimen, quod à te cœpit. Non habes in quo necessitatem magis quam mentem tuã arguas. In te retorquetur improbitas, tu princeps es illius. Bene ait, Tu princeps es illius. Etenim impietas mater est delictorum, & qui grauiora peccauerit, in cætera facile prolabitur. Quomodo enim ab humanis temperare, qui diuina violauit, & hominibus bonus esse potest, qui Deum læsit? Atrociorum igitur scelerum reatum vitia quælibet sequuntur, quoniã quo flagitiosa propẽderint, eo inclinãt cætera. Tu ergo princeps operis tui, tu dux criminis: nõ te inuitũ, nõ imprudentẽ error attraxit, sed voluntarius reus: iudicio nõ lapsu fecisti dolum, quo te diuinæ iniuriæ reũ ipse conuincis.* Sic Ambrosius.

Prouerb. 18. Isaiæ 43. Iuxta 70.

Interpretatio eiusdẽ loci secũdum Chrysostomum.

HVNC ipsum locum ampla, vt solet, & diserta oratione explanãs Chrysostomus homilia 18. in Genesim, ad hunc modum scribit: *Expende ineffabilem Dei misericordiam, & in docendo, nobis congruam humilitatem. Postquam enim vidit ipsum Cain ab inuidentiæ affectione oppugnari, pro sua benignitate congrua ipsi remedia apponit, vt statim emergat & aquis non obtegatur, Quare, inquit, tristis factus es? quare concidit vultus tuus? quia & in facie mœroris magnitudinem ostendis: quare ira te inuasit? quare nõ à te ipso quod oportebat fieri considerasti? Non homini sacrificium obtulisti, qui falli possit? ignoras quod mihi non est opus vt aliquid offeratur, sed sanam offerentium mentem volo? Quare concidit vultus tuus? Nonne si rectè obtulisti, non rectè autem diuidas? Hoc quidem, quod in animum accepisti esse offerendum, laude dignum est, quod verò non rectè diuidis, oblati repudiationem operatum est. Oportet enim offerentem Deo, in discernendo magnam adhibere diligentiam. Et quantum differunt, qui offert, & qui accipit, tanta & in discretione facienda diuersitas. At horum nihil tu cogitasti, sed vt fortuito contigit, obtulisti: Atque idcirco non potuerunt esse accepta munera tua, Nam sicut intentio tua, cum qua oblationem feci sti, nihil distare existimans, reiectanea fecit, quæ à te sunt oblata, sic fratris tui animus, qui rectus fuit, & dignum in discernendo studium habuit, accepta illius dona fecit. Verum tamẽ neque sic poenam delicti repeto, sed ostendo duntaxat delictum, & consilium affero;*

Offerentem Deo in discernẽdo magnam oportet adhibere diligentiam.

quod si

A *quod si accipere volueris, & peccatum emendabis, & teipsum grauioribus malis non inuolues. Quomodo? Peccasti, & grauiter peccasti, sed non punio propter delictum: misericors enim sum, & nolo mortem peccatoris, sed vt conuertatur & viuat. Igitur quia peccasti, quiesce tranquillitatem facito tuarũ cogitationum, & libera mentem à procellis fluctuum inũdantium: cohibe tumultus illos tuos, ne addas priori peccato grauius aliud: Ne consilium arripias, vt medicina post hac nihil prosit. Ne te ipsum maligno dæmoni captiuũ tradas Peccasti, quiesce. Sciebat ab initio quod fratrem hic adoriturus esset, & ideo antea verbis reprimit. Deus enim cui etiam arcana sunt cognita quia sciebat cordis illius motus, multum admonendo, & verba illius infirmitati accommoda proferendo congruam ipsi narrationem protulit, sua omnia faciens, tametsi ille repulsõ medicamento, in fratricidij profundum se præcipitarit. Peccasti,* Ezech. 18.

B *quiesce. Ne putes, inquit, licet tuum aduersatus sim sacrificium ob prauam mẽtem, fratrisq; oblationem acceptam habuerim ob sanam intentionem, quod ideo primatu te destituam, & primogenituræ dignitatem à te auferam. Nam licet honore ego illum prosecutus fuerim, acceptaq; fuerint illius dona: verum tamẽ ad te conuersio illius, & tu ipsius dominaberis. Atque post peccatũ hoc permitto vt primogenituræ priuilegiis gaudeas, illúmq; sub tua potestate & dominio esse iubeo. Vide misericordiam Domini, quomodo furorem & insaniam illius demulcere & verbis his impetum auferre nititur. Quippe motus mentis illius videns, & crudelem, ac sanguinariam illius voluntatem sciens, nunc præmitigare eius rationem vult, & serenitatem menti inducere, subiiciendo ipsi fratrẽ, & potestatem ipsius nihil minuendo. Veruntamen post tantam curam & tanta*

C *remedia, nihil commodi amplius inde sensit.* Hæc Chrysostomus.

VERVM hęc ipsa verba secundum lectionem quam supra posuimus Septuaginta interpretũ, diligẽtissimè & accuratissimè interpretatus est Augustinus libro 15. de Ciuit. Dei capit. 7. *Locutus, inquit, est Deus ad Cain eo modo, quo primis hominibus per creaturã subiectam, vel vt eorum socius forma congrua loquebatur. Verum quid hoc profuit Cain? non ne conceptum scelus in necando fratre etiam post verbum diuinæ admonitionis impleuit? Nam cùm sacrificia discreuisset amborum in illius respiciẽs huius despiciens, quod nõ dubitandum est potuisse cognosci signo aliquo attestante visibili: & hoc ideo fecisset Deus, quia mala erant opera huius, fratris verò eius bona: contristatus est Cain valde, & concidit facies eius. Sic enim*

D *scriptum est. Et dixit Dominus ad Cain. Quare tristis factus es, & quare concidit facies tua? Nonne si rectè offeras, rectè autem non diuidas, peccasti? Quiesce, ad te enim conuersio eius, & tu dominaberis illius. In hac admonitione, quam Deus protulit ad Cain illud quidem quod dictum est: Nonne si rectè offeras, rectè autem non diuidas peccasti? Quia non elucet cur vel vnde sit dictum, multos sensus peperit eius obscuritas, cùm diuinarum Scripturarum quisque tractator secundum fidei regulam id conatur exprimere. Rectè quippe offertur sacrificium, cum offertur Deo vero, cui vni tantummodo sacrificandum est. Non autem rectè diuiditur, dum non discernuntur rectè, vel loca, vel tempora, vel res ipsæ quæ offeruntur, vel qui offert, vel cui offertur, vel hi quibus ad vescendum distribuitur quod oblatũ est: vt di*

Diligentissima huius loci secundũ Augustinum explanatio Deus quomodo cum patribus loqueretur.

Sacrificium rectè offertur cum vero Deo offertur.

A

vt diuisionem intelligamus hic discretionem, siue cum offertur, vbi non oportet, aut quod non ibi, sed alibi oportet, siue cùm offertur quando non oportet aut quod non tunc, sed alias oportet: siue cum id offertur, quod nusquam & nunquam penitus debuit: siue cum electiora sibi eiusdem generis rerum tenet homo, quàm sunt ea quæ offert Deo: siue cùm eius rei quæ oblata est, fit particeps profanus, aut quilibet, quem fas non est fieri. In quo autem horum Deo displicuerit Cain, facile non potest inueniri.

1. Ioan. 3.

SED *quoniam Ioannes Apostolus cum de his fratribus loqueretur, Non sicut Cain, inquit, qui ex maligno erat, & occidit fratrem suum, & cuius rei gratia occidit eum? quia opera eius maligna fuerunt, fratris autem eius iusta, datur intelligi, propterea Deum nõ respexisse in munera eius, quia hoc ipso male diuidebat dans Deo aliquid suum, sibi autem seipsum. Quod omnes faciunt, qui non Dei, sed suam sectantes voluntatem, id est, non recto sed peruerso corde viuentes, offerunt tamen Deo munus, quo putant eum redimi, vt eorum non opitularetur sanandis prauis cupiditatibus, sed explendis. Et hoc est proprium terrenæ ciuitatis, Deum vel deos colere, quibus adiuuantibus regnet in victoriis, & pace terrena, non caritate consulendi, sed dominandi cupiditate. Boni quippe ad hoc vtuntur mundo, vt fruantur Deo: mali autem contra, vt fruantur mundo, vti volunt Deo, qui tamen eum vel esse, vel res humanas curare iam credunt: sunt enim multo deteriores, qui nec hoc quidem credunt. Cognito itaque Cain, quod super eius germani sacrificium non super suam respexerat Deus, vtique fratrem bonum mutatus imitari, non elatus debuit æmulari. Sed quia contristatus est, & concidit vultus eius, hoc peccatum maximè arguit Deus, tristitiam de alterius bonitate, & hoc fratris. Hoc quippe arguendo, interrogauit dicens. Quare contristatus es? & quare concidit facies tua? Quia enim fratri inuidebat. Deus videbat, & hoc arguebat. Nam hominibus, quibus absconditum est cor alterius esse posset ambiguum & prorsus incertum, vtrum illa tristitia malignitatem suam, in qua se Deo displicuisse didicerat, an fratris doluerit bonitatem, quæ Deo placuit, cum in sacrificium eius aspexit. Sed rationem Deus reddens, cur eius oblationem accipere noluerit, vt sibi ipse potius meritò, quàm ei immeritò frater displiceret, cum esset iniustus, non rectè diuidendo, hoc est, non rectè viuendo, & indignus cuius approbaretur oblatio, quàm esset iniustus quod fratrem iustum gratis odisset, ostendit. Non tamen eum dimittens sine mandato sancto, iusto, & bono, Quiesce, inquit, ad te enim conuersio eius, & tu dominaberis illius. Nũquid fratris? absit. Cuius igitur, nisi peccati? Dixerat enim: Peccasti: tum deinde addidit, Quiesce, ad te conuersio eius, & tu dominaberis illius. Potest quidem ita intelligi, ad ipsum hominem conuersionem esse debere peccati, vt nulli alij quàm sibi sciat tribuere debere quod peccat. Hæc est enim salubris pœnitentiæ medicina, & veniæ petitio non incongrua, vt vbi ait. Ad te enim conuersio eius, non subauditur Erit, sed Sit, præcipientis videlicet non prædicentis modo. Tunc enim dominabitur quisque peccato, si id sibi non defendendo proposuerit, sed pœnitendo subiecerit alioquin & illi seruiet dominanti si patrocinium adhibuerit accedenti.*

B

C

D

Boni vtuntur mũdo vt fruãtur Deo.

Inuidentiam caritatis fraternæ maximè Deus arguit.

Homo nulli alij quam sibi peccatum suũ debet tribuere.

Concupiscentia caritatis peccatum suũ appellatur.

SED *vt peccatum intelligatur concupiscentia ipsa carnalis, de qua dicit Apostolus*

A *Apostolus. Caro concupiscit aduersus spiritum, in cuius carnis fructibus & inuidiam commemorat, qua vtique Cain stimulabatur & accendebatur in fratris exitium, bene subauditur erit, id est, ad te enim conuersio eius erit, & tu dominaberis illius. Cum enim commota fuerit pars ipsa carnalis, quàm peccatũ appellat Apostolus, vbi dicit, non ego operor illud, sed quod habitat in me peccatum: quam partem animi etiã Philosophi dicunt esse vitiosam. non quæ mentem debeat trahere, sed cui mens debeat imperare, eámque ab illicitis operibus ratione cohibere: cum ergo commota fuerit ad aliquid perperam committẽdum, si acquiescatur & obtemperetur dicenti Apostolo, Ne exhibeatis membra vestra arma iniquitatis peccato, ad mentem domita & victa conuertitur, vt subdita ratio dominetur. Hoc præcepit Deus huic qui facibus inuidiæ inflammabatur in fratrem, & quem debuerat imitari cupiebat auferre, Quiesce, inquit, id* Rom. 7. Rom. 6.

B *est, manus à scelere contine. Non regnet peccatum in tuo mortali corpore ad obediẽdum desideriis eius, nec exhibeas membra tua iniquitatis arma peccato. Ad te enim conuersio eius, dum non adiuuatur relaxando, sed quiescendo frœnatur. Et tu dominaberis illius, vt cum forinsecus non permittitur operari sub potestate mentis regentis & beneuolentis assuescat etiam intrinsecus non moueri.*

DICTVM *est tale aliquid in eodem diuino libro & de muliere, quando post peccatum, Deo interrogante atque iudicante, damnationis sententias acceperunt in serpente diabolus, & in se ipsis illa & maritus. Cùm enim dixisset, ei Multiplicans multiplicabo tristitias tuas, & gemitum tuum, & in tristitiis paries filios: deinde addidit, Et ad virum tuum conuersio tua, & ipse dominabitur tui. Quod dictum est ad Cain de peccato, vel de vitiosa carnis concupis-* Genes. 3.

C *centia, hoc isto in loco de peccatrice fœmina: vbi intelligendum est, virum ad regendam vxorem animo carnem regenti similem esse oportere. Propter quod dictt Apostolus, Qui diligit vxorem suam, seipsum diligit. Nemo enim vnquã carnem suam odio habuit. Sananda sunt enim hæc sicut nostra, non sicut aliena damnanda. Sed illud Dei præceptum Cain sicut præuaricator accepit. Inualescente quippe inuidentiæ vitio, fratrem insidiatus occidit. Talis erat terrenæ conditor ciuitatis, Quomodo significauerit etiam Cain Iudæos, à quibus Christus occisus est pastor ouium hominum, quem pastor ouium pecorum præfigurabat Abel, quia in allegoria prophetica res est: parco nunc dicere, & quædam hinc aduersus Faustum Minichæum dixisse me recolo.* Sic Augustinus. Ephes. 5. Lib. 22. c. 17

D *Dixítque Cain ad Abel fratrem suum: Egrediamur foras. Cumque essent in agro, consurrexit Cain aduersus fratrẽ suum Abel, & interfecit eum. Et ait Dominus ad Cain, vbi est Abel frater tuus? Qui respondit, Nescio: numquid custos fratris mei sum ego?* VERS. 8. & 9.

PRo illo *Egrediamur foras*, Græcè est *In agrum*, seu vt legit Ambrosius *In campum*. At verò Hebraicè & Chaldaicè neutrum est, sed præcisè est, *Dixit Cain ad Abel fratrem suum*: quid *Varia interpretatio huius loci.*

Hieronym. in lib. Traditionum Hebraicarum in Geneſim.

autẽ dixerit, non explicatur. Hieronymus ſubaudiẽdum putat dixiſſe Cain fratri ſuo Abel, quæ ſibi locutus fuerat Dominus. Superfluum ergo eſt; inquit Hieronym. quod in Samaritanorũ, & noſtro volumine reperitur *Tranſeamus in campum.* Volumen autem Samaritanorum, intelligit Hieronymus Pentateuchum Moſis, quod habebant Samaritani, totidem litteris, quot Hebræi vtentes, figuris tantùm & apicibus diſcrepantes, vt habet ipſe in Prologo, qui vulgo appellatur Galeatus. Eſdras, verò poſt reuerſionem Hebræorum ex Babylonica captiuitate alias litteras reperit, quibus ad hodiernum diem conſtat lingua Hebræa: cùm ad illud vſque tempus iidem Samaritanorum & Hebræorum fuiſſent characteres. Secundum igitur B. Hieronymum Cain dixit fratri Abel, quæcunque Deus monendo ipſum locutus fuerat. Alij putant eum blandè & amanter locutum cum Abel, diſſimulando odium, quòd pectore gerebat, quò facilius eum quo vellet adduceret, incautumque opprimeret. A B

Hieronym. in Præfatio. in lib. Reg. Eſdras Hebræorum litteras reperit.

CAIETANVS incertum ſcribit eſſe vtrum pacificus fuerit ſermo Cain, an prouocatiuus ad iram. *Si enim,* inquit, *ad præcedentem monitionem diuinam ſpectetur, fieri potuit, vt Cain pacificè loqueretur cum Abel ſictè tamen ſimulans reuerentiam diuinæ monitionis, Si verò ad ſubſequens factum eius ſpectetur, fieri potuit, vt inchoaret à verbis duris & cõtumelioſis: laceſſendo Abel, vt vel hinc occaſionem caperet ſæuiendi in eum. Prior tamen ſenſus quadrat magis textui & contextui. Textui quidem, nam quia non narratur, quid dixerit Cain, inſinuatur eum non fuiſſe ira ſic impeditum, quo minus vt ſolebat familiariter cum fratre ſuo colloqueretur: contextui autem, quia ſubiungitur eos ſimul eſſe verſatos in agro, à qua conuerſatione abſtinuiſſet Abel ſi fratrem ſuum iratum aduerſus ſe ſenſiſſet: & ad huius ſenſus confirmationem ſubditur, cum ambo eſſent in agro Cain conſurrexiſſe aduerſus Abel & interfeciſſe eum. Dicendo enim ſurrexiſſe, ſignificat ex improuiſo, tùm ſcilicet iaceret aut ſederet, ſurrexiſſe aduerſus Abel, vel vt Hebraicè eſt, ad Abel, videlicet aggrediendum, vel forte apprehendendum ſedentem ſeu iacentem, quò facilius & omnino illæſus ipſe interficeret eum.* C

Obſeruanda interpretatio huius loci ſecũdum paraphraſim Hieroſolymitanã.

AVCTOR paraphraſis Hieroſolymitanæ enucleatius narrans quid Cain dixerit fratri Abel, quod Hebraicè expreſſum non fuerat ſic habet hoc loco: *Dixit Cain ad Abel, veni & egrediamur in agrum. Et accidit, cùm egreſſi eſſent ambo in agrum, reſpondit Cain, Non eſt iudicium, nec iudex, nec ſæculum aliud, nec merces bona pro iuſtis, nec pœna pro impiis: Nec Dei miſericordia creatus eſt mundus, nec Dei miſericordia regitur, eo quod ſuſcepta eſt oblatio tua cum beneplacito, mea autem non eſt ſuſcepta cum beneplacito. Reſpondit Abel, & dixit ad Cain: Eſt iudicium, eſt iudex, eſt ſæculum aliud, eſt item merces pro bonis, & pœna pro impiis: Miſericordia quoque Dei mundus creatus eſt, & miſericordia Dei gubernatur: quia verò meliora fuerunt opera mea tuis, ſuſcepta eſt oblatio mea cum beneplacito, tua autem non eſt ſuſcepta. Cúmque duo iſti contenderent in agro, inſurrexit Cain contra Abel, & occidit eum.* Sic eſt in paraphraſi Hieroſolymitana. D

S. Ambroſius interpretans hæc verba, quæ Cain dixit fratri Abel

Exeamus

A *Exeamus in campum*, lib.2.de Cain & Abel cap.8. *Admonitus*, inquit, *à Deo Cain vt quieſceret, auget inſolentiam, acerbat flagitium. Quid igitur ſibi vult quod ait, Eamus in campum? niſi quia locus nudus gignentium, eligitur parricidio? Vbi enim frater habebat occidi, niſi vbi fructus deeſſet? Tamquã præſagiens natura tanti ſceleris loco germina denegauerat, quia non conueniebat, vt idem ſolum, & contagia parricidalis ſanguinis reciperet præter naturam, & fructus ſecundum naturam germinaret. Meritò ipſe dicit, eamus in campum. Non dicit, eamus in Paradiſum, vbi poma florent, non in aliquem cultum & fructiferum locum. Ipſi parricidæ indicant fructum ſe ſceleris habere non poſſe, nec penes eos fructum manere, qui tãtæ impietati præbuerint offi ciũ. Nam ipſam refugiunt elemẽtorum benignitatem, vt iſte Cain, qui videtur veritus ne largior boni terræ prouentus triſte facinus impediret, & liberalitatis aſſuetudine genitalis, qua fucit ſibi fœtus & fructus varios germinaſcere, in hoc quoque criminis apparatu, vel muta ſpecie ſui fraternum reuocare affectum. Latro diem refugit quaſi criminis teſtem, lucem adulter erubeſcit quaſi adulterij conſciam, parricida terrarum fœcunditatẽ fugit. Quomodo enim poterat communis partus videre conſortia, qui conſortem ſui ſanguinis trucidabat? Ioſeph in lacum mittitur ſiccum. Amnon intra domum occiditur. Iuſtum igitur natura eſt impertita iudicium, ea loca in quibus erat futurum parricidium, muneris ſui dote priuando, vt ex innocentis ſoli quadam damnatione, oſtenderet futura ſupplicia noxiorum: propter ſcelus igitur hominum & ipſa elementa damnantur. Denique Dauid montibus in quibus Ionathas cum patre interemptus eſt, perpetuæ* B *pœnam ſterilitatis optauit dicens, Montes qui eſtis in Gelboë, neque ros, neque pluuia cadat ſuper vos montes mortis.* Hæc Ambroſius.

Genes 37. 2.Reg.13.

2.Reg.1.

C Qvo autem necis genere occiſus ſit Abel, non explicauit Moſes. Sed necem eius fuiſſe cũ ſanguinis effuſione cõiunctã indicauit Dominus illis verbis, *Vox ſanguinis fratris tui clamat ad me de terra:* & dominus noſter apud Matthęũ c.23. *A ſanguine*, inquit, *Abel iuſti &c.* nõ igitur ſtrangulatione, vel demerſione in aquã necatus eſt. Hebræorum nonnulli tradunt eũ fuiſſe morſibus à Cain dilaceratũ quod ab illis, non quia verũ eſt, ſed quo vehementius odium & rabiẽ Cain aduerſus Abel exaggerarent, confictum eſt. Aut igitur ferro, aut fuſtibus, aut labidibus peremptus eſt. Putat Catharinus hoc loco, diabolũ inſtigaſſe & incitaſſe Cain ad odium & necem fratris Abel, verentem ſcilicet, nẽ quia ſanctus & innocens Deóque gratiſſimus erat Abel, D eſſet ipſe illud mulieris ſemen, aut certè progenerandum ex eo eſſet, à quo ſerpentis caput contritum iri prædictum à Deo fuerat.

Quo genere necis interẽptus ſit Abel.

Sed priuſquã ad alia trãſeã, iuuat hoc loco ponere quẽadmodũ hiſtoriã horũ fratrũ ad hunc vſq; locum in 1.lib.Antiquitatũ enarret Ioſephus. *Nati ſunt*, inquit, *Adamo & Heuæ filij mares duo natæ ſunt etiam filiæ: Filius prior natus eſt Cain, quòd interpretatur acquiſitio. Abel poſterior natus eſt: ea vox luctũ ſignificat, Et hi quidẽ ſuis quiſque ſtudiis intenti erant. Abel iuſtitiã colebat, & omnibus ſuis actionibus Deũ præſentem ratus, virtuti operã dabat, paſtoralẽ vitã agitans: Cain vero peſſimus erat, lucróque inhians terram arare primus excogitauit. Cumq; Deo vterque ſacrificaret, Cain agri & arbo*

Expoſitio Ioſephi.

Friuola ratio Ioſephi cur ſacrificium Abel potius quam Cain acceptũ Deo fuerit.

& arborum fructus obtulit, Abel verò primogenita pecorum. Cuius sacrificium A
Deo fuit acceptius, quod spõte naturæ genitis constaret, quàm ea, quæ homo auarus & industrius per vim quamdam à natura extorserat. Ideo Cain interfecit fratrem, & cadauere eius abdito, rem clam fore putabat. Sic Iosephus.

VERS. 9. & 10. *Et ait Dominus ad Cain, Vbi est Abel frater tuus? Qui respondit, Nescio, numquid custos fratris mei sum ego? Dixitq; ad eum. Quid fecisti? Vox sanguinis fratris tui clamat ad me de terra.*

HIc dialogus inter Deum & Cain, ait Caietanus, in ali- B
qua sensibili specie factus videtur, ex tot colloquiis inter vtrumque intercedentibus, & insuper ex sensibili signo, quod Cain impetrauit à Deo. Supra tamen cùm primùm Deus locutus est Cain dicens, *Quare iratus es? & cur concidit facies tua?* idem Caietanus putat locutum esse Deum, non per externum sermonem, aut speciem aliquam sensibilem, sed interiori & spiritali locutione, eo scilicet modo quo secundum suauem humani generis gubernationem consueuit Deus alloqui homines post peccatum, arguendo eos vt resipiscant, per interiorem synderesis accusationem & reprehensionem. Hic autem Deus, inquisitionem cædis Abel inchoat à loco dicens, *Vbi est Abel?* vt quia nusquã C
Abel apparebat, inciperet Cain agnoscere crimen suum esse deprehensum. Inquirit præterea, vt doceat iudices hominum, vt citẽt reum quantumcumque certum priusquam eum iudicent: nec aliqua vitur contumelia, vt etiam iudices exercendis iudiciis ab omni se se iniuria & conuicio abstineant.

Iudices sæculares ex hoc Dei facto quid dicere debeant.

SECVNDVM Ambrosium lib. 2. de Cain & Abel cap. 9. interrogat Deus Cain de fratre Abel, quo eum ad confessionem criminis & ad pœnitentiam adducat. *Confessio enim criminum*, inquit, *pœnarum compendium est, Inde in iudiciis secularibus impositi equuleo torquentur negantes, & quædam tangit iudicem miseratio confitentis. Est quædam in peccatis verecundia, & pœnitentiæ portio crimen fateri, non deriuare culpam, sed recognoscere. Mitigat iudicem pudor reorum, excitat autem pertinacia denegantium. Vult te prouocare ad pœnitentiam Deus: vult de se sperari indulgentiam: vult demonstrare tua confessione, quod non sit ipse auctor malitiæ. Nam qui peccatum suum ad quamdam referunt, vt Gentiles asserunt decreti aut operis sui necessitatem, diuina arguere videntur, quasi ipsorum vis causa peccati sit. Qui enim necessitate aliqua coactus occiderit, quasi inuitus occidit. Ea verò quæ à nobis sunt, excusationem nõ habent: quæ autem præter nos sunt, excusabilia sunt. Sed quantò grauius peccato ipso, ad Deũ referre quod feceris, & reatus tui inuidiam transfundere in auctorẽ non criminis, sed innocẽtiæ?* Hæc Ambrosius.

Præclarum Ambrosij dictum de voluntaria confessione peccatorum.

Deus non est auctor mali, nec necessitate coacti homines peccant.

SED perpende Caini responsum, mendax nempe, impium, denique inhu

A que inhumanum, & ferum. *Nescio: nunquid custos fratris mei sum ego?* mendax, quia negat, se scire quod ipse tamen fecerat: impium, quia negat Deo, quasi eum latere posset quod ipse fecerat. Corpus enim Abel à se occisi aliquo loco abstruserat, vel terra contexerat, idque Dei notitiam fugere posse putauerat, Cur igitur non huic confestim accidit, quod illi Ananiæ, cui cum Petrus dixisset: *Non es mentitus hominibus sed Deo*, continuò cecidit exanimatus? Sed Deus, quæ est eius clementia, vitæ Cain ad tẽpus pepercit. Illud quoque: *Nunquid custos fratris mei sum ego?* tanquam indignabundus locutus irreuerẽtiam & impietatem suam ergà Deum declarauit. Quanta verò inhumanitas B & feritas est, omnem fraterni amoris affectum exuisse & abiecisse? an æquum non erat, vt maior natu frater, minoris tutelam & custodiam gereret? Sed dissimulanti crimen instat, Deus, *Quid*, inquit, *fecisti?* ne inquit, nega: scelus mihi notissimum est. Sed quomodo tã immane scelus animo concipere & patrare ausus es? *Quid fecisti?* necdũ agnoscis immanitatem tui criminis? recognosce & perpende quid egeris, vt tanti sceleris recognitione, ad confessionem & pœnitentiã eius venias, quò veniam & indulgentiam à me possis impetrare.

Responsum Cain fuit mẽdax impium, & inhumanũ ac ferum. Actor. 5.

Qvo autem Dominus omnem dissimulationem Cain retegeret, omnémque tergiuersationem præcideret, indicat ei scelus fratricidij. *Vox*, inquit, *sanguinis fratris tui clamat ad me de terra*, quasi dicat, Non opus est testibus, non tua confessione: ipse sanguis, quem cru- C deliter fudisti, scelus tuum prodit, testatur, summóque clamore à me vindictam tui flagitat. Hebraicè est numero plurali דְּמֵי קוֹל *Kol demi. Vox sanguinum:* vel ad declarandam copiam effusi sanguinis vel quod propter multa vulnera quæ Cain inflixerat, multifariam ex corpore Abel sangus fusus fuerat, vel quia occisus fuerat Abel priusquam prolem vllam generaret, quapropter eo interfecto, omnes eius posteri, qui procreari ex eo potuissent, quodammodo simul cum eo interfecti fuerat.

Legimvs porrò in sacris litteris, quatuor esse genera peccato rum quæ præter cætera clamant ad Deum, id est, magnam & celerẽ eius vindictam deposcunt. Vnum est peccatum homicidij, de quo D dixit Deus hoc loco: *Vox sanguinis fratris tui clamat ad me de terra* Alterum est peccatum & nefandum & cõtra naturam, de quo c. 18. huius libri dixit Deus: *Clamor Sodomorum & Gomorrhæorum multiplicatus est, & peccatum eorum aggrauatum est nimis Descendam, & videbo vtrũ clamorem, qui venit ad me, opere compleuerint.* Tertium peccatum est oppressio infirmorum, vnde in lib. Exo. cap. 3. *Clamor*, inquit, *filiorũ Israel venit ad me, vidiq; afflictionem eorum, qua ab Aegyptis opprimũtur.* Quartum, est retentio mercedis operariorum, de qua B. Iacobus ca. 5. suæ Epistolæ sic habet: *Ecce merces operariorum, qui messuerunt regiones vestras, quæ fraudata est à vobis, clamat: & clamor eorum in aures Domini Sabaoth introiuit.* Ergo sanguis Abel clamabat ad Deum, scilicet vindictam postulans: quemadmodum animas sanctorum Martyrum,

Quattuor genera peccatorũ quæ clamãt ad Deũ.

quæ in cœlis sunt,audiuit Ioannes, vt scribit ipse in Apocaly. cap. 6. A clamantes voce magna,& dicentes:*Vsquequo Domine(sanctus & verus) non iudicas,& non vindicas sanguinem nostrum de iis qui habitant in terra?* Quoniam autem sanguis Christi fusus à Iudæis, clamabat apud Deũ non vindictam,sed misericordiam & indulgentiam,iccirco Paulus ad Heb.12.scripsit:sanguinem Christi melius loqui apud *D*eum, quam sanguinem Abel.

VER. II. & 12. *Nunc igitur maledictus eris super terram, quæ aperuit os suum,& suscepit sanguinem fratris tui de manu tua. Cùm operatus fueris eam, non dabit tibi fructus suos: vagus & profugus eris super terram.* B

TRIA mala his verbis pronunciat Deus euentura Cain propter eius fratricidium. Vnum est, fore eum maledictũ super terrã.Alterum est,eius laborem in colẽdo terrã fore irritũ & infructuosum.Tertium est,vagũ & profugũ deinceps vitã acturum. Illud *Maledictus eris super terram,*vel vt est Hebraicè מִן הָאֲדָמָה *min haadamah,Et terra,*significat eũ quo ad viueret in terris,maledictũ iri ab hominibus,qui super terram habitant.Non enim tantum,qui tempore Cain vixerunt, verum etiam qui omnibus post sæculis futuri erant, maledicturi erant Cain propter execrandũ fratricidij scelus, eum q; vt mõstrum & pestem humani generis abominaturi.In eo prætereainfortunatus erat C futurus Cain,quod multum laborans in colendo terram, exiguũ tamen,aut,nullum percepturus erat fructum. Incidebat enim in terrã sterilem,aut si terra fruges tulerat,eas tamen vel locusta aliúdve animal,vel aduersa cœli tempestas perdebat. Quamquam pro eo quod nos legimus. *Non dabit tibi fructus suos.* Hebraicè ad verbum est: לֹא תֹסֵף הַתְּ בֹּחַ לָךְ *lo thoseph theh ,cochah lac. Non dabit tibi robur,seu vires suas,* id est, fructum, qui ex vi & facultate terræ nascitur. Vel,non dabit fructũ iuxta vires suas.id est,non tantũ quantum ipsa ferre posset, Deo scilicet vim fœcunditatis eius cohibente ac reprimente in pœnam Cain.Denique illud *Vagus & profugus,*significat infelicissimam eius vitam in posterum futuram, quippe qui nullũ cer- D tum habiturus esset domicilium, sed huc illuc pererrans semper, ac profugus, detestabiliorem morte vitam esset acturus. Pro illa voce *Vagus* Hebræa vox נָע *na* significat commotum,nutãtem:ac trementem,vt sit sensus:Tu animo pariter,atque corpore cõmotus, & semper quasi nutabundus ac tremebundus viues, fugiens hominum cõspectum & iudicium,scelus tuum execrantium, extremóque supplicio dignissimum iudicantium.

Triplex malũ prædictum & inflictum Cain.

VIDETVR igitur triplex malum prædici Cain, vnum in anima cũ dicitur:*Maledictus eris super terram*:alterũ in rebus externis, cùm dicitur:*Terra non dabit tibi fructum suum* : tertiũ in corpore, cum dicitur

A tur: *Vagus, & profugus eris.* Et Adamo quidē dixerat Deus: *Maledicta terra in opere tuo:* Caino autem dixit: *Maledictus tu super terrā,* quod multo grauius est quàm illud. Nimirum similiter dixit serpēti: *Maledictus es inter omnia animantia & bestias terræ.* Sicut enim serpens, id est, diabolus, in uidia & odio hominis eum perdiderat, ita Caīn primus diaboli minister, inuidia & odio fratris eum interemerat. Et illa quidem maledictio Adami ad vniuersum genus hominum pertinebat, eiusq; maledictionis multi, etiam boni & sancti, futuri erant participes. Quocirca non est dictū Adamo, *Maledictus eris tu,* sed *Maledicta terra in opere tuo.* at Cain ipse maledicitur, sicut & suprà diabolus. Eadem enim manet sententia diabolum & membra eius: dicturus enim est Dominus in die iudicij. *Ite maledicti in ignem æternum, qui paratus est*
B *diabolo & Angelis eius.* Hōc ergo discrimen est inter bonos & improbos: illis, si qua maledictio contingit, ea prorsus extra animum est, his verò maledictio accidit secundum animam, non tantùm secundùm corpus & externa bona.

Cur Cain eadem maledictione qua diabolus maledicitur.

Matth. 25.

CÆTERVM quoniam Abel occisus à fratre Cain, illustris figura fuit Christi domini à Iudæis occisi, & maledicta, quę acciderūt Cain, præsignificabant mala, quæ Iudæis euentura erant: quemadmodum hanc figuram secundum allegoricam interpretationem declaret Rupertus, aptè scilicet piè, ac luculente, commemorandum est hoc loco. Ille igitur in lib. 3. Commentar. in Genes. cap. 6. supradicta omnia verba, quæ Deus dixit Cain pertractans, & ad Christi necem factam
C à Iudæis, atque ad calamitates quæ propter eam cædem Iudæis contigerunt perbellè accommodans, ad hunc modum scribit: *Et illius, de quo hæc historia texitur, stultitia simul & procacitas, quantam nemo verbis consequi valeat, denotatur: dignaq; pœna scelus fratricidæ percutitur; & præter mysterium, quod nunc palam omni mundo factum est, ex Iudæis interfectoribus Christi præsignatur. Nam re vera quod dixit tunc vni perdito Cain. Vox sanguinis fratris tui clamat ad me de terra, nunc illi populo rectè dici, est nemo qui nesciat, Quæ est enim terra, de qua non figurata, sed propria locutione rectè dicatur, quod aperuit os suum, & susceperit de manibus Iudæorum sanguinem fratris eorum? Nempe ipsa est Sancta Christi* *Heb. 6.*
D *Ecclesia, terra vtique bona, terra fructifera, quæ iuxta Apostolum sæpe venientem super se bibens imbrem, germinat herbam oportunam illis, à quibus colitur, & proinde accipit benedictionem à Deo: sicut è contrario terra proferens tribulos, & spinas; reproba est & maledicto proxima. cuius consummatio est in consummationem. Hæc terra cùm sit rationalis, tanto præstantior est terra inanimata & insensibili: quanto sanguis huius Abel, quē suscepit, aperiens os suū in voce exultationis & confessionis melius clamat quā sanguis illius Abel clamare potuerit: sicut Apostolus idem qui supra dicit: Sed accessistis, inquit, ad* *Heb 12.*
noui testamenti mediatorem Iesum. & sanguinis aspersionem multo melius clamantem quàm Abel. Nam ille sanguis clamando vnius tantū hominis nefarium scelus accusabat, & si (quod verum est) aliud futurum annunciabat, soli Deo adhuc odibilis vel intelligibilis erat: hic autem ex ore terræ fidelis quæ

Huius historiæ de cæde Abel, & malis quæ propter eā Cain acciderūt, allegorica interpretatio, & accōmodatio ad Christi necē, eiusq; auctoris Iudæos secundum Rupertum.

sumus nos pro omni mundo interpellat,& vniuersorum peccata excusat, ipsos quoque qui fuderunt illum ad pœnitentiam inuitat, impœnitentibus futurum iudicium palam annunciat. Super hanc, maledicto subiectus, vagus, & profugus est iste Cain, molestius quam fuit ille super terram, in qua ciuitatem quoque primus ædificauit, quam & vocauit ex nomine primogeniti sui Henoch, sed nec illud secundum litteram satis apertè constat, quod terra operanti illi non dederit fructus suos, sed spinas & tribulos germinauerit illi. De isto autem satis notum est, quia cum Ecclesiam Patriarcharum & Prophetarum se putet operari, legem eandem lectitãdo, & easdem cæremonias obseruando, quas & illi, non dat fructus suos, id est, vtilitatem, quam imperfectam licet ante passionem dominicam conferebat, nulli conferre potest, sed è contrario spinas & tribulos germinat, dum non modo non iustificatur quis, verum etiam suam exinde damnationem accumulat. A B

Luc. 21. PORRO *quòd vagus & profugus sit super hanc terram, id est, propter Christi Ecclesiam, manifestum est, impleto quod de illo populo loquens ipse: Et cadent,* inquit, *in ore gladij, & captiui ducentur in omnes gentes. Hoc, inquã* Psal. 58. *super terram, id est, propter Christi Ecclesiam factum est. Nam & ipse sanguis hoc, vt fieret, flagitabat in psalmo, vbi cum dixisset, Deus ostendit mihi super inimicos meos: Ne occidas eos, ne quando obliuiscantur populi mei. Sed quid? Disperge,* ait, *illos in virtute tua. Igitur vt hoc ipsum proficeret ad augendam memoriam, vel notitiam eius in populis, vagum & profugum hunc populum ipse Christus esse voluit, quia videlicet & eorum sparsa captiuitas, & captiua cum eis ipsorum scriptura perhibent testimonium, quod hic frater ipsorum quem occiderunt iustus erat, & nihil horum quæ prædicamus, fides Christiana confinxit. Itaque littera quoque de hoc negotio manifestè agit, nec minus euidenter istum; quàm illum percutit Cain, quia nec ita vagus aut profugus fuit ille super terram, vt propriam ciuitatem non haberet: nec ita operanti fructus suos terra dare recusauit, vel spinas & tribulos adeo germinauit illi, vt sumptus ad ædificandam ciuitatem non inueniret.* Hactenus Rupertus. C

VER. 13. & 14. *Dixitque Cain ad Dominum: Maior est iniquitas mea, quàm vt veniam merear. Ecce eiicis me hodie à facie terræ, & à facie tua abscondar. & ero vagus & profugus in terra: Omnis igitur qui inuenerit me, occidet me.* D

Triplex interpretatio huius loci.

HAEC VERBA dixit Cain perculsus, atque perterritus iis malis, quæ ipsi euentura prædixerat Deus. Horum autẽ verborum Cain, triplex est lectio & interpretatio. Prima est Hebræorum, qui verba hæc legunt Per interrogationem in hanc sententiã: *Nunquid est maior iniquitas mea quã vt veniam merear?* Et sunt verba Cain cõquerentis de pœna, qua Deus peccatũ eius plectebat, quasi esset supra meritũ peccati. Non tam immane fuit, inquit, scelus meum, vt non facilè

A à te veniam mereri & impetrare posset. Immeritò igitur tam seuerè ac durè peccatum meum punis.

ALTERA interpretatio ducitur ex proprietate lectionis Hebraicæ, quæ ad verbum sic habet גדול עוני מנשא *gadol Euoni minscho. Magna est iniquitas mea à portare, seu à leuare*, id est, maior est, quàm vt eam viribus sustinere ac perferre possim. Pro Latina voce *Iniquitas*. Hebraicè est עון *Hauon*, propriè significans curuitatem. Incedit autem quis curuus, vel ob sensum & dolorem sceleris à se commissi: qualis incedebat Dauid, qui de se dixit Psalm. 37. *Miser factus sum, & curuatus sum vsque in finem, tota die contristatus ingrediebar.* Sed pulchrè Baruch incessum & habitum hominis vehementer dolentis peccatū
B suum expressit c. 2. illis verbis: *Anima quæ tristis est super magnitudinem mali, & incedit curua & infirma, & oculi deficientes, & anima esuriens dat tibi gloriam & iustitiam Domino.* Vel incedit aliquis curuus propter acerbum sensum nō tam culpæ, quàm pœnæ: sicut rex Achab, vt scriptum est in 3. lib. Reg. ca. 21. tremefactus diuinis comminationibus sibi per Eliam denūciatis, scidit vestimenta sua, & operuit cilicio carnem suam, ieiunauitque & dormiuit in sacco, & humiliatus coram Domino ambulauit demisso capite. Hoc igitur loco, qui religiosè student ex Hebræo conuertere & interpretari Sacras litteras. censent vocabulum עון *Hauon*, significare non tam culpam quàm pœnam quapropter Pagninus sic vertit hunc locū: *Maior est punitio mea quā vt*
C *feram.* Est igitur sensus: Maior est iniquitas mea, id est, iniquitatis meæ punitio, quàm vt possim eam viuus ferre. Iuuat hanc interpretationē tum quæ proximè antecesserunt de malis Caino prænunciatis, tum quæ proximè subiūgit ipse Cain. *Ecce*, inquit, *eicis me hodie à facie terræ, & à facie tua abscondar, & ero vagus & profugus in terra, omnis igitur qui inuenerit me, occidet me.*

Secunda interpretatio.

Translatio huius loci secundum Pagninum.

TERTIA interpretatio est congruens cum trāslatione LXX. interpretum. quæ Latinè hoc sonat, *Maius delictum meum, quàm vt remittatur mihi.* Quam lectionem haud dubiè secutus Latinus interpres sic vertit: *Maior est iniquitas mea, quam vt veniam merear.* Hanc lectionem secuti omnes Patres Græci & Latini, verba hæc Cain ferè interpretati sunt verba fuisse hominis planè desperantis de misericordia & ve-
D nia Dei, putantisque peccatum suum esse prorsus irremissibile: quod maius fratricidio scelus fuit. nam illud fuit aduersus proximum: hoc autem directè contrà infinitam Dei misericordiam & clementiam, quæ, vt inquit Scriptura, *præstabilis est super malitiam.*

Tertia interpretatio.

CAIETANVS non prorsus assentitur huic de Caini desperatione omnium pene consensu firmatæ interpretationi probatæque sententiæ. Explanans enim hunc locum. *Quo*, inquit, *affectu Cain dixerit, scriptum non est: quisque interpretetur prout suggerit ei Spiritus sanctus, contextus tamen nihil aliud porrigit, quàm vt Cain agnoscens grauitatem peccati sui, ex ipsa grauitate peccati dubitauerit licitum fore cuilibet ipsum occidere, ad hoc enim tendunt, quæ subiungit. Ecce eicis me, &c.* videtur

Ioel 2. Ambigit Caietanus, dixerit hæc verba Cain desperans veniam, necne.

igitur Caietanus (quantum ex verbis eius licet coniicere) ad secun- A
dam interpretationem huius loci magis quàm ad tertiam fuisse propensior.

S. CHRYSOSTOMVS homil. 19. in Genesim tantum abest, vt putet hanc orationem Caini fuisse desperationem diuinæ veniæ, vt contra affirmet fuisse plenam & absolutam sceleris ab ipso commissi confessionem, sed propterea tamen nõ fuisse ei vtilem, quod intempestiua nimisque seta fuerit, qualis erit in hominibus damnatis tartareo supplicio post diem iudicij peccatorum confessio & pœnitentia, quæ describitur in lib. Sap. cap. 5. Si autem Cain ea confessione vsus fuisset in tempore, tunc scilicet cum Deus interrogans eum de fratre Abel, voluit eum ad confessionem patrati sceleris & pœnitẽtiam B
adducere, proculdubio veniam à Deo impetrasset. Verùm haud scio, an hæc Chrysostomi interpretatio & sentẽtia sit probanda, tũ quod minimè congruit cum antecedentibus & consequentibus huius loci: tum quòd nulli mortalium, quoad hanc vitam degit, vera peccatorũ confessio & pœnitentia, sera & inutilis esse potest. Neque enim Deus illis verbis: *Nunc igitur maledictus eris super terram*, & cæteris quæ sequuntur extremam sententiam aduersus Cain, ęternæ videlicet reprobationis & condemnationis eius pronunciauit, vt post eam confessio Cain irrita fuerit, sicut putauit Chrysostomus, sed prædixit tantùm mala, quæ ipsi euentura erant. Neque enim supremum Dei iudicium & sententia, reprobationis & condemnationis hominum C
fertur in hac vita, sed post mortem.

Animaduersio in singularem quandam & miram interpretationem & sententiã quã super hoc loco habet Chrysostomus.

PONAM hic verba Chrysostomi, vt ex his quod diximus planè lector cognoscat, & iudicet. Sic autem scribit: *Et dixit Cain, Maius est peccatum meum, quàm vt dimittar ego. Ecce absoluta confessio: sic enim confessus est crimen suum, vt omnem excederet diligentiam, sed nihil inde lucri cepit, intempestiua enim confessio fuit: hoc enim facere oportebat tempore congruo, quando adhuc impetrari poterat à iudice misericordia. Memores nunc estote, oro, quod ante breue tempus dixi, quod terribili illo die & iudicium illud non poterit deprauari, & vnusquisque nostrum ob peccata desperabit, videns ante oculos terribilia illa tormenta, & ineuitabiles pœnas, nullam inde habiturus vtilitatem, tempore destitutus. Pœnitentia enim priusquam pœna inferatur, tempus habet & ineffabilem vim. Proinde obsecro, cum adhuc efficax est* D
Pœnitendum est in hac vita.
mirificum hoc pharmacum, commoda & fructus inde percipiamus: & cum adhuc sumus in præsenti vita, pœnitentiæ medicamen non aspernemur, scientes liquidò, quod nihil tunc nobis pœnitudo proderit, cùm solutum fuerit spectaculum, & tempus certaminum ablatum. Verùm ad institutum redeamus. Oportebat enim tunc Cain cùm interrogaretur à Domino: Vbi est Abel frater tuus? confiteri peccatum, & procidere, & orare, & veniam petere. Et tunc quidem medicinam reiecit, nunc autem post sententiam, post finem, post omnia, post-
Prouerb. 18. *quam clara voce accusatus à sanguine in terra iacentis, confitetur, nihilq; inde lucrifacit, vnde Propheta dicebat: Iustus sui ipsius accusator est in principio sermonis. Et hic quoque si præueniisset Domini reprehensionem, omnino misericordiam*

A *cordiam consecutus fuisset, propter immensam* Domini *benignitatem. Nullum enim Peccatum est quantumcumque graue sit, quod illius misericordiam vincat, modo tempore debito pœnitentiam agamus, & veniam petamus. Et dixit Cain, Maius est peccatum meum, quam vt dimittar ego, sufficiens confessio, sed intempestiua.* Hæc Chrysostomus. Cuius fortasse sententiam non incommodè posset quispiam interpretari de remissione peccati, non quidem quantum ad culpam & pœnam æternam, sed quantum ad pœnam temporalem quã Deus ab eo qui peccauit in hac vita luendam, absoluta & immutabili voluntate constituit.

Peccatum nullum irremissibile.

B *Ecce eijcis me hodie à facie terræ, & à facie tua abscondar, & ero vagus & profugus in terra: omnis igitur qui inuenerit me, occidet me.* VERS. 14.

HÆc verba, sic equidem interpretarer: *Ecce*, quasi dicat, non sine causa desperaui veniam mei sceleris: aut non temere dixi, maiorem esse inflictam mihi pœnam, quam vt eam viuus perferre queam, id enim arguũt mala quibus me afficis. Eiicis enim me, vel vt est Hebraicè גרשת *gueraștha, eiecisti,* à facie terræ, id est, exterminas me natali meo solo mihi carissimo & dulcissimo, in quo scilicet natus, educatus, & ad hãc diem cum parentibus & cognatis meis versatus sum, Eiicis me ex terra fertilissima & amœnissima, & quæ proxima est Paradiso, & quam
C tibi consecrasti, vt in ea fiant tibi sacrificia & oblationes, & in qua soles manifestare te hominibus, & oracula ac responsa eis reddere. *Et à facie tua abscondar,* id est, habens te mihi iratum, infensum, & inimicũ, omni loco & tempore, pauido & trepido animo viuam, semper aliquid mihi abs te metuens, vel: *Abscondar à facie tua,* id est, nõ me aspicies oculis misericordiæ tuæ, sed abscondes mihi faciem tuam, singulari beneuolentia, cura, tutela, & ptotectione tua me destituens. Deũ enim ostendere faciem tuam alicui, in sacris litteris significat, declarare Deum manifestis signis se alicui bene velle, fauere, adesse, & sub tutela & protectione sua eum habere, contrà verò abscondere Deum
D alicui faciem suam, est eum deserere, & à se abiicere, suoque patrocinio & protectione priuare: *Et omnis qui inuenerit me, occidet me,* id est, omnes me auersabuntur & execrabuntur, dignúmque morte censebunt, séque obsequium Deo præstare existimabunt, si me occiderint.

Quid significet in Scriptura Deum alicui faciem suã vel ostẽdere vel abscondere.

ILLVD antem *Omnis qui me inuenerit,* non ad bestias refertur, sed ad homines. Siquidem proximè subiungitur, *Omnis qui occiderit Cain, septuplum punietur:* quod non in bestias, sed in homines competit, Cùm enim mors Abel (vt credibile admodum est) circa trigesimum & centesimum annum Adami euenerit, & per illos centum & triginta annos humanum genus iam numerosissimè multiplicatũ, & latissi mè

latissimè dispersum per terras fuerit, non sine causa timebat Cain, ne quocunque iret, aliquem à quo ipse occideretur, inueniret. A

Pulcherrima super hoc loco Ambrosij sententia.

SED totum hunc locum elegantissimè tractat Ambrosius lib. 2. de Cain & Abel cap. 9. ad hunc modum scribens: *Euidens generalisq; ratio, quia omni improbo mala adsunt, & affutura sunt. Quæ adsunt, tristitiam operantur, quæ futura formidinem. Sed improbum plus præsentia, quàm futura sollicitant, Vnde & Cain dixit ad Deum: Maior causa mea est quàm vt dimittatur mihi, si derelinquas me, hodie, à facie tua abscondam me. Nihil enim grauius, quam errantē à Deo deseri, vt se reuocare non possit. Mors peccatoris, finem peccandi affert, vita autem diuino gubernaculo destituta, præcipitatur & in grauiora prolabitur: vt si gregem pastor relinquat, incursent bestiæ: ita cum Deus deserit hominem, ingruit diabolus. Graue est, præsertim insipientibus, non habere rectorem. Serpit malitia, vulnus augetur vbi medicina defuerit. Abscondit se autem qui velare vult culpam, & tegere peccatum. Qui enim male agit odit lucem, & amat tenebras suorum & latibula delictorum. Iustus autem non abscondere à Domino Deo suo, sed ipse magis se offerre consueuit, dicens: Ecce sum ego, qui non habet criminosam conscientiam, quam timeat deprehendi. Meritò ergo se abscondit male conscius, & ait. Omnis qui inuenerit me, occidet me, Angustæ mentis homo præsentem mortem veretur, perpetuam negligit, & diuinum iudicium non reformidat. Interitum solum corporis deprecatur. Sed à quo timebat occidi, qui solos parentes habebat in terris? Potuit quidem & incursus bestiarum timere, qui legis diuinæ iura violauerat, nec præsumere de subiectis animalibus cæteris, qui hominem docuerat occidi. Potuit & parentes parricidas timere, qui docuerat parricidium posse committi, potuerunt enim & parentes de filio discere, quod didicerant posteri de parente.* Hæc Ambrosius. B C

Qualis sit metus ac dolor improborum hominū.

EX hoc loco satis apparet, quis nam sit improborum hominum proptter scelera ab ipsis admissa animus, qui sensus, quæ cura: quis timor, nimirùm non dolent culpæ turpitudinem, aut offensam Dei, nec tam futura inferni supplicia perhorrescunt, quàm præsentis vitæ ærumnas & calamitates, cruciatúsque corporis, denique imminentis acerbitatem mortis, De quo scitum est: quod scribit Bernardus tractans illa verba Petri ad Iesum: *Ecce nos reliquimus omnia*, non longè à fine eius sermonis: *Indignus*, inquit, *benedictione cœlesti conuincitur, qui dubio quærit affectu, duplici petit intentione, aliud sibi refugium parans, si fortè eam non obtinere contingat. Maior est iniquitas mea (ait fratricida primus) quàm vt veniā merear. Quid ergo? renuat consolari anima tua, si veniam non meretur, Hoc solum deplora, hoc solum plange: aliud ne cogites quidem. Sed nunc, inquit Cain,* omnis qui inuenerit me, occidet me. *Graue scilicet dammum, grandis iactura, si perimatur corpus, quandoquidē anima periit. Sed occidendum sese causabatur infelix, tamquam pro magno beneficio habiturus, si prohiberetur occidi: quod & factum est. Consolationem miseram obtinuit quam quærebat, & oblitus est consolationis maximæ; pro qua multo studiosius supplicare & remedium quærere oportebat. An non idem & de Saule legisti? Vbi enim perstitit in sententia Samuel sanctus. Nunc, inquit, honora*

Matthæi 19. D

1. Reg. 15.

A *honora me vel coram populo, Ad quid tibi hæc honoratio miser? Hæccine erat tota illa supplicatio,* Peccaui ora Dominum pro me? *Falsa non poterat suplicatione moueri. Vix adhuc dixerat Dauid Peccaui, & responsum illi est,* 2. Reg 12. Dominus transtulit peccatum tuum à te, *Sic nimirum, sic vsque hodie dilectissimi, cuius ad alias consolationes mens inhiat, & penitus in caducis & transitoriis non renuit consolari, ipse sibi profecto cœlestis subtrahit gratiam consolationis.* Sic Bernardus.

Dixitque ei Dominus, Nequaquam ita fiet, sed omnis qui occiderit Cain, septuplum punietur. VER. 15.

B

ILLVD *Septuplum punietur*, variè legitur secundum varias lectiones quas memorat S. Hieronymus in Epistola 125. quam scripsit ad Damasum, ad primam de quæstionibus ab eo sibi propositis respondens. Varietas autem lectionis & ipsa dicendi obscuritas, perdifficilem huius loci fecit explicatum. Noster igitur interpres vertit *Septuplū punietur* Septuaginta interpretes, & Theodocion, *Septem vindictas exoluet*: Aquila, *Septempliciter vlciscetur, seu vindicabitur*, quomodo etiam Pagninus vertit: denique Symmachus, *Septimus vindicabitur*. In tanta lectionis varietate, licet germanam horum verborum sententiam assequi non sit facilè, illud tamen pro certo dici potest, non significari ea oratione, eum qui occidisset Cain. septies punitum iri. Si enim Deus bis nō punit idē crimen, vt est apud Nahum prophetam capite primo secūdum translationem Septuaginta interpretum, quāto minus septies? *Varietas lectionum huius loci.*

C

ILLVD quoque satis credibile est, non significari illis verbis interfectorem Cain grauiori supplicio punitum iri, quàm ipsum Cain pro cæde fratris sui: non enim id videretur æquum: *siquidem pro mensura peccati debet esse & plagarum modus.* Quis autem dubitet, grauius fuisse peccatum cædem Abel innocentissimi scienter & malitiosè factam à Cain, quàm necem ipsius Cain hominis sceleratissimi, per ignorationem & errorem, vt fertur, à Lamech factam? Non me fugit hanc ipsam opinionem acerrimè defendi à Paulo Burgensi in quadā Additione sua ad Postillam Lyrani super hoc loco, sed ego assentior potius Lyrano, Tostato, & Carthusiano, qui eam opinionem in suis Commentariis hoc loco refutarunt. Deut. 25.

D *Refellitur Paulus Burgensis.*

NEC interpretationem huius loci, quæ est apud Rupertum cap. 8. libri tertij Cōmentariorum in Genesim, valde probo. Putat enim septuplum puniri, idem esse quod ęternis suppliciis puniri, septenario namque numero significatur vniuersitas non solùm apud Ecclesiasticos, sed etiam apud Gentiles Philosophos. Itaque *Septuplum punietur*, inquit Rupertus, *idem est, quod plena & consummata vindicta punietur. Verū subaudiri oportet, nisi pœnitentiā egerit. Sic enim & illud intelligere oportet quod est apud Ezechielē capite 18.* Anima quæ peccauerit *Discutitur explanatio Ruperti.*

ipsa morietur,& *quod est apud Matthæum cap.5.* Qui dixerit fratri suo, A
Fatue,reus erit gehennæ ignis,*vtrobiq; enim subaudiri oportet nisi pœnitẽtiã egerit.Constat autem,quod is qui occidit Cain,scilicet Lamech,pœnitudinẽ gesserit.Dixit enim vxoribus suis,* Audite vocem meam vxores Lamech, auscultate sermonem quoniam occidi virum in vulnus meũ, & adolescentulum in liuorem meum.Sic Rupertus. Sed videtur allegorica magis quàm historica, nec parum contorta interpretatio. Nusquam enim in sacris litteris(quod equidem meminerim)reperio, septuplũ puniri,pro eo quod est æternis post hanc vitam suppliciis puniri,esse positum.Et in veteri Testamento,præsertim autem ante legẽ & prophetas,& in exordio humani generis,non æterna,quæ post hanc vitam manent supplicia,sed præsentis vitæ mala,& calamitates improbis hominibus Deus interminari solebat.

Triplex interpretatio huius loci Prima interpretatio.

Svnt igitur tres probabiliores huius loci explanationes, secun- B
dum triplicem eius translationem.Prima interpretatio nititur translatione LXX.Interpretum,qui hunc locum sic verterunt. *Omnis qui occiderit Cain,septem vindictas exoluet.*cuius translationis triplex potest esse sensus:Primus,vt post illud *Omnis qui occiderit Cain,*pũctus ponatur,& sit oratio suspensa per reticentiam, sicut illa apud Virgilium.

Li.1. Aeneid. *Quos ego:sed motos præstat componere fluctus.*

Subaudiri autem oportere, *Grauissimè à me punietur.* Id autem quod sequitur,*Septem vindictas exoluet*, non ad interfectorem Cain, sed ad ipsum Cain pertinere.Quasi diceret, Nolo tã citò Cain perire,prius
Septẽ peccata Cain. enim ipse septem vindictas exoluere debet pro septem peccatis,quæ C
commisit.Malè enim sacrificauit:fratri suo inuidit : Dei admonitionem contempsit:per fraudem & dolum fratri locutus est:crudeliter eum interemit:procaciter Deo cędem eius negauit:denique sceleris admissi veniam desperando,se ipse damnauit:Sin autem illud *Septem vindictas exoluet* ad interfectorem Cain referamus, & id potest intelligi dupliciter:vt vel significetur, interfectorem Cain septem vindictis,id est,multis & magnis suppliciis affectum iri, vel, eum interficiendo Cain,exoluturum & liberaturum septem vindictis & pœnis ipsum Cain,quas scilicet ille pro septem peccatis à se factis, & paulò antè commemoratis luere debebat.

Secũda interpretatio Rabbi Salomonis.

Altera interpretatio est,quam tradit Rabbi Salomõ, & secuti D
sunt Lyranus, Tostatus & Carthusianus, vt illud *Omnis qui interfecerit Cain,*sententã finiat,& sub intelligendũ,sit grauissimè punietur à me,quod per reticentiã omissum est. deinde quod sequitur *Septuplum à me punietur,* vel,vt vertit Symmachus,*Septimus punietur,* referatur ad ipsum Cain,qui non ante perẽptus est,quã peruenit ad septimã suam generationẽ,quæ terminata est in filiis Lamech, à quo ille
Tertia interpretatio. creditur occisus.Tertia interpreatio, secũdũ nostrã versionẽ Latinã, facilis est & probabilis admodũ:vt illud *Septuplum punietur*, nõ aliud significet,quã grauissimo & seueriſſimo supplicio afficietur, non solùm quia hominem occidet, sed quia contra publicam fidem à Deo ei datam

A ei datam eũ occidet. Atque hoc exemplo & documento voluit Deus ostendere, quàm horrendum scelus sit hominem occidere, eáque ratione ab homicidio omnes vehementer absterrere. Sed cur tamdiu mortem Cain Deus voluit differri? Fuit sanè hoc seuerioris iustitiæ quod diuturnior esset, acerbiórque eius cruciatus. Fuit nihilominus etiam singularis clementiæ, tã longum ei agendæ pœnitentiæ spaciũ concedẽtis: Fuit deniq; saluaris prouidentiæ & cõsilij diuini, vt exẽplo Caini, qui miserrimã tot annos in perpetuo metu & cruciatu animi & corporis vitã prorogauit. discerent homines, quã sit formidandum, Dei monita & documenta contemnere, quam sceleratum, aliis diuinã gratiã inuidere, quam execrandum, per dolum & fraudẽ B nocere aliis, deniq; quã horrendum, hominũ, præsertim autem suorũ necessariorũ, sanguine animum manusq; imbuere atq; contaminare.

Cur Deus tandiu mortẽ Cain distulerit.

Posuitque Dominus in Cain signum, vt non interficeret eum omnis qui inuenisset eum. VER. 15.

Cur Deus signum posuit in Cain.

CVR Deus signum illud posuit in Cain? vt ex eo nempe agnitum omnes auersarentur & abominarentur, atque maledictis, dirisq; insectarentur vt fratricidam, Deíque contemptorem: quod fore prædixerat ei Deus, *Maledictus eris super terram.* Deinde, vt quicumq; viderent eum quasi furiis agitatum nullo loco consistere, sed corpore animoq; par- C uentem trementémque, semper vagum & profugum esse, vbique & ab omnibus sibi metuere, nihil tutum ducere, nullã quietis partem vllo tempore capere, causam cur tantis malis perpetuo ille afficeretur reputantes, exemplo eius discerent piè Deum colere, studiosè virtuti operam dare, nec tantùm à cæde hominum, sed ab omni etiã damno iniuriáque, manus, linguam, animúmque abstinere. Deniq;, ne quis aut per ignorationem, casu eũ occideret, aut per studiũ iustitiæ scienter interficere eum auderet, cui Deus, data ei fide signóque impositio, in longiorem eius vindictã pœnamq; vitam prorogauerat.

Quale fuerit illud signum impositũ Caino à Deo.

SED quale fuit illud signum? Fuisse aspectabile & conspicuum omnibus, vt eo dignosci à cunctis posset, non est dubitandum. Pro- D priè autem quale fuerit, incompertum putat Caietanus: ex eo tamen apparere magnam Dei clementiam, non tantum minuentis pœnam debitam fratricidæ, sed etiam benignè eum seruantis, ne interficeretur ab aliis. Verùm apud Hebræos, & plerósque nostrorum Doctorum peruulgata opinio est, non aliud fuisse illud signum, quam ingẽtem quemdam & horribilem totius corporis, maximè vero capitis tremorem animiq; pauorem, quasi hominis vbique & ab omnibus insidias vitæ suæ fieri metuentis. Addit præterea Lyranus fuisse notabile quoddam signum in faciem eius impressum.

Communis opinio de signo illo Caini.

VIDETVR S. Hieronymus peruulgatã illã opinionem secutus in Epist. 115. quæ scripta est ad Damasũ quippe tractãs verba illa Cain

Ecce eiicis me hodie à facie terræ, &c. ita scribit: *Eiicior*, inquit Cain, *à conspectu tuo, & conscientia sceleris tremebundus lucem ipsam ferre non sustinens abscondar vt latitem, eritq; omnis, qui inuenerit me, occidet me, dum ex tremore corporis, & furiatæ mentis agitatum eum esse intelliget, qui mereatur interfici.* Sic Hieronym. Fortasse L. X X. interpretes sic opinandi dederunt occasionem, quippe qui hoc loco, pro eo quod nos legimus. *Eris vagus & profugus super terram*, ipsi verterunt, *Suspirans & tremens eris super terram*, & paulò pòst, pro eo quod Latina versio habet *Ero vagus & profugus*, translatio ipsorum habet, *Ergo gemens & tremẽs*. Iosephus scribit, Deum sacrificio Caini placatum, remisisse ei pœnam fratricidij: quod nec verum est, nec verisimile. Qui potuit enim impij & sanguinarij hominis sacrificium placere Deo? Si ante fratricidium non placuit Deo sacrificium eius, quanto minus postea? Pœnam autem fratricidij eatenus remisit ei Deus, quia non statim eum morte puniuit, verum id fecit ad diuturniorem & acerbiorem eius vindictam.

Refellitur Iosephus. A B

Moralis interpretatio ex D. Ambrosio sumpta.

PONAM hoc loco moralem sententiæ huius tractationẽ, quę est apud Ambrosium in cap. 10. lib. 2. de Cain & Abel, vbi sic ille scribit: *Quod autem signum posuit super Cain, ne quis eum occideret, reflectere voluit errantẽ, & beneficio suo inuitare ad correctionem. Ipsis enim nos facilius committere solemus quorum habemus gratiam. Nec tamen magna concedit, sed in eo ipso imprudentiam insipientis vlciscitur. Qui cùm esset perpetuis supplicijs obnoxius, non remitti sibi pœnam poposcit, sed vitam corporis huius seruandam putauit, in qua plus ærumnæ quàm voluptatis. Mors enim vna est in* C *secessione animæ & corporis, & in fine istius vitæ, quæ simul vt venit, omnes corporis dolores auferre, non augere consueuit. Metus vero, qui hanc vitam viuentibus frequenter ingruunt, mœstitiæ, dolores, gemitus, diuersique cruciatus, grauitatum & ægritudinum vulnera, plurimas etiam mortes generi humano inferunt, vt ista mors remedium esse videatur, non pœna. Non enim peremptoria est, per quam nen adimitur vita, sed ad meliora transfertur. Nam si nocentes moriuntur, qui gradum à peccatis reuocare noluerint vel inuiti: tamen finem non naturæ, sed culpæ adipiscuntur, ne plura delinquant, quibus vita fœnus est delictorum. Si autem bonæ spei compotes sunt migrare magis, quàm deficere credendi sunt.* Hæc Ambrosius.

Mors remedium malorũ non pœna.

D

VER. 16. *Egressusq; Cain à facie Domini, habitauit profugus in terra, ad orientalem plagam Eden.*

Quid significet Cain egressum esse à facie Domini.

EGRESSVS est Cain à facie Dei, non quod à Dei notitia & potentia præsentiaq;, per quam vbiq; est, discedere potuerit. *Quo ibo*, inquit Dauid Psal. 138. *à spiritu tuo? & quo à facie tua fugiã? Si ascendero in cœlũ, tu illic es: si descendero in infernũ, ades. Si sumpsero pennas meas diluculo, & habitauero in extremis maris. Etenim illuc manus tua deducet me, & tenebit me dextera tua:* Et ostendens neminem posse à conspectu Dei abscedere, aut se se

A se se vel tenebris vel latebris eius oculis abscondere & occultare, subdit, *Et dixi, Forsitan tenebræ conculcabunt me, & nox illuminatio mea in deliciis meis. Quia tenebræ non obscurabuntur à te, & nox sicut dies illuminabitur: sicut tenebræ eius, ita & lumen eius.* Quomodo enim (vt bene argumentatur Paulus Actuum 17.) longe ab vnoquoque nostrum Deus esse potest, *cùm in ipso viuamus, moueamur, & simus?* Non igitur Cain egressus est à facie Dei, quasi eius notitiam & potentiam fugiens, sed egressus est ab ea terra & loco, vbi Deus faciem suam ostendere solebat, id est, præsentiam suam declarare edendo oracula, reddendo responsa, & sub aspectabili forma humanæ naturę cum primis illis hominibus familiariter loquendo. Vel, quemadmodum paulò suprà in-
B terpretati sumus, egressus est à facie Dei, id est, singularis beneuolentiæ, curæ ac protectionis, quam Deus erga seruos & amicos suos gerit, gratia & præsidio abdicatus, & destitutus est.

PVTAT Catharinus primos illos homines Paradiso eiectos venisse in Iudæam, & inibi versatos esse quin etiam verisimile putat & Abel sacrificasse eo in loco, vbi postea fuit Hierusalem miror, eũ non insuper addidisse Abel interfectum esse à Cain eo in loco, qui postea dictus est mons Caluariæ, vbi Christus à Iudæis occisus est. Cain igitur secundum Catharinum ex Iudæa egressus, alio profectus est. Verum hæc nec vmbrã habent probabilitatis, quin falsa esse, ex his quæ supra 3. li. de loco, & situ Paradisi disputauimus, facile intelligi potest. *Opinatio Catharini minimè probabilis*

PRO illo *Profugus*, Hebraicè est vocabulum נוד *Nod*, quod Septua-
C ginta putarunt esse nomen proprium loci; & idcirco sic verterunt hunc locum, *Et habitauit in terra Naid*, quos secutus Iosephus, scribit Cainum multas regiones vna cum vxore sua emensum, tandam Naida opidum condidisse, ibique sedem fixisse & liberos procreasse. Sed Hieronymus in Traditionibus Hebraicis censet, נוד *Nod*, esse nomen appellatiuum, Latinè significans vagum, fluctuans, instabile ac sedis incertæ. Sic enim explanata est Dei sententia aduersus Cain, quod illuc atque illuc vagus & profugus oberraturus esset.

QVALIS autem fuerit Cain postquam egressus est à facie Dei, idest, quam impius, impurus, omnibúsque sceleribus iniqui natus ac perditus, his verbis exponit Iosephus lib. 1. Antiquitatum cap. 11.
D *Cæterùm, tantùm abfuit vt hac castigatione in melius vitam mutauerit, vt peior etiam sit factus, suis voluptatibus vel cum aliorum iniuria indulgens & facultates domesticas per vim ac rapinas accumulans; accitis vndecumque latrociniorum & nequitiæ sociis, magister illis ad facinorosam vitam est effectus. Adhæc, simplicem hactenus viuendi rationem, excogitatis mensuris & ponderibus immutauit, pristinámque sinceritatem & generositatem ignaram talium artium, in nouam quamdam versutiam deprauauit.* Sic Iosephus. Rectè nos monet Ambrosius hunc locum tractans in cap. 10. libri secundi de Cain & Abel, horum duorum fratrum casibus & euẽtis manifestum fieri mala quæ bonis accidunt, & bona quæ malis contingunt in hac vita, prudenter existimantibus, verè nec bona nec mala esse iudican- *Caini malitia* *Egregium documentum Ambro nec verè mala esse quæ viris bonis aduer-*

sa eueniunt, nec bona quæ improbis prospera contingunt.

da. Nam & mala viris bonis æternum in bonum & immortalem gloriam conuertuntur, bona verò malis sempiterno dedecori, & exitio sunt. Ecce Abel vir innocēs ac sanctus, propter ipsam sanctitatis excellentiam, gratiámque pietatis & religionis aduersus Deum, florente ætate, nullo susceptæ prolis gaudio, nullóque futuræ posteritatis solatio, per summam iniuriam & crudelitatem à fratre suo interfectus est. Tam atrocis autem facinoris auctor Cain, homo impius, & sceleſtissimus longissimam vitam exegit, vxorem duxit, filios procreauit numerosam & diuturnam vidit posteritatem, vrbes condidit, multorúmq; princeps ac Dominus plurimos annos impune vixit. At enim præcox mors Abel multis & magnis cum laboribus ærumnis & calamitatibus, quarum hæc vita nostra referta est, celeriter exemit. Prorogatio autem vitæ Cain, vindictæ & cruciatus productio fuit, pariter enim cum ipsa eius vita, animi & corporis angor & conflictatio producebatur. Et Abelis quidem laudes omnis ætas loquetur: Caini verò impietatis, & crudelitatis memoriam omnium sæculorum homines summo cum odio & detestatione vsurpabunt. Illud præterea animaduertendum est, non ex huius vitæ, aut bonis aut malis euentis de hominum virtute & improbitate, miseria itē & fœlicitate existimari oportere. Sæpenumero enim multis rebus aduersis magnisque calamitatibus virtus præmitur & conflictatur: contra verò secundis rebus & ad voluntatem fluentibus alacris, & glorioſa, & quasi beata exultat improbitas, vt ex hisce rebus iudicari non possit vtrum quis apud Deum odio, an amore dignus sit, vt in libro Ecclesiastæ cap. 9. dixit Salomon. Verùm si sapimus, hæc ipsa res cogit nos credere, non vna cum corpore extingui animum, sed cum is corpore excessit, aliā ei superesse vitam, aliud boni & mali iudicium, aliámque pro cuiusque hominum meritis, præmiorum & suppliciorum distributionem expectari debere. Nisi quis forte tam sit amens vel impius, vt nullum bonorum & malorum discrimen esse apud Deum, nullóve Dei respectu & cura res humanas agi putet.

Aliam post hāc super esse vitā quomodo probari possit.

Sed lubet hic Ambrosij verba ponere, digna sanè legi ab omnibus, & frequenti recordatione perpendi. *Redarguuntur*, inquit, *hoc in loco, qui vnicam hanc vitam putant esse, quæ sit in hoc sæculo. Omnia plena lapsus, plena mœroris sunt, & redarguuntur simplici serie gestorum. Ecce enim iustus, innocens, pius, propter gratiam deuotionis odia fratris incurrens, immaturus adhuc æui sublatus est parricidio: & iniquus, sceleratus, impius, etiam fraterna cæde pollutus longæuam duxit ætatem, duxit vxorem, posteritatem reliquit, vrbes condidit, & hoc meruit permissione diuina. Nonne in his apertè vox Dei clamat, Erratis qui putatis hic esse omnem viuendi gratiam? Non intelligitis, non aduertitis senectutem hanc miseriarum esse veteranam processionemq; ætatis, ærumnarum stipendia, & Scyllæo quodam vsu circumsonari nos quotidianis naufragiis, tundi fluctibus, in scopulosis habitaculis degere, & in his delectari, sicut illud non tam æternum animal, quàm immortale malum. Ergo & isti Cain longæuitas indulta, vindicta est, eo quod vixit in metu, &*

A *metu & prolixum ſpatium multo cucurrit & infructuoſo labore, qua pœna nihil grauius, quàm vt quis ipſe ſi maiorum cauſa pœnarum ſit. Vide igitur quàm perpetua vita iuſtorum, & nulla ſit improborum. Iuſti ſanguis clamat, & mortui, vita autem peccatoris abſconditur.* Hæc ille.

Et ædificauit ciuitatem, vocauitque nomen eius ex nomine filij ſui Henoch. VERS. 17.

MAGNAM hic locus quæſtionem habet, qui potuerit, aut quorſum voluerit Cain ædificare ciuitatem. Etenim tũc cùm Cain genuit primogenitum ſuum Henoch, non erant in mũdo niſi quinque homines, Adamum dico & Euam, Cainum & vxorem eius atque filium. Quinimo
B qui eam ciuitatem inhabitarent, non erant niſi tres: nam Cain à contubernio & ſocietate parentum ſuorum longè diſceſſerat.

Quomodo, aut quorſum Cain cũ tres, vel ſummum quinque tunc in mundo eſſent homines, ciuitatem ædificauerit.

SANCTVS Auguſtinus in lib. 15. de Ciuitate Dei cap. 8. hanc quæſtionem dupliciter explicat. Primo reſpondet Henoch non fuiſſe primogenitum Cain, ſed ab eo genitum in ſenectute, ob idque præter cæteros filios dilectum & carum, ſicut erat Ioſeph patri ſuo Iacob. in teſtimonium autem ſingularis amoris, quo hunc filium cõplectebatur Cain de nomine eius conditam à ſe ciuitatem Henochiam appellauit. Nec obſtat quod in Scriptura per Henoch deſcribatur ſucceſſio & poſteritas Cain: Illa enim deductio poſteritatis Cain non eſt facta per primogenitos, ſed per eos qui ordine
C principes illius ciuitatis fuere, vel per eos, qui in familia Cain omnium maximè illuſtres, & memorabiles extiterũt, vel denique has generationes recenſere voluit Moſes, quia in earũ vltima occiſus eſt Cain, & quidem à Lamech qui fuit ex ſtirpe Henoch. Deinde reſpondet Auguſtinus fuiſſe quidem Henoch primogenitum Cain (& hoc ſentit Ioſephus, & videtur probabilius) non tamen cum eum genuit Cain tunc ædificatam ab eo eſſe ciuitatem, ſed multò pòſt, ſcilicet iam ſene ipſo Cain, hoc eſt, quingenteſimum vel ſexcenteſimum annum agente. Potuiſſe autem per quingentos annos (maxima naturæ humanæ in exordio mundi fœcunditate) in tantum multiplicari ſobolem Cain, vt ea non tantum ciuitati, ſed etiam prouinciæ colendæ & inhabitandæ ſufficeret, manifeſtum argumentum eſſe poteſt pro-
D pagatio Hebræorum ex vno Abraamo paulò amplius quadringentos annos facta, ad 600. millia bellatorum, exceptis mulieribus paruulis, ſenibus, & iis qui per illos retroactos 40. annos mortem obiere.

Ioſephus lib. 1. Antiquitatum.

S. Auguſtini verba, ſi ea cognoſceret auet lector, ſic habent: *Quod ſcriptũ eſt*, cognouit Cain vxorẽ ſuã, & cõcipiẽs peperit Henoch, & erat ędificãs ciuitatẽ in nomine filij ſui Henoch, *nõ eſt quidẽ conſequẽs, vt iſtũ primũ filium genuiſſe credatur. Neque enim hoc ex eo putandũ eſt, quia dictus eſt cognouiſſe vxorẽ ſuã, quaſi tunc ſe illi primitus concumbendo miſcuiſſet. Nã & de ipſo patre omniũ Adamo non tunc ſolum hoc dictũ eſt, quando conceptus eſt Cain quem primogenitum videtur habuiſſe, verum etiam poſterius eadem*

Auguſtini verba.

Scriptura

criptura, Cognouit, *inquit*, Adam vxorem suam, & concepit & peperit A
filium & nominauit nomen illius Seth. *Vnde intelligitur ita solere illam Scripturam loqui, quamuis non semper, cùm in ea legitur factos hominum fuisse conceptus non tamen solùm cùm primum sibi sexus vterque misceretur. Nec illud necessario argumento est, vt primogenitum patri existimemus Henoch quod eius nomine ciuitas illa nuncupata est. Non enim abre est, vt propter aliquam causam, cùm & alios haberet diligeret eum pater cæteris amplius. Neque enim & Iudas primogenitus fuit, à quo & Iudæa cognominata est, & Iudæi. Sed etiamsi conditori ciuitatis illius iste filius primus est natus, non ideo putandum est tunc à patre condita ciuitati nomen eius impositum, quando natus est, quia nec constitui tunc ab vno poterat ciuitas, quæ nihil aliud est quàm hominum multitudo vno societatis vinculo colligata: sed cùm illius hominis familia tanta numerositate cresceret, vt haberet iam populi quantitatem, tunc potuit vtique fieri, vt & constitueret, & nomen primogeniti sui constituta imponeret ciuitati. Tam longa quippe vita illorum hominum fuit, vt illic memoratorum, quorum & anni taciti non sunt, qui minimum vixit ante diluuium, ad septingentos quinquaginta tres annos peruenire. Nam plures nongentos annos etiam transierunt, quamuis nemo ad mille peruenerit. Quis itaque dubitauerit, per vnius hominis ætatem tantùm multiplicari potuisse genus humanum, vt esset vnde constitueretur non vna, sed plurimæ ciuitates?* Sic Augustinus. Horum simillima scribit idem in libro Quæstionum in Genesim, quæst. 1. Ludouicus Viues in commentariis suis in libros B. Augustini de Ciuitate Dei, super octauum caput lib. 15. tradit fuisse C
in Hispania memoria parrum suorum vicum pene centum domorum, cuius incolæ omnes à quodam sene, qui adhuc viuebat, progenerati erant, ita vt propinquitatis nomen deesset, quo ille à minimis natu appellarẽtur.

Ciuitas quid. B

Illvd quoque animaduersum est à B. Augustino in cap. 5. supradicti libri: Quemadmodum primæ omnium mundi ciuitatis conditor fratricida fuit, ita fuisse fratricidam fundatorem eius ciuitatis, quæ terreni imperij caput fuit, Romam dico, cuius conditor Romulus fratrem Romam occidit, & vt cecinit Lucanus,

Vt Cain primæ ciuitatis conditor fratricida fuit, sic fuit Romul. conditor Romæ.

Fraterno primi maduerunt sanguine muri.

Lucanus lib. 1. Pharsaliæ.

Ex hoc loco redarguere licet complures veterum de æternitate, D
vel nimia vetustate ciuitatum errores. Primus error fuit Aristotelis & Chaldæorum, omniúmque arbitrantium fuisse mundum æternum, & idcirco nullum fuisse primum ædificandarum ciuitatem exordium. Alter fuit error Poëtarum: qui finxerunt in aureo sæculo, quo regnauit Saturnus, nullas fuisse vrbes, sed posteà ædificari cœptas regnante Ioue, quem tamen post Noëticum diluuium fuisse constat. Tertius fuit error Ægyptiorum. Nam vt refert Plato in exordio Timæi, sacerdos quidam Ægyptius affirmauit Solòni, vrbem Athenarum nouem annorum millibus conditam esse ante Solonis ætatem, cùm tamen ab exordio mundi vsque ad ætatem Solonis, minus tribus annorum millibus & quingentis præteriisse compertũ sit. Quartus error

Refelluntur quinque veterum errores circa vetustatem ciuitatum.

Mendacium Ægyptiorum apud Platonẽ de vetustate Athenarum

A tus error Græcorum fuit;& aliorum quidam aientium primum omnium vrbem fabricatam à Cecrope, & ob id primum Cecropiam, postea Acropolim dictam; aliorum verò dicentium, primam vrbem fuisse Argos conditam à Phoronæo. verùm & Cecrops propemodum æqualis fuit ipsius Mosis;& Phoronæi ætas in Iacob patriarchę ætatem planè competit. Quintus error, Aegyptiorum fuit falso iactantium, Diospolim hoc est, Thebas, fuisse antiquissimam, primámque omnium, quæ in orbe fuere ciuitatem. At enim Mesrain nepos Noë, iam euersa turre Babel, factáque linguarum diuisione, primus omnium terram Aegypti coluit, & gentis Aegyptiorum auctor fuit, atque conditor: quamobrē nomine eius Aegyptus ab Hebręis

B מצרים *Misraim* appellatur.

Error Græcorum.

Error Aegyptiorū de antiquitate Thebarum.

PRIMA igitur orbis terrarum ciuitas, Henochia fuit à Cain extructa. Berosus Annianus, hoc est, spurius & fictitius, in libro suo de Temporibus prodidit, Henochiam ciuitatem esse conditam circa Libanum montem, qui est ad Orientem comparatione regionis Damascenæ: fuisséque amplissimam vrbem, & habitationem gigantum. His addit Annianus, suo etiam tempore illius ciuitatis dirutæ cerni in monte Libano maxima & ingentis molis fundamenta, & vulgo ab incolis illius regionis nominari ciuitatem Cain, atque id se ex mercatoribus & peregrinis qui in Libano & Damasco versati erāt, accepisse.

Vbi condita fuerit secundū Berosum Annianum ciuitas Henochia.

C SED quæ ratio impulit Cain ad ædificandā ciuitatē? An quo tutior & securior esset? perpetuò enim sibi mortem timebat; quemadmodum Adam inter densas paradisi arbores sese voluit abscondere, ita Cain muris se inclusit. An potius vt cuncta ipsius familia vnum in locum congregata, coalesceret in vnum populum cuius ipse caput & dominus esset? An quò impunius latè prædari, & aliena bona diripere, & tyrannidem exercere posset? Nam vt supra auctore Iosepho diximus, primus omnium Cain facultates domesticas per vim & rapinas augere conatus est, & accitis latrociniorum & flagitiorum sociis, magister illis, & dux ad maleficia extitit.

Cur Cain ædificauerit ciuitatem.

PLATO in Protagora, causam cur homines se ciuitatibus extructis sepserint, & incluserint, fuisse censet; vt sese aduersus ferarū

D rabiem tutari ac defendere possent. Veruntamen Aristoteles primo libro Politicorum, exordia vrbium à natura hominis repetit, affirmans hominem esse politicū animal, multo magis sociabile quàm apes, grues, & quoduis aliud gregale animal. Quoniam igitur homines simul viuere & societatem, atque communionem rerum inter se habere, & ratio docuit & experientia confirmauit cùm ad vsus humanæ vitæ commodius, tum ad omne genus voluptatum esse iucūdius ea maximè causa ad condendas vrbes primū homines adduxit. Idē Aristoteles eo ordine tradit ventum esse ad ædificationē ciuitatū; vt primo in priuatis domibus habitauerint homines: ex his deinde pagi extiterint: ex pagis ædificatæ sint ciuitates. An hoc ordine in

De prima causa ædificādi vrbes secūdum Platonē, & Aristotelem.

exordio mundi ventũ sit ad ædificationẽ primæ ciuitatis,incertũ est. A

Morale documentum.

ILLVD porro lectorem hoc loco aduertere cupio,quam sint improbi homines solertes,prudentes,diligentes, ac solliciti ad omnia, quæ ad præsentis vitæ vtilitates,voluptates, honoréſque pertinent, vel inuenienda,vel amplificanda,vel consummanda vel sibi quo quo modo comparanda, abiecto prorsus amore curáque rerum cœlestiũ & æternarũ,& his rebus quæ ad animi sui medicinam & salutẽ conducunt pro nihilo habitis : denique nullo respectu, nullaq; cogitatione futuræ vitæ,omnia illorũ consilia,vota,conatus, labores ad sola huius mundi bona acquirenda, augenda, tuenda, potiundaq; spectare & cõferri,nihilq; post hanc vitã aut mali timere, aut boni sperare. Ecce tibi, primus omnium Cain vrbem ædificauit;& ex posteris eius Lamech primus libidinis causa cõplures vxores duxit:cuius tres filij,varias inuenere artes,quibus ea quæ ad cultum humanæ vitæ conferunt, abundantius & commodius suppeterent hominibus. Horum enim vnus pastoritiã artem, alter musicam,tertius fabrilem, quæ in tractando ære ferróq; versatur, multis & magnis inuẽtis vtilitatibus valde adiuuit & ornauit, Similes autem Caino flagitiis & maleficiis fuisse eius posteros,confirmat Iosephus scribens,superstite etiam tunc Adamo Caini sobolem sceleratissimã euasisse:dum inquit Iosephus posterior quisque fit deterior,nec solũ imitatur priorũ vitia,sed nouis insuper inuentis sceleribus longè superat, nec à bellis,neque latrociniis temperando:si qui autem à cædibus abstinebãt, auarè & superbè vitam suam viuebant. B C

Iosephus libro 1. Antiqui.

VERVM, quæ paulò supra diximus de ingeniis & studiis improborum hominum nihil de cœlestibus, æterníque bonis cogitantium,sed terrenis dumtaxat cupiditatibus seruientiũ,& præsentis vitę bona,caduca sane & breui peritura,toto pectore & auiditate cõsectantium,hæc,inquã,quæ supra cursim attigimus, quo, iucundiora lectori accidant,Gregorianæ orationis suauitate cõdienda sunt.Hũc igitur locũ tractans Greg.in lib.16.Moral.ca.6. super illis verbis Iob quæ sunt in cap.22. *Qui sublati sunt ante tempus suum, & fluuius subuertit fundamentum eorum,* hoc modo scribit, *Iniqui dum corde transire ad aterna negligunt,& cuncta præsentia fugitiua esse nõ intuentur, mentem in amore præsentis vitæ figũt,& quasi lõgè habitationis in ea sibi fundamentũ construũt: quia in terrenis rebus per desideriũ solidãtur.Sic primus in terra Cain ciuitatẽ construxisse describitur;qui videlicet peregrinus apertè monstratur,quia ipse in terra fundamentũ posuit,qui à soliditate æternæ patriæ alienus fuit.* Peregrinus *quippe à summis,fundamentum in infimis posuit,qui stationẽ cordis in terrena delectatione collocauit.Vnde & in eius stirpe,Henoc,qui dedicatio interpretatur.primus nascitur. in electorum verò progenie, Henoch 7.fuisse memoratur : quia videlicet reprobi in hac vita, quæ ante est,semetipsos ædificando dedicant ; electi verò ædificationis suæ dedicationem in fine temporis, id est, in 7. tempore expectant. Videas nanque plurimos temporalia sola cogitare, honores quærere,ambiendis rebus inhiare, nil post hanc vitam requirere. Quid itaque* D

Præclara Gregorij sentẽtia.

A *itaque isti, nisi, in prima se generatione dedicant? Videas electos nil præsentis gloriæ quærere, libenter inopiam sustinere, mala mundi æquanimiter perpeti vt possint in fine coronari. Electis ergo Henoch in septima generatione nascitur quia sui dedicationem gaudij in extremæ resurrectionis gloria requirunt Et quia quotidiano temporis lapsu ipsa præsentis vitæ mortalitas decurrit, atque reproborum dedicationem, eosdem reprobos subtrahendo, destruit: rectè de iniquis dicitur, Et fluuius subuertit fundamentum eorum, ideſt, ipse cursus mortalitatis, statum in eis subruit peruersæ constructionis.* Hæc Gregorius.

aliàs, retributionis.

aliàs, mutabilitatis.

Dixítque Lamech vxoribus suis Adæ & Sellæ, audite vocem meam vxores Lamech, auscultate sermonem
B *meum: quoniam occidi virum in vulnus meum, & Adolescentulum in liuorem meum: Septuplũ vltio dabitur de Cain: de Lamech vero septuagies septies.*

VER. 23. & 24.

TAM obscurus & perplexus est hic locus, vt in eo interpretando duodecimum & decimumtertium librum Cõmentariorum suorum in Genesim (teste Hieronymo in Epistola 125. quæ ad Damasum scripta est) consumpserit Origenes. Quin putat Catharinus esse prorsus inexplicabilem hunc locum nec mortalium quemquam humana ratione, &
C gatione, verum & proprium eius intellectum assequi posse. Sanè, obscuritatem eius, satis declarat ingens Doctorum in eo explanando interpretationum & sententiarum varietas, atque dissensio. Nimirum, hic vsu venit quod in rebus maximè dubijs & incertis euenire solet: vt qui eas tractant, quod nihil habeant explorati & certi, quod sequantur, variis ducti coniecturis, in diuersas admodum & contrarias opiniones distrahantur. Quò maiori nobis studio & diligentia ad huius loci explicationem incũbendum est: vt quod videtur similius vero, & cum verborum Mosis sententia congruentius id lectori apertè ac breuiter indicetur.

locus in Scriptura difficultimus.

QVATVOR huius loci reperio interpretationes. Prima est per-
D nulgata, multisq; tam Hebræorum quam Christianorum interpretũ probata quæ mihi etiam præter cæteras probatur. Fertur ex antiqua Hebræorum traditione, Lamech fuisse deditum venationi, & vsque ad extremam ætatem in ea studiosè & assiduè versatum. Cùm igitur iam præ senio caligans, & vtens ductu adolescẽtis (quem Hebræi filium ipsius Tubal-Cain fuisse dicunt) nihilominus tamen venationi vacaret: semel offendit ipsum Cain densis in syluis ferarum more inerrantem: quem Lamech monitu sui rectoris & ducis feram esse illum æstimantis, sagitta confixum interfecit. Verùm mox errore cognito, tanta in puerum exarsit ira, vt eum multo & vehementi percussu, ictúque occiderit. Sic igitur exponunt verba: Alloqui-

Quatuor interpretationes huius loci.

Prima interpretatio quæ præter cæteras auctori probatur.

tur Lamech vxores suas geminæ cædi à se factæ perquam pœnitens A scelúsque suum illis confessus, *Occidi*, inquit, *virum*, ideſt, Cain, *in vulnus*, *meum*, ideſt, vulnere meo, seu vulnere à me illi inflicto, *Et adolescentulum in liuore meo*, quia vehementer eum percutiens arcu, totum corpus eius liuidum fecerat. Quoniam autem hæc cædes incidit in septimam generationem ab ipso Adam, apparet necem Cain & vindictam fratricidij eius vsque in septimam generationem fuisse dilatam, quod nonnulli significatum putarunt illis Dei verbis, *Omnis qui occiderit Cain, septuplum punietur*, vt nos supra declarauimus, Hæc interpretatio duas ob causas probabilis admodum est: quod generatio Cain producta est vsque ad diluuium, eam tamen Moses terminat in Lamech & filiis eius, non ob aliam profectò causam, nisi quia in generatione Lamech terminata est vita Cain occisi à Lamech: B tum etiam, quia nulla ratio erat, cur vellet Moses narrare homicidium, quod fecerat Lamech, nisi vt miserrimum vitæ Cain exitum, atque interitum indicaret.

Cur paulus Burgensis, Catharinus & Oleaster negent Cain esse occisum à Lamech.

Non sum nescius, nec Paulo Burgēsi, nec Catharino, nec Hieronymo ab Oleastro placere, Cain esse occisum à Lamech: quia Deus, inquiunt, promiserat ei impunitatem à cæde, & securum eum fecerat, quin etiam edixerat, septuplum iri punitum illum, qui Cainū interfecisset. Sic autem punitum esse Lamech, nusquam legitur. Putat autem Burgensis, Cain non alia morte quàm per diluuium interiisse. Verùm his rationibus non equidem deducar à communi sententia. C Deus enim tantùm significauit, Cain non statim, nec à quolibet, qui eum inueniret, vt ipse metuens dixit, occisum iri. Quin, vt supra diximus, multi dictum illud Domini sic interpretati sunt, vt significauerit Deus, Cain victurum vsque ad septimam eius generationem, & in ea esse occidendum. An autem Lamech, quia per ignorationem & errorem occidit Cain, & quia crimen suum confessus est, pœnas quas Deus interfectori Cain interminatus fuerat euaserit, nec ne, incertum est: nec enim omnia, quæ tunc acta sunt, prodere litteris curæ fuit Mosi. Illud certè, quod dixit Burgensis, Cain vixisse vsque ad diluuium, nemini qui sacrarum litterarum non sit planè ignarus, probari poterit. Ex eo enim conficeretur, Cain vixisse plus mille & sexcentis annis: siquidem ex quinto capite libri Geneseos D manifestum est, ab Adamo vsque ad diluuium mille sexcentos quinquaginta sex annos præteriisse.

Probat auctor ex Caietano suam interpretationē

Hanc primam interpretationem, quæ nobis omnium maximè placet, subtiliter & enucleate tractat Caietanus, hunc enim locum explanans ita scribit: *Confitetur expresè Lamech se duos occidisse homines: tum ex diuersitate ætatis, alterum virum, alterum puerum: tum ex diuerso modo occidendi, altero scilicet vulnere, altero liuore. Et est liuor nomen effectus, qui fit ex percussione absque vulnere: fit enim concursus sanguinis sub cute, & redditur pars percussa liuida. Quis autem fuerit vir puérve occisus, littera non aperte significat, coniecturam tamen ingerit, quod vir occisus*

vulnere

A *vulnere fuerit Cain : tum ex eo quod hæc sola progenies Cain recenſetur, & non niſi vſque ad Lamech tanquam occiſorem Cain : (vxorem ſiquidem & trium filiorum eius meminit Moſes, vt quis, qualis, ac quantus fuerit iſte Lamech, explicaret ex fama, & bigamiæ, & filiorum) tum ex eo, quod vniuerſa hæc hiſtoria Cain terminatur ad verba homicidij tanquam principaliter intenta: tum ex comparatione pœnæ Cain ad pœnam ipſius Lamech : tum quia quadrat litteræ, quod Lamech cœcutiens, dicente puero dirigente ipſum, Emitte ſagittam illo, arbitratus beſtiam ibi moueri, vulnerauerit Cain abſconditum : & poſtquam aduertit ſe occidiſſe patrem ataui ſui, flagellauerit puerum, qui ex liuore flagelli mortuus fuerit. Liuor enim magnus non purgatus, mortifer eſt. Quadrare enim hæc litteræ, teſtantur ætates occiſorum, & modi occidendi. Legendo autem ſepties vindicatum Cain, habes iungendo ſuperioribus, & quod occiſor Cain*

B *vindicandus eſſet ſepties. Quod autem infertur, Et Lamech ſeptuaginta ſeptem, ſignificat quod longe maiori pœna puniendus eſſet, vt pote reus parricidij, & filicidij, ſi puer ille filius eius erat, vel ſaltem homicidij, & reus contemptæ iuſtitiæ diuinæ, qua punitum ſciebat Cain ob homicidium. Significatur autẽ maior pœna more Hebræo per duos primos ſeptenarios, & ſeptem, & ſeptuaginta. Primus ſiquidem numerus ſeptenarius, appellatur ſeptem, ſecundus vero, ſeptuaginta; nam à ſeptem vſque ad ſeptuaginta, nullus eſt numerus denominatus à ſeptem. Alludendo itaque ad Cain vindictam numero ſeptenario, videlicet ſepties, infert ſuam fore duplici ſeptenario, videlicet ſeptem & ſeptuaginta. Cur verò non dixerit aduerbialiter, ſeptuagies & ſepties, ſed nominaliter ſeptuaginta & ſeptem, neſcio, niſi forte verum ſit, quod Ioſephus dicit, Lamech habuiſ-*

C *ſe filios & filias ſeptuaginta ſeptem, & propterea ſe puniendum eſſe dixerit in ſeptuaginta & ſeptem filiis.* Sic Caietanus. *Ioſephus lib. 1. Antiquitatum.*

SED vnde comperta eſt hiſtoria hæc de Caino occiſo à Lamech? Toſtatus quæſtione 15. ſuper hoc caput, auctorem eius facit Ioſephum. Sed profectò memoria lapſus eſt. Ioſephus enim duo tantùm breuiſſimè ſcribit de eo. lib. 1. Antiquitatum cap. 2. alterum eſt, Lamech ex duabus vxoribus Sella & Ada ſeptuaginta & ſeptem filios ſuſcepiſſe, alterum verò, cùm eſſet is diuini iuris non imperitus, videretque pœnas ſe exoluturum parricidij à Caino perpetrati (fortaſſe quod eius vindictam in ſeptimam generationem à Deo dilatam eſſe intellexiſſet) hoc eum vxoribus ſuis indicaſſe. Tantùm Ioſephus. Sed ego Toſtatum exiſtimo ſecutum Hiſtoriam ſcholaſticam in cap.

D 28. hiſtoriæ Geneſeos, nec bene conſiderantem, quod in ea traditur, vel per obliuionem vel per incogitantiam eſſe lapſum. Fuit igitur vetus hæc traditio apud Hebræos, & quod ea valdè quadraret hiſtoriæ Moſis, & quod ad hunc locum de homicidio Lamech intelligendum & explicandum magnam lucem afferret, propterea libenter à multis recepta, vehementérque probata eſt. Quam ſubindicare videtur Hieronymus in epiſtola 225. quam ſcripſit ad Damaſum, *Maiorum*, inquit, *noſtrorum iſta ſententia eſt, quod putent in ſeptima generatione à Lamech interfectum Cain*, & paulo infra, *Lamech qui ſeptimus ab Adamo fuit. non ſponte, vt in quodam Hebræo volumine ſcribitur, interfecit Cain,*

Vnde compertum ſit Cain eſſe occiſum à Lamech.

Lapſus Toſtati.

Traditio vetus Hebræorũ à Lamech Cainum interfectum.

sicut ipse postea confitetur dicens, Verum occidi in vulnere meo & iuuenem in liuore meo, &c. Sed persequamur reliquas tres interpretationes. A

Secunda interpretatio: quæ est Theodoreti.

ALTERA est interpretatio Theodoreti in libro Quæstionum in Genesim quæst. 44. qui ait, non duos homines occidisse Lamech nec occidisse ipsum Cain, sed alium quempiam hominem ætate adolescentem; ob id tamen homicidij pœnam euasisse, quod crimen suum vehementer doluit, & maiori supplicio, quàm ipsius Cain dignum se iudicauit, vt eius verba declarant Theodoretus igitur cùm posuisset hanc quæstionem, Quosnam interfecerit Lamech? ad eam ipse sic respondet: *Non duos vt quidam putauerunt, nec ipsum Cain, vt alij fabulati sunt, sed vnum & hunc iuuenem. Verum inquit, occidi in vulnus meum, & adolescentulum in liuorem meum, hoc est, virum agentem iuuenilem ætatem. Pœnam tamen euasit propter peccati confessionem, & contra se ferens sententiam, euitauit sententiam diuinam.* B

Tertia interpretatio: quæ est Suidæ.

TERTIA interpretatio est Suidæ in verbo Lamech, qui censet his verbis significari duos homines esse occisos à Lamech, vnum virili ætate, alterum iuuenili: & hos fuisse fratres sancti Henoch qui translatus est in Paradisum: & quia viri erant pietatis, atque sanctitatis laude insignes, propterea Lamech eorum necem tantopere doluit. Sic autem scribit Suidas: *Lamechi duo memorantur,* vnus Cainius, *alter qui fuit pater ipsius Noë. Ille virum occidit & adolescentem, duásque cædes fecit, & duas vxores duxit, qui se ipse incusat, qui se pœna septuagies septupla dignum pronunciat. Cainus, inquit, septuplas dedit pœnas, Lamechus verò septuagies septies, Grauius igitur punitur, quod casu eius qui prius deliquerat, non est factus cautior. Iusti etiam Henoch fratres sustulit, qui fide propterea orauit, ne videret talem mortem: & voti compos translatus est.* Hæc Suidas.

Duo Lamechi in Scriptura memorantur. C

Quarta interpretatio quæ est Hebræorum.

QVARTA interpretatio est quorumdam Hebræorum, qui verba Lamechi legenda existimant per interrogationem, ita vt reddant sensum negatiuum. Et hanc tradunt historiam, Lamechum in senectute malè tractatum esse ab vxoribus, vel propter nimiam eius libidinem atque lasciuiam, vel propter truculenta filiorum eius ingenia; quippe qui inuento vsu armorum passim cædes hominum faciebant. D quamobrem identidem Lamecho talium filiorum parenti mortem vxores comminabantur, quasi Deus de ipso & filiis eius grauissimas pœnas sumpturus esset. Lamechus igitur ex comparatione sui cum Caino, ostendit vxoribus sibi non esse timendam mortem. Num ego, inquit, occidi virum, & hunc adolescentulum, sicut Cain qui fratrem suum Abel iuuenili ætate florentem, in vulnere & liuore, ideſt, partim ferro, partim fustibus interfecit? Si igitur prohibuit Deus, ne quis Cainum, etiam si fratricida erat, occideret: quanto grauius puniet Deus, siquis mihi mortem afferre ausus sit? Atque hæ sunt quatuor interpretationes illorum verborum Lamech, quarum primam cæteris probabiliorem esse arbitramur.

Sequitur

A SEquitur, vt enucleemus sententiam illorum verborum, *Septuplum vltio dabitur de Cain, de Lamech vero septuagies septies.* Mitto hic recensere interpretationes, quas memorat S. Hieronymus in Epist. 125. ad Damasum, vt allegoricas magis quàm sententiæ verborum Mosis inhærentes. Quadruplex igitur fertur huius loci interpretatio. Prima est, Lamech dixisse hæc verba vehementer sceleris à se commissi pœnitentem, atque dolentem, & id supra peccatum Cain exaggerãtem, maioríque dignum supplicio iudicantem. Vt sit hæc istorum verborum sententia: Peccatum meum, inquit Lamech, maiori supplicio dignum est, quàm peccatum Cain: itaque si Cain septies puniri dignus fuit, ego septuagies septies. Phrasi enim Scripturæ satis frequenti, quemadmodum septies significat multum, ita septuagies septies, si-
B gnificat multo plus. Cui rei fidẽ facit illud, quod Dominus dixit Petro Matth. 18. *Non dico tibi vsque septies, sed vsque septuagies septies.*

Quid significet, Septuplũ vltio dabitur de Cain, de Lamech vero septuagies septies. Quadruplex interpretatio. Prima interpretatio.

SECVNDVM hanc interpretationem, licet hoc loco distinguere tres hominum gradus: vt primus sit hominum innocentium, qualis fuit Abel; quorum tres sunt proprietates: Placere Deo & ipsos, & ipsorum opera: Inuidiosos esse apud homines, & malis inuisos: Magnas & frequentes pati persecutiones, nec rarò tristes habere exitus. Hos bene denotat vocabulum Abel significans luctum; nam quod discipulis suis dixit Dominus, *Plorabitis & flebitis vos, mundus autem gaudebit*, in vniuersum de piis & iustis viris dici potest. Secundus
C gradus est peccatorum impœnitentium, qualis fuit Cain: quorum ferè proprium est, quælibet scelera patrare, eáque vel excusare vel negare, & ad extremum veniam & salutem desperare. Istorum vita miserrima est, sunt enim vagi semper & profugi: vagantur enim per omnia scelera, Deúmque fugiunt & quæcumque illis ad salutem animi conducere possunt. Quibus bene quadrat nomen Cain significans possessionem; in hac enim vita tantùm, & in hoc mundo bona possidere gestiunt, hic læti, diuites, potentes, ac beati esse & haberi cupiũt; quid eos post motem maneat, nihil pensi habent. Tertius gradus est peccatorum pœnitentium, quos expressit Lamech: isti, si quid vel per errorem, vel animi perturbatione, aliorúmve suasu, & impulsu mali egerint, id continuo agnoscunt, dolent, detestantur, confitentur quo-
D uis se dignos supplicio pronunciant.

Tres gradus hominum, Innocentiũ, pœnitentium & impœnitentiũ.

Ioannis 16.

TALEM fuisse hunc Lamech, multis & disertis verbis confirmat Chrysostomus homilia 10. in Genesim. Nam hæc verba Lamech diligenter explanans, ad hunc modum scribit: *Considera obsecro, statim ab initio quantum illi profuerit pœna Cain irrogata; non sólùm enim non expectat vt ab alio arguatur, quòd in idem & grauius peccatum lapsus sit; sed nullo vel accusante, vel increpante ipse semetipsum manifestum facit, & confitetur, quæ facta sint, mulieribúsque narrat delicti magnitudinem, quasi illud quod a Propheta dictum est implens, Iustus sui ipsius accusator est in principio sermonis: Plurimum enim ad emendanda peccata valet confessio. Itaque sicut grauius est peccatis ipsis, post peccata commissa, peccata inficias ire: id quod*

Cõfessio Lamech secundũ Chrysostomũ bona fuit & vtilis.

Prouerb. 18. Confessio ad emendanda peccata plurimum valet.

id quod fratricida ille agebat, & rogatus à misericorde Deo, non solùm non confessus est, quod ausus fuerat patrare facinus, sed & Deo mentiri ausus est, & propterea vt prolongaretur vita sua fecit. Cæterum & hic in illa sua peccata inciderat: sed animo expendens, quod negatio grauiorem ipsi parasset pœnam, vocatis mulieribus suis nullo reprehendente, vel arguente, ipse sua lingua & confessionem peccatorum facit, & conferens quæ à se facta erant cum his quæ à Cain, pœnam sibi ipsi definit. Vidisti prouidentiam Domini; quomodo pœnæ illius, occasio sunt misericordiæ, & quod misericordia sua nõ solum ad illum pertingit, qui pœna plectitur sed & multis aliis vtile efficit inde remedium, modo velint inde aliquem fructum capere? Vnde enim aliunde, dic quæso, Lamech ad hanc confessionem adductus esset, nisi eorum quæ illi contigerunt memoriam haberet, quæ illius continuo mentem decutiebant? A

Et paulô infra idem enucleatius declarans, subiungit Chrysostomus: *Magnum quid dictum est, & valdè magnum. Multiplex, piáque viri prudentia non solùm enim factum confitebatur, & cædes in medium afferebat, quas operatus erat, sed & pœnam sibi inferebat, comparans peccatum suum peccato Cain. Qua enim venia, inquit fuerit dignus, qui alterius pœna emendatior non fit, & * perpetuo memor eius rei est, & admonetur, & insuper duplex homicidium patrauit: Quia virum, inquit, occidi in vulnus mihi, & adolescentem in cicatricem mihi. Non tantùm, inquit, nocui illis, quos occidi, quantùm mihi ipsi: In pœnam enim quam effugere non possum me ipsum conieci, peccata operatus tanta, quæ veniam non merentur. Nam si ille pro vna cæde septem pœnis obnoxius factus est, ego dignus fuerim septuagies septies pœnam luere. Cuius gratia, & quare? Nam licet cædem ille operatus sit, & fratris: attamen nullo vnquam antea conspecto, qui hoc fecerat, neque alio viso, qui pœnam dederat eiusmodi facinoris, & à tanta ira tentato, quæ vtraque mihi pœnas augent. Quia & ante oculos habens, quod ab illo perpetratum, & pœnam videns immedicabilem esse, cautior factus non sum. Propterea, licet septuagies septies magis quàm ille punirer, attamen neque sic dignam luerem pœnam.* Hæc Chrysostomus. B C

* *Alias sed recentem & auribus insonantem habens eius memoriam insuper &c.*

Secunda interpretatio. Iosephi lib. 1. Antiquitatum.

Altera interpretatio est, per illud *Septuagies septies*, significari septuaginta septem liberos, seu posteros, quos ex duabus vxoribus procreauerat Lamech, vt scribit Iosephus, propter homicidium patris eorum Lamech, periisse omnes diluuio. Vt sit hic sensus: Cain propter peccatum suum in septima generatione punitus est, sed ego longè grauiori supplicio punior, miserrimo interitu amissis septuaginta septem filiis. Verùm hæc interpretatio non est admodum probabilis: nam nec bene adaptatur ipsis verbis Scripturæ; nec interitus ille septuaginta septem filiorũ Lamech in diluuio, propria fuit peccati Lamech pœna, sed generalis omnium hominum; quin etiam non minus pertinens ad Cain, quàm ad Lamech: illa enim soboles & posteritas erat ipsius Cain. D

Tertia interpretatio.

Tertia interpretatio superioribus contraria est. Nõ enim duas illas pœnas quæ per septuplũ, & per septuagies septem denotãtur, ad Cain & ad Lamech refert, sed ad illorũ interfectores. Nõ enim significatur

A ficatur illis verbis, Cain punitū iri ſeptuplū, Lamech vero ſeptuagies ſepties ſed eum occideret Cain, ſeptemplici pœna vindicatum iri: qui verò occiderit Lamach, ſeptuagies ſepties, id eſt, multo grauiori pœna. Quaſi diceret Lamech, licet ego homicidium admiſerim non propterea tamen vos vxores meæ metuere debetis, ne ab aliquo ipſe interficiar. Si enim Deus Cainum, qui fratrem innocentem occiderat, vetuit à quoquam occidi, ſeptemplicem pœnam occiſori eius cōminatus, quāto grauiori pœna, ſi quis meo occiderit, mulctabit eum Deus, quippe qui ſceleratiſſimum & nocentiſſium hominem per ignorationem & errorem interficerim?

B QVARTA interpretatio Ruperti eſt in lib. 3. Commentariorum in Geneſim capit. octauo, qui putat per ſeptemplicem pœnam Cain ſignificari pœnam inſolubilem & æternam, quā ille perſoluit, quoniam pœnitentiam non egit: at verò per ſeptuagies ſepties indicari pœnam ſolubilem & temporariam, quam expendens Lamech in hac vita, crimen ſuum expiauit, ſiquidem is, cùm delictum ſuum agnouerit, confeſſus fuerit, vehementérque doluerit, dignam egiſſe eum pœnitentiam credendum eſt. Quamobrem ſceleris eius pœnam & vindictam non æternam, ſed temporalem eſſe oportuit. Ponam hic verba Ruperti: continent enim aliquot Scripturæ locorum explanationem planè nouam, & à communi Doctorum interpretatione diuerſam nec tamen, propter eius viri tam pietatis, quam doctrinæ

C exiſtimationem & auctoritatem, lectori contemnendam. Sic igitur eo loci ſcribit Rupertus: *Conſtat quod is, qui occidit Cain, ſcilicet Lamech, pœnitudinem geſſerit. Dixit enim vxoribus ſuis*, Audite ſermonem meum vxores Lamech, quoniam occidi virum in vulnus meum, & adoleſcentulū in liuorem meum. *Proinde & multò aliter de pœna ſua cōtinuo pronunciauit dicens*, ſepties vltio dabitur de Cain, de Lamech vero ſeptuagies ſepties. *Videtur quidem ſecundum quantitatem numeri plus eſſe*, ſeptuagies ſepties vltio dabitur, *quàm*, ſeptuplum punietur; *ſed profectò minus eſt. Non enim quātitas vtriuſq; numeri ſed natura hic attendēda eſt. Et quidem tam ſeptenarius, quàm ſeptuagenarius numerus impar eſt, ſed non omnium imparium numerorum eadem natura eſt. Imparium namque alij ſimplices vel incompoſiti, alij compoſiti, alij ſunt medij. De compoſitis & incōpo-*

D *ſitis tantùm nunc ad rem pertinet. Incōpoſitus impar numerus dicitur is, cuius nulla pars præter vnitatē inuenitur. Compoſitus verò numerus dicitur is, quem alius præter vnitatē numerus metitur, vt ſunt nouenarius, quindenarius, & cū vnitate vicenarius. Nam ter terni, nouē: quinquies terni ſiue ter quini, quindecim: ſepties tres ſiue ter ſeptē, viginti vnus. Hoc ergo ſeptenarius, & ſeptuageſimus ſeptimus differūt, quod ſeptenarius incōpoſitus, ac per hoc inſōlubilis, ſeptuageſimus ſeptimus verò compoſitus, ac per hoc magis ſolubilis habetur. Nam ſeptenarium præter vnitatem nullius metitur numerus: ſeptuageſimi ſeptimi verò & ſeptenarius & vndenarius menſores ſunt. Nā vndecies ſeptē, vel ſepties vndecim, ſeptuaginta ſeptē perficiūt. Cū igitur dicit Deus, ſed omnis qui occiderit Cain, ſeptuplum punietur, inſolubilis pœna debet intelli & ſubaudiri*

Quarta interpretatio Ruperti ſanè noua & mira.

Imparū numerorum diuiſio.

oportet, nisi præcedens pœnitentia solubile, id est, remissibile peccatum fecerit. A *Cùm autem dicit Lamech,* Septies vltio dabitur de Cain, de Lamech verò septuagies septies, *insolubilis vindicta Cain, & solubilis vindicta Lamech debet intelligi. Et rectè videlicet, quia Cain pœnitentiã non egit, ipse verò Lamech pœnitentiam egit, quia peccatum suum confitetur. Et nota quod manifestè Scriptura contradicit eis qui putant peccatum Cain suprema morte deletum, cùm de illo iam mortuo dicit,* Septies vltio dabitur de Cain. *Ad hũc locum spectat illud, quòd cùm Petrus diceret Domino,* Domine quoties peccabit in me frater meus & dimittam ei? vsque septies? *Ille qui omnia secundũ Scripturas loquitur respondit,* Non dico tibi vsque septies, sed vsq; septuagies septies. *Vsque septies namque peccare, est incessanter & insolubiliter, id est, absq; pœnitentia peccare sicut Cain: septuagies septies verò peccare,* B *est peccatum quidem admittere, & per pœnitentiam illud soluere, quod fecit Lamech. Cæterùm quod apud Lucam dicit idem Dominus,* Et si septies in die peccauerit frater tuus in te, & septies in die conuersus fuerit ad te dicens, Pœnitet me, dimitte illi, *de propriis iniuriis accipiendum est: quas septies, id est, quoties admittuntur, dimittere debemus, ne audiamus illud à Domino,* Serue, nequam omne debitum dimisi tibi, quoniam rogasti me: Nonne ergo oportuit, & te misereri conserui tui? *Nam de his quæ in Deum admittuntur, illud intelligi oportet, quod de Matthæi Euãgelio prædictum est, & illud quod idẽ Lucas ante hæc dixerat, Si peccauerit frater tuus increpa illum: Et si pœnitentiam egerit, dimitte illi.* Hæc Rupertus.

Locus Matth. 18. explicatur.

Luc 17.

Matth. 18.

GEN. 4. VER. 25. C

Cognouit quoque adhuc Adam vxorem suam, & peperit filium, Vocauitq; nomen eius Seth: dicens, Posuit mihi Deus semen aliud pro Abel quem occidit Cain.

Abel fuisse occisum paulò ante generationem Seth.

PAVLÒ infrà scriptum est, Adamum cùm esset centum & triginta annorum, filium genuisse ad imaginem & similitudinem suam, quem nominauit Seth. Rectè autem ex vtroque loco inter se collato argumentatur Caietanus, Abel fuisse occisum circa centesimum & trigesimũ D annum Adami, id est, vel eodem anno, quo generatus est Seth, vel vno aut altero anno ante. Nam si aliquot annos ante ortum Seth occisus fuisset Abel, per illos annos aliquem alium filium procreasset Adam, & ille verius dici potuisset datus Adamo pro Abel, quàm Seth, qui post eum natus fuisset.

Ante eadem Abel fuisse alios filios Adamo præter Abel & Cain.

ILLVD quoque videtur admodum credibile, ante necem Abel complures filios progenuisse Adamum. Nam si Abel interfectus est propè centesimum & trigesimum annum ætatis Adami, quis credat, per totos illos centum & prope triginta annos, duos tantùm filios, Cainum dico & Abel fuisse generatos ab Adamo? cum Adam & Eua

A Eua creati fuerint à Deo corpore ætatéque perfecta,& ad generandũ valida,ibsíque maximam à Deo vim fœcunditatis accepissent, scilicet vt opus erat in exordio mundi ad propagandum & multiplicandum genus humanum.Illud igitur quod dixit Adam, Seth fuisse datum sibi pro Abel:non significat ante generationem Seth non fuisse Adamo alium filium nisi Cainum:sed illud potius,noluisse Deum vt fraudaretur Adamus aliqua ex parte numero filiorum suorum.Licet enim orbatus fuisset filio Abel,continuo tamen in eius locum alterum filium acceperat Seth, & quidem pietate ac religione aduersus Deum,reuerentia & obseruantia erga parentes,denique integritate vitæ,morúmque sanctitate perquam similem ipsi Abel.

VERVM quo modo intelligendum est quod ait Moses, Adamum B genuisse filium Seth ad imaginem & similitudinem suam?Cur enim hoc propriè dictum est de Seth,& non etiam de Cain & Abel? Nam vel Moses loquitur de similitudine secundum naturam,& hac ratione Cain quoque generatus fuerat ad imaginem & similitudinem Adami: vel de similitudine secundum pietatem & probitatem morum, & hac item ratione Abel genitus fuerat ad similitudinem Adami. Dicendum est, ideo fuisse hoc propriè dictum de ipso Seth, quia in eo solo conseruata est posteritas Adami, & species naturæ humanæ, ac per ipsum in omne æuum conseruanda & propaganda erat. Siquidem posteritas Cain tota per diluuium est deleta: ipsius verò Abel,nulla relicta prole,nulla fuit posteritas.Solius autem Seth C posteritas permansit, atque ex ea proseminatus est populus Dei, & vniuersum genus humanum propagatum.

Cur Seth dictus sit ad imaginem & similitudinem Adami generatus.

QVALIS autem quantúsque vir hic Seth fuerit, breuiter cognoscat lector de his quæ Suidas & Iosephus de eo viro prodiderũt. Suidas in vocabulo Seth scribit, *Seth ab hominibus illius ætatis Deum fuisse appellatum,eo quod & Hebraicas litteras, & stellarum appellationes inuenisset; & ob insignis eius pietatis admirationem primus omnium cognominatus & appellatus est Deus:quemadmodum postea & Moses dictus est Deus Pharaonis, & Iudices & Principes populorum in Sacris litteris nominantur Dij. Hoc enim significare voluit Moses cùm dixit, filios Dei ingressos esse ad filias hominum,idest, filios seu posteros Seth, ad fœminas ex stirpe Cain.*

Præconium Seth ex Suida & Iosepho.

Exod.7. Genes.6.

D Hæc Suidas,Iosephus autem libro 1.Antiquitatum ad hunc modum scribit:*Vnus è compluribus Adami liberis fuit Seth: qui à patre educatus, vbi eò ætatis venit, vt iam quod rectum est discernere valeret, virtutis studiis se totum dedit. Et cum ipse vir optimus euasisset, etiam nepotes sui similes post se reliquit: qui quoniam erant omnes bona indole præditi, & patriam absque seditione incolebant, in perpetua felicitate vitam exegerunt, & sideralem scientiam, ac cœlestium rerum cognitionem excogitauerunt. Ne autem inuenta sua ex hominum notitia dilaberentur, & prius perirent quàm pernoscerentur, scientes Adamum generalem hominum interitum prædixisse, vnum incendio, diluuio alterum: excitatis duabus columnis vtrique sua inuenta inscripserunt: vt si lateritiam diluuio deleri contingeret,lapidea*

De duabus columnis posterorum Seth.

superstes, hominibus discendi copiam faceret, & quæ inscripta continebat spectanda exhiberet. Aiunt enim lapideã illam ab ipsis dedicatam, quæ & nostris temporibus extat in terra Syriæ. Hæc Iosephus. A

CAP. 4. VER. 26.

Sed & Seth natus est filius, quem vocauit Enos iste cœpit inuocare nomen Domini.

SEPTVAGINTA interpretes ita verterunt hunc locum, *Iste sperauit inuocare nomẽ Domini Dei.* Cur posuerint illud verbũ *Sperauit*, cùm nõ sit in Scriptura Hebraica, equidem nescio, sicut nec satis diuinare possum quam sententiam reddat hæc oratio, *Sperauit inuocare nomen Domini*: nisi forte hanc, Sperauit per inuocationem, id est, per religiosum cultum Dei se malis omnibus liberatum iri, & quæcũque optaret ac peteret à Deo bona facile cõsecuturũ. Verùm pro illo pro nomine *Iste*, quod habet tam Græca, quam Latina translatio, denotans personam Enos, quasi primus ipse fuerit, qui cœperit inuocare nomen Dei, tam Hebraicè quàm Chaldaice, est aduerbium temporis; significans, tempore illius Enos cęptum esse inuocari nomen Dei. Itaque Pagninus sic vertit hunc locum, *Tunc cœptum est inuocare nomen Domini*, & sic olim verterat Aquila. B C

Pagnini & Aquilæ interpretatio huius loci.

SED vtrouis modo legatur, existit quæstio, quomodo verum sit, vel ab ipso Enos, vel tempore eius primum inuocari cęptum esse nomen Domini. Nam & Seth pater Enos vir fuisse insignis pietate ac religione traditur; & ante eum Cain & Abel per oblationes & sacrificia Deum inuocare consueuisse, supra dictum est à Mose: nec dubitari debet, quin primus omnium Adam Deum per frequentes precationes & oblationes inuocare solitus fuerit, itáque facere filios suos docuerit. Caietanus in explanatione huius loci ait, non fuisse Enos, qui primus simpliciter & absolutè nomen Dei inuocauerit sed fuisse primum qui cęperit inuocare Deum sub nomine illo יהוה *Iehouah*, quod Hebræi tanquam incomprehensibile & ineffabile summa reuerentia colunt, & silentio potius quã sermone & pronuntiatione venerãtur: idq; admirabiles & inenarrabiles virtutes effectúsque habere confirmant. Non arridet mihi quidem hæc interpretatio. Nam quicquid sit de nomine isto יהוה *Iehouah*, de quo magnam hoc tempore inter doctos viros disceptationem esse video, certè in libro Exodi cap. 6. non obscurè indicatur nomẽ istud יהוה *Iehouah*, nulli Patrum ante Mosem fuisse à Deo manifestatũ. Sic enim eo loci cum ipso Mose loquitur Deus: *Ego Dominus, qui apparui Abraham Isaac & Iacob in Deo omnipotente, & nomen meũ Adonai non indicaui eis.* Pro illo vocabulo *Adonai* quod inibi posuit Latinus interpres, Hebraicè nomen יהוה *Iehouah* esse dicitur. D

An Enos primus omnium cœperit inuocare nomen Domini. Optimo Caietani.

VERIVS

A VERIVS igitur dictu fuerit, propterea Enos dici primum inuocasse nomen Domini, quia super omnes priores pius & religiosus erga Deum fuerit, non modo colendo pietatem & religionem aduersus Deum, sed eam quoque prædicando, diuulgando, aliosque homines docendo. Vel quia iste primus certas quasdam precationum Dei formulas cõdidit, certósque ritus & cæremonias diuini cultus adinuenit: cuiusmodi fortasse fuit altarium erectio, & certorum locorum ad inuocandum Deum cultúmque eius administrandum designatio & dedicatio. Vel denique, quia cœpit congregare populum ad tractandum simul Dei cultum, quasi Ecclesiam fidelium inchoans & adunans.

Probabilior ratio, cur enos dicatur cœpisse inuocare nomẽ Domini.

SED non est ignorandum lectori, in paraphrasi Chaldaica longè
B diuersam, immo contrariam esse lectionem huius loci. Sic enim in ea est, *Tunc in diebus eius inceperunt filij hominum, vt non orarent in nomine Domini.* Diuersitas hæc lectionum nata est ex ambiguitate Hebręæ vocis חוחל *Huchal*, quæ, vt manifestis Scripturæ testimoniis demonstrat Hieronymus ab Oleastro, tria significat: primum, polluere seu profanare: tum occidere: denique incipere. Auctor igitur paraphrasis Chaldaicæ primam secutus significationem, ita vt dixi vertit hunc locum. Cuius versionis ea est sententia: *Tunc profanata est inuocatio nominis diuini.* Complutensis tamen editio Chaldaica, conuenit cum textu Hebraico: Sic enim ad verbum, si Latinè reddatur habet: *Tunc cœperunt homines orare in nomine Domini.*

Diuersa lectio paraphrasis Chaldaicæ

C

***

D

A

CAPVT QVINTVM LIBRI GENESEOS.

1. HIc est liber generationis Adam. In die qua creauit Deus hominem, ad similitudinem Dei fecit illum. Masculum & fœminam creauit eos: & benedi-
2. xit illis, & vocauit nomen eorum Adam in die quo B
3. creati sunt. Vixit autem Adam centum triginta annos: & genuit filium ad imaginem & similitudinem suam, vocauítque nomen eius Seth. Et facti sunt dies Adam postquam genuit
4. Seth octingenti anni: genuítque filios & filias. Et factum est omne
5. tempus quod vixit Adam, anni nongenti triginta, & mortuus est.
6. Vixit quoque Seth centum quinque annis, & genuit Enos. Vixítque
7. Seth postquam genuit Enos, octingentis septem annis, genuítque fi-
8. lios & filias. Et facti sunt omnes dies Seth nongentorum duodecim C
9. annorum, & mortuus est. Vixit verò Enos nonaginta annis, & ge-
10. nuit Cainan. Post cuius ortum vixit octingentis quindecim annis,
11. & genuit filios & filias. Factíque sunt omnes dies Enos nongenti
12. quinque anni, & mortuus est. Vixit quoque Cainan septuaginta
13. annis, & genuit Malaleel. Et vixit Cainan postquam genuit Ma-
14. laleel, octingentis quadraginta annis, genuítque filios & filias. Et facti sunt omnes dies Cainan nongenti decem anni, & mortuus est.
15. Vixit autem Malaleel sexaginta quinque annis & genuit Iared. Et
16. vixit Malaleel postquam genuit Iared, octingentis triginta annis,
17. 18. & genuit filios & filias. Et facti sunt omnes dies Malaleel octin- D
19. genti nonaginta quinque anni, & mortuus est. Vixítque Iared centum sexaginta duobus annis, & genuit Henoch. Et vixit Iared postquam genuit Henoch, octingentis annis, & genuit filios & filias.
20. Et facti sunt omnes dies Iared nongẽti sexaginta duo anni, & mor-
21. tuus est. Porro Henoch vixit sexagintaquinque annis, & genuit
22. Mathusalam. Et ambulauit Henoch cum Deo: & vixit Henoch postquam genuit Mathusalam, trecentis annis, & genuit filios & filias.

A *filias. Et facti sunt omnes dies Henoch trecenti sexaginta quinque* 23.
anni. Ambulauítque cum Deo & non apparuit, quia tulit eum 24.
Deus. Vixit quoque Mathusala centum octoginta septem annis, & 25.
genuit Lamech. Et vixit Mathusala postquam genuit Lamech, 26.
septingentis octoginta duobus annis, & genuit filios & filias. Et 27.
facti sunt omnes dies Mathusalæ nongenti sexagintanouem anni,
& mortuus est. Vixit autem Lamech centum octoginta duobus an- 28.
nis, & genuit filium, vocauítque nomen eius Noë, dicens: Iste 29.
consolabitur nos ab operibus & laboribus manuum nostrarum, in
terra cui maledixit Dominus. Vixítque Lamech postquam genuit 30.
B *Noë, quingentis nonagintaquinque annis, & genuit filios & filias.*
Et facti sunt omnes dies Lamech, septingenti septuaginta septem 31.
anni, & mortuus est. Noë verò cum quingentorum esset annorum, 32.
genuit Sem, Cham, & Iapheth.

Vixit autem Adam centum triginta annis, & genuit filium VERS. 3.
ad imaginem & similitudinem suam, vocauitq; nomen 4. & 5.
C *eius Seth. Et facti sunt dies Adam postquàm genuit*
Seth, octingenti anni, & genuit filios & filias. Et factum
est omne tempus quod vixit Adam, anni nongenti tri-
ginta, & mortuus est.

D RECENSENTVR decem generationes ab Adam vsque ad diluuium quę comprehendunt annos mille sexcentos quinquaginta sex, tempus videlicet transactum à creatione Adæ vsque ad diluuium. Quamquam secundum translationem LXX. Interpretum ab Adamo vsque ad diluuium & à diluuio vsque ad Abraamum multo plures anni numerentur, quàm sunt in Scriptura Hebraica, & in nostra versione Latina. Verùm de hac varietate supputationum infra disputabimus. Nunc illud est notãdum, in hac serie generationum tres inueniri longioris vitæ, quàm fuerit Adam, nempe Iared, qui vixit nongentos sexagintaduos annos, & Noë qui fuit nongentorum & quinquaginta annorum, & super omnes Mathusalem, qui vitam produxit vsque ad nongentesimum sexagesimum nonum annum.

VERVM si consideretur ætas, qua creatus fuit Adam, nimirum perfe

Longißimam omnium mortalium vitam quodammodo vixiſſe Adamum.

perfecta & idonea ad generandum, apparebit longiori tempore vixiſſe Adam quàm Mathuſalem. nam cùm ætas virilis hominum viventium centum annos ſit ætas triginta annorum, cõſentaneum eſt, ætatem virilem hominum viuentium ferme ad mille annos, fuiſſe ad minus ſexaginta annorum. Neminem enim reperies in hac prima ætate Mũdi & in hac ſerie generationum, qui non poſt ſexageſimum annum generaſſe memoretur: nam qui citiſſimè generarũt, ſexaginta quinque annorum erãt. Si igitur Adam creatus eſt in ætate ſexaginta annorum, & poſt eam vixit nongentos & triginta annos: tota eius vita verè æſtimari & cenſeri debet nongentorum nonaginta annorum, Et ſanè congruit hoc rationi, vt primus vir, Dei manibus formatus, longiorem vitam egerit, quàm quiuis alius mortalium. A

Quando Adam obiit.

OBIIT Adam annis ſeptingentis viginti ſex ante diluuium, & ante raptum Henoch annis quinquaginta ſeptem: peruenit autem vſque ad quinquageſimum ſextum annum Lamech patris Noë. Mathuſalem autem obiit initio anni, quo euenit diluuium, ante quod quinque annis exceſſit è vita Lamech. Itaque Adam vidit octo ſuas generationes. Et quia, ſecundum Ioſephum, corruptio generis humani, propter quam Deus immiſit diluuium, euenit ſeptima generatione, eam quoque vidit Adam; ob quam, & ob futurum generis humani excidium per diluuium haud dubiè ipſi Adamo præmonſtratum, credendum eſt magno in mœrore & dolore extremam vitam ipſum egiſſe. B

Ioſe. lib. 1. Antiquitatum.

C

DISPVTATIO DE LONGITVDINE vitæ priſcorum hominum ante diluuium.

CAETERVM, quia longæuitas illorum hominum primæ ætatis mundi viſa eſt Gentilibus incredibilis & fabuloſa, vindicanda nobis eſt ab eorum calumniis hæc Moſis hiſtoria. Quatenus autem vita hominis naturaliter produci queat, ex ſideralis ſciẽtię rationibus & obſeruationibus diſputant Mathematici: ſed in varias diſtrahũtur ſentẽtias, quarum varietas & diſcrepãtia declarat rem eſſe incertam.

D

QVAESTIO I.

Quatenus vita hominis naturaliter produci queat.

Epigenes. Beroſus.

EPIGENES, centum viginti duos annos impleri poſſe negauit: Beroſus, vix excedi centum decem & ſeptem: Alij vltra etiam protendi poſſe credidere, Fuere, qui non idem putarunt vbique obſeruandum, ſed variè per diuerſas regiones, prout in ſingulis ſit cœli

A cœli ad circulum finitorem inclinatio, quod vocatur Græcè clima. Lege Censorinum in libro de natali die Romanorum, & Plinium libro 7. cap. 49. apud quos illud aliis quidem mirabile, mihi autem perridiculum videtur, quod de Aegyptiis traditur. Ponam hic verba Plinij ex capit. 37. lib. 11. *Augeri, inquit, cor humanum ab ortu hominis per singulos annos, ac binas drachmas ponderis ad quinquagesimum annum accedere: ab eo detrahi tantumdem, & ideo non viuere hominem vltra centesimum annum defectu cordis Aegyptij existimant, quibus mos est cadauera asseruare medicata.* *Ridiculum Ægyptiorum figmentum de corde hominis.*

SED hæc falsa esse, manifesto argumento, seu vt veriùs dicam, experimento confirmat Plinius, *Accedunt, inquit, experimenta & exẽ-*
B *pla recentissimi census, quem intra quadriennium imperatores Cæsares Vespasiani pater filiúsque censores egerunt. Et vt multos omittã, inuenti sunt duo, alter Bononiæ, alter Arimini, centum quinquaginta annorum. In regione autem Italiæ octaua centenum annorum censi sunt homines quinquaginta quatuor: centenum denum, homines quinquaginta septem, centenum vicenum quinum, homines duo, centenum tricenum, homines quattuor, centenum tricenum quinum, aut septenum, totidem, centenum quadragenum, homines tres.* *Plinius lib. 7. cap. 49.* *Homines longæui Plinij ætate in Italia quot.*

VERVM ab antiquis & gentilibus scriptoribus etiam memoriæ proditum fuisse quosdam vixisse ad quingentos & sexcentos & eo amplius annos, auctor est Iosephus, qui in 1. lib. Antiquitatum extremis verbis cap. 3. testes huius rei excitat Manethonem Aegyptiarum rerum, Berosum Chaldaicarum scriptores. Itémque Mochum Est-
C hiæum, Hieronymum Aegyptium qui Phœnicum res tradidere scriptis: quin etiam Hesiodum, Hecatæum, Elamium, Agesilaum, Ephorum, & Nicolaum narrare; priscos illos ad mille annos vitam produxisse. Plinius item proximè nominato loco memorat Alexandrum, Cornelium, & Xenophontem, qui vixisse quosdam ad quingentos & sexcentos, atque etiam octingentos annos tradiderunt. Verum mox Plinius subiungit hæc. *Quæ omnia, inquit, inscitia temporum acciderunt: Annum enim alij æstate vnum determinabant, & alterum hyeme, alij quadripartitis temporibus, sicut Arcades, quorum anni trimestres fuere, quidam Lunæ senio, vt Ægyptij. Itaque apud eos aliqui & singula millia annorum vixisse produntur.* Hæc Plinius. Eadem ferè tradit Victorinus, & Solinus c.
D 3. & ex Varrone Lactantius lib. 2. cap. 12.

QVAESTIO II.

Vtrum anni, quos vixisse homines ante diluuium narrat Scriptura, fuerint pares nostris.

EXISTIMARVNT quidam, cum Scriptura narrat homines primæ ætatis ad nongentos annos vixisse, nõ esse intelligẽdum tales fuisse annos illos, quales sunt nostri, sed fuisse paulò plus quã menstruos, hoc est, triginta sex die-

rũ, qui est numerus quadratus, efficitur enim is numerus ex numero senario sexies ducto. Itaque vnus de nostris annis, denos continet illorum annorum: etsi anni illi diuiderentur in duodecim mẽses, cui libet mensi non nisi tres dies assignarentur. Sed hoc, quã sit non falsum modo, sed etiam ipsi Scripturæ apertè contrarium, facilè vel per se quilibet potest intelligere. Si enim hãc rationem annorum sequamur, efficietur Cainam & Henoch: cum essent sex annorum cum dimidio, genuisse filios, genuisse enim eos cùm essent sexagintaquinq; annorum, tradit Scriptura. Si igitur decẽ ex illis annis vnum de nostris efficerent, necessario efficeretur illos, cùm nondum septennes essent, genuisse filios. Deinde cum nemo illorum hominum attigerit millesimum annum, si tales fuissent anni quales isti volũt, nemo hominum illius ætatis peruenisset ad nonagesimum septimum annum cum tamen hodieq; non pauci cẽtum annos supergressi inueniãtur, Adhæc Scriptura ait Abrahamum plenum vel saturum dierũ in bona senectute obiisse, natum annos centum septuagintaquinque, qui secundum istos efficiunt annos dumtaxat 17. cum dimidio. Quis non rideat talem senectutem? Postremo, infrà cap. 7. in eo vno anno, quo durauit diluuium, fit mentio primi, secundi, septimi, & decimi mẽsis. Et ne quis posset fingere menses illos fuisse trium dumtaxat dierum memoratur ibi 17. dies mensis secundi, 27. mensis septimi, & mensis secundi dies 7. & 20. Quinimo, si dies quos memorat Moses in descriptione diluuij per vnum illum annum sexcentesimum vitæ Noë recensentur reperientur ad trecentos sexaginta. Ergo anni illi 900. quos vixisse memorantur homines illius ætatis, non fuere menstrui, vel trimestres, aut semestres, sed pares fuere nostratibus.

Opinio affirmantium annos quos hic memorat Moses, fuisse mẽstruos: certe longe minores nostris confutatur. Genes. 25.

A B C

QVAESTIO III.

De septem causis tam longæ vitæ quam vixerunt homines ante diluuium.

SED enim quæret aliquis, quænam causæ fuerint tam longæuæ vitæ eorum hominum qui fuerunt ante diluuium? Respondemus fuisse multas atque varias, de plurimis autem, septem in præsentia commemorasse satis erit. Prima fuit bonitas constitutionis & temperatiõnis humani corporis, qua illi homines vigebant: tunc enim natura recens à Deo facta, integra erat firma ad seipsam conseruandam, fortis ad resistendum rebus contrariis, necdum tot morbis fracta & vitiata. Vigor igitur ille & robur naturalis constitutionis longo tempore permansit, nimirum vsque ad diluuium, per, quod cernimus vitã hominum insigni breuitate fuisse diminutam. Secũda causa fuit sobrietas & continentia in victu & potu: & omnis vitæ moderatio: erat enim naturalis & simplex victus & potus: varietas autem, mixtura, & condi

D

Prima causa longæ vitæ bonitas constitutionis.

Secunda sobrietas.

A condimenta ciborum, vitam debilitant atque minuunt, sicut docent Hippocrates & Plinius. Vnde Horatius Poëta.

Horat. lib. 2. Saty. 2.

----simul assis
Miscueris elixa simul conchilia turdis
Dulcia se in bilem vertent stomachoq; tumultum
Lenta ferent pituita.

Et Ecclesiasticus ca. 37. affirmat crapula multos periisse. Denique quotidiana demonstrat experientia, lautè, & opipare, & largè edentes & bibentes, esse breuis vitæ. Tertia causa, fuit præstantia alimentorum ob eximiam bonitatem & feracitatem terræ ante diluuium, post quod terra nascentia multo sunt imbecilliora, & deteriora facta

Tertia alimẽtorũ præstantia.

B propter aquas salsas Oceani, quæ inundantes terrã, sterilẽ eam fecerũt: quãobrem loca quædã sale seminari consueuerunt, vt perpetuo sterilia nihil boni vmquam ferant, sicut videre est in 9. cap. Iudicum. Atque huius rei argumentum est concessio carnium in esum humanum à Deo facta homini post diluuium. Quarta causa fuit, quod Adã perfectè nouerat naturales vires & facultates herbarum, fructuum, metallorum, lapidum, aliarúmque rerum, & quæ res haberent vim & potentiam benè conseruandi & longissimè producendi vitam humanam, quibus rebus & vsus est ipse, & vti docuit posteros suos vsque ad diluuium. Vixit enim Adam, vt suprà docuimus, vsque ad quinquagesimum septimum annum Lamech patris Noë, qui non longius quàm quinque annis à diluuio abfuit.

Quarta scientia virtũ herbarũ & aliarum rerum. Genes. 9.

C QVINTA causa fuit: quia in illa prima ætate, (Deo qui mundum & omnia quæ in eo sunt condidit, & ab exordio eius vsque ad finem perpetuo regit ita disponerẽt,) super regionẽ illam, in qua homines illi habitabant fuere valde benigni, propitij, atque salutares aspectus syderum, cœlestésque defluxus atque effectus: hi autem propriè non proueniunt nec fiunt secundum generalem motum cœlorum, hic enim quotidie integrè absolutéque conficitur: nec secundũ motum proprium planetarum. quippe qui breui tempore peraguntur, tardissimus enim omnium planetarum Saturnus triginta annis circulum suum absoluit: sed secundum motum proprium octauæ sphæræ, vel vt placuit aliis nonæ: vnde secundum causas naturales potissimum

Quinta cælorũ influẽtia.

D mors & vita dependere putantur: eius autem motus tanta est tarditas, vt centum annis vnus tantummodo gradus conficiatur: quare in tota prima ætate quæ fuit mille sexcentorum quinquaginta sex annorum: aspectus syderum secundum istum motum variatus est per sex & decem gradus cum dimidio supérque duo minuta. Et ex hoc motu prouenire solent mirabiles quædam mutationes in hoc mũdo inferiori: vt quod pars aliqua terræ inũdetur mari, & pars maris inũdetur aquis, & terra quę erat habitabilis & fertilis, fiat inhabitabilis & sterilis, aut contrà. Sexta causa fuit, vt per longam vitam illorum hominũ posset admodũ multiplicari genus humanũ, quod in exordio mundi necessarium erat. Septima causa fuit, vt diu viuentes homines

Sexta generis humani multiplicatio.

Septima artiũ inuentio.

possent reperire artes & scientias ad necessitates vtilitatésque vitæ humanæ,& ad perfectionem intellectus humani plurimum conferentes,quæ tamen non nisi longissimi temporis experimentis & obseruationibus reperiri possunt. Rectè enim dictum est ab Aristotele, Tempus esse & inuentorem & promotorem artium ac scientiarum. Præsertim autem longinquitas vitæ necessaria erat ad inuentionẽ Astronomiæ & Geometriæ, quarum disciplinarum certitudinem aisequi non poterant,auctore Iosepho cap.3.libri primi de Antiquitatibus,si minus sexcentis annis vixissent,ex tot enim magnus annus constat. A

De magno anno.

Cvr Iosephus magnum annum definiat sexcentis annis, nescire me fateor:quamquam non me fugit de spatio & magnitudine magni anni varias fuisse veterum sententias, quas tractat Macrobius super somnium Scipionis, & Lilius Giraldus in libro de annis & mensibus.Videtur autem pro sententia Iosephi facere,quod docet Plinius cap.2.lib.10.scribens de Phœnice,quam tradit viuere annos sexcentos sexaginta.Et subdit: *Cùm huius alitis vita magni conuersionem anni fieri prodit Manilius,iterúmque significationes tempestatum & syderum easdem reuerti.Hoc autem circa meridiem incipere, quo die signum Arietis Sol intrauerit.* B

QVAESTIO IIII.

Cur nemo ante diluuium attigerit millesimum annum. C

Cur nulli hominum millesimum attigerunt.

QVOD autem nemo illorum hominum attigerit annum millesimum,non vacat mysterio & documento. Primum enim significatur, quantocumque tempore Patres illi vixerint, eorum tamẽ vel longissimam vitã ne vnius quidẽ instar diei obtinere comparatione diuinæ æternitatis, dicente Dauide in Psal.89. *Mille anni ante oculos tuos,tanquam dies hesterna, quæ præteriit.*Irẽneus sub finẽ li.5. aduersus hęreticos memorat quosdam dixisse,propterea dictum fuisse Adamo. *In quocumque die comederis,morte morieris*; quia sic reuera accidit: post esum enim pomi vetiti Adã viuendo vnum diem integrum non expleuit, quia ad millesimum annum non peruenit.Est igitur vita hominis,quantacumque sit, velut dies vnus:cuius mane est tempus ab ortu vsque ad iuuentutem:meridies,iuuenilis & virilis ætas:vesper,senectus vsque ad mortem.Cui congruit illud Dauidis:*Mane sicut herba transeat,mane floreat & trãseat, vespere decidat, induret & arescat.* Cicero 1.quæstione Tusculana longissimam vitam hominis,ceu vnum diem æstimans, sic ait:*Apud Hypanim fluuium; qui ab Europæ parte in Pontum influit, Aristoteles inquit,bestiolas quasdam nasci,quæ vnum diem viuant.Ex iis igitur,hora octaua, quæ mortua est prouecta ætate mortua est, quæ verò occidente sole, iam decrepita: eo magis, si etiam Solstitialis dies fuerit. Confer nostram longissimam ætatem* D

Psal.89.

Bestiolæ vnũ tantum diem vicitantes.

A *tem cum æternitate, in eadem propemodum ætate, qua illæ bestiolæ reperiemur.* Hæc Cicero.

QVÆSTIO V.

Cur Moses singulis generationibus memoratis subiecerit illam clausulam, & mortuus est.

B IN omnibus autem prædictis hominibus, quorum tam longinqua ætas describitur, tanquam clausula hęc additur: *Et mortuus est*, vno dūtaxat Henoch excepto, vt manifestè appareat Deum veracem fuisse, qui dixerat: *Si comederitis, morte moriemini*: dæmonem autem mendacem, qui promiserat. *Nequaquam moriemini.* Deinde, vt manifestum sit discrimen inter præsentem vitam, quæ morte finitur, & futuram quæ pariter cum æternitate est interminabilis. Tertiò, quia nihil diuturnum est, cuius finis est, quicquid enim præteriit, quantumcumque fuerit, pro nihilo ducitur, sicut philosophatur apud Ciceronem Cato sub finē libri de Senectute. Adhæc, vt hinc cognoscere liceat, quàm longa futura fuisset vita in Paradiso: nam sicut Henoch viuens raptus est, & inexpertus mortis in meliorem statum est translatus, itidem in C statu innocentiæ cum omnibus hominibus factum fuisset. De longæuitate aliorum animalium variè traditur. Aristoteles in libro de longitudine & breuitate vitę ait, hominem & Elephantum esse omnium animalium lōgæuissima, & in 4. lib. de Generatione animalium affirmat nullum animal esse viuacius homine. excepto vno Elephante. Verùm Græci iuxta atque Latini scriptores multo secus prodidere. Apponam hic verba Plinij ex cap. 48. lib. 7. *Hesiodus*, inquit, *qui primus aliqua de hoc prodidit, fabulosè (vt reor) multa de hominum æuo referens, cornici nouem nostras attribuit ætates, quadruplum eius ceruis, id triplicatum coruis. Et reliqua fabulosius in Phœnice & nymphis.* Idem cap. 2. libri 10. tanquam à multis traditum scribit, Phœnicem auem viuere ad sexcentos D & sexaginta annos. Et lib. 8. cap. 32. *Vita*, inquit, *ceruis in confesso longa, post centum annos aliquibus captis cum torquibus aureis, quos Alexander Magnus addiderat, adopertis iam cute in magna obesitate, qui necdum tamen senij indicium præferebant*, vnde Iuuenalis ceruinam senectutem, viuidam & vegetem appellat cùm ait:

Iam iuuenem torquet longa & ceruina senectus.

ARISTOTELES in libris de Historia animalium ait, viuere Elephantos vsque ad annum trecentesimum. Sed de his satis.

Cur addatur singulis patribus, & mortuus est. Genes 3.

De longæuitate animalium.

A

DISPVTATIO.

Vtrum Adam sit saluus.

Error Taciani.

NON est hoc loco quæstio illa prætermittenda, vtrum Adam purgato per pœnitentiam peccato suo, tandem salutem æternam consecutus sit, necne. Tacianus qui discipulus fuit Iustini martyris, & magister atque dux hæreticorum, qui nominati sunt Enctatitæ, sensit Adam fuisse æternis damnatum suppliciis. Hoc scilicet de Taciano prodiderunt Irenæus lib. 1. aduersus Hæreses cap. 31. Eusebius lib. 4. historiæ Eccles. cap. 27. Epiphanius disputans contra hæresim 46. Philaster in Catalogo hæreseon. S. Augustinus in libro de Hæresibus, numero vigesimoquinto. B

RVPERTVS autem lib. 3. Commentariorum in Genesim cap. 31. scribit, de Adamo vtrum saluus sit an damnatus, & olim nonnullos dubitasse, & suo etiam tempore dubitare multos: propterea quod nusquam Scriptura aliqua canonica testetur egisse eum pœnitentiam, nec vllum eius bonum opus commemoret, sed peccatum eius tantummodo narret, cuius in omnes homines diffusione, & quasi contagione omne genus hominum vitiatum, atque corruptum est. Quinetiam Paulus in Epistola, quam scripsit ad Roman. cap. 5. & in C priori Epistola quam misit ad Corinth. cap. 15. Adamum opponit Christo, illum faciens peccati, mortis, & condemnationis auctorem hunc verò iustitiæ, vitæ, & immortalitatis effectorem.

Rupertus inclinat in opinionem Taciani, sed refellitur.

AC licet Rupertus non dissimulet, eos qui primum affirmarunt Adamum periisse, fuisse hæreticos, nec ipse quicquam certi statuat ac definiat, satis tamen indicat hanc sibi sententiam videri probabiliorem: sed immeritò sanè. Ex aduerso enim est concors Patrum sententia, & communis Ecclesiæ sensus, & quod caput est, manifestum diuinæ Scripturæ testimonium. Atque hæc breuiter à me dicta enucleatius scribens Augustinus in Epistola 99. quæ est ad Euodium sic ait. *De illo quidem primo homine patre generis humani, quòd Christus cum descendit ad inferos, inde eum liberauerit, Ecclesia fere tota consensit, quod eam non inaniter credidisse credendum est, vndecumque hoc traditum sit, etiamsi Canonicarum scripturarum hinc expressa non proferatur auctoritas.* D

Locus libri Sapientiæ, cap. 10.

Quamquam illud quod in lib. Sapientiæ cap. 10. scriptum est, Hæc (nempe sapientia diuina) *illum, qui primus factus est à Deo, patrem orbis terrarum cum solus esset creatus custodiuit, & eduxit illum à delicto suo, & dedit ei virtutem continendi omnia. Hoc, inquam, quod ibi scriptum est, magis pro hac sententia, quam pro vllo alio intellectu facere videatur.* Sic Augustinus.

RVPERTVS tamen hoc testimonium de libro Sapientiæ petitum, nimis profectò audacter reiicit, affirmans eum librum non esse canonicum, & eorum quæ narrantur in illo ipso capite, quædam esse planè

A planè falsa, quale est illud: Datam esse Adamo virtutem continendi omnia, quod nulli homini præter Dominum nostrum Iesum Christum conuenire potest. Verùm demiror equidem ignorasse Rupertum, multis ante suam ætatem sæculis relatum esse in numerum librorum Canonicorum librum Sapientiæ ab Ecclesia in Conciliis Carthaginensi & Laodicensi, necnon & à quibusdam summis Pontificibus, & ab ipsomet B. Augustino. Illud autem: *Cõtinere omnia*, si quis Græcam Scripturam eius loci consulat, intelliget non aliud significare: quàm dominari & imperare omnibus: nam pro illo verbo *Continere* Græcè est κρατῆσαι, quod est dominari. Alluditur enim eo loco ad id quod traditum est à Mose 1. cap. Genes. & à Dauide in Psal. 8. Deum
B Adamo dedisse principatum, dominationem, & imperium in cunctas animantes.

Liber sapientiæ canonicus esse monstratur.

Nos igitur tam aperto Sacrarum litterarum testimonio persuasi, & communi Patrum ac totius Ecclesiæ sensu commoti, sine vlla dubitatione credamus Adamum fuisse saluum. Ad quod persuadendum complures, neque paruipendendas rationes adducunt Patres, quas in præsentia breuitatis studio à nobis prætermissas reperiet lector apud Irenæum lib. 3. in quo hac de re disputat à cap. 34. vsque ad 40. & apud Epiphanium vbi disputat contra hæresim 46. denique apud Alphonsum de Castro, in lib. 2. aduersus hæreses in voce Adam atque in confutatione primi erroris.

Vera sententia. Adamum esse saluum.

Inter alias autem rationes, illa meo iudicio in postremis habenda non est, quod olim permultis Patribus persuasum fuerit me-
C moriæque proditum, Adamum esse sepultum in monte Caluariæ, in quo post tria annorum millia Dominus noster crucifixus est, vt qui primus peccati fuerat auctor, primus etiam peccati medicinæ salutaris, hoc est, sanguinis Christi vim experiretur. Hoc accepimus ab Origene tractatu in Matthæum 35. Athanasio in libro de Passione Domini, Cypriano in sermone de Resurrectione, Ambrosio lib. 5. Epistolarum Epistola 19. & in 23. cap. Lucæ, August. in serm. 71. qui est de immolatione Isaac, Theophylacto in 27. cap. Matth. 15. Marci. Lucæ 23. & Ioannis 19. Euthymio in 27. cap. Matth. aliisque viris doctis. Licet autem huic opinioni, quasi eam illudendo, contradicat S.
D Hieronymus in 27. cap. Matth. & in illa verba Pauli, quę sunt in cap. 5. Epistolæ ad Ephes. *Surge qui dormis, & exurge à mortuis, & illuminabit te Christus*, illud opponens pro magno argumento: quod in libro Iosue cap. 14. scriptum sit, Adamum in ciuitate Hebron fuisse sepultum: verùm tamen infirmum esse hoc argumentum Hieronymi, nec eo loco libri Iosue tradi primum hominem sepultũ esse in ciuitate Hebron, suprà ostendimus in 4. libro horum Commẽtariorum, cùm eam quęstionem tractaremus. Vtrùm Adam fuerit gigas & procerissimus omnium mortalium.

Adamum in monte Caluariæ sepultum fuisse, multorum Patrum fuit sententia.

Defenditur opinio multorum Patrum de sepultura Adami aduersus S. Hieron.

DISPV

DISPVTATIO.

De chronologia sacræ Scripturæ ab Adamo vsque ad diluuium, quam exposuit Moses capite quinto Libri Geneseos.

AD institutam designatámque à nobis interpretãdi huius libri rationem pertinet, vt hoc loco breuiter exponamus Chronologiam, quæ tempus ab Adami creatione vsque ad diluuium Noë transactum continet. Nam quia nonnihil in ea difficultatis inest, nostram explicationem simul, & iudicium, ac sententiam ea res desiderat, atque deposcit. B

QVAESTIO I.

Quot anni fluxerint à creatione Adami vsque ad diluuium.

ACreatione Adami vsque ad diluuium, quod sexcentesimo anno vitæ Noë contigit, numerantur secundum Hebraicam scripturam & nostram editionem vulgatam, anni mille sexcenti quinquaginta sex. Interceserũt C verò decem generationes. Hæc autem annorum summa facilè colligitur ex annis, quos Scriptura cap. 5. Genes. singulis generationibus assignat. Sed aduertendum est hoc loco, id quod rectè monet B. Augustinus, idémque multo ante ipsum monuerat Ioseph. lib. 1. Antiq. cap. 3. in colligendis harum generationum annis, eos tantùm sumendos esse annos, quos natus erat pater, cùm genuit filium, reliquos verò omnes, quos vixit post genitum filium, esse reiiciendos: Illos enim proprios esse patris, & à cæteris omnibus distinctos, hos autem communes esse patri cum filio, qui si in Chronologia patris ponerentur, cum necesse sit eos in filij chronologia recenseri, bis eosdem annos sumi & numerari oporteret. Ergo ex annis nongentis triginta quos vixit Adam, centum triginta dumtaxat in hanc chronologiam asciscemus, eos nimirum quos natus erat quando genuit Seth: reliquos autem octingentos, quibus post Seth procreatum superstes fuit, missos faciemus, idémque seruabimus in cæteris generationibus. D

Obseruatio in Chronologia

B. Augusti libro 16. de Ciuita. Dei. c. 10

VERVM series & ordo generationum ab Adamo vsque ad diluuium, numerus item annorum, qui propriè cuique generationi conuenit, ita se habet.

Adam cum genuit Seth, erat annorum 130.
Seth cum genuit Enos, erat annorum. 105.

Enos,

A	*Enos*	90.
	Cainan	70.
	Malaleel	65.
	Iared	162.
	Hecoch	65.
	Mathusalem	187.
	Lamech	182.
	Noë tempore diluuij	600.
	Summa	1656.

Obseruatio Chronologica.

B Porro extremus cuiusque generationis annus, quo dicitur pater genuisse filium exempli causa, annus trigesimus centesimus quo Adam genuit Seth, tripliciter potest intelligi: vel vt is annus fuerit tantummodo inchoatus,& vt vulgo dicitur currẽs; vel vt fuerit iam completus, & præterea menses aliquot sequentis anni continens: vel denique vt fuerit præcisè completus, ita vt nihil ei defuerit aut superauerit. Ac nos quidem omnes Ecclesiasticos chronographos secuti,vltimos singularum generationum annos hoc postremo modo accepimus,sicq; summa illa quam posuimus mille sexcentorum quinquaginta sex annorum existit.Sin autem primo modo sumatur, euadet minor; si secundo modo, maior, sed ad summum,non plus quàm nouem annis & aliquot mensibus tota summa vel maior, vel minor potest existere.

C Posset etiam hoc loco dubitari, num forte ab Adamo vsque ad diluuium plures quàm decem sint generationes, & an fuerit aliqua generatio prætermissa. Etenim in enumeratione generationum quæ sunt à diluuio vsque ad ortum Abrahæ, Scriptura Hebraica,& nostra editio vulgata generationem Cainam,quæ est inter Arphaxat & Sale,intermiserunt; quam tamen interposuit trãslatio Septuaginta interpretum, & B. Lucas capite tertio sui Euangelij. Non enim est insolens in sacra Scriptura, cùm numerantur generationes, intermitti aliquas, vt quæ recensentur ad certum quendam numerum, nempe arcanum ac mysticum, referantur: quemadmodum Beatus Matthæus ab Abraham vsque ad Christum quadraginta duas tantum generationes recenset, quibus tamen plures fuisse constat. At enim, cùm nec ex aliis Scripturæ locis, nec ex translatione LXX. interpretum, nec ex traditione Ecclesiæ,nec sanctorum Patrum scriptis aliquo modo coniici queat vllam ab Adamo vsque ad diluuium intermissam esse generationem (iam enim id sanctæ Ecclesiæ Aliqua via & ratione innotuisset) nulla profectò subest causa,cur id quisquam suspicari,aut in dubium vocare debeat.

***

QVAESTIO II.

A

Quomodo ab hac computatione annorum differat ea, quæ est apud Septuaginta interpretes.

In computatione annorũ, translationem Septuaginta interpretum partim consonam, partim dissonam esse Scripturæ Hebraicæ.

CAETERVM in supradicta supputatione annorum ab Adamo vsque ad diluuium, quemadmodum & in altera, quæ est post diluuium vsque ad ortum Abrahæ. Græca translatio Septuaginta interpretum partim congroit cum Scriptura Hebraica, & partim ab ea differt. Conuenit dupliciter: Primo quidem, quia eamdem ferè facit totam summam annorum, qui singulis generationibus adscribuntur. Nam licet Adamo tribuat ducentos triginta annos priusquam genuit Seth, & post eum genitum annos septingentos; omnes tamen annos vitæ Adam, similiter vt Scriptura Hebraica, facit nongentos triginta: idémque ferè seruat in reliquis, præter Lamech, cuius annorum omnium summa in Hebræo est septingentorum septuaginta septẽ annorum, Apud LXX. autem Septingentorum quinquaginta trium. Deinde, quia in duabus generationibus, vna ante diluuium quæ est ipsius Iared, & altera post diluuium quæ est ipsius Thare, & in ipso quoque Sem nihil planè discrepat à Scriptura Hebraica, nec in annis ante generationem filiorum, nec post. B

DIFFERT autẽ multis rebus à Scriptura Hebraica. Primò, quia in multis generationibus tam ante diluuium quàm post diluuium tribuit Patribus priusquam filios gignant, centum annos plures quàm Scriptura Hebraica; nimirum ante diluuium quidem Adamo, Seth, Enos, Cainan, Malaleel, Enoch: post diluuium autem Arphaxad Cainam, Sale, Heber, Reu, Saruch. Deinde, quia nonnullis addit plures quàm centum annos: nam post diluuium, ipsi Phaleg prius quam gignat filium, addit plures annos quàm Scriptura Hebraica, videlicet centum quatuor, ipsi autem Nachor centum quinquaginta. Postea, quia quibusdam aliis addit quidem plures annos quàm Scriptura Hebraica, sed multò pauciores quam centum, nam cum codices Hebræi habeant, Lamech cùm genuit Noë, fuisse centum octoginta duorum annorum, codices Septuaginta interpretum addentes his sex annos, aiunt tunc eum fuisse centum octoginta octo annorum. Postremo, quia ipsi Mathusalem, prius quam genuit Lamech, tribuit minus quàm Scriptura Hebraica annos viginti: nam secundum Septuaginta interpretes tunc Mathusalem erat annorum centum sexaginta septem; secundum Hebraicam autem Scripturam, erat annorum centum octoginta septem. Anni igitur quos in singulis generationibus ante diluuium nati erant Patres prius quàm gignerent filios, sic habent secundum Septuaginta interpretes. C D

Ante

A

Ante diluuium Adam genuit Seth, cum esset annorum	230.
Seth	205.
Enos	190.
Cainan.	170.
Malaleel	165.
Iared	162.
Henoch	165.
Mathusalem	167.
Lamech	188.
Noë cum incepit diluuium erat	600.

B

Summa 2242.

Codices igitur Septuaginta Interpretũ ab Adamo vsque ad diluuiũ habent plures annos, quã sunt in Hebræis, quingẽtos octogintasex.

Codices 70. interpretum omnium emẽdatissimi Romani.

Ac nos quidem in his annorum supputationibus, qui sunt apud LXX. interpretes, secuti sumus codices, qui nunc extant omnium emendatissimi: eum præsertim codicem Græcum, qui Romæ nuper singulari cura Illustrissimi Cardinalis Carafæ (cui omnes diuinarum litterarum amatores cultoréque debent plurimum) editus est, egregiaq; opera docti, ac mihi amicissimi viri Flaminij Nobilij Latinè redditus, accuratisque notationibus illustratus. Olim namque codi-
C ces Græcos LXX. Interpretum varios admodum & discrepantes fuisse, indicio est, quòd antiqui scriptores eos secuti, longè diuersum annorum numerum tradiderunt.

Varietas codicum 70. Interpretum.

Et enim Iosephus primo libro Antiquitatum capit. 3. ab Adamo vsque ad diluuium numerat annos bis mille sexcentos quinquaginta sex. Verùm locus ille Iosephi (nisi me fallit animus) planè corruptus & deprauatus est. Siquidem eo loci Iosephi computatio annorum discrepat tam à Scriptura Hebraica, quàm à translatione Septuaginta interpretum: quinetiam ipsa se penitus destruit. Summam enim, annorum Iosephus facit bis mille sexcentos quinquaginta sex, at ex annis quos singulis generationibus assignat, longè
D minor existit summa, continens scilicet annos duntaxat bis mille cẽtum nonagintatres, vt ex iis quæ subiiciam liquidò perspicitur. Assignat Iosephus Adamo prius quàm is genuit Seth ducentos triginta annos: ipsi autem Seth ducentosquinque: Enos centũ nonaginta, Cainan centum septuaginta, Malaleel centum sexagintaduos, Iared centũ sexagintaduos, Enoch centum quinque, Mathusalem centum octogintaseptem: Lamech centum octoginta duos, denique Noë vsque ad diluuium sexcentos. Ex his omnibus supradicta conficitur summa annorũ bis mille centum nonagintatrium. Sine dubitatione igitur vlla putandum est illum Iosephi locum esse mendosum. Equidem crediderim Iosephum in hac computatione annorũ, non trãsla-

Iosephus corruptus ostenditur.

Iosephus in annorum numero Hebraicam veritatẽ secutus est.

tionem LXX. interpretum, sed Scripturam Hebraicam, cũ qua Latina consentit versio, secutum esse. Ducor ad id existimandum ea coniectura, quòd paulo infra Iosephus enumerando annos, qui præterierunt à diluuio vsque ad ortum Abrahæ, tam in ipsa summa, quã in annis, quos sigillatim cuiq; generationi attribuit, cũ translatione LXX. interpretum nullo modo, cum Scriptura verò Hebraica omnino consentit. Fit igitur admodum credibile, etiam in computatione annorum, quos illo loco recenset ab Adamo vsque ad diluuium, secutum eum fuisse Chronologiam Scripturæ Hebraicæ. Ergo locũ illum Iosephi mendosum, ad veritatẽ Scripturæ Hebraicæ, sic reor esse restituendum atque emendandum. Primo, ex ipsa summa detrahendum est illud bis, & ita legendum: Post annum ab Adamo millesimum sexcẽtesimum quinquagesimum sextum: hanc enim summã annorum habet Chronologia Scripturę Hebraicę ad Adamo vsque ad diluuium. Deinde, ex singulis generationibus detrahere oportet centum annos prius quam pater genuit filium, quos nescio quis, imperitus nempe, ad formam & similitudinem translationis LXX. interpretum, temere adiecit. Excipio tamen duas generationes, vnam Malaleel, alteram Iared quarum vtrique Iosephus ascribit centũ, sexaginta duos annos: ex vtraque enim non tantum detrahere oportet centum annos, sed pro sexaginta duobus in vtraq; ponere oportet sexaginta quinque, sic enim est in Scriptura Hebraica. Atq; hoc modo correctus ille locus veram reddet sententiam, & cum Scriptura Hebraica, nostraq; translatione Latina omnino congruentem. Sed hoc ne cui fortè locus ille Iosephi mendosus, aut imponeret aut negotium faceſſeret, velut in trãscursu indicato, reuertamur ad id quod docere aggressi fueramus, olim codices LXX. interpretum in hac computatione annorum variasse plurimum. Eusebius enim ab Adamo vsque ad diluuium recenset in Chronicis annos bis mille ducẽtos quadraginta duos: quem numerum tradunt etiam Seuerus Sulpitius Isidorus. Post diluuium autem vsque ad Abraham sunt anni secundum Eusebium mille septingenti viginti: secundum Augustinum mille septuaginta duo: secundum Sulpitium mille septuaginta: secundum Isidorum nongenti quadragintaduo.

Mẽdosus Iosephi locus ab auctore emẽdatus.

Seuerus Sulpitius libr. 1. Sacræ Historiæ. Isidorus lib. 5. Etymolog. ca. vltimo. Augustinus li. 16. de Ciuit. Dei cap. 10.

A B C D

QVAESTIO III.

Vtrum in hac computatione annorum, standum sit translationi LXX. interpretũ, an potius Scripturæ Hebraicæ.

Veritati Hebraicæ potius quam 70 interpretationi standum.

SED dicet aliquis, in tanta annorum varietate, quantam cernimus esse, inter codices Hebræos & Septuaginta interpretum, quid nobis sequendum est? Respondeo cum B. Augustino libro 15. de Ciuitate Dei cap. 13. Cum B. Hieronymo in libro Hebraicarum quæstionum super Genesim cũ Beda

A Beda in libro de Sex ætatibus mundi, non solum in hoc de quo nunc agitur, sed vbicunq; Græci codices ita discrepant ab Hebræis, vt nulla ratione concordari possint, potius his quam illis credendum & stādum esse: præsertim cum Hebraica Scriptura non sicut Græca, notis numerorū vtatur, quas facilè est peruerti & vitiari, sed propriè ipsorum numerorum nomina adhibeat. Si enim codices Græcos Septuaginta interpretum sequi volumus, necesse est nos facere Mathusalem post diluuium annos sexdecim superstitem: quod ipsa scriptura docet esse falsum, quippe quæ trahit octo duntaxat animas diluuij exitium euasisse, Noë cum sua vxore, & tres eius filios cum tribus eorum vxoribus. Codices namque Græci habent, Mathusalem cum esset

Genes. 7. 1. Petr. 3.

B cētum sexagintaquinque annorum, genuisse Lamech: ob ortu autem Lamech vsque ad sexcentesimum annum vitæ Noë quo diluuium accidit, numerant annos septingentos octoginta octo: ipsi vero Mathusalem post genitum Lamech, tribuunt quatuor & octingentos annos: secūdum quam supputationem necesse est Mathusalem annis sexdecim post diluuium vixisse. Hoc autem incommodum non attingit codices Hebræos, secundum quos cùm Mathusalem natus annos centum octoginta septem genuerit Lamech, ipse autem Lamech cum esset annorum centum octogintaduorum genuerit Noë, efficitur vt principio anni, quo euenit diluuium, mortuus fuerit Mathusalem: ab ortu namque Lamech vsque ad sexcentesimum annum Noë & initium diluuij, sunt anni septingēti octogintaduo: totidem autem annis Scriptura Hebraica facit superstitem Mathusalem post ortum

Mathusalem quomodo non superuixerit diluuio.

C Lamech. Quod dixi de supputatione annorum Mathusalem secundū codices Græcos, id volo à lectore intelligi de iis, qui nunc extant. Nam antiqui, quos citat Augusti. lib. 15. de Ciuitate Dei cap. 11. & Hieronymus de traditionibus Hebraicis in Genesim, tribuunt Mathusalæ ante genitum Lamech cētum sexagintaseptem annos, & ipsi Lamech ante genitum Noë centum octogintaocto: quo fit vt Mathusalę supersint quatuordecim anni tēpore diluuij, licet August. prędicto lib. c. 13. tradat in tribus codicibus Græcis & vno Latino, vnóq; Siro similiter inueniri Mathusala mortuum sex annis ante diluuium.

Cum his codicibus consentit Græcus codex Septuaginta nouissimè editus Romæ.

Sequamvr igitur scripturam Hebraicam & nostram editionem vulgatam: præsertim cùm illa annorum additio inanis & vitiosa sit, non modo ad Scripturam non pertinens, sed vt latè disputat supradicto loco August. nec ab ipsis LXX. interpretibus profecta, verum ab eo qui primus translationem LXX. interpretum, ex libro qui erat in bibliotheca Ptolemæi descripsit, ficta, & Scripturæ inserta. Ex quo libro cum cæteri omnes codices descripti fuerint, mirum non est hoc vitium ad omnes codices ex vno quasi fonte dimanasse. Quid autem primum illum scriptorem mouerit vt eiusmodi additionem comminisceretur, disquirit atque discutit eo quem supra posuimus loco B. August. cuius coniecturas, quoniam id ad explanationem nostræ Chronologiæ nonnihil pertinet, & quia non omnibus

Editio vulgata sequenda.

Disputatio Augustini vnde in trāslationē LXX.

interpretum mẽdum irrepserit circa computationẽ annorum, qui ab Adamo vsque ad diluuium & à diluuio vsque ad ortum Abrahæ in scriptura recensentur.

fortasse hæc legentibus, ad manum erit volumen Augustini, vniuersa eius disputatione hic adscripta, commemorare libuit. A

SIC igitur Augustinus lib. 15. de Ciuitate Dei cap. 13. scribit: *Sed cum hoc dixero, continuo referetur, illud Iudæorum esse mendacium: de quo superius satis actum est. Nam LXX. interpretes laudabiliter celebratos viros, potuisse mentiri difficile est, Vbi si quæram quid sit credibilius, Iudæorum gentem tam longè lateq; diffusam, in hoc conscribendum mendacium vno consilio conspirare potuisse, & dum aliis inuideant auctoritatem, sibi abstulisse veritatem: an Septuaginta homines, qui etiam ipsi Iudæi erant, in vno loco positos, quoniam rex Aegypti Ptolemæus eos ad hoc opus asciuerat, ipsam veritatem gentibus alienigenis inuidisse, & communicato istud tunc fecisse consilio, quis non videat, quid procliuius faciliúsque credatur? Sed absit, vt prudens quispiam, vel Iudæos cuiuslibet peruersitatis atque malitiæ, tantùm potuisse credat in codicibus tam multis, & tam longè latéque dispersis: vel Septuaginta illos memorabiles viros hoc de inuidenda gentibus veritate vnum communicasse consilium.* B

Septuaginta interpretũ codices à libratio corrupti.

Credibilius ergo quis dixerit, cùm primùm de Bibliotheca Ptolemæi describi ista cœperunt, tunc aliquid tale fieri potuisse in codice vno, scilicet primitusinde descripto, vnde iam latius emanaret, vbi potuit quidem accidere etiam scriptoris error. Sed hoc in illa quæstione de vita Mathusalem non absurdum est suspicari: & in illo alio, vbi superantibus viginti quatuor annis, summa non conuenit. In his autem in quibus continuatur ipsius mendositatis similitudo ita vt ante genitum filium, qui ordini inseritur, alibi supersint centum anni, alibi desint: post genitum autem vbi deerant, superfint: vbi supererant, desint, vt summa conueniat: & hoc in prima, secunda, tertia quarta, quinta, septima generatione inuenitur: videtur habere quamdam, si dici potest, errorem ipse constantiam, nec casum redolet sed industriam. C

ITAQVE *illa diuersitas numerorum aliter se habentium in codicibus Græcis & Latinis, aliter in Hebræis, vbi non est ista de centum annis prius additis, & postea detractis per tot generationes continuata parilitas: nec malitiæ Iudæorum, nec diligentiæ, vel prudentiæ Septuaginta interpretum, sed scriptoris tribuatur errori qui de Bibliotheca supradicti regis codicem describendum primus accepit. Nam etiam nunc, vbi numeri non faciunt intentum ad aliquid quod facilè possit intelligi, vel quod appareat vtiliter disci & negligenter describuntur & negligentius emendantur. Quis enim existimet sibi esse dicendum, quot millia hominum tribus Israël singillatim habere potuerunt quoniam prodesse aliquid non putatur? & quotusquisque hominum est, cui profunditas vtilitatis huius appareat? Hic verò vbi per tot contextas generationes centum anni alibi adsunt, alibi desunt, & post natum qui commemorandus fuerat filium, desunt, vbi adfuerunt, adsunt, vbi defuerunt, vt summa concordet: nimirum cùm vellet persuadere, qui hoc fecit, ideo numerosissimos annos vixisse antiquos, quòd eos breuissimos nuncupabant: & hoc de maturitate pubertatis, qua idonea filij gignerentur, conaretur ostendere: atque ideo in illis centum annis decem nostros insinuandos putaret incredulis, ne homines tamdiu vixisse recipere in fidem nollent, addidit centum, vbi gignendis filiis habilem non inuenit ætatem: eosdémque post genitos filios, vt congrueret summa* D

In numeris maximè describendis error cur soleat obrepere.

detraxit.

A *detraxit. Sic quippe voluit credibiles facere idonearum generandæ prolis conuenientias ætatum, vt tamen numero non fraudaret vniuersas ætates viuentium singulorum. Quod autem in sexta generatione id non fecit, hoc ipsum est, quod magis mouet, illum ideo feciſſe, cùm res quam diximus postulauit, quia non fecit, vbi non postulauit. Inuenit namque in eadem generatione apud Hebræos vixiſſe Iared, antequam genuiſſet Henoch, centum sexagintaduos annos, qui secundum illam rationem breuium annorum fiunt anni sexdecim, & aliquid minus quam menses duo, quæ iam ætas apta est ad generandum: & ideo addere centum annos breues, vt nostri viginti ſex fierent, necesse non fuit: nec post natum Henoch eos detrahere, quos nō addiderat ante natum, sic factum est vt hinc nulla esset inter codices vtrosque varietas.*

SED rursus mouet, cur in octaua generatione antequam de Mathusalem
B *nasceretur Lamech, cùm apud Hebræos legantur centum octogintaduo anni: viginti* (vel vt alia lectio habet viginti duo) *minus inueniuntur in codicibus nostris, vbi potius addi centum solent: & post genitum Lamech complendam restituuntur ad summam, quæ in codicibus vtrisque non discrepat. Si enim centum septuaginta annos propter pubertatis maturitatem, decem & septem volebat intelligi: sicut nihil addere, ita nihil detrahere iam debebat, quia inuenerat ætatem idoneam generationi filiorum, propter quam in aliis centum illos annos, vbi eam non inueniebat, addebat. Hoc autem de viginti annis merito putaremus casu mendositatis accidere potuisse, nisi eos, sicut prius detraxerat restituere postea curaret, vt summæ conueniret integritas. An forte astutius factum existimandum est, vt illa, qua centum anni prius solent adiici, &*
C *postea detrahi, occultaretur industria, cum & illic vbi necesse non fuerat non quidem de centum annis, verumtamen de quantulocumque numero prius detracto post reddito, tale quid fieret.*

Valde obſeruandum Augustini documentum.

SED quomodolibet istud accipiatur, siue credatur ita esse factum, siue non credatur, siue postremo ita, siue non ita sit, rectè fieri nullo modo dubitauerim, vt cùm diuersum aliquid in vtrisque codicibus inuenitur, quandoquidem ad fidem rerum gestarum vtrumque esse non potest verum, ei linguæ potius credatur, vnde est in aliam per Interpretes facta translatio. Nam in quibusdam etiam codicibus Græcis tribus, & vno Latino, & vno etiam Syro, inter se consentientibus inuentus est Mathusalem sex annis ante diluuium fuisse defunctus. Hucusque sunt verba Augustini. Non me fugit (quod etiam nuper annotauit sub finem sui Apparatus ad Annales Ecclesiasticos
D Cæsar Baronius, eruditus sanè, pius, ac diligens rerum Ecclesiasticarum scriptor) plerosque veterum tam Græcorum, quàm Latinorum Chronologiam, quæ hoc loco est in translatione LXX. interpretum, sequi maluisse: quòd eam translationem illi cernerent multis sæculis esse in Ecclesia Dei reuerenter vsurpatam, religioséque cultam, atque ob eam causam aliqua in parte eam mutare, aut non sequi religioni haberent. Sed apud me (quantum ad Chronologiam, de qua nunc agitur) auctoritas Scripturæ Hebraicæ ac Latinæ versionis vulgatæ necnon & duorum principum Ecclesiæ Doctorum Hieronymi atque Augustini iudicium & sententia præponderat.

Cæsar Baronius Annalium Ecclesiasticorum auctor quis.

QVAE

QVAESTIO IIII.

Quomodo tanta ætatis inæqualitas in generando filios, in hominibus ante diluuium esse potuerit.

ILLVD fortasse mirandum lectori accidat, in his generationibus, quas Moses ab Adamo numerauit vsque ad Noë, tantam fuisse in generatione filiorum penes eorum Patres ætatis diuersitatem. Siquidem Cainan septuaginta natus annos genuit Malaleel; hic autem, cùm quinque & sexaginta annorum esset, genuit Iared: eiusdem ætatis cùm esset etiam Henoch, generauit Mathusalem. At verò Iared centum sexagintaduos annos natus genuit Henoch: hoc etiam senior Mathusalem, id est, centum octoginta septem annorum cum esset genuit Lamech: hic autem centum octoginta duos annos natus genuit Noë, à quo cùm esset ipse quingentorum annorum, tres filij procreati sunt, Sem, Cham, & Iaphet. Cum igitur eo tempore ætas septuaginta annorum iam matura, & firma esset ad generandum, vt exemplo Cainan, Malaleel, & Henoch manifestum est: qui factum est, vt alij tam serò, id est, amplius centum annis, & Noë plusquam quadringentis annis seniores filios procrearint? neque enim verisimile est, eos qui serò genuerunt, continentiæ studio diu ab vxoribus abstinere voluisse. Nam tunc opus ipsum generationis eo tempore, quo multiplicari debebat genus humanum, honestum, & laudabile erat: & Henoch, qui propter eximiam & singularem eius sanctitatem translatus à Deo est, ante septuagesimum annum vacasse generationi, & filios procreasse legitur: Noë verò ante quingentesimum annum, vel abstinuisse à coniugio, vel impotentem generandi fuisse, respuit animus credere.

Explicatio dubitationis.

QVID igitur ad hoc respondebimus? S. Augustinus longam hac de re & accurratam habet disputationem in cap. 20. lib. 15. de Ciuitate Dei, Sed ego quid sentiam, lectori paucis indicabo, Mihi quidem similimum verò fit, seriem illam decem generationum ab Adamo vsque ad Noë, nõ esse perpetuò descriptam à Mose per filios primogenitos, sed in aliquibus generationibus contextam esse per alios filios posteriores, per quos scilicet deducebatur, recta linea, progenies ipsius Seth vsque ad Noë, quo potissimum intendebat Moses seriem illam generationum perducere. Neque igitur Henoch fuit primogenitus filius Iared: neque primus filius, quem genuit Mathusalem fuit Lamech: neque huius primogenitus fuisse putandus est Noë, quem ante quingentesimum annum cõplures alios filios genera sse credibile est: sed quia illi vel naturali vel violenta morte extincti, diluuio superstites non fuerunt, sicut alij tres filij, Sem, Chã, & Iaphet, per quos post diluuium genus humanũ multiplicatum est, propterea

Moses nõ numerauit primogenitos sed eos à quibus ad Noë est peruentum.

A preterea,illis prætermissis, hos dumtaxat Moses commemorare voluit. Neque inusitatum est in Scriptura, cùm series aliqua generationum contexitur vsque ad eum cuius generatio præcipuè intentur,non eam seriem per filios primogenitos describere, sed per eos dumtaxat,vnde is cuius generatio potissimũ describenda suscipitur, originẽ duxerit. Exempli simul & argumenti loco esse potest genealogia Saluatoris nostri, quam ab Abrahamo vsque deduxit Matthæus,non semper per filios primogenitos,sed per eos tantũ,ex quorum stirpe Dominus noster generatus est. Atque ob hanc ipsam causam tacuit Ismael, & nominauit Isaac: & omisso Esau,memorauit Iacob: de filiis Iacob, tribus natu maioribus Ruben, Simeon, & Leui

Matthæi 1. & sequenti.

B præteritis, Iudam tantùm adhibuit: denique Salomonem commemorauit,posthabitis aliis filiis Dauidis illo prioribus. Hoc idem igitur Mosem in pertexendis generationibus, quæ ab Adamo fuerunt vsque ad Noë, spectasse & obseruasse arbitror.

Et ambulauit Henoch cum Deo. Et facti sunt omnes dies Henoch trecenti sexaginta quinque anni ambulauitq; cum Deo, & non apparuit, quia tulit eum Deus.

VER. 22. 23. & 24.

IN hac historia videtur. S. Hieronymus memoria lapsus (id quod magnis viris vel nimia memoriæ fiducia, vel alias in res studio curáque vehementer intentis non raro contingit) siquidem quod hoc loco Scriptura tradit de Henoch,qui septimus fuit ab Adamo, ipse attribuit Enos filio Seth Adamíque nepoti. Sic enim scribit libro primo aduersus Iouinianũ: Non reor idcirco translatum Henoch, quod vxorem habuerit, sed quod primus inuocauerit Deum,& crediderit in Saluatorem. At primum omnium qui nomen Domini cœpit inuocare, non Henoch, sed Enos fuisse,capite quarto Geneseos tradit Moses.

Hieronymi lapsus.

C

VERVM expendamus supradicta verba Mosis de Henoch, illud *Ambulauit cum Deo*,vel *coram Deo*: sicut etiam, *Ambulare in via Domini*, *In præceptis*, *eius* Hebraismus est significans hominem rectè & inculpate viuentem, Deique voluntati ac iussis obtemperantem, Deo

Ambulauit cum Deo Hebraismus est & quid significet.

D carum & acceptũ esse. Rectè igitur LXX. Interpretes pro eo posuerunt *Placuit Deo*. Illud *Et non apparuit*, significat eũ sublatum esse ex societate & consuetudine hominum: pro quo Septuaginta habent, *Et nõ est inuẽtus*. Hebraicè præcisè est, ואיננו *veennenu Et nõ ipse*,quod ad mortem eius referunt nonnulli Hebræi, reclamante paraphrasi Chaldaica,quæ sic Latinè sonat, *Et non ipse*,*quia non mori fecit eum Dominus*. Clarius apparet hic modus loquẽdi ex psalmo 36. *Vidi*,inquit, *impium superexaltatum, & eleuatum sicut cedros Libani. Et transiui, & ecce nõ erat, & quæsiui eũ, & nõ est inuẽtus locus eius*, Pro illo, *Quia tulit eum Deus*,quod Hebræi de morte eius interpretãtur, Septuaginta habẽt *Et transtulit eum Deus*. Verbum autem transferendi non significat

mortem, sed subductionem ex societate & conuersatione hominũ, A
& in melioré quamdã vitę rationem & statum commutationem. Ad
hunc locũ Gen. spectauit auctor lib. Ecclesiast. in c. 44. scribens, He-
noch placuisse Deo, & trãslatum esse in paradisum. Deniq; locus hic
de Henoc sic fere expressus est in Thargo Hierosolymitano, *Et ser-*
uiuit Henoch in veritate coram Domino, & non ipse, quia subtractus est per
verbũ à conspectu Domini. Quoniã autem non ante generationẽ prolis
sed post, dicitur Henoc ambulasse cum Deo, ex eo putat significari
Procopius Gazęus, Henoch ante fuisse improbũ & flagitiosum, sed
postea per dignã & perfectã suorum scelerum pœnitentiam, non tã-
tùm emendasse vitã, sed adeo placuisse Deo, vt mereretur mortis ex-
pers in felicem vitę statum transferri. Quod mihi sanè nõ fit verisi- B
mile, cùm nihil tale vspiam significet Scriptura, nec de tali & de tãto
viro id sentire consentaneum est. Quinimo Caietanus ex eo quod
bis dicitur hoc loco, Henoc ambulasse cũ Deo, indicari existimat eũ
per totam vitam, & à pueritia vsque fuisse sanctum & carum Deo.

DISPVTATIO DE TRANSLATIONE & scriptis Henoch.

VERVM enimuerò de hac translatione Henoch multa quæri &
disputari possunt, cognitu dignissima, magnámque lectori ob-
scurarũ & abstrusarum rerum non incurioso voluptatem allatura.
Sed quo dilucidius atque distinctius tractetur disputatio hæc quam C
in præsentia explicare instituimus, aliquot eam in quæstiones bre-
uiter enodandas digessimus.

QVAESTIO I.

Vtrum Henoch sit mortuus, an etiam nũc in terris viuat.

Auen-Esra & Hebræorũ argumenta quod mortuus sit Henoch.

ANTE omnia verò quærere oportet, vtrum Henoch sit
mortuus an viuat etiam nunc, victurúsque sit vsque ad
consummationem sæculi. Auen-Esra cum quibusdam
aliis Hebręis fuisse mortuũ Henoch censet, & cõfirmat D
tribus argumentis. Primo, quia Moses de illo scripsit c.
5. Gen. *Et facti sunt omnes dies Henoch trecẽti sexaginta quinq; anni.* nõ igi-
tur amplius vixit, ergo mortuus est, si enim adhuc viueret, dies eius
fuissent nõ tantũ trecẽti sexaginta quinq; anni, sed essẽt vltra quin-
que millia annorũ. Deinde illud quod Hebraicè de ipso dicitur hoc
loco, *Et non ipse*, secundum phrasim Scripturæ significat excessisse
ipsum ex hac vita, sicut videre licet ex Psal. 36. in iis verbis, quæ pau-
lo supra memorauimus, & ex c. 42. lib. Gen. vbi Iacob loquẽs de filio
suo Ioseph, quem mortuum credebat, *Ioseph*, inquit, *non est super Si-*
meon tenetur in vinculis, &c. Postremo, idẽ argumentatur ex illo *Quia*

tulit

A *tulit eum Deus*, nam secundum locutionem Scripturę, Tollere aliquẽ, vel Tollere animam alicuius, idẽ est, atque tollere eum ex vita. Nam & Elias & Ionas optantes mortem, orabant Deũ dicentes: *Tolle animam meã:* & Iob 32. *Nescio*, inquit, *quamdiu subsistam, & si post modicum tollat me Factor meus.* & Iudæi coram Pilato clamabant aduersus Christum: *Tolle, crucifige eum.* Atque huius verbi ambigua significatione abutens Poëta, festiuè lusit illud in Neronem: *3. Reg. 19. Ioan. 4. Ioan. 19.*

Quis neget Æneæ clara de stirpe Neronem?
Sustulit hic matrem, sustulit ille patrem.

A T enimuerò, non esse mortuum Henoch, præter antiquissimam fidéque dignissimam Ecclesiæ traditionem, præter Christianorum omnium persuasionem adeo animis & sensibus eorum infixam, vt
B ea de re, quemadmodum scribit Augustinus libr. 2. de Gratia Christi contra Pelagium & Cœlestium cap. 23. dubitare fas non sit, denique præter concordem Patrum & Theologorum sententiam, facit omnino certum, & extra controuersiam omnẽ, auctoritas B. Pauli apertissimis verbis id cap. 11. Epist. ad Hebræos affirmantis. *Fide*, inquit, *Henoch translatus est, vt non videret mortem, & non inueniebatur, quia transtulit eum Deus.* Miror igitur Hieronymum Oleastrum non esse veritum dicere in Commentario huius loci Geneseos, licet Hebræi dicant Henoch esse mortuum, sibi tamen videri probabilius non esse mortuum: itáne probabilius tantùm, an non potiùs omnino verum certúmque atq; indubitatum? præsertim cùm ipsemet subiiciat mox
C verba Pauli, quæ supra memorauimus, perspicuè & affirmatè tradentis Henoch non fuisse mortuum. *Hieronym. ab Oleastro arguitur.*

M V L T I ad hoc ipsum probandum, asserunt verba illa, quæ sunt in cap. 44. libri Ecclesiastici: *Henoch placuit Deo, & translatus est in Paradisum, vt det gentibus pœnitentiam,* quibus verbis planissimè ostenditur Henoch non esse mortuum, sed translatum esse in Paradisum, & nouissimis mũdi tẽporibus prędicaturũ gentibus ab Antichristo seductis pœnitentiã. At enim Græcè nec est illud *In Paradisum*, & pro illo *Vt det gentibus pœnitẽtiam.* sic est: *Exemplũ pœnitentiæ generationibus*: Vt hæc videatur esse lectionis Græcæ sententia, Deum idcirco transtulisse Henoch virum sanctissimum, vt eo intelligeretur, viros innocentes, & pios cordi & curæ esse Deo, & improbi tã mirabili exẽplo
D permouerentur ad pœnitentiã agẽdam. Vel significatur Henoch esse translatum, quia dum viueret omnibus erat eximium pœnitentiæ exemplum, scilicet, vitæ sanctitate, & morũ innocentia homines sui sæculi ad pœnitentiã scelerum, Deiq; cultum, & obsequiũ prouocãs & incitans. Voluit autem Deus ex consortio hominum subducere Henoc, quia tunc corrupta natura humanæ ex Adami peccato nata, magnas vires & robur acceperat: nec tantum posteros Cain, sed etiam impij Seth nepotes religionis & pietatis cultores, impunitas vitæ, improbitas morum, denique libido viuendi & faciendi, vt cuique libitum erat, penitus infecerat atque depranauerat. Quamo- *Locus Ecclesiastici c. 44. explicatur.*

brem Deus sanctum Henoch ex illa scelerũ colluuione maturè subduxit, scilicet raptus est, vt in libro Sapientiæ capite 4. scriptum est: ne malitia mutaret intellectum eius, aut ne fictio deciperet animam illius. Translatus est autem Henoch propè mille annis ab exordio mũdi exactis, & sexcentis sexagintanouẽ ante diluuium. Mosis porro narratio etiã non obscurè indicat Henoch non esse mortuum. Cũ enim de omnibus & singulis, qui eum anteceſſerunt, quique subsecuti sunt vsque ad diluuium, Moses illãm clausulam ponat *Et mortuus est*, de solo Henoch, id non scripsit: at sit mortuus fuisset, vt de aliis omnibus, sic de ipso id dixisset. A

Solutio contrariarũ rationum.

Q V O D autem contra hanc sentẽtiam suprà obiiciebatur, Mosem dixisse omnes dies Henoch fuisse trecẽtos sexaginta quinq; annos, non cõcludit Henoch fuisse mortuũ; sed demonstrat tẽpus, quo Henoch in societate & conuersatione hominum, versatus est, vitam in terris cum aliis hominibus degens. Subtractus autem ex conuersatione hominum, quia planè nescitur vbinam sit, quid agat, quomodo viuat: similiter sese habet quantum ad notitiam hominum atque si mortuus fuisset: quocirca tempus omne post eius translationem silentio inuoluitur. Illud autem, quod Hebraicè legitur. *Et non ipse*: & illud *Quia tulit eum Deus*, non vt Hebræi interpretãtur, sed vt L X X. interpretes, & Latinus noster interpres declararunt, & expresserũt, translationem eius non autem mortẽ significantes, intelligẽda sunt. B

Hebræa si cui placent, hæc sunt.

ואיננו כי לקח אתו אלהים

Veennenu chi lakah otto Elohim.

C

QVAESTIO II.

An Henoch sit Moriturus.

SECVNDO loco illud quærendũ est, vtrum Henoch sit aliquando moriturus, an verò iam translatus sit ad vitã immortalem. Procopius Gazęus super hoc loco Geneseos significare videtur Henoch non esse amplius moriturũ, sed mirabili quodã mortis modo defunctum, ad cœlestem vitã esse translatũ. Dicit enim, eũ non more hominum esse mortuũ, sed diuina quadã ratione nobis inexplorata esse à Deo assũptũ: quin etiã ait, eũ ad perfectionẽ ac beatitudinẽ esse adductũ. Addit præterea, & ipsum Eliam cùm translatus est, in ęterna tabernacula esse receptũ: & paulò ante dixerat, Abel interfectũ à fratre ad astra volasse. Nescio quid simile de Henoch videtur innuere S. Hieronymus in epistola, quam misit ad Pammachiũ aduersus errores Ioannis Hierosolymitani ad hunc modum scribens: *Enoch translatus est in carne. Elias carneus raptus est in cœlum: necdum mortui, & paradisi iam coloni, habent membra cum quibus rapti sunt atque translati. Quod nos imitamur ieiunio, illi possident Dei consortio: vescuntur cœlesti pane, & saturantur omni verbo Dei, eundem habentes dominum quem & cibum.* Sed profectò

Procopius Gazæus quid de Henoch sentiat.

4. Regum 2.

D

A fectò Hieronymum sensisse nondum Henoch esse mortuum sed moriturum aliquando, ex aliis scriptis eius patet: nec aliud ipse hoc loco significare voluit, quàm Henoch in amœnissimum aliquem terræ locum, quem generali vocabulo Paradisum appellauit, transiatum, non sustentare vitam terrenis & vsitatis, nostratibúsque cibis & alimentis, sed Dei verbo, sicut Moses in monte per quadraginta dies; *Non enim in solo pane viuit homo, sed in omni verbo quod procedit de ore Dei.* *Exodi 24. & 34. Deuter. 8.*

Est igitur proculdubiò credendum, Henoch & nondum esse mortuum, & aliquando moriturum. Sic habet Ecclesiæ traditio, sensúsque & opinio fidelium, & Patrum ac Theologorum sententia.

B Audi quid hac de re scribat B. Thomas in Commẽtariis in epistolam Pauli ad Hebræos super illis verbis capitis 11. *Fide Henoch translatus est, ne videret mortem. Nondum*, inquit, *Henoch est mortuus, sed morietur tamen aliquando: quia sententia quam Dominus primis parentibus peccantibus inflixit,* Quocunque die comederis ex eo, morte morieris, *omnes qui quocumque modo nascuntur ex Adam comprehendit. Vnde Psalmo 88. dicitur.* Quis est homo qui viuet, & nõ videbit mortem? *& Paulus ad Hebræos 9.* Statutum est, inquit, omnibus hominibus semel mori. *Mors autem quorum dilata est, Henoch & Eliæ. Et ratio est, quia doctrina veteris Testamẽti ordinatur ad promissa noui Testamenti, in quo spes nobis vitæ æternæ promittitur, Matth. 4.* Pœnitentiam agite, appropinquauit enim regnum cœ- *Genes. 2.*

C lorum. *Et ideo data sententia mortis, voluit Dominus ducere homines in spem vitæ: quod fecit in Patribus vtriusque status scilicet Naturæ, Legis, & Gratiæ. Vnde, in primo statu dedit spem euadendi necessitatem mortis in Henoch: in lege autem, in Elia: in tempore gratiæ, in Christo, per quem datur nobis effectus huius promissionis. Sed duo primi morientur per Antichristum:* Christus autem semel mortuus, à mortuis resurgens iam non moritur, mors illi vltra non dominabitur. Sic S. Thomas. *Rom. 6.*

Sed hoc ipsum doctè admodum & disertè tractat atque confirmat Sanctus Augustinus in libro nono de Genesi ad literam capite sexto ita scribens: *Neque enim arbitrandum est, Eliam vel sic esse iam sicut erunt sancti, quando peracto operis die, denarium pariter accepturi sunt: vel sic quemadmodum sunt homines, qui ex ista vita nondum emigrarunt, de qua* *Matth. 20.*

D *ille tamen non morte, sed translatione migrauit. Iam itaque aliquid melius habet, quàm in hac vita posset: quamuis nondum habeat, quod ex hac vita rectè gesta in fine habiturus est; pro nobis enim meliora prouiderunt, ne sine nobis perficerentur. Aut si quisquam putat hoc Eliam mereri nõ potuisse si duxisset vxorem, filiósque procreasset, creditur enim non habuisse, quia hoc Scriptura non dixit, quamuis & de cœlibatu eius nihil dixerit: Quid de Henoch respondebit, qui filiis genitis, Deo placens, non mortuus, sed viuus translatus est? Cur ergo & Adam & Eua, si iustè viuẽtes castè filios procreassent, non eis possent translatione, non morte succedentibus cedere? Nam si Henoch & Elias in Adam mortui, mortísque propaginem in carne gestantes, quod debitum vt soluant, creduntur etiam redituri ad hanc vitam, & quod tamdiu dilatum est, morituri:* *Hebræor. 11.*

nunc tamen in alia vita sunt, vbi ante resurrectionem carnis, antequam animale corpus in spiritale mutetur, nec morbo, nec senectute deficiunt: quanto iustius atque probabilius primis illis hominibus præstaretur sine vllo suo parentúmve peccato viuentibus, vt in meliorem aliquem statum filiis genitis cederent: vnde sæculo finito cum omni posteritate sanctorum in angelicam formam non per carnis mortem, sed per Dei virtutem multo felicius mutarentur? A

IDEM Augustinus lib. 1. de Peccatorum meritis & remissione ad Marcellinum c. 2. & 3. non tantum docet Henoch non esse mortuum sed etiam declarat, quomodo tot millibus annorum vitam in terris sustentet. Hoc enim modo scribit: *Proinde si non peccasset Adam, non erat expoliandus corpore sed superuestiendus immortalitate, & incorruptione, vt absorberetur mortale à vita, id est, ab animali in spiritale transiret. Neque enim metuendum fuit, nedum forte diutius hic viueret in corpore animali senectute grauaretur, & paulatim veterascendo perueniret ad mortem. Si enim Deus Israelitarum vestimentis & calceamentis præstitit, quod per tot annos non sunt obtrita, quid mirum si obedienti homini eiusdem potentia præstaretur, vt animale ac mortale habens corpus, haberet in eo quendam statum quo sine defectu esset annosum, tempore quo Deus vellet, à mortalitate ad immortalitatem sine media morte venturus? Sicut enim hæc ipsa caro, quam nunc habemus, non ideo non est vulnerabilis quia non est necesse vt vulneretur, sic illa non ideo non fuit mortalis, quia non erat necesse vt moreretur. Talem puto habitudinem adhuc in corpore animali atque mortali, etiam illis qui sine morte hinc translati sunt fuisse concessam. Neque enim Henoch & Elias per longam ætatem senectute marcuerunt nec tamen credo eos iam in illam spiritalem qualitatem corporis commutatos, qualis in resurrectione promittitur, quæ in Domino præcessit, nisi quia isti fortasse nec his cibis egent, qui sui consumptione reficiunt: sed ex quo translati sunt ita viuunt, vt similem habeant satietatem illis quadraginta diebus, quibus Elias ex calice aquæ & ex collyride panis sine cibo vixit: aut si & his sustentaculis opus est, ita fortasse in Paradiso pascuntur, sicut Adam priusquam propter peccatum exinde exire meruisset. Habebat enim quantum existimo & de lignorum fructibus refectionem contra defectionem, & ex ligno vitæ stabilitatem contra vetustatem.* Sic Augustinus.

Adam si non peccasset non expoliandus corpore, sed superuestiendus.

2. Corint. 5.

Alias legitur ne forte diutius hic viuendo.

Deuter. 89.

Aliud est esse mortale, aliud mortis subiectum necessitati.

3. Reg. 19.

B

C

QVAESTIO III. D

Quem in locum translatus fuerit Henoch.

S. Chrysostomus de Henoch translatione quid scripserit.

VERVM quærat aliquis, quem in locum translatus fuerit Henoch & cur eum Deus tam singulari ratione ex hominum consortio & societate subducere, & tam mirabili modo tot annorum millia viuum conseruare voluerit? Ad priorem quæstionem ita respondet Chrysostomus hom. 21. in Genesim: *Si quis*, inquit, *curiosius rogare velit, quem in locum Deus Henoch transtulerit, aut num vsque ad præsens viuat, discat non*

A *non conuenire humanis mentibus curiosius ea, quæ à Deo sunt explorare, sed credere his quæ dicuntur à Deo. Nam quando Deus aliquid pronuntiat dictis eius contradicendum non est, sed digna fide habenda sunt, quoniam à Deo pronuntiata sunt, etiam si oculis nostris non videantur. Enimuero, Scriptura dixit quod* transtulit illum Deus, *& quod viuentem transtulit, & quod mortem ille non sit expertus, sed ob suum quem apud Deum habebat fauorem, superior factus sit diuina sententia contra humanum genus prolata. Quo autem hunc transtulerit, & quomodo nunc agat non adiecit.* Sic Chrysostomus. In lib. Ecclesiastici cap. 44. secundum Latinam interpretationem nostram scriptum est, Henoch fuisse translatum in Paradisum. Dixi *secundum Latinam interpretationem*, quia Græcè in eo loco non est illud *In Paradisum*, sed ita fere peruulgatum est, creditúrque Henoch &
B Eliam esse in Paradiso. Rupertus lib. 3. Commentariorum in Genesim cap. 31. tradit Henoch & Eliam ductos esse in secretam quamdam & amœnissimam terræ regionẽ, vbi in magna carnis & spiritus quiete viuunt, quo vsque ad finem mũdi redeant & mortis debitum soluant. Id quod & Rupertus sumpsit ex B. Gregorio. Sed vtrum Henoch versetur in Paradiso terrestri, ex quo Adam eiectus est, necne, tractatum est à nobis suprà in lib. 3. de Paradiso, disputatione prima, quæ est de Loco & situ Paradisi quæst. 5. qua quæritur, vtrum etiam nunc Paradisus existat. Et paulò infrà tractando quæstionem septimam huius disputationis, enucleatius idem disputabitur.

Vbi nunc degat.

C

QVAESTIO IIII.

Cur Deus sic Henoch transtulerit.

CVR autẽ Deus ita Henoch transferre voluerit, breuiter respõdendo tres causas afferre possumus. Primo quidẽ vt fidẽ faceret immortalitatis Adamo promissæ, ac præstãdæ, nisi Dei legẽ ipse violasset. Qualis enim tot annorũ millia viuit, & vsque ad extremum mũdi tẽpus victurus est Henoch, scilicet vegeto corpore, illibata sanitate, integris viribus, & ab omni malo & molestia vacuus, talis omnino Adã si præceptis Dei obtemperasset, omni tẽpore, dum in terris ageret, futurus
D erat. Deindè, voluit Deus in Henoch specimẽ quoddam præbere nobis eius immortalitatis, quam post resurrectionẽ adepturi sumus corporibus ad vitã reuocatis, & ex terra in cœlestes sedes sublatis, iisque beatis & immortalibus. Cur enim non credamus, Deum hoc sanctis præstaturum, quem legimus tot annorum milia, Henoch non tantum ab interitu, sed etiam ab omni molestia & incommodo corporis, ac fortasse etiam sine vllo cibo potuque, in terris conseruare? Ad hæc illud quoque addi potest, sic esse à Deo Henoch translatũ, & vsq: ad consummationẽ sæculi in hac mortali vita cõseruandũ, quod nouissimo mundi tẽpore, vt antiqua fert traditio, & fideliũ persuasione creditum

Tres causæ ob quas Deus Henoch trãstulit.

creditũ est,prędicator & propugnator fidei Christi,& doctrinæ Euã- A
gelicæ aduersus oppugnationem & persecutionem Antichristi futurus sit.Verùm hac de re diligenter & accurate disputatum à nobis est in lib.15. Commentariorum nostrorum in Danielem super illis verbis capitis 12.libri Danielis.*In illo tempore consurget Michaël &c.*

His libet attexere alias quasdam causas cur Deus sic Henoch transferre voluerit, à Chrysostomo & Theodoreto expositas. Chrysostomus igitur homil. 21. in Genesim ita scribit: *Quia post transgressionem Adæ inuẽtus est homo,qui ad virtutum culmen ascenderet & primi parentis peccatum reuocaret, ob suam quam apud Deum habebat gratiam (videboni Dei excellentẽ misericordiam) quia inquam,inuenit aliquẽ,qui potuit peccatum Adæ reuocare:monstrando reipsa quia non volens mortẽ humano generi inuehere propter mandati transgressionem, eum qui mandatum acceperat,condemnauerit,nunc viuentẽ illum transfert.* Et placuit,*inquit,* Henoch Deo & non est inuentus,eò quòd trãstulit illum Deus. *Vides sapientiã Domini? viuẽtem transtulit,non immortalitatem largitus est,vt peccandi metũ eneruaret,sed morti in humanum genus suum ius reliquit. Propter hoc iterum obscurè, vt ita dicam,& latenter reuocare vult sententiam,quã contra Adam protulit: sed manifestum hoc non facit, vt timor illius, emendationem seruet, Et idcirco Henoch,cùm sibi multum placeret,transtulit.* Et paulo post:*Vidisti bonitatem Domini quomodo inuẽtum virum,qui virtutem operatus est, non fraudauit dignitate,quam protoplasto ante mandati transgressionem largitus erat:docens nos quòd & illum,nisi dæmonis deceptione maioris feciſſet,quam traditum mãdatum,eodem vel maiori honore dignatus fuisset.* Sic Chrysostomus. C

Henoch cur sit transłatus ex D. Chrysostomo.

Theodoretus autem 45.quęstione in Genesim cum quæsisset,& quem in locum, & quam ob causam Deus Henoch trãstulisset, ita respondet:*Non inquirenda sunt:quæ silentio sunt tradita, sed venerenda, quæ scripta sunt. Ego verò puto Deum omnium hoc feciſſe, ad consolandos virtutis athletas. Cum enim Abel primus iustitiæ fructus,immaturus adhuc radicitus abscissus esset,nullâque resurrectionis spes tum homines consolaretur, trãstulit omnium Deus ipsum Henoch sibi gratissimum,eúmque seiunxit à mortalium vita, vt quicumque piè viuere statuerit, animaduertat quanto in honore habendus sit:cum Deus omnium,qui iustus est & iustè gubernat vniuersa, Henoch honore prosecutus sit, Abel quoque ornamento carere non permittet. Hac de causa illum quidem occidi conspexit.Henoch autem transtulit:vt huius prædicatione futuram indicaret resurrectionem. Qui enim in hac vita virtutis remunerationem non fuerit adeptus,illam in altera vita certo consequetur.* Hæc Theodoretus. D

QVAESTIO V.

Vtrum Henoch in terris viuens, nunc videat essentiã Dei.

Verum illud non facilè est ad explicãdum, ad agnitionem tamen pulcherrimum videtur,vtrũ Henoch postquã trãslatus est,videat Deũ, beatifica diuinæ essẽtiæ visione fruẽs?licet enim vitã in corpore & in terris agat, & aliquando sit morituru

hoc ta

A hoc tamen non obstat, minus hoc singulari Dei munere & beneficio affici potuerit, ad eum nempe modum, quo nonnulli credunt Mosem & Paulum in raptu vidisse Deum, & quemadmodum Dominus noster, dum in terris vixit, secundum partem superiorem animi beatus & comprehensor erat, secundum partem autem inferiorem viator. Gregorius Nazianzenus in secunda Oratione de Theologia in dubio & incerto hoc relinquens. *Licet*, inquit, *Henoch hinc translatus sit, non tamen constat vtrum iam comprehenderit Dei naturam, an sit adhuc comprehensurus.* B. Hieronymus in epistola quam scripsit ad Pammachium aduersus errores Ioannis Hierosolymitani dicens Henoch frui Dei consortio & vesci cibo cœlesti, id est, ipso Deo videtur indicare eum frui beatifico Dei conspectu. *Exod. 33 2. 2. Corint. 12.*

B

POTEST sanè quæstio hæc in vtramque partem satis probabiliter agitari, & disceptari. Nam quod Henoch post suam translationē Deum viderit, hunc in modum argumentari licet: Si Henoch Deum non videt, ergo est viator, & in statu merēdi, & cùm sanctissimus sit, Deóque carissimus, & in magna spiritus & carnis quiete viuat, & his omnibus, quæ hominem à benè agendo aut reuocare, aut retardare possunt expeditus, & omnino solutus, & liber sit, existimare cōuenit, ipsum flagrantissimo amore Deum diligere, & perfectissimos ac frequentissimos caritatis actus exercere. Cùm igitur tot millia annorum adhuc vixerit, victurúsque sit vsque ad consummationem sæculi, hinc planè conficeretur, in tantùm multiplicatum & auctum C iri eius merita, vt ad extremum omnes Sanctos etiam, vt videtur B. Virginem meritorum multitudine ac magnitudine sit superaturus. At hoc nullo modo videtur concedendum. Pro certo enim est apud Theologos, cunctósque fideles, beatissimam Virginem gratię & gloriæ præstantia longissimè omnes Sanctos & cœlestes spiritus esse supergressam. Quin probabile admodum est, magnū Christi percursorem Ioannem Baptistam, & beatissimos Apostolorum principes Petrum & Paulum maioribus fuisse meritis præditos, quàm futurus sit Henoch, namque vt maior fuit gratia noui Testamenti, quàm veteris ita credibile est Patres & principes noui Testamenti, Patriarchis D & Prophetis aliisque Patribus veteris Testamenti gratiæ abundantia & præstantia superiores fuisse. Si est igitur absurdum, Henoch merito & præmio superiorem futurum omnibus Sanctis, id autem sequitur ex eo quod ponitur Henoch esse in statu merendi, hoc ergo negandum est & quod huic est consequens, sine dubitatione affirmandum, Henoch postquam translatus est fuisse secundum partem superiorem animæ beatum & comprehensorem, beatifica visione Dei essentiam videndo. Hanc opinionem Catharinus in libello de Consummata gloria Christi maximé approbat, sed nullis tamen eam argumentis nullis auctoritatibus, denique sola asseueratione sua confirmat. *Argumentatio quod Henoch Deum videat.* *Probabilior sententia.*

EX aduerso autem Henoch non videre Dei essentiam multis & *Quod Henoch non vi-*

deat Dei essentiam multis rationibus probatur.

validis argumentis probari potest. Principio sapiẽter illud à S. Thoma dictum est in 3.p. q.1.art.3. *De his quæ supra naturam sunt, nec sine magno diuinæ omnipotentiæ miraculo effici possunt, non est quicquam affirmandum, nisi quod per diuinam reuelationem nobis innotuit, scilicet aut quia traditum est in diuina Scriptura, aut ex ea facilè colligi potest, aut certa Ecclesiæ traditione constat, aut Patrum & Theologorum doctrina nititur:* atqui nihil horum suppetit ad probandum, Henoc videre Dei essentiam: non potest igitur sine temeritate id affirmari. Quinimo videtur isti opinioni diuina Scriptura multis locis cõtradicere. Apud Ioannem enim cap.1.Euangelij,& 1.Epist.c.4. scriptum est, *Deum nemo vidit vnquam,* & Dominus noster apud Ioannem c.6.dixit. *Non quia Patrẽ vidit quisquam, nisi is, qui est à Deo hic vidit Patrem,* & Paulus 1. Epistola ad Timoth.cap.vlt.de Deo loquens: *Quẽ,* inquit, *nullus hominum vidit, sed nec videre potest.* Et in ca.33.Exodi traditur, Mosi rogãti Deũ, vt ipsi ostenderet faciem suam, respondisse eum, *Faciem meam videre non poteris, non enim videbit me homo & viuet.* Nec verò credibile est, Henoch meliori esse conditione & feliciori statu vitæ quàm fuerit Adam in paradiso terrestri ante peccatum, futurúsque erat nisi peccasset: sed Adam in eo statu, nec vidit, nec visurus erat Dei essentiã: ergo nec eam videt Henoch.

A

B

Mosem quidem & Paulum ad breue tempus vidisse Deum, videtur subindicare Scriptura. Scriptum est enim in capit.33. Exodi, Mosem loqui solitum cum Deo facie ad faciem, sicut loquitur homo cum amico suo,& in libro Numer. cap.12.dicitur Deus apparere,& loqui solitus Mosi non per ænigmata & figuras sed palã & ore ad os. Paulus quoque 2. ad Corinth.cap.12.affirmat se raptum fuisse vsque ad tertium cœlum,& audisse arcana verba quæ non licet homini loqui. Quamobrem Mosem vidisse Deum censisse videtur Basilius homil.1.in Hexameron.& Ambrosius libro 1.in Hexameron capite 2. Augustinus item lib. 12. super Genes. ad litteram cap.27.& Epist.112.cap.12.necnon & B.Tho.1.par.q.12.art. 11.& 2.2.q.174. art.4.& 175.art.3.

C

Qui auctores dixerint Mosen v.disse Deum.

Nihilominvs tamen plerique Theologi & Patres constanter negarunt Deum secundum essentiam visum esse, vel à Mose, vel à Paulo. Horum Princeps numerandus est Dionysius Areopagita in libro de Cœlesti hierarchia cap.4.& in lib.de Mystica Theologia cap.1.quẽ secuti sunt Gregorius Nazianzenus in Orat. 6. de Theologia, Hieronymus super cap. 6.Esa.Cyrillus lib.1.Commentariorũ in Ioan.c.22.Gregorius lib.18. Moral.c.6.quin ipse Aug. tract. 2. in Euangelium Ioannis, explanans illa verba: *Deum nemo vidit vnquam,* apertissimis verbis affirmat Deum non esse visum à Mose, idque ex ipsius Scripturæ verbis argumentatur. B.quoque Thomas 1. 2.q.98. art.3.ait. *Mosem dici vidisse Deum & locutum fuisse cum eo facie ad faciẽ, secundum existimationem vulgi & populi Hebræi, qui sic de illo sentiebat. Aut eo modo loquendi significari excellentissimam omnium cognitionem & contempla*

D

Qui auctores dixerint Mosen non vidisse Deũ.

A *templationem Dei, quæ infra claram diuinæ essentiæ visionem homini in terris viuenti concedi possit.* Si igitur plerique Theologi & Patres negant Deum visum esse à Mose & Paulo, quod tamen subindicare videtur Scriptura, & à magnis Doctoribus existimatum & proditum est, quantò minus id sentire licet de Henoch, de quo nihil tale diuina Scriptura vspiam significat, nec ab vllo Patrum traditum est?

ADIICE, quod simul esse comprehensorem & viatorem in terris propriũ videtur fuisse Christi Domini nostri, propterea iure concessum ipsi, quia solus omnium hominum, simul fuit homo & Deus, & caput omnium electorũ, totiusq; tam militantis, quàm triũphantis Ecclesiæ, deniq; quia auctor gratiæ, & gloriæ omnibus hominibus futurus erat. Huc spectat illa eiusdem Domini sentẽtia, quæ memoratur in cap. 3. Euangelij Ioannis, *Nemo ascendit in cœlum, nisi qui*
B *descendit de cœlo, Filius hominis qui est in cœlo.* Illud deniq; ad huius sententiæ confirmationem valet primũ quod & sacra Scriptura significat, & Patres affirmatissimè tradunt, Dominũ nostrũ Iesum Christũ aperuisse hominibus aditũ in Cœlum cunctis ante ipsum clausum, & introduxisse homines in conspectum & gloriam Dei patris, quod verum nõ esset, si Henoch per tot annorũ millia ante Christũ vidisset Deum. Neque enim ad veritatem vel perfectionem visionis Dei refert, videatur ne Deus ab homine vel ab Angelo, in Cœlis an in terris: non enim minus perfectè ac beatè vident Deum Angeli sancti cùm sunt in terris, quàm cùm versantur in Cœlis: nec Dominus noster dum fuit in terris, minus perfectè vidit Deum quàm po-
C stea cùm in Cœlos ascendit. Atque hæc quidem sententia propter supradictas rationes, longè probabilior haberi debet.

Deus æquè perfectè à beatis in terris ac in cœlo videtur.

A D illud verò, quod huic sententiæ supra opponebatur. Si Henoch post suam translationem non fuisset secundum partem superiorem beatus & comprehensor, sed mansisset in statu viatoris & merendi, fore vt ad extremum multitudine meritorum omnes Sanctos transcenderet, dupliciter responderi potest. Dicatur enim id, quod quibusdam clari nominis in Theologia placuit: Humanum meritum apud Deum non modo crescere propter intentionem & frequentiam actus meritorij, sed etiam propter ma-
D iorem sanctitatem personæ operantis, & abundantiorem, atque præstantiorem gratiam ei donatam à Deo, quemadmodum Theologi dicunt gratiam vnionis Christi, in infinitũ auxisse dignitatem, & vim meritorum eius. Quoniam igitur Beatæ Virgini tanta concessa est à Deo gratia & sanctitas, quantam nulla vnquam pura creatura vel habet, vel habitura est, hinc fit, vt nullus homo quantumlibet multiplice si actus meritorios, gratiam Beatæ Virginis, eiúsque merita sit adæquaturus. Sciebat igitur Deus quanta essent futura merita Henoch, & quia matrem suam super omnes vt parerat, extollere voluit, intensiuè tantam ei gratiam infudit, & frequentissimè, dum illa vixit in terris ad tam perfectos actus me-

Vtrũ Henoch victurus vsq; ad diẽ iudicij multitudine meritorũ superaturus sit omnes Sãctos.

Cur nullus vnquã ad merita B Virginis possit accedere.

ritorios edendos cum ea concurrit,vt longè maiora & excellentiora A
fuerint merita beatissimæ Virginis , quàm omnia Henoch merita
futura sint.

Henoch post suam trãslationem nihil meritus est.

Illvd præterea respondeatur: Henoch fuisse tantùm in statu merendi vsque ad suam translationem: post id verò temporis vsq; ad extremum mundi tempus,quo iterum apparebit hominibus , & veritati doctrinæ Christi testimonium perhibebit aduersus Antichristum,nihil meruisse eum,aut meriturũ. Voluit enim Deũ,vt hoc ei translatio illa esset,quod aliis hominibus est mors,terminus scilicet benè,aut malè merendi. Plurimum tamen meruit Henoch tempore suæ translationis , tam longam dilationem suæ glorificationis quod eam intelligeret ad magnam Dei gloriam & vtilitatẽ Ecclesiæ B
pertinere, promptissimo & lætissimo animo approbando & amplectendo.Plurimũ quoq; merebitur nouissimo mundi tempore testificando prædicando & defendendo fidẽ Christi aduersus Antichristum,& pro ea mortẽ, vt creditur subeundo. intermedio autẽ tempore expers meriti est. Et licet in maxima corporis & animi quiete & iucunditate viuat non tamen Deum videt , sed maximis bonis & gaudiis tam corpore,quàm animo fruitur. Itaque cogitare oportet de Henoch nondum mortuo,quod de iustis hominibus mortuis(licet nõ verè)senserunt plurimi & grauissimi Patres,affirmantes eorũ animas corporibus egressas amplissimis & iucundissimis bonis potiri,ante diem tamen iudicij,faciem Dei non videre.

In fine mundi plurimũ merebitur.

Et huic quidem opinationi fidem Moses facere videtur hoc loco C
dicens,omnes annos Henoch fuisse trecentos sexagintaquinque, solum commemorans tempus eius ante translationem,& quod deinde secutum est reticens,quasi,vt hominis mortui , computari debeat. Videlicet Henoch , non solum quantũ ad notitiam hominum quibus eius habitatio,cõuersatio, & viuendi modus planè incognitus est,sed etiam quantum ad viam,extra statũ merendi est constitutus. Si neutrũ hoc responsum doctis viris placuerit , cogitẽt ipsi atq; cõmententur aliquid , quo melius hic nodus exoluatur. Nam mihi ad præsens nec iis quæ dixi probabilius aliud in mentem venit , & stat dicentibus Henoch Dei essentiam videre , nequaquam assentiri.

An præstiterit eum mori & postea resurgere,quam tandiu in vita conseruari.

Sed quærat aliquis, quorsum Deus Henoch tanto miraculo per D
tot annorum millia viuum in terris conseruet ? Nam si ideo conseruatur à Deo,vt ipse,qui ferè in exordio mũdi fuit (annos enim propè trecentos cũ Adamo primo homine versatus est) in fine mundi, & in persecutione Antichristi multũ laboranti Ecclesiæ magno sit subsidio,& solatio,sua testificatione , & prædicatione fidẽ Christi,& doctrinam Euangelicam aduersus furorem , & rabiem Antichristi fortissimè propugnando,& defendendo,videtur fuisse cõuenientius futurum,tunc temporis cùm opus erit,eum à Deo ex mortuis ad vitam reuocari , sicut multi ex mortuis resurrexerunt vt testificarentur resurrectionem Christi : ad id igitur perficiendum non videtur

opus

A opus fuisse tanto miraculo. Sed profectò si quis attendat, facilè intelliget minus consentaneum fuisse, Henoch iam beatum in cœlis, Deóque fruentem, iterum in corpus mortale ac patibile retrudere, & acerbissimis cruciatibus, mortíque per summam Antichristi crudelitatem inferendæ subiicere.

QVAESTIO VI.

Vtrum Henoch librum aliquem scripserit, & vnde prophetiam eius quam citat Iudas deprompserit.

B SEXTO loco de scriptis Henoch illud disputandum est, vtrum Henoch librum aliquē scripserit. Nam si aliquid ille scriptum reliquit, sine dubitatione, omniū scriptorum quicumque post conditū orbem fuerunt, antiquissimū ac primū fuisse eum fateri necesse est. Disputandi autem ea de re occasionē viris doctis dedit S. Iudas Apostolus in sua epistola canonica cōmemorans prophetiam quamdam Henoch, quā ille creditur litteris consignatam ad posteros transmisisse. Quæritur igitur vnde nam Iudas illam prophetiam Henoch cognouerit & exprompserit? an ex aliquo eius libro, qui tempore Iudæ extaret, siue canonico siue apocrypho? an ex sola traditione? an illud vaticinium cæteris mortalium incognitum, sibíque vni reuelatione Dei patefactum Iudas Ecclesiæ publicauit, suáque auctoritate firmauit?

C PERVVLGATA opinio est, prophetiam illam quam citat Iudas depromptā fuisse ex libro quodam apocrypho nomine Henoch prænotato, qui olim extabat & circumferebatur. Quid sit autē Scriptura apocrypha, his verbis declarat Augustinus in cap. 23. lib. 15. de Ciuitate Dei, *Omittamus*, inquit, *earum Scripturarum fabulas, quæ apocryphæ nuncupantur, eo quod earum occulta origo nō claruit Patribus à quibus vsque ad nos auctoritas veracium Scripturarum certissima & notissima successione peruenit. In his autem apocryphis, etsi inuenitur aliqua veritas, tamen propter multa falsa, nulla est canonica auctoritas.* Sic Augustinus.

Communis opinio.

Quid sit Scriptura apocrypha secundum Augustinum.

D LIBRVM autē illum Henoch apocryphum sæpe citāt Origenes & Procopius Gazæus. Origenes quidem in vltima homilia super librum Numerorum testatur Henoch scripta quædam prophetica posteris reliquisse, è quibus Iudas Apostolus testimonium illud de extremo iudicio deprompserit. In illis autē scriptis continebātur multa, partim vera, pattim fabulosa, velut de nominibus, & occultis virtutibus stellarum, de gigātibus ex Angelorum commixtione cū mulieribus procreatis, deniq; de extremo iudicio. Legēdus est Origenes in 28. hom. in Numeros, & in tomo 6. Cōmentariorum in Euāgelium Ioannis. Ferebatur olim vetustissimum, vt videbatur, volumen cui titulus erat, Testamentum duodecim Patriarcharū sæpe ab Origene & Procopio citatum, cui multa ex libro Henoch inferebātur vaticinia,

Origenes, Procopius librum Henoch sæpe citant.

Testamētum 12. Patriarcharum.

verbi gratia, de iis quæ filiis ac nepotibus Patriarcharum euentura A
erant de mundi Saluatore ab Hebræis occidendo, de futura Hebræo-
rum captiuitate perpetua, & per omnes gentes dispersione.

B. Hierom. Tom. 1. S. Hieronymus in libro de Ecclesiasticis scriptoribus, vbi scribit
de Iuda, narrat epistolam Iudæ propterea non fuisse à multis olim
Tom. 9. receptam, quod in ea citaretur testimonium Henoch ex libris apo-
cryphis depromptum. Idem super 1. ca. Epistolæ ad Titum dicit, Iu-
dam citando testimonium Henoch ex libro apocrypho, non totum
librum illum probasse, sed illud duntaxat testimonium quod verum
esse compertum ipsi erat. Non igitur, quia liber ille apocryphus erat,
omnia, quæ in ipso erãt, censenda erant apocrypha: nec quia testimo-
nium citatum à Iuda verum erat, cõsequens fuit totum illum librum
fuisse verum. Non enim liber aliquis dicitur apocryphus, quod om-
nia in eo sint apocrypha, sed quia multa sint eiusmodi. Similia Hie- B
Bed. Tom. 5. Gene. 2. 3. & 4. ronymo super illo Iudæ loco scribit Beda. Dionysius Carthusianus
super illo ipso loco ait Iudam non citasse librum Henoch, sed pro-
phetiam Henoch, quæ licet in eo libro contineretur, eam tamen ipse
Deo sibi reuelante, sciebat prophetico spiritu ab Henoch fuisse edi-
tam: sicut Mosem narrare multa Adami, Cain, Lamech, & aliorum
dicta, quæ ab illis esse prolata, diuinitus ei fuerat patefactum.

TERTVLLIANVS in libro de Habitu mulierum, occurrens iis
qui negabant librum illum Henoch, si fuisset ante diluuium scriptus
ab Henoch, post diluuium ad posteros saluum peruenire potuisse
ostendit non esse id incredibile. Nam vel Noë in arca ipsum conser-
uauit, vel diluuio abolitum, deinde Spiritu sancto illustratus redin- C
tegrauit: quemadmodum Sacra volumina, quæ Chaldaico Ierusalem
excidio & incendio perierant, postea per Esdram instaurata sunt.
Censet autem Tertullianus non esse abiiciendam illius libri Henoch
Tertulliani verba libro Henoch. auctoritatem. Apponam hic verba Tertulliani, quæ sic habent. *Scio Scripturam Henoch, quæ hunc ordinem Angelis dedit, non recipi à quibusdam quia nec in armarium Iudaicum admittitur. Opinor, non putauerunt illam ante cataclysmum editam post eum casum orbis omnium rerum abolitorem saluam esse potuisse. Si ista ratio est, recordentur pronepotem ipsius Henoch fuisse superstitem cataclysmi Noë, vtique domestico nomine, & hæreditaria traditione audierat, & meminerat de proaui sui apud Deum gratia, & de* D
omnibus prædicatis eius: cum Henoch filio suo Mathusalæ nihil aliud mandauerit: quàm vt notitiam eorum posteris suis traderet. Igitur sine dubio potuit Noë in prædicationis delegatione succedisse, vel quia & alias non tacuisset, tam de Dei conseruatoris sui dispositione quàm de ipsa domus suæ gloria. Hoc si non tam expedite haberet, illud quoque assertionem Scripturæ illius tueretur: proinde potuit abolefactam eam violentia cataclysmi, in spiritu rursus reformare: quemadmodum & Hierosolymis Babylonica expugnatione deletis omne instrumentum Iudaicæ litteraturæ per Esdram constat restauratum. Sed cùm Henoch eadem Scriptura etiam de Domino prædicarit, à nobis quidem nihil omnino reiciendum est, quod pertinet ad nos, Et legimus omnem Scri-

pturam

A *pturam ædificationi habilem diuinitus inspirari à Iudæis, postea iam videri propterea reiectam, sicut & cætera fere, quæ Christum sonant. Nec vtique mirum hoc, si Scripturas aliquas non receperunt de eo locutas, quem & ipsum coram loquentem non erant recepturi. Eo accedit, quod Henoch apud Iudam Apostolum testimonium possidet.* Sic Tertullianus.

S. Augustinus scripsisse Henoch aliqua de rebus diuinis affirmat, & cur scripta eius in canonem Sacrarum Scripturarum non sint relata, satis probabilem causam reddit, Sic enim scribit in lib. 15. de Ciuitate Dei cap. 23. *Scripsisse nonnulla diuina Henoch illum septimum ab Adamo, negare non possemus, cùm hoc in epistola canonica Iudas Apostolus dicat. Sed non frustra non sunt in eo canone Scripturarum, qui seruabatur in templo* B *Hebræi populi succedentium diligentia sacerdotum. Cur autem hoc? nisi quia ob antiquitatem suspectæ fidei iudicata sunt, nec vtrum hæc essent, quæ ille scripsisset, poterat inueniri, non talibus proferentibus, qui ea per seriem successionis reperirentur rite seruasse, Vnde illa, quæ sub eius nomine proferuntur, & continent istas de gigantibus fabulas, quod non habuerint homines patres, rectè à prudentibus iudicantur non ipsius esse credenda. Sicut multa sub nominibus & aliorum Prophetarum, & recentiora sub nominibus Apostolorum ab hæreticis proferuntur: quæ omnia sub nomine apocryphorum, ab auctoritate canonica diligenti examinatione remota sunt.* Sic Augustinus.

Augustinus reddit causam, cur liber ab Henoch scriptus annumeratus non sit libris Canonicis.

Similem habet idem sententiam in eiusdem operis libro 18. cap. 38. ad hunc modum scribens. *Quid Henoch septimus ab Adam?* C *nonne etiam in canonica epistola Apostoli Iudæ prophetasse prædicatur? cuius scripta vt apud Iudæos & apud nos in auctoritate non essent, nimia fecit antiquitas, propter quam videbantur habenda esse suspecta, ne proferrentur falsa pro veris. Nam & proferuntur quædam, quæ ipsorum esse dicuntur ab eis, qui pro suo sensu passim quod volunt credunt: sed ea castitas canonis non recepit. Non quod eorum hominum, qui Deo placuerunt, reprobetur auctoritas, sed quod ista esse non credantur ipsorum. Nec mirum debet videri, quod suspecta habeantur, quæ sub tantæ antiquitatis nomine proferuntur,* & reliqua. Hactenus sunt verba Augustini.

Michael. Medina lib. 6. de Recta in Deum fide cap. 24. opinatur, prophetiam illam Henoch citatam à Iuda non fuisse libro aliquo expressam vel litteris consignatam, sed sola traditione apud Iudæos D custoditam, & velut per manus à maioribus ad posteros traductam. Namque nec tempore Bedæ, nec Augustini, vel etiam ante aut post fuisse aliquem librum Henoch, etiam apocryphum, magno putat ille argumento esse, quod Gelasius Papa qui dist. 15. quæ incipit Sancta Romana Ecclesia, subtiliter ac diligenter omnes libros apocryphos recensuit, atque reiecit, nullum de libro Henoch, verbum fecit.

Refellitur Michael Medina.

Verum, Medinę cõtradicũt vetustissimi grauissimiq; Patres Hieronymus, Augustinus, Origenes, Tertullianus, Beda, aliiq; quã plurimi, à quibus liber Henoch vt id tẽporis vulgatus, non solũ nominatur, sed etiã citatur, nec credere necesse est, omnes libros apocryphos, qui vllo tẽpore fuerũt, aut notos fuisse Gelasio, aut ab eo in illa censura

sura comprehensos. Non desunt qui existiment librum Henoch fuisse tempore Apostoli Iudæ integrũ atque incorruptum : sed eum postea multis aspersum & contaminatum fabulis atque erroribus, quasi apocryphum reiectum esse ab Ecclesia, siquidem etiam canonibus & constitutionibus Apostolorum, aliisque libris supradicto loco memoratis à Gelasio, constat similem accidisse calamitatem.

Auctoris sententia librum Henoch Apostolorum tẽporibus non extitisse.

Sed quid ego sentiam, exponam breuiter. Equidem reor, tempore Iudæ Apostoli nullum fuisse librum Henoch. Si enim fuisset, haud dubiè fuisset valde nobilis, celebérque apud Iudæos, tum propter auctoris antiquitatem & famam, tum quod in eo libro res admodum memorabiles & admirabiles continerentur : quapropter aliquam eius libri mentionem reperiremus apud Philonem, aut Iosephum diligentissimos, atque curiosissimos Antiquitatum Iudaicarum scriptores. Sed fit mihi vero simillimum, iam mortuis Apostolis, hæreticos varios libros sub eorum nominibus partim de rebus veris, partim de falsis & fabulosis confictos ab ipsis euulgasse: captáque occasione ex historia Michaëlis altercantis cum diabolo, & ex prophetia Henoch commemorata à Iuda Apostolo, libros de rebus eiusmodi, quasi antiquitus scriptos publicasse.

Nec facilè adducor, vt credam, Apostolum Iudam prophetiam illam Henoch ex aliquo libro apocrypho, vel etiam non apocrypho qui tamen canonicus non esset, petere voluisse : non enim plus fidei haberet, quàm liber vnde sumpta esset. Cum autem Iudas simpliciter appellat eam prophetiam Henoch, certissimum proculdubio fuit Iudæ, & illam fuisse prophetiam, & auctorem illius fuisse Henoch, quod ille aliter quàm per reuelationem diuinam certò scire non potuit. Ad quos autem epistolam illam scripsit Iudas, iis nota esse potuit illa prophetia, vel ex libro aliquo probatæ apud ipsos fidei, vel ex antiqua & peruulgata traditione, vel ex sola Iudæ Apostoli narratione propter cuius auctoritatem de eius prophetiæ veritate nullo modo dubitassent.

QVAESTIO VII.

Vtrum Henoch sit in Paradiso terrestri vnde iectus est Adam.

An paradisus diluuio perierit.

Satis videtur probabilis illa sententia, Henoch non esse in illo Paradiso, quod Paradisus ille diluuio destructus, nunc non existat, Fides autem huic opinioni alterius & firmari potest multis argumentis: sed omissis cæteris quæ supra 3. lib. qui est de Paradiso fusè tractauimus, libet hoc loco vnum duntaxat illud è sacra Scriptura ductũ argumentũ vehementius vrgere. In ca. 7. lib. Geneseos scriptum est Noëtico diluuio vniuersam terram fuisse aquis opertam & vastatam, ita vt aquæ, omnes montes terræ

terræ excederent, quin etiam altissimos totius terræ mõtes quinde-
A cim cubitis supergressæ fuerint. Verba scripturæ sunt hæc: *Vehementer inundauerunt aquæ, & omnia repleuerunt in superficie terræ, & præualuerunt nimis super terram, opertiq; sunt omnes mõtes excelsi sub vniuerso cœlo. Quindecim cubitis altior fuit aqua super montes quos operuerat*; sic est in c.7. Genes. Ex quibus Scripturæ verbis patet, diluuium illud fuisse generalissimum super vniuersam terram, eoq; omnem terrã vastatam, & vt verbo Scripturæ vtar, deletam fuisse. Sed paradisus terrestris erat in hoc nostro orbe terrarum & pars nostræ terræ, ergo fuit illo diluuio vastatus & destructus, quapropter qui hoc negant, & contendunt eum fuisse intactum diluuio, & adhuc existere, videntur tam euidenti Scripturæ auctoritati contradicere.

Excutitur locus Gen. ca. 7.

B AD hoc argumentũ tribus modis responderi potest: quos modos hic discutere volumus. Primò responderi potest, generalem illam sententiam Scripturæ, intelligendam esse de omnibus terris, vna dũtaxat excepta paradisi terra. Quemadmodũ eadem Scriptura eodem in loco & alibi dicit omnes homines diluuio fuisse deletos præter octo qui in arca seruati sunt: cui tamen generali sententiæ excipere oportet ipsum Henoch, qui ante diluuiũ fuit, & adhuc viuere creditur, nec tamen in arca fuit, sed verisimile est eũ fuisse in paradiso, quẽ aquæ diluuij minimè attigerunt. Verùm, hoc responsum tripliciter refellitur. Primò, generalem illam de diluuio sententiã Scripturæ diminuere ac restringere, adhibita exceptione, quæ non potest ex aliquo Scripturæ loco colligi, & quæ sine vlla necessaria ratione adhibetur non modo non est licitũ, sed etiam valdè periculosum, sic enim omniũ generalium propositionũ & sententiarum diuinæ Scripturæ fides & veritas, dubia & infirma redderetur, cum pro arbitratu cuiuslibet, variis exceptionibus obnoxia esset. Nã sicut isti ex illa generali sententia de diluuio excipiunt terrã paradisi: similiter alius excipiet Insulas, dicens intelligendum esse Scripturæ dictum de vniuersa terra continente, non autem de insulis, & alius diceret intelligendum esse non de omni terra simpliciter, sed de omni terra, quæ ante diluuium habitabatur ab hominibus, & sic efficeretur nõ fuisse illud diluuim generale totius terræ, quod est cõtra doctrinam Scripturæ & omniũ Patrũ. Si quis respondeat exceptionẽ illam de paradiso colligi ex ipsa Scriptura, videlicet ex 44.c. Ecclesiast. vbi traditur
D Henoch fuisse translatum in paradisum. Nos dicimus, hoc responsum esse valdè infirmum, vt paulo infrà ostendemus. Nec valet exẽplũ Henoch: nã quod ille excipiẽdus sit ex generali interitu hominũ facto per diluuiũ, euidenter colligitur ex ipsa Scriptura, quæ indicat eũ non fuisse mortuũ, sed esse translatum & in vita seruari, vt patet Genes. 5. & alibi, at nusquam Scriptura indicat, Paradisum non fuisse destructũ diluuio & adhuc existere: quare non est similis ratio exceptionis Henoch ab ipso diluuio, atque ipsius Paradisi. Adde, quòd Henoch septingẽtis annis ante diluuiũ translatus fuerat nec postea

Refelluntur tria responsa ad prædictam auctoritatem Scripturæ.

1. Petri 3. Genes. 5.

Sap 14.

apparuit in terris: vnde perinde se habebat, quantum ad habitationẽ A
suam, & conuersationem, ac si non esset in terris: quocirca Scriptura dicit illum fuisse è terra translatum & receptũ, & Augustinus dicit eũ esse in alia vita, quàm est hæc nostra, Quò fit, vt cùm Scriptura
August. dicit omnes homines qui erant in terra periisse diluuio, intelligat de hominibus quorum habitatio & conuersatio in terris nota est, & qui vitam agunt in terris more & modo humano, atque ordinario: quamobrem non fuit opus excipere Henoch, qui non sic viuebat, & erat in terris.

ALTERA ratio contra hoc primum responsum sit hæc: Si Paradisus intactus fuit diluuio, ergo in illo loco seruari potuisset Noë cum animalibus: superuacaneũ igitur fuit tanto tempore, & labore B
tam operosam arcam ad eos conseruandos fabricare. Nec dici potest, arcam illam non necessitatis causa, sed mysterij alicuius significandi (quod mysterium indicat S. Petrus primæ Epistolæ capite tertio) esse fabricatam: nam Scriptura Genes 6. & 7. manifestis verbis ostẽdit, homines illos & animalia fuisse ingressa in arcam, vt possent viuere, ne diluuio perirent, quasi, nullum aliud esset eius exitij effugium, nec alia ratione vlla seruari possent.

TERTIA ratio contra idem responsum sit hæc: Aquæ diluuij secundum Scripturam excesserunt altissimos montes terræ quindecim cubitis, ergo necesse fuit omnem superficiem terrę ab illis operiri & obrui, nisi velimus credere, paradisum tantę fuisse altitudinis, vt superemineret supremam regionem aëris, aut etiam cœlum con- C
tingeret, quod est tamen prorsus incredibile & absurdum, & à nobis supra in 3. libr. refutatum. Talis enim sublimitas paradisi, nec amœnitatem vllam, nec salubritatem, neque commodam homini habitationem habere potuisset. Quòd si dicatur, aquas diluuij miraculosè prohibitas esse à Deo ne paradisum attingerent, & iuxta ip-
Exod. 14. sum (sicut accidit in mari Rubro, & in Iordane) immobiles constitisse
Iosue 3. non ad breue tempus sicut illic, sed per vnum, ferme annum, quoad scilicet durauit diluuium: id non modo non iuuat istam opinionem, sed valde improbabilem reddit: vt pote quam isti non pos-
Confugere ad miracula & ad Dei omnipotentiam sine necessitate à patribus reprehenditur. sint tueri nisi confictis arbitratu suo miraculis. Confugere autem si- D
ne causa ad miracula, & ad omnipotentiam Dei, reprehenditur à Patribus & Theologis, præsertim autem ab Augustino cum alibi, tum præcipuè in libris de Genesi ad literam non vno loco.

ALTERO modo responderi posset ad supradictam auctoritatem Scripturæ aiẽtis. vniuersam terram fuisse opertam aquis diluuij, cõcedendo scilicet etiam terram paradisi fuisse inundatam & opertam diluuio, negando tamen ob id fuisse paradisum destructum & deletum, sed permãsisse integrum sub aquis, sicut de olea illa, cuius
Genes. 8. ramum virentem columba tulit ad Noe, sub aquis toto tempore diluuij non tantùm integra, sed etiam viridis durasse creditur. Verùm, qui sic responderent, quærerem ex ipsis, vtrũ putarẽt id miraculosè

factum

A factum esse,an sine miraculo ? Si dicerent miraculosè satis proderẽt improbabilitatẽ suæ opinionis quippe quam nisi commentitiis miraculis tueri possent.Si dicerent factum citra miraculũ profecto non minus esset id incredibile, quã quæ paulò suprà confutauimus quis enim credat(nisi qui quodlibet,quantũuis incredibile potest credere)locum paradisi delicatissimũ,ornatissimũ , summaq; elegantia & politissima arte designatum & perfectum per vnum fermè annum altissimis aquis vsquequaque obrutum & oppressum , sine decoris, venustatis,magnificentiæ,ac pulchritudinis suæ detrimento durare potuisse?cum tanto tempore etiam firmissimũ & amplissimum ædificium aquis submersum perdurare nõ posset , quin paulatim decor & elegantia eius dilaberetur ac periret,compago partium dissolueretur,integritas corrumperetur , denique firmitudo debilitaretur, ac labefactaretur.Quomodo enim sub tantis aquis tanto tempore paradisus seruare posset venustatem illã & decorem loci,dimensiones viarum,ordines arborum , pulcherrimam & locorum & stirpiũ dispositionem,varietatem tot herbarum & arborum,denique bonitatem & fertilitatem terræ ? cùm à Patribus & Doctoribus traditum sit terram propter diluuium steriliorem ac deteriorem quàm antea fuerat esse factam,ob eámque causam statim post diluuium concessisse Deum homini esum carnium & tunc vitam hominum maiorẽ in modum diminui cœpisse. Nec iuuat istorum opinionem exemplum illud oleæ , quæ sub aquis diluuij frondes retinuit virentes, C aliud enim est loqui de vniuerso loco paradisi,& iis omnibus,quę in eo erãt,& aliud de vna vel altera arbore,quæ vel propter naturã loci quo erat,vel propter robur & firmitatem suam sub aquis diluuij durare potuerit:qualis est olea , cui nunquam folia decidunt, & quam tradit Plinius ad ducentos annos viuere.

Paradisi locũ diluuio perisse probat.

Plinius li. 16. cap. 44.

TERTIO modo responderi posset ad illam Scripturæ auctoritatem , concedendo paradisum aquis diluuij fuisse opertum & destructum:sed affirmãdo eũ postea fuisse à deo refectũ , & in priorem venustatem & magnificentiam restitutũ. Sed hoc quia gratis & temere dicitur,qua facilitate dicitur , eadem negatur & reiicitur. Ex hac igitur disputatione apparet , scripturam dicentem vniuersam D terram fuisse diluuio opertam & vastatam , valde suffragari eorum sententiæ,qui putant paradisum diluuio esse destructum , neque eũ nunc in terris existere:quod testimonium Scripturæ non aliter euadere potuerũt,qui contrà sentiunt,quàm incredibilia & absurda de altitudine paradisi vsque ad supremam regionem aëris,vel etiam vsque ad viciniam cœli asserendo.Quis igitur eam opinionem vel temerariam,vel suspectam , vel improbabilem dicere audeat , quę tã euidenti Scripturæ testimonio nitatur & fulciatur ? præsertim cũ ea opinione mirificè consentiente Historia tam sacra,quàm profana;ex qua liquet & paradisum fuisse citra sinum Persicum , circaq; Mesopotamiã,& omnia illa loca cõstet esse habitata & explorata; in qui-

bus nullum tamen paradisi vestigium vllo tempore adhuc apparuit. A

Duæ obiectiones.

SED contra hanc opinionem duo possent obiici. Vnum est, in libro Ecclesiastici cap. 44. secundum nostram translationē vulgatam (cuius auctoritas nobis tuenda defendenda est) scriptum esse, *Henoch fuisse translatum in paradisum*; ergo paradisus etiam nunc existit, cum in eo sit Henoch. Alterum est, sententiam esse multorum Patrum plurimorúmq; Theologorum, etiam nunc existere paradisum: cui sententiæ contradicere videri posset temerarium. Verum hæc non tanti sunt, vt nos à contraria sentētia tamquā temeraria, vel improbabili deterrere debeant, cùm facillime dissolui possint, quemadmodum à nobis supra in libro tertio discussa & profligata sunt.

Solutio prioris obiectionis. Expēditur locus Ecclesiast. 44.

NVNC autem ad priorem obiectionē breuiter ita respondemus B
Primo dicimus vocabulum Paradisi (quod non habet eo loco Scriptura Græca, habet tamen Latina translatio vulgata, quam paruipēdere fas non est) nō significare propriè paradisum illū, in quo fuit Adam, sed in vniuersum significare tam apud profanos scriptores Græcos & Latinos, quàm apud sacros auctores quemlibet hortum, & locum amœnissimum, & ad oblectandum hominem elegātissimé concinnatum: id quod nos supra in exordio tertij libri multis exēplis profanæ & sacræ Scripturæ demonstrauimus. Concedimus igitur Henoch esse in paradiso, non tamen in illo Adami, sed in aliquo secreto loco amœnissimo, in quo magna cū tranquillitate & iucūditate carnis & spiritus, Deo ipsum mirabiliter conseruante, viuit, & vsque ad consummationem sæculi victurus est. Certè Rupertus vir C
doctus, Catholicus, & pius, lib. 3. de Trinitate & operibus eius cap. 33. disertis verbis affirmat, nusquā in sacra Scriptura tradi Henoch fuisse translatum in paradisum, in quo fuit Adam: quinimo hoc ipse apertè & constanter negat. Sanctus etiam Chrysostomus homil. 21. in Genesim scribit, non esse curiosè scrutandum & quęrendū, quem in locum Deus transtulerit Henoc: cùm enim id Scriptura nō dicat, nimis curiosū esse, velle inuestigare & scire. Atqui si Chrysostomus in illo loco Ecclesiastici, aut legisset vocabulum illud paradisi, aut eo vocabulo significari putauisset paradisum illum terrestrem, non vtique dixisset, non tradi à Scriptura quo fuerit translatus Henoch, & idcirco id esse incertum, nec à nobis curiosè quærendum. Nec D
existimari potest, Chrysostomum non legisse librum Ecclesiastici; quippe qui plurimas eius libri sententias in suis scriptis frequēter vsurpat. Cum Chrysostomo planè consentiens Theodoretus in Quæstionibus in Genesim, cum posuisset hanc quæstionē quæ est numero 45. Quem in locum Deus transtulerit Henoch; ad eam ita respondit: *Non inquirenda sunt*, inquit, *quæ silentio sunt tradita, sed veneranda, quæ scripta sunt.* Hæc ille: his verbis indicans, in Scriptura non tradi, quo fuerit translatus Henoch, & ideo non esse id à nobis inuestigandum.

Rupertus negat Henoch fuisse translatum paradisum.

Chrysostomus dicit nescire quo sit translatus Henoch.

DEINDE, ad eandem obiectionem sic respondeo: in illo loco

Eccle

A Ecclesiastici translatio vulgata non habet, Henoch esse nunc in paradiso, de quo tamen præsens quæstio tractatur, sed tantùm habet, translatum fuisse Henoch in Paradisum, quod opinioni nostræ nihil prorsus aduersatur, nec ad præsentem quæstionem pertinet. Cùm enim translatio illa Henoch amplius sexcentis annis ante diluuium facta fuerit, vt ex cap. 5. libri Genes. colligi potest: fieri potuit, vt tunc Henoch ductus fuerit in Paradisum illum terrestrem, quem nos vsque ad diluuium durasse non negamus, Hinc tamen non licet argumentari illum Paradisum intactum fuisse diluuio, & tunc etiam existere, & in eo commorari Henoch & Eliam: hoc enim est, quod nos negamus ex illo loco Ecclesiastici posse concludi. Certè B. Gregorius homil. 29. in Euangelia, non ausus est dicere Henoch & Eliam

S. Gregorius nõ audet Henoch in Paradiso versari asserere.

B ductos esse in Paradisum, aut in eo versari, sed Eliam scribit (idem quoque sensisse eum de Henoch credẽdum est, cùm sit par vtriusque ratio, & auctores contrariæ opinionis idem de vtroque sentiant & dicant) scribit, inquam, Eliam in secreta aliqua regione versari, & in magna carnis & spiritus tranquillitate viuere, & victurum esse vsque ad consummationem sæculi.

Quæstio vtrum Henoch & Elias sint in illo paradiso terrestri (auctore S. Augustino) nõ spectat ad Fidem. 2. Corin. 12.

Beatvs autem Augustinus libro 2. de gratia Christi contra Pelagium & Celestium scribit quæstionem hanc vtrum Elias & Henoch sint in Paradiso terrestri, an alibi esse de numero earum quæstionum quæ salua fide Christiana in contrarias partes disputantur

C quales etiam sunt illæ. Quot sunt cœli in quorum tertium se raptum esse commemorat Paulus, vel vtrum Elementa huius mundi quatuor an plura sint. Sic Augustinus. Qui si putasset vspiã in Scriptura significari, Henoch esse in Paradiso terrestri, aut suo tempore fuisset id in Ecclesia, & apud Doctores eius temporis certum & indubitatum, sicut erat Henoch & Eliam non fuisse mortuos sed viuere adhuc, profecto Augustinus non ita locus fuisset. Nec subeat cuiuspiam animum suspicari, fortasse Augustinum non legisse, aut pro sacra Scriptura non habuisse librum Ecclesiastici: siquidem ex plurimis eius libri capitibus: tamquam ex canonica Scriptura, permultas sententias cõmemorat & ad probandum vel refellendum aliquid adhibet quare vel ipse in illo loco Ecclesiastici de translatione Henoch non legit vocabulum illud Paradisi, quod Scriptura Græca non habet, vel si le-

D git: per id significatum esse Paradisum illum terrestrem, nequaquam existimauit. Patet igitur locum illũ Ecclesiastici nihil officere nostræ sententiæ, nihilque adiumenti contrariæ opinioni afferre: vt vel hoc nomine probabilior hæc opinio, quàm contraria videri possit. Etenim hæc opinio manifestum habet pro se illud Scripturæ testimonium ex septimo ca. Geneseos quod suprà fusè tractauimus: at contraria opinio nullum ex diuina Scriptura præsidium, aut testimonium pro se habere potest.

Animaduersio in censurã Sixti Senensis.

Qvocirca valdè miror iudicium Sixti Senensis qui libro 5. Bibliothecæ Annota. 36. scribere illud nõ est veritus. Dicere Henoch,

& Eliam non esse translatos in illum Paradisum terrestrem inibique A
versari, esse contra diuinam Scripturam, & à recta fidei regula exorbitare. Itane contra Scripturam? Ergo Rupertum, Theodoretum, Chrysostomum, Augustinum, & Gregorium, qui vel il negarunt, vel incompertũ esse dixerunt, vel salua fide, aut negari aut affirmari posse tradiderunt, contra Scripturam, & contra fidei regulam, censore Sixto, sensisse & scripsisse existimabimus? Sed contra quam obsecro, Scripturam est, Henoch non esse in illo Paradiso? Contra illam, ait, Ecclesiastici 44. *Henoch placuit Deo, & translatus est in Paradisum:* at eam Scripturam nihil Sixto posse suffragari, satis superque ostensum est. Quod si hoc est contra Scripturam, ergo est contra Fidem. At B. Augustinus docet lib. 2. contra Cœlestium & Pelagium cap. 23. opinari Henoch & Eliam non esse in illo Paradiso, non solum non B
esse contra fidem, sed nec pertinere ad fidẽ. Vtri igitur credemus potius, Augustino neganti pertinere ad fidem, an Sixto asseueranti esse contra Scripturam, & à fidei regula exorbitare? vides lector, quo sese per imprudentiam Sixtus proiecerit, clarissimos Ecclesiæ Patres tam præcipiti iudicio, atrocique sensura inscienter condemnando?

Solutio posterioris obiectionis.

An liceat aliquando à cõmuni Doctorum sententia discedere.

AD alteram obiectionem ductam ex multitudine Doctorum, qui contra nos sentiunt, ad hunc modum respondemus. Consensum Doctorum (vt prudenter monet Vincentius Lyrinensis, idque profecto verum est) non in quibuslibet quæstionibus, sed in his, quæ ad Catholicæ fidei regulam pertinent, diligenter obseruare, ac religiosè sequi oportet. At quæstio hæc, vtrum Paradisus nunc existat, nequaquã C
pertinet ad fidem, minus etiam profectò quàm illa, vtrum Henoch sit in illo Paradiso terrestri, quam tamen Augustinus docet salua fide in vtramque partem disputari posse, vel diffinitiuam sententiam suspendendo, vel aliter quàm reuera est, humana & infirma suspicione coniiciendo. Neque verò nouum & inusitatum est apud Doctores, in iis quæ ad fidem non spectant, à veteri & communi sententia discedere; si ex aduerso opinio aliqua existat valde probabilis, hoc est magnis vel Sacrarum litterarum vel humanarum rationum munita præsidiis. Possem multa eius rei proferre exempla; sed ero, ne longior sim vbi minime opus est, vno duntaxat contentus exemplo. Aquas

Genes. 1. Psalm. 148. Daniel 3.

quæ super cœlos esse dicuntur in Sacris litteris reuera locatas esse D
super orbes cœlestes, eásque vel naturæ elementari, vel substantia cœlesti constare, vetus & communis tam priorum quàm posteriorum Doctorum sententia est. Contraria tamen opinio, aquas illas cœlestes non alias esse intelligendas, quàm quæ in media regione aëris generatæ ad refrigerandam fœcundandámque terram naturali potentia, modo, & ordine delabuntur, non solum nõ est habita vnquam vel temeraria, vel improbabilis, sed eam B. Thomas in prima parte inter maximè probabiles, de illis aquis sententias commemorat: & S. Augustinus lib. 2. de Genesi ad litteram capite quarto eam opinionem magna laude dignissimam iudicat, quippe quæ nec contra fidem

S. Thomas. in prima parte q 68. ar. 2.

sit

A sit,& in promptu posito documento fiat credibilis.Quanto magis id Augustinus diceret de hac opinione, quod Paradisus nunc non existat?cùm ea non modo non sit contra fidem, sed etiam maximè sit secundum fidem Scripturæ affirmantis capite 7. Geneseos,omnem superficiem omnésque montes, qui sub vniuerso cœlo erant,aquis diluuij fuisse opertos,omnémque terram vastatam ac deletam.

In quæstionibus quæ ad fidem nõ pertinent, quomodo se gerere conueniat.

DEINDE,in disceptandis & diiudicandis quæstionibus non pertinentibus ad fidem,non tantùm spectari debet,qui aut quot auctores aliquid sentiant, aut dicant,sed etiam æstimari & examinari debent rationum momenta, & quemadmodum, quod illi dicunt argumententur, ac probent. Dixerunt plurimi & grauissimi auctores,Pa-
B radisum terrestrem nunc existere.Dixerunt sanè,atque ob eam solam causam ea sententia non solum probabilis,sed etiam venerabilis omnibus esse debet.Verùm hoc illi nulla probabili vel scripturæ auctoritate,vel historia, vel experientia,vel humana ratione aut coniectura confirmarunt. Quinimo cum supradicto Scripturæ ex cap.7.Genes.testimonio valde vrgerentur,ac premerentur,non aliud effugium inuenire potuerunt, quàm vel noua inducendo miracula,vel de altitudine Paradisi supra aquas diluuij,incredibilia & absurda fingendo. Præterea, considerare conuenit, quem ad finem vsúmve Peradisum isti doctores tanto miraculo conseruatum à Deo esse voluerint. Certè,plerique veterum eò seruatum esse Paradisum putauerunt, vt idoneum & dignum esset receptaculum sanctarum animarũ inibi com-
C morantium, vsque ad diem iudicij : quod sane non modo falsum est, sed iampridem ab Ecclesia damnatum.Aliis quàmplurimis visum est, seruatum esse Paradisum propter habitationẽ Henoch & Eliæ, quos eo in loco nunc esse non dubitant. Verum id multi doctores vel negant, vel incompertum esse dicunt, vel tamquam dubium & incertum, citra vllam fidei iniuriam, vel negari vel affirmari posse tradunt. Nulla igitur, vel probabili argumentatione Paradisum nunc existere persuaderi potest.

CAETERVM, illa sit huius disputationis clausula;veteri sentẽtiæ non aliud suffragari,quàm vetustatem eius,& consensum doctorum,
D quæ tamen duæ res vel solæ pro magno haberi debẽt,eæque in quæstionibus ad fidem non spectantibus, valdè probabilem sententiam, in his quæ ad fidem pertinent, etiam certam possunt efficere. Huic autem opinioni,quòd Paradisus non existat, adsunt & Sacrarum litterarum præsidia,& humanarum rationum firmamenta,nec quicquã ei deesse videtur præter antiquitatem, & sectatorum multitudinem atque claritatem. Et, hæc quidem sunt, quæ libuit ad ea quæ tertio libro de hac quæstione disputata sunt, in præsens addere.

Vtile documentum circa opiniones nouas etiam valde probabiles seruandum.

ILLVD autẽ non fuerit alienũ, occasione huius quæstionis,quã tractauimus,in vniuersum lectorẽ hoc loco admonere, in huiusmodi quæstionibus recens exorientibus, quæ nec ad fidem spectent,& videntur tamen admodũ probabiles, atq; plausibiles magna esse vtẽdũ cautione

cautione tutissimumque fore, non statim eas vt planè veras & certas A
diuulgare, præfractéque ac mordicus tueri, veteri doctorum sententia
non solum posthabita, sed etiam fastidiosè superbéque reiecta. Ve-
rùm eas opiniones cunctanter: lentè, ac morosè examinare & proba-
re oportet, nec nisi vt probabiles tantùm prodere: expectaréque do-
ctorum, piorúmque hominum, & florentissimarum Academiarum
iudicia atque suffragia, vt si ab illis repudiatæ, damnatæque fuerint,
prorsus abiiciãtur æternóque premantur silentio, sin autem laudatæ
probatæque peruulgentur, tunc inoffensè ac securè non tantum pri-
uatim approbari, sed etiam publicè doceri & defendi queant, verùm
ita, vt nihilominus tamen debitus veteri sententiæ honor & reue-
rentia semper exhibeatur. Equidem (volo enim his nouissimis ver-
bis, & hac consilij & propositi mei testificatione, priorem hunc to- B
mum Commentariorum meorum in Genesim terminare) probabi-
litatem huius opinionis cum cura & diligentia tractare volui, non
studio aliquo nouitatis, nec ad ostentationem ingenij, aut Doctrinæ,
Cur auctor de his tã accuratè disserue-rit. (Dominus scit, animi sensúsque mei conscius & testis) sed flagrantis-
simo amore inuestigandæ, reperiendæque veritatis, præcipuè autem
zelo quodam Sacrarum litterarum: scilicet, vt quæ traduntur in his
de loco Paradisi, de quatuor eius fluminibus, aliisque rebus simili-
bus, sicut à nobis explicata sunt, non modo non viderentur cuiquam
commentitia, incredibilia & absurda, sed quasi maximè consentanea
rationi, maximéque verisimilia, cuiuis etiam infidelium probari pos-
sent. Quod si quid etiam in hoc, erratum fuerit, certè non arrogantiæ C
aut temeritatis, sed pietatis cuiusdam, atque zeli error fuit: quem
ego facili dignum venia prudenti & æquo lectori visum iri confido.

FINIS.

Anno ab ortu Domini 1589. *ætatis vero Auctoris* 53. *Hi septem libri Commentariorum in Genesim, sunt Romæ primùm editi. Cum triennio ante, eiusdem Auctoris libri sexdecim in Danielem Prophetam, & tredecim annis ante, libri quindecim de Philosophia,* D *fuissent euulgati.*

Lugduni secundo apud IVNTAS emissi, anno, 1590. Tertio iterum Lugduni, & emendatius, 1594.

Laus Deo ac Deiparæ sempérque Virgini Mariæ.

INDEX RERVM, ET VERBORVM QVÆ IN HOC OPERE CONTINENTVR.

Abel.

ABEL *secundum nonnullos quindecim annos esse generatũ post Cain; sed refellitur.* folio 719.a

Abel vnde didicerit sacrificare Deo. 720.a

Abel cur obtulerit primogenita & adipem. 721.b

Abel quo genere necis interemptus sit à Cain. 733.b

Abel illustrem Christi fuisse figuram, & Cain Iudæorum. 737.b

Abel fuisse occisum paulo ante generationem Seth. 764.b

Abraam.

ABraam peritissimum Astrologiæ fuisse scribunt Iosephus & Eusebius. 229.a

Abraam Iudæi Astrologi prædictionis falsitas de Messiæ aduentu, exitu comprobatur. 260.c

Abyssi definitio secũdum Basilium & Augustinum. 61.a

Adam.

ADæ costæ quomodo adiuncta sit materia, & ex illa corpus Euæ formatum fuerit. 338.a.b

Adæ nominis multiplicem significationem tradit Eusebius Cæsarensis. 361.c

Adæ nominis litteræ quattuor, Græcè quatuor Mundi partes significant secundum Cyprianum & Augustinum. 362.a.b

Adæ legem impositam, fuisse tanquam originem & seminarium aliarum legum, scribit Tertullianus. 443.c

Adæ præceptum datum de non edendo ex illa Arbore scientiæ boni & mali, partim facile partim difficile fuit. 447.b.c

Adæ præcepti difficultas quæ. 448.b

Adæ præcepti facilitas quæ. ibid.c

Adæ peccatum fuisse grauius ob facilitatem præcepti illi impositi, sensit Rupertus & S. Augustinus. 449.a

Adæ soporem fuisse somnum simul cum ecstasi, sententia est auctoris. 468.c.469.a

Adæ costam fuisse illi detractam absque dolore ob profunditatem somni illius, nonnullis exemplis probatur. 470.b

Adæ costam fuisse sufficientem ad formationem corporis Euæ per solam multiplicationem sui ipsius, infinita Dei virtute factam, qui auctores tradant, quorum opinio à Sancto Thoma refellitur. 475.c.476.a

Adæ costam auctam fuisse per additionem nouæ materiæ, & sic formatum corpus Euæ sentit S. Thomas. 476.b

Adæ costa ex qua formata fuit Eua, an fuerit illi superflua, an necessaria tractatur. 477.a

Adæ costam fuisse illi partim superuacaneam, partim necessariam, communis Theologorum opinio. ibid.b.c

Adæ costam, ex qua formata est Eua, fuisse illi omnino superfluam sententia est Auctoris, quam nonnullis rationibus confirmat. 478.b.c

Adæ costam quam illi detraxit Deus, fuisse vnam ex eius costis necessariis, opinio cuiusdam Doctoris fuit, quam sequitur Catharinus & nõnullis rationibus confirmat. 478.c.479.a.b

Adæ detracta costa, cui reddenda sit in resurrectione tractatur. 479.c.480.a

Adæ posteri si ipse non peccasset vtrum habuissent innatam rerum omnium scientiam. 543.b.c

Adæ posteri si ipse non peccasset, vtrum fuissent in gratia confirmati. 558.d

Adæ peccatũ quibus rebus grauius fuerit quam peccatum Euæ. 651.a

Adam eo tempore esse factam, in quo Christus Dominus fuit conceptus, à multis creditur. 130.c

Adam non gustasse dum fuit in Paradiso, fructum Arboris vitæ. 325.a.b

Adam nomen quid significet, & vnde dictum. 361.b

Adam qua in ætate ac mole corporis creatus fuerit secundum B. Augustin. 403.b

Adam quonam modo longiorem vitam duxerit Mathusalem. 414.c

Adam quonam modo Deus in Paradisum adduxerit. 431.b.c

Adam non fuisse à Deo creatum intra Paradisum, sed extra. 432.a.b

Adam cur Deus noluerit creare intra Paradisum, assignantur quattuor rationes. ibidem b.c

Adam & Euam fuisse nudos in statu innocentiæ ob concordiam carnis & spiritus, aliasque ob causas quæ commemorantur. 515.b

Adam positum à Deo fuisse in Paradiso, vt ipse magis indies à Deo excoleretur & perficeretur intellexit Sanctus Augustinus. 434.a.b

Adam positum à Deo fuisse in Paradiso, vt ipse Adam varia opera faciendo Paradisum excoleret, colligitur ex Hebraica lectione. ibid.c

Adam ab exordio suæ creationis, lege aliqua astrictum esse, etiam si eam esset violaturus, conueniens fuit. 450.a.b

Adam nunquam comedisse in statu innocentiæ de ligno vitæ probabile videtur Auctori. 453.a

Adam ob transgressionem diuini præcepti incurrisse in mortem animæ tantum, sensit Philo, Eucherius, Eugubinus, & S. Gregorius. 426. per totam quæ opinio refellitur. 458.a.b

Adam ob transgressionem diuini præcepti incurrisse in omnem mortem quæ homini potest accidere sensit S. Augustinus cum aliis Doctoribus. 457.a

Adam potuisse non sentire dolorem in costæ detractione, suspendente Deo vim sensus tactus, probabile est. 471.a

Adam quidnam significare voluerit, cum videns Euam dixit, Hoc nunc os ex ossibus meis, &c. afferuntur duæ interpretationes. 488.a.b

Adam & Eua cur dicti sint esse vna caro assignantur quattuor rationes. 491.a

Adam quando nomina imposuerit animalibus. 527.c

Adam vtrum statim vt creatus est, habuerit scientiam omnium rerum. 528.b

Adam vtrum habuerit scientiam Cœlorum, & scientiam astrorum atque elementorum disputatur contra Caietanum. 530.d

Adam fuerit ne sapiẽtior Salomone. 535.b

Adam cognitione rerum naturalium dupliciter præstitit nobis. 542.a

Adam vtrũ creatus sit cum gratia. 646.a

Adam non fuisse creatum in gratia, qui Auctores censuerint. ibid.b
Adam si vicisset primam illam tentationem, vtrum postea fuisset in gratia confirmatus, vt placet Scoto. 558.a
Adam vtrum timuerit possibilem sibi casum, & lapsum in peccatum. 574.d
Adam quomodo fuit immortalis ante peccatum. 587.b.c
Adam quomodo fuerit à Deo præmunitus aduersus omnia quæ mortem ei poterant afferre. 588.a.b
Adam vtrum esset immortalis propter aliquam virtutem naturalem inhærentem aut corpori aut animæ eius. 589.c.d
Adam ante peccatum, vtrum dici potuisset immortalis verius quàm mortalis. 592.a
Adam potuit dici immortalis ante peccatum, quia habebat potentiã non moriendi, quia etiam habuit impotentiam moriendi, non simpliciter, sed ex suppositione. 593.a
Adam statim post peccatum suum credidisse, & speransse in Christum vt Mundi redemptorem. 616.d
Adam quomodo expetiuerit similitudinem & æqualitatem Dei. 640.a
Adam vtrum fuerit deceptus necne disputatur secundum varias opiniones. 640.c. d.641.a
Adam si statim peccatum suum humiliter confessus esset, vtrum Paradiso exulasset. 648.b.c
Adam peccaueritne peccato idololatriæ. 651.c
Adam cur tegere voluerit pudenda sua foliis ficulneis. 657.c
Adam quanto tempore commoratus sit in Paradiso, disputatur. 695.a
Adam vtrum per octo dies fuerit in Paradiso. 699.c
Adam & Isaac nusquam legitur in Scriptura sacrificasse Deo, & cur. 720.c
Adam quando obierit. 770.b
Adam vtrum saluus fuerit. 776. *per totam*
Adami corporis moles quanta fuerit in eius creatione. 415.a
Adami corpus creatum fuisse ante eius animam qui senserint. 417. *per totã pag.*
Adami corpus fuisse formatum simul cum eius anima tradunt nonnulli Auctores, & qui. 418.a.b
Adami scientia vtrum specie differret à nostra. 528.b.c
Adami contemplationis rerum diuinarum excellentia. 542.c
Adami posteri vtrum fuissent creati in iustitia originali, non autem in gratia gratum faciente, vt quibusdam visum est. 558.c.d
Adami animum octo modis fuisse corruptum atque deprauatum. 644.a
Adami primum peccatum fuisse superbiam. ibidem b
Adamo fuisse datum præceptum comedendi ex omnibus aliis Paradisi fructibus, præter fructum scientiæ boni & mali, sensit S. Thomas. 438.c
Adamo non fuisse datum præceptũ comedendi ex omnibus aliis Paradisi fructibus, ligno scientiæ boni & mali excepto, sed tantum potestatem scribit Tostatus, quam sententiam multis argumentis confirmat Auctor. 439. *per totam.*
Adamo præter comminationem exitij mortis ob præcepti præuaricationem, præmium etiam propter illius obseruationem fuisse promissum, opinio quorumdam fuit. 452.c
Adamo reuelatam fuisse Angelorum ruinam. 537.c.& 538.a
Adamo notum fuisse sanctissimæ Trinitatis mysterium. 538.a.b
Adamo reuelatam esse futuram filij Dei incarnationem. 538.b.c
Adamo quod dixit Deus, Adam vbi es? quid significet. 665.b
Adamum è Paradiso eiectũ, plurimis peragratis regionibus venisse in Iudæam tradunt Athanasius & Cyrillus. 294.c

Adamum creatum fuisse ætate & corporis mole perfectissima sensit Magister sentent. & S. Augustinus. 414.a.b

Adamum creatum fuisse in ætate iuuenili, quæ in Mundi initio circa quinquagesimum annum erat, sentit auctor. 414.b.c

Adamum fuisse conditum statura gigantea, ac maximum omnium mortalium extitisse, tradunt Ioannes Lucidus aliique Auctores: quæ opinio refellitur. 415. & 416. *per totas paginas.*

Adamum humatum fuisse in monte Caluariæ eo in loco vbi Christus Dominus crucifixus fuit, qui Patres senserint. 416.a

Adamum à Scriptura appellatum fuisse maximum, non proceritate corporis, sed ob suam dignitatem declarat Auctor. 416.c

Adamum esse à Deo creatum cum scientia. 536.c

Adamum tribus modis sapientia præstitisse cæteris mortalibus. 534.b

Adamum sex genera rerum supernaturalium habuisse cognita. 537.c

Adamum esse creatum cum gratia. 547.b

Adamum esse creatum cum triplici rectitudine. 549.a

Adamum esse creatum cum gratia, ex quibus Scripturæ locis probetur. 548.c

Adamum esse creatum cum gratia, quibus argumentis confirmetur. 550.a.b

Adamum non modo creatum fuisse cum habitu gratiæ, sed etiam cum actu & vsu eius. 551.a.b

Adamum etiamsi non peccasset, fuisse tamen aliquando moriturum, opinio Iosephi & Pelagianorum, quæ refellitur. 684.c

Adamum eodem die quo creatus est esse Paradiso eiectum, qui Auctores, & quas ob causas censuerint. 695.d

Adamum plus vno die fuisse in Paradiso, qui auctores arbitrati sint. 596.d & 597.a

Adamum non fuisse longo tempore in Paradiso. 598.a.b

Adamum plus vno die fuisse in Paradiso. ibidem b

Adamum & Euam, dum fuerunt in Paradiso fuisse virgines. 717.b

Adamum eo ipso die quo peccauit, eiectum fuisse Paradiso. ibid.

Adamum complures filios habuisse ante necem Abel. 764.c

Adamus quanta suæ auctoritatis & maiestatis declaratione, nomina imposuerit animalibus. 526.b

Adamus quarum rerum scientiam non habuerit. 532.c

Adamus vtrum altiori cognitione quàm quæ est per fidem, Deum cognouerit. 539.b

Adamus vtrum cognouerit Deum in ænigmate. 540.c

Adamus secundum Gregorium assueuerat verbis Dei perfrui, & beatis spiritibus interesse. 542.c

Adamus quanto tempore, moratus sit in Paradiso. 600.a

Adamus quibus rebus adductus sit ad assentiendum & gratificandũ Euæ. 638.c

Adamus cur voluerit se abscondere à facie Dei. 661.a

Adamus vtrum senior obierit quàm Mathusalem. 770.c

Adamus sepultus in monte Caluariæ. 777.c

Ægyptij, Aër, &c.

Ægyptij, duobus millibus annis ante M. Varronis ætatem, à magistra Iside litteras didicere. 37.b

Aegyptij, qualibus & quàm longis annis, retrò ante sæcula sint vsi. ibid.

Aegyptij & Chaldæi, in triginta annorum solarium spatio, annos plures quadringentis recensebant. ibid.c

Aegyptiorum & Chaldæorum errores de primordiis mundi qui. 36.c.37.a
Aegyptiorum mendacia de præteritorum regnorum duratione, Alexandro Macedoni enarrata. 37.a.b
Aegyptiorum figmenta in Platonis Timæo commemorata produntur. 34.c
Aegyptiorum figmentum de corde hominis & productione vitæ humanæ. 771.a
Aër in scriptura sæpe cœlum nuncupatur. 207.a
Aër natura sua frigidus secundum Stoicos. ibidem
Aër natura sua calidus & humidus secundum Aristotelem. ibid.
Aërem inferiorem firmamenti partem, locum naturalem generationis aquarum pluuialium à Deo conditum fuisse, sententia est auctoris. 207.c
Aeternum præter Deum nihil inueniri. 37.c.
Affectuũ mortificatio post peccatum Adæ. homini acerba & laborioſa. 330.b
Affectus hominis in statu innocentiæ tribus modis erant in eius potestate. 400.a.b
Affectus hominis quomodo in eo sint post peccatum, declarat Aristoteles pulchra similitudine. ibid.
Agriculturæ voluptas & vtilitas à S. Augustino descripta. 436.per totam
Albertus Magnus postulauit à Deo, & impetrauit obliuionem humanarum doctrinarum. 535.a
Albumazaris prædictio de duratione Christianæ religionis, re & euentu falsa esse comprobatur. 259.c.262.a. eiusdẽ quædam turpissima mendacia. 260.b.c
Allegorias in Mosis historia de mundi constructione, Diuus Basilius non recipit. fol. 24.a
Aloysij Lippomani de Pico Mirandulano iudicium. 26.c
Altitudo terræ à centro ad circumferentiam quanta sit. 119.b

S. Ambrosius.

Beati Ambrosij pulchrum aduersus Astrologos de pluuia exemplum. fol. 259.c.& 260.a
Ambrosij egregia disputatio de igne purgatorio. 704.c
Ambrosij præclara sententia de voluntaria confessione peccatorum. 734.c
Ambrosij egregia sententia, quod malis semper mala adsunt. 741.a
Ambrosij ratio, cur Deus vetuerit Cainum occidi. 750.b
Ambrosij luculenta sententia, aduersus eos, qui bona malaque hac vita determinant. 752.c
Ambrosius putauit, serpẽtem voluisse verbis suis inducere Euam in errorem idololatriæ. 651.a.b
Ambrosius eleganter explicat nuditatem primorum hominum in Paradiso. 657.a
Ambrosius illius siculnei succinctorij, mysticam habet interpretationem egregiam. 658.c
Ambrosius pulchrè interpretatur illud, Adam vbi est? 666.a
Analogia magna quæ est inter pisces & aues enarratur. 151.b.c
Analogia elegans inter ea quæ Adamo, & ea quæ Christo Domino contigerunt. 696.c
Anam primum fuisse qui adulterinam animantium generationem procurauit sensit Rupertus. 157.a. *quod minime probatur Auctori.* 158.a
Androgynos reperiri in Africa tradit Plinius. 493.b

Angeli.

Angeli an aliquid in formatione humani corporis ministrauerint, & quid ministrare potuerint secundum aliquos. 412.c.& 413.a
Angeli cur à Deo conditi fuerint in Cœlo empyreo

empyreo. 432.c
Angelis nusquam hominis creationem tribuit Scriptura, sed tantùm Deo. 358.b
Angelorum creationem pertinere ad opus primi diei, tradunt Augustinus & Eucherius. 71.a
Angelorum varietas quanta sit, iuxta D. Thomæ opinionem. 165.b
Angelorum creationem non fuisse prætermissam à Mose, sed figuratè eum eam insinuasse tradunt Sanctus Augustinus & Beda, quæ opinio non probatur auctori. 195.a
Angelorum creationem factam fuisse ante creationem Mundi, plurimorum opinio fuit: qui omnes recensentur ab Auctore. 196.c
Angelorum creationem factam fuisse post Mundum corporeum, tradunt Gennadius & Achacius. 197.a
Angelorum creationem factam fuisse simul cum Mundo corporeo, Beati Augustini ac fere omnium Theologorum sententia est. 197.c
Angelorum creationem factam fuisse simul cum mundo corporeo sentit auctor, & rationes quibus ad id credendum mouetur, adducit. 198.c.199.per totam.
Angelorum & electorum hominum dignitatem, significatam fuisse in illis Dei verbis Fiat lux, & Faciamus hominem, &c. tradit Rupertus. 368.d
Angelos multis sæculis ante Mundi molitionem fuisse conditos, ac in luce quadam conuersatos tradunt Basilius & Theodoretus. 61.c
Angelos simul cum cœlo & terra esse creatos, & quantum tempus merēdi & demerendi habuerint tradit Hugo de S. Victore, cui consentit Auctor. 73.c
Angelos esse à Deo conditos, multis diuinæ Scripturæ testimoniis probatur. 194.a.b
Angelos non fuisse ab æterno à Deo creatos. ibid.c. & ex quibus Scripturæ locis colligi possit, ostenditur. ibid.
Angelos non esse coæternos Deo. 198.c
Angelos nescire futura quæ ex libero hominum arbitrio pendent absque diuina reuelatione. 141.c
Angelos non potuisse concurrere effectiuè ad productionem hominis. 358.a.b
Angelos non fuisse effectores humani corporis. 412.a
Angelos esse immortales gratia Dei qui senserint. 428.c.429.a
Angelum vna cum homine conditum fuisse sensere aliqui Auctores, quæ opinio ab Auctore improbatur. 197.b
Angelum secundum naturam & rationem propriam imaginis perfectius dici conditum ad imaginem Dei quam hominem, sententia est auctoris, qui hac in re S. Gregorium sequitur. 379.a.b
Angelum & hominem solū in rebus creatis esse ad imaginem Dei. 386.a
Angelus an sit perfectior homine. 379.c

Anima.

ANima rationalis cur à Mose appellata sit Spiraculum vitæ. 420.b.c
Anima rationalis cur phrasi Hebraica Spiraculum vitarum dicta, assignātur quinque rationes. ibid.
Anima rationalis à Mose dicta Spiraculum vitæ ob triplicem vitam quam tribuit homini, scribit Caietanus. 421.a.b
Anima rationalis cur sicut post mortem hominis remanet, non existat etiam, ante corporis formationem, rationem assignat auctor. 424.c
Anima rationalis an sit ante corpus secundum Philosophos. 412.a.b
Animæ rationalis creatio, cur insufflatio appelletur, quatuor rationes traduntur. 419.c
Animæ vocabulo quid significetur. 421.c
Animæ rationalis immortalitas demōstratur ex illis verbis Mosis: Et inspirauit in faciē eius spiraculum vitę, &c. 415.b.c

Animæ rationalis creationem à solo Deo proficiſci. 481.c
Animam vnam tantum ſecundum ſubſtantiam eſſe in homine, nempe rationalem argumentatur Caietanus ex verbis Moſis: Et inſpirauit in faciem eius ſpiraculum vitæ,&c. 421.a.b
Animam rationalem fuiſſe ante corpus, error Origenis fuit. 422.c
Animam fuiſſe primi hominis non fuiſſe ante corpus illius creatam ſententia eſt Auctoris, quam multis argumentis confirmat. 423.& 424
Animam primi hominis formari debuiſſe ſimul cum eius corpore tradit S. Bonauentura. 425.a.b
Animam rationalem eſſe immortalem docet Moſes ſeptem in locis ſuæ hiſtoriæ, quos auctor cõmemorat. 427.b.c.428.a
Animam rationalem eſſe immortalem gratia Dei & non natura ſua, tradunt ſexta Synodus & nonnulli Patres, qui quomodo ſint intelligendi declarat Auctor. 428.c.& 429.a.b
Animam rationalem eſſe immortalem natura ſua ſententia eſt Auctoris. 429.a
Animam rationalem eſſe formam corporis, eamque pro multitudine hominum multiplicari, probatur ex illis verbis Moſis. Et inſpirauit in faciem eius ſpiraculum vitæ,&c. 429.b.c
Animam eſſe vnam tantùm in homine ſecundum ſubſtantiam indicauit Moſes illis verbis: Et inſpirauit,&c. 436.a
Animam eſſe vnam tantùm in homine ſecundum ſubſtantiam colligitur etiam ex illis verbis Domini. Nolite timere eos qui occidunt corpus,&c. *ibid.*
Animam vnam tantũ eſſe in homine, eamque rationalem, communis Patrum ſententia, & quid de contra aſſerentibus ſentiendum ſit. 430.c.& 431.a
Animã hominis ex ſubſtãtia Dei fuiſſe procreatã ſenſit M. Tullius, ſed falsò. 419.a
Animum hominis non eſſe ex ſubſtantia Dei exactè probauit S. Thomas. *ibid.b*
Animus noſter quibus in rebus ſimilis ſit Deo ſecundum Fauſtinum. 376.c

Animalia.

Animalia creata fuiſſe quinto die ob quinque eorum ſenſus, tenet Philo, quæ opinio minimè probatur Auctori. 145.per totam.
Animalia maiora eſſe in aquis quam in terris docet experientia. 146.c.147.a
Animalia prima facta fuiſſe per Dei omnipotentiam, terra tanquam materia paſſiuè tantùm concurrente, ſententia eſt Auctoris. 152.c
Animalia terreſtria in duo tantùm genera diuiſit Plato. 154.b
Animalia quæ ex putreſcẽte materia oriũtur, an ſimul cum aliis terreſtribus in exordio Mundi condita fuerint. 155.b
Animalia quæ oriuntur ex putri materia fuiſſe vnà cum aliis terreſtribus proximè à Deo condita, ac deinceps per naturales cauſas generanda, vel fuiſſe producta tantùm cauſaliter & nõ actu, ſententia eſt Auctoris, qui vtrunque modũ creationis amplectitur. 155.c.156.a.b
Animalia omnia etiam quæ ex putri materia oriuntur creaſſe Deum in mundi exordio tradit D. Baſilius. 155.c.156.a
Animalia quæ ex corruptione humani corporis gignuntur non fuiſſe in Mundi exordio. 156.b
Animalia quæ generantur ex commixtione diuerſarum ſpecierum non fuiſſe in exordio Mundi à Deo condita tradit Rupertus Abbas. 156.c
Animalia quæ ex diuerſarum ſpecierum coitione naſcuntur, naſci per naturalem generationem probatur ab Auctore. 157.b
Animalia terreſtria cur eodem die quo homo creata, ac quibus in rebus nobis inſeruiunt, tractatur. 158.c
Animalia eſſe, viuere, generariq́ue in elemento

mento ignis multorum veterum sententia fuit, quorum opiniones ab auctore produntur, explicantur, ac refelluntur. 159.160.
Animalia nulla fuisse in terrestri paradiso sensit Damascenus. 310.a.b
Animalia fuisse in Paradiso tradit Auctor, qui etiam Auctores ita sentientes commemorat. 310.c.& 311.a.b
Animalia ferocia quonam modo in statu innocentiæ parebant homini. 394.c
Animalia quæcumque sæuissima quattuor modis ab homine mansuefieri posse ostenditur. 395.a.b
Animalia in statu innocentiæ fuisse subiecta homini ob singularem Dei prouidentiam. ibid.c
Animalia adducta fuisse ad Adamum & Noë Angelorum ministerio. 346.a
Animalia quæ nunc sunt carniuora, in statu innocentiæ & ante diluuium fuisse etiam carniuora tradit Sanctus Thomas. 511.c. quam sententiam secuti sunt Caietanus & Tostatus. 512.a.b
Animalia omnia etiam quæ nunc sunt carniuora, in statu innocentiæ & ante diluuium vixisse tantum herbis sensit Beda. ibidem b. quam sententiam secutus. est etiam Tostatus, priorem corrigens ibidem.
Animalia omnia in statu innocentiæ & ante diluuium vixisse tantùm herbis quibus argumentis probari queat. 513.a
Animalia carniuora quid causæ fuerit vt ante diluuium non vescerentur carnibus. 512.b
Animalia omnia in statu innocentiæ & ante diluuium vixisse tantùm herbis probat S. Basilius cuius sententiam sequitur Auctor. 514.c 515.a
Animalia quomodo ducta sint ad Adamum. 523.c
Animalia quattuor ob causas ducta esse ad Adamum. 524.c
Animalia quæ generantur ex putri materia, non fuisse adducta ad Adamum secundum Tostatum. ibid.
Animalium distinctio triplex secundum Aristotelem. 154.b
Animalium quattuor genera, quibus homo in statu innocentiæ præesse debebat, quidnam tropologice significent secundum Auctorem. 349.b.c
Animantes terrestres, tria in genera distinxit Moses. 154.a.b
Animantes cur in suo quamque loco creauerit Deus. 399.b.c
Animantium tria genera tribus posterioribus diebus creata, tria iustorum genera quæ sunt in Ecclesia Dei repræsentabant. 163.b.c

Anni.

Anni varietas secundum longitudinem apud varias gentes. 771.c
Anni vitæ primorum hominum ante diluuium pares ne fuerint nostris. 772.a
Anni qui fluxerunt ab Adamo vsque ad diluuium, quot fuerint. 778.c
Annus Iobilæi, ab Autumno sumebat initium. 133.a
Annus magnus quis fuerit apud veteres. 774.a

Annibal.

Annibal Carthaginensium dux, ob sui sagacitatem ingenij cladem Romanorum ad Cannas prædixit. 286.a

Anselmus.

Anselmi opinio aientis, si Adam non peccasset, posteros eius confirmatum iri in gratia, discutitur. 560.a
Antidota contra mortem hominis in statu innocentiæ à Deo comparata tria. 319.c.320.a.b.c
Antiquitas syderalium obseruationum, quam se iactant habere Astrologi ab Auctore redarguitur. 247.a.b

Aqua.

AQua cum dicitur in mundi opificio, vera aqua intelligenda est secundum B.Basilium. 23.c.24.a

Aqua plenum fuisse totum illud spatium, quod inter cœlum Empyreum & terram continetur, tradit Beda, quam sententiam Auctor interpretatur. 618.b

ex Aqua & terra vnum conflari globum, tradunt Physici & Mathematici. 116.a

Aqua quæ prius totam terram operiebat, quomodo Dei præcepto, vnum in locum congregata sit iuxta Auctoris sententiam. 119.a

Aquæ quas Moyses dixit esse supra Firmamentum locatas, quænam sint tractatur. 89.c

Aquæ quæ super cœlos esse dicuntur, vbi nam sint tractatur ab Auctore. 97.c

Aquæ quonam modo cum sint natura labiles & fluxæ, super cœlos consistere queant, secundum Basilium & Bedam. 100.b

Aquæ locum naturalem esse infra aërem proximum terræ, docet ratio confirmatque experientia. ibid.c.101.c

Aquæ quonam modo faciem terræ operuerint in Mundi exordio. 111.b

Aquam illam, quæ in Mundi exordio terram operiebat, fuisse maiorem quam tempore Noëtici cataclysmi, sentit Caietanus. 61.a

Aquam in Mundi principio fuisse decuplo maiorem terra, asserit Caietanus. 61.b

Aquam pertinere ad generationem mundi, sententia Stoicorum fuit, quæ à Seneca refertur. 68.b

Aquam euehi, & supra cœlos esse posse, sensit Augustinus, quæ opinio minime probatur Auctori. 101 *per totam pag.*

Aquam ob eius proprietates, scilicet densitatem & grauitatem, non posse eleuari ad supremam aëris regionem, nec ad locum ignis. 101.a

Aquam salsam & noxiam futuræ terræ dumtaxat in creatione Mundi coadunatam fuisse scribit Philo. 111.b

Aquam in maximam sublimitatem elatam fuisse cum Deus dixit, Congregentur aquæ, &c. docent Basilius Ambrosius, B.Thomas, Dionysius Carthusianus, & Catharinus. 113.c

Aquam non esse altiorem terra, tenet Caietanus consentiens cum Philosophis & Astrologis; quæ opinio probatur ab Auctore. 115.116

Aquarum altitudo in Mũdi exordio quanta fuerit. 61.a

Aquarum diuisio secundo die facta, diuisionem amoris quæ fit in peccatore cum iustificatur, significabat. 161.a.b

Aquarum segregatio tertio die facta, quid in hominis iustificatione significet explicatur. 161.b.c

Aquas supercœlestes in mundi exordio creatas, fuisse bonos Angelos, sublunares vero malos, intellexit Origenes, quẽ Sanctus Basilius & Auctor refellunt. 23.c.& 98.a

Aquas supra cœlos locatas, esse illas quas Moses dixit apertis cataractis ad efficiendum diluuium fuisse delapsas tradit Epiphanius. 98.a.& 107.c

Aquas veras esse supra cœlum sydereum senserunt multi veteres Scriptores. 98.99

Aquas veras esse supra sydereum cœlum vtrum sit sententia Ecclesiæ. 99.b.c. & 100.a

Aquas veras non esse supra cœlos sentit auctor, qui & validis argumentis opiniones contrarias sentiẽtium diluit. 101. *per totum.*

Aquas quonam modo esse supra cœlos intellexit D.Augustinus. 103.a.b

per Aquas quæ super cœlos sunt, intelligi debere nonum cœlum crystallinum nuncupatum, sententia multorum Theologorum fuit, quæ ab auctore refellitur. 103.

103.c.104.a.b
Aquas quæ supra firmamentum sunt esse illas quæ in media aëris regione perenniter generantur, sententia est Auctoris. 105.& 106.
Aquas præcepto Dei dicentis, Congregentur aquæ, &c. *accepisse vim & propẽsionem ad ima loca defluendi, sentiunt Basilius & Ambrosius, quorum sententiã auctor interpretatur.* 120.b.c
Aquas omnes, Dei præcepto, congregari in locum vnum, qui aliquot Sacri Doctores intelligant & quonam modo hoc factum sit, proditur. 110.& 111.*per totum.*
Aquas quæ erant per omnes profunditates terræ, illo Dei præcepto Congregentur, &c. *simul in vnum coadunatas fuisse tradit S. Basilius.* 110.b.c
Aquas omnes ex Oceano trahere originem veterum Philosophorum ac Poëtarum opinio. 292.a
Aquas omnes terræ ex abysso traxisse originem suam, & dulcedinem omnem in terrestri Paradiso accepisse scribit Rupertus. 333.a
Aquilam Ponticum sacræ Scripturæ Interpretem ex Ecclesia pulsum à Patribus, ob natiuitatum obseruationes scribit Epiphanius. 244.c

Arbores.

Arbores vnà cum fructibus maturis, non in omnibus terræ partibus productas fuisse, sed in ea parte tantùm in qua erat Paradisus terrestris. 136.a.b
Arbores non solum fructiferas, verumetiã non pertinentes ad cibum fuisse in terrestri Paradiso. 309.c
Arbores in exordio Mundi creatas fuisse cum fructibus iam maturis deprehenditur ex illis verbis, Ecce dedi vobis omnem herbam, &c. 506.c
Arbores cibo hominis minime conuenientes, fuisse etiam in terrestri Paradiso, nonnullis argumentis probatur. 508.a
Arbores & plantas omnes esse datas in cibum hominis, quomodo sit intelligendũ. 508.*per totam.*
Arborum tria genera fuisse in terrestri Paradiso, commemorat S. Bonauentura. 322.b

Arbor vitæ,

Arbor vitæ, cur Hebraicè dicta sit Arbor vitarum quinque rationes assignantur ab auctore. 312.*per totam.*
Arbor vitæ an fuerit corporea & terrestris an quippiam intelligibile & spirituale. 313.a.b
Arbor vitæ an fuerit similis alicui nostrarum arborum tractatur. 315.*per totam*
Arbor vitæ cur ita appellata sit. 316.c. 317.a
Arborem vitæ positam fuisse in medio Paradisi, quomodo sit intelligendum. 313.a
Arborem vitæ quomodo allegoricè varij auctores sint interpretati. *ibid.c*
Arborem vitæ fuisse veram & terrestrem arborem probat auctor. 314.a.b
Arborem vitæ fuisse vnam tantùm scribit Tostatus, quæ opinio placet auctori. 316 *per totam.*
Arborem vitæ ita appellatã fuisse eo quòd fructus illius habebat vim seruandi homines à morte omni tempore, tradit Tostatus, & qui Auctores in hac sententia fuerint cõmemoratur. 317.& 318. *per totas.*
Arborem vitæ non habuisse vim conseruandi vitam hominis infinito tempore scribit Scotus, cuius sententiam probabiliorem censet auctor. 318.b.c
Arboris vitæ, vim illam quam habebat seruandi hominem à morte fuisse ei supernaturalem, tradunt S. Augustinus Bonauentura & Beda. 321.b.c. & 322. *per totam.*
Arboris vitæ vim illam quam habebat seruandi hominem à morte fuisse ei naturalem tradunt Strabus Hugo de Sancto

Sancto Victore & D. Thoma: quam sententiam sequitur Auctor eamque argumentis confirmat. 322.& 323
Arboris vitæ virtutem dandi immortalitatem, ignotam fuisse diabolo & Adamo, Rupertus opinatur. 700.c

Arbor scientiæ boni & mali.

Arbor scientiæ boni & mali cur ita appellata sit secundum Hebræos, quorum commentum refellit Auctor. 327.c. 328.a
Arborem scientiæ boni & mali fuisse corporalem & vnam tantùm numero. fol. 326.a
Arborem scientiæ boni & mali fuisse vitem aut frumentum senserunt nonnulli, quæ sententia non placet Auctori. 326.c
Arborem scientiæ boni & mali fuisse Ficum scribit Moses Barcephas & Philoxenus, ac Theodoretus. ibid. quam opinionem refellit Tostatus. 327.a
Arborem scientiæ boni & mali fuisse Malum, quorumdam opinio fuit, quod Auctori non probatur. 327.b.c
Arborem scientiæ boni & mali in qua specie arborum fuerit nesciri. 327.b
Arborem scientiæ boni & mali ita appellatam fuisse eo quod vim haberet augendi acumen ingenij hominis illius fructum comedentis scribit Iosephus quã sententiã refellit Nicolaus de Lyra & Auctor, diuersa tamen ratione. 328.c. 329.per totam paginam.
Arborem scientiæ boni & mali ab euentu sic fuisse appellatam, fere cõmunis Theologorum opinio. 329.330
Arborem scientiæ boni & mali ita fuisse appellatam ob mendacia verba serpentis scribunt Rupertus & Tostatus, quę sententia probatur Auctori. 330.c
Argumentatio contra Astrologos, ex veritate fides nostræ sumpta. 242.b.c
Argumentatio multiplex & mirabilis ex Philosophia sumpta contra Astrologiam iudiciariam. 24.b per totam 247.a.b
Argumentatio Aristotelis, Quicquid cibo indiget non posse esse immortale, soluitur ab Auctore. 325.a

Aristoteles.

Aristoteles, an Mundus sit æternus cur fecerit problema dialecticum. 28.c
Aristoteles, & vna gens Chaldæorum tantùm, Mundum fuisse æternum existimarunt. ibid.
Aristoteles bene describit incommoda mulierum, dum gestant vterum. 679.c.d
Aristoteles de causa ædificandi ciuitates, & quo ordine, & per quos gradus ad earum ædificationem ventum sit. 775.c
Aristotelis sententia, Quod in omnibus aut in plurimis inest, id est secundum naturam, &c. confirmat mundum habuisse principium. 29.per totam.
Aristotelis sententia, Quod videtur omnibus aut plurimis, aut sapientibus, id probabile censendum, facit pro Mundi initio. ibid.
Aristotelis sententia, Quod omnes aut plures sentiunt aut dicunt, id falsum non esse putandum, probat Mundum à principio esse creatum. ibid.
Aristotelis & Eudoxi mendacium, de antiquitate Zoroastris Magicæ artis inuentoris quod refert Plinius, & refellitur Iustini, & Diodori, aliorumq; auctoritate. 14.b
Aristotelis pulchra similitudo de humanis affectibus. 400.a.b

Ars.

Artes liberales omnes futuras fuisse in vsu in statu innocentiæ sensit Auctor. 509.c

Astra.

Astra non fuisse creata ante quartum diem, vt Catharinus & Eugubinus

asserebant, probant verba illa Mosis Fiant luminaria, &c. 137.a
Astra quarto die fuisse à Deo condita tradunt omnes Patres & Ecclesia catholica. 137.b.c
Astra quonam modo facta sint in quarto die, ab Auctore explicatur. 137.c. 138.a
Astra non esse ab hominibus colenda egregia sententia B. Leonis. 139.b.c
Astra cũ sint dignitate præstantiora plantis, cur post eas à Deo cõdita sint. 138.c 139.a
Astra cur ante animalia creata sint, rationem dat Theodoretus. 140.a
Astra cur quarto die à Deo sint condita, ex Philone assignatur ratio. 140.b
Astra quarto die in cælo condita, dona Dei quæ homini iustificato tribuuntur, præsignabant. 162.c
Astra qualia futura sint post Mundi consummationem, secundum Auctorem. 210.a.b
Astra esse animata quinam ex Philosophis senserе. 221.c
Astra non solum animata, sed & virtutis capacia, ac etiam pro illis mortuum esse Christũ existimauit Origenes, quã opinionem inter eiusdem Origenis errores S. Hieronymus enumerat. 222.b.c
Astra an sint animata, quid S. Augustinus de hoc senserit proditur. 223.a
Astra esse animata tradunt Aureolus, Scotus, & S. Thomas secundum Aristotelis intellectum. 223.b
Astra non esse animata censuerunt Basilius, Ambrosius, Cyrillus, Damascenus, Lactantius, & S. Hieronymus, quibus cum consentit Auctor, & hanc veriorem esse sententiam affirmat. 224. per totam
Astra dicere animata opinionem esse erroneam ac falsam, affirmat Sanctus Bonauentura. 25.a
Astra non esse animata probat Auctor, ex eo quod Deus prohibuerit ea coli, ac aliis quamplurimis validis argumentis. 225. & 226. per totas paginas.
Astra non esse animata videtur Auctori sensisse Aristoteles. 227.b.c
Astra an sint actu & formaliter calida, an tãtum virtualiter & effectiuè. 233.a.b
Astra esse vere ignea videtur insinuare Scriptura. 233.c
Astra esse verè ignea censuerunt Augustinus Basilius & Ambrosius. 233.b
Astra esse verè ignea quorum fuerit Philosophorum opinio. 234.a.b
Astra non esse vere calida nec igneæ naturæ, nõnullis argumẽtis probatur. 234.b.c 235.a.b
Astra non esse vere ignea sentẽtia est Auctoris. 234.b.c
Astra nõ pasci terræ & aquæ vaporibus, vt Stoici & Plinius dixere, asserit Auctor. 235.a.b
Astra habere omnes elementorũ qualitates tradunt Astrologi, quod falsum esse probat Auctor. 265. & 266. per totam.
Astra esse tantum signa rerum futurarum sensit Origenes cum aliis auctoribus. 271.a.b.c
Astra esse signa futurarum rerum probare nititur Iulius Sirenus auctoritate Origenis, Plotini, & S. Augustini: quam opinionem, loco S. Augustini explanato, confutat Auctor. 271.b.c. 272.a.b
Astra non esse certa signa rerum futurarum permultis argumentis probatur. 272.c. 273. per totam & 274.a.b
Astris quarto die datus est motus proprius, ac potentia & vis mirabiles producendi effectus. 137.c
Astrorum forma quarto die illis data, est lux. ibidem
Astrorum lucem esse inter se inæqualem collegit D. Augustinus. 142.a
Astrorum obseruationem circa natiuitates hominum tripliciter, ex Caietani sententia, peccato subiici. 243.a
Astrum Saturni frigidissimum esse docent

cent Astrologi. 104.c
Astrum Saturni eo quod sit secundum omnes suas partes vnius formæ & naturæ, non posse habere duas qualitates, vt illi tribuunt Astrologi, probatur ab Auctore. 267.a.b.c
Vide etiam in dictione Stella.

Astrologi.

Astrologi & Philosophi ea, quæ de terra tradunt, multis ante seculis in sacra Scriptura reperiebantur. fol.55.c
Astrologi exteriores actiones hominis nesciunt, eo quod à deliberatione voluntatis pendeant. 256.c
Astrologi etiamsi vera interdum prædicunt, non esse tamen illis credendum, egregie declarat Phauorinus Philosophus. 259.a.b
Astrologi quoties Roma expulsi sint, & sub quibus Principibus enumerat Auctor. 264.c
Astrologi cui generi hominum arrideant. 264.c.265.a
Astrologi cur interdum vera prædicunt. 262.c
Astrologis non esse credendum tradunt Auicenna & Galenus. 263.d
Astrologorum errores ac falsæ sententiæ commemorantur. 245.a
Astrologorum ignorantia, argumento sumpto ex noua stella superioribus annis visa, ostenditur. 248.d.249.a
Astrologorum prædictiones etiamsi veræ essent, fore tamen odiosas, & plus mali quam boni importaturas humano generi, Senecæ testimonio demonstratur. 257.d.258.a.b
Astrologorũ prædictionũ vanitas, à Phauorino Philosopho describitur. 258.a.b
Astrologorum prædicentium aliquem futurum summum Pontificem vanitas, nonnullis rationibus probatur. ibid.b.c
Astrologorum falsitatem, ex probatis à seipso experimentis, tradit M. Tullius. fol.259.c
Astrologorum vanitas lepidè à Seneca irrisa. ibid.
Astrologorum prædictionem, quam refert Petrus de Aliaco, de diuturnis dissensionibus post Concilium Constantiense futuris in Ecclesia Dei, falsum fuisse probauit euentus. 260.b.c
Astrologorum sententiam dicentium semper in Iouis & Saturni coniunctione aliquid memorabile Mundo accidisse, falsum esse, & falsis Chronologiis nixam perspicuè probatur. 261.per totam.
Astrologorum prædictiones telæ araneæ à S. Ambrosio comparatæ. 265.a
Astrologorum iufluentiæ asylum ignorantiæ appellatæ. 266.a
Astrologorum impudentiam dicentium etiam vrbium euentus prædici posse, exemplo cuiusdam Tarucij Mathematici, redarguit Cicero. 269.b
Astrologorum mendacium de antiquitate astrologiæ apud Chaldæos & Ægyptios confutat Picus Mirandulanus & S. Augustinus. 270.a.b
Astrologos non posse prædicere futura ob cœlestium rerum ignorationem. 245.c. 246.per totam paginam.& 247.a
Astrologos non posse ex experientia scire futura in natiuitatibus hominum probat Phauorinus Philosophus. 247.c
Astrologos etiamsi singulares vires & defluxus cuiuslibet astri cognoscere possent, non posse tamen cum simul coeunt & permiscentur vim illorum cognoscere, Origenis auctoritate probatur. 248. per totam paginam.
Astrologos minimæ astrorum partis notitiam habere, ac ob id non posse ab illis prædici futura, Senecæ testimonio probatur. 248.b.c
Astrologos nescire quemadmodum duo Zodiaci se habuerint in Mundi exor-

dio. 249.b
Astrologos non posse sine errore notare & cognoscere astrorum positum quo quisque nascitur, nonnullis argumentis probatur. 249.b.c
Astrologos non posse notare & cognoscere stellarum aspectum cum homo nascitur, egregia disputatione probat S. Basilius. 250.per totam.
Astrologos etiamsi rerum cœlestium cognitionem tenerent, non posse tamen futura diuinare, octo rationibus probatur. 251.vsque ad 270
Astrologos nescire futura ob dissimilitudinem Geminorum ac disparem illorum euentũ, probatur aliquot exẽplis. 252.a.b
Astrologos nescire hominum natiuitates ob velocitatem motus cœlestium orbiũ, auctoritate Phauorini Philosophi & S. Augustini probatur. 253.a.b
Astrologos nescire futura circa hominum actiones probatur ex Ptolemæi & Porphyrij sententiis. 264.a.b
Astrologos aliquando prædicere verum ex instinctu dæmonum sentit Sanctus Augustinus. 276.d
Astrologos etiam dicentes vera, à bono Christiano cauendos esse docet Sanctus Augustinus. 277.c.d
Astrologos qui consulunt quot modis & quam graniter peccent. 278.per totam.
Astrologos dæmonem habere familiarem, quænam sint indicia. 278.c
Astrologos aliquando prædicere verum ex diuino instinctu, & Cur Deus hoc permittat indicat S. Augustinus. 278.d. 279.per totam paginam.
Astrologos interdum prædicere verum ob illorum ingenij sagacitatem. 180.a
Astrologos aliquãdo dicere verum ob stultam consulentiũ credulitatem. 280.a.b

Astrologia.

Astrologia iudiciaria in primitiua Ecclesia tanquam ars magica vetita & damnata. 244.a
Astrologia iudiciaria circa planetarum obseruationes fere versatur. 248.d
Astrologiæ vanitas, eo quod versatur circa ea quæ nunquam aut raro eueniunt, ab Auctore demonstratur. 259.a
Astrologiam iudiciariã non tantũ contrariã esse fidei nostræ, sed etiã moralem Philosophiam planè peruertere. 242.c.d
Astrologicam diuinationem esse in Sacris litteris derisam & reprobatam, variis Scripturæ locis probatur. 239.a.b
Astrologica diuinatio, argumentis ex sacra Theologia ductis, confutatur. 240.c
Astrologicam diuinationem penitus euertere immortalitatem animæ ac liberum hominis arbitrium, ac ob id falsam esse, perspicuis argumentis ab Auctore probatur. 256.a.b
Astromantiam omni tempore à viris sapientibus fuisse cõtemptam & derisam. 262.d.263.a
Astromantiam aliquot suis sententiis derisit Aristoteles. 263.b.c.d
Astromantiæ fundamenta tria, ab Auctore conuelluntur. 265.c.vsque ad 270
Auaritiæ vocabulum quomodo accipiatur in Sacra Scriptura. 652.a

Auctor.

Auctor quindecim libros de Philosophia edidit. 30.b.806.c
Auctor vindicat Caietanum à nonnullis calumniis Catharini. 42.b.c
Auctor qua de causa ad scribendum librum de Cœlis & astris sit permotus. 201.a
Auctor interpretatur opinionẽ illã Astrologorum, Stellas non esse innumerabiles. 229.d.230.a
Auctor qua de causa cõtra iudiciarios Astrologos disputationẽ susceperit. 238.a
Auctor quibus rationibus cẽseat vim Arboris vitæ fuisse naturalẽ. 323.d.324.a
Auctor asserit terram Euilath non fuisse procul à Palæstina & Assyria. 337.c.d

Auctor cur in disputatione de situ Paradisi, & de fluminibus eius communem multorum Doctorum sententiam non sit secutus. 283

Auctores Sacrorum librorũ, partim reuelatione diuina, partim historica diligentia libros suos conscripsisse tradit Sanctus Augustinus. 15.b.c

Auctores Sacrarum literarum, cur de Cœlis & astris apertè & enucleate non scripserint, assignantur ex D. Augustino rationes. 200.per totam

Auctoris vtilissimum documentum circa nouarum opinionum approbationem & defensionem. 809.c

Auctoris dilemma ad Fati vanitatem confutandam. 257.d

Auctoris intentio in scribendo libro de Paradiso. 280.281

Auctoris opinio quonam in loco fuerit terrestris Paradisus. 303.b.244.c.d.& 245.a.b

Aues.

Aves & pisces an ex eodem aquæ elemento sint cõdita tractatur. 149.a

Aues fuisse productas ex aqua tenuiori, scilicet ex nebulosa, sensit Rupertus, Abbas, D. August. & S. Thomas. 249.a.b

Aues similiter vt pisces habuisse originem ex elementari aqua tradit Eugubinus, Diuus Hieronymus, & S. Ambrosius. 149.b.c

Aues ex terra esse productas, probãt Caietanus, Catharinus, & Vielmius. 150.a.b

Aues ex eo quod iussit Deus eas multiplicari non in aquis sed super terram, conijcitur ex humo esse conditas. ibid.

Aues in Scriptura nõ appellari aues aquæ, sed aëris. ibid.

Aues quæ humanas voces imitantur, an sint cæteris terrestribus animantibus nobiliores. 152.a.b

Aues fuisse ex aquis similiter vt pisces productas communis Patrum sententia est, quam sequitur & defendit Auctor. 152.c

S. Augustinus.

Augustini opinio quod omnia creata fuerint in vno instanti discutitur & refellitur. 184.c.& 185.a.b

Augustini de bono obedientiæ & malo inobedientiæ notabilis sententia. 445.b.c

Augustini egregia sententia de duabus ciuitatibus: altera Dei, & altera diaboli. 713.d.& 714.a

Augustinus tradit instinctu dæmonũ Astrologos interdum vera prædicere, & quonam modo id fiat. 277.a.b

Augustinus docet nonnunquam ex occulta diuinæ prouidentiæ dispositione Astrologos vera prædicere. 279.a.b.c

Augustinus refert tres opiniones de terrestri Paradiso, ex quibus tertiam approbat. 290.b

Augustinus primum docet Paradisum terrestrem fuisse corporalem, deinde eum spiritualiter interpretatur. 314.c.d

Augustinus docet, duobus Sacrarum litterarum exemplis, vim arboris vitæ fuisse supernaturalem. 321.c.d

Augustinus quid senserit de opinione Tertulliani circa animarum generationem. 426.b.c

Augustinus assignat rationem cur Deus non sit comminatus Adamo pœnas inferni. 461.a

Augustinus commemorat & confutat opinionem quorundam interpretantium illa verba Crescite & multiplicamini, *spiritualiter tantùm.* 503.c.& 504.a

Augustinus mira prædicat de felicitate status innocentiæ: 519.a

Augustinus censet Adamum fuisse creatum à Deo cum gratia. 547.b

Augustinus probat primum peccatum primorum hominum fuisse superbiam. fol.635 b

Augustinus declarat quemadmodum in statu innocentiæ mulier sine dolore parere

rere potuisset. 671.a.b
Augustinus reddit rationem, cur primi homines in Paradiso non sint commisti. 717.c.d
Augustinus probat Adamum esse saluum. 776.c
Augustinus disputat vnde supputatio annorum apud LXX. interpretes depraua ta sit. 783.b.c
Augustinus concludit standum esse potius Scripturæ Hebraicæ, quàm translationi LXX. interpretum, vbicunque inter se concordari non possunt. 785.c
Augustinus definit quid sit apocrypha scriptura. 795.a
Augustini Eugubini de cœlo Empyreo absurda opinio proditur, ac refellitur. 46.b. c.47.a.b

B.

BAlænarum magnitudo quanta sit, plurimorũ Auctorum testimoniis proditur. 147.b
Balænas & Cetos non esse factos propter hominem, nec subiectos esse illius imperio putauit Theodoretus, sed refellitur. 391.b.c.d
Balænas & Cetos subiectos esse imperio hominis probat S. Basilius. 392.a
Basiliſci vis pestilens describitur secundum Plinium & Solinum. 615.d
Basiliscum non fuisse illum serpentem qui tentauit Euam, sicut putauit Eugubinus. 616.b

S. Basilius.

BAsilij ac Theodoreti & Bedæ opinio de tenebris quæ in exordio mundi fuere excutitur, ac ab Auctore minimè probatur. 61.b
Basilij mirabilis descriptio Paradisi. 292.b
Basilius scribit Paradisum terrestrem fuisse consitum à Deo post creationem hominis. 283.a
Basilius, Chrysostomus, Gregorius Magnus, & S. Augustinus, quibus in locis contra iudiciarios Astrologos disputauerint. 239.d
Basilius tradit nullum verbum supernacaneum in Scriptura reperiri. 387.c
Basilius cẽset nomen similitudinis pertinere ad virtutes & morum sanctimoniam ob idq; fuisse à Mose secundo loco in sua narratione prætermissam. 370.per to.p.
Basilius egregiè confutat Hebræos alios q; Hæreticos negantes in illis verbis Faciamus hominem, &c. non significari mysterium sanctissimæ Trinitatis. 376.b
Basilius tradit omnes animantes in statu innocentiæ & ante diluuium vixisse tantùm herbis. 514.b.c.515.a
Basilius significat, ante peccatum affuisse animalibus facultatem loquendi & intelligendi inter se. 603.d
Basilius pulchrè declarat, cur primis hominibus in Paradiso non fuerit opus vestibus. 657.a
Basilius docet vnde sit diabolo contra nos bellum. 675.c
Bdellij & Onychinis lapidis descriptio secundum Plinium. 338.c
Bdellium & Onychinus quid fuerit secundum Eugubinum & Hieronymum Oleastrum. 339.a

Beda.

BEda scribit lignum vitæ sic fuisse dictum eo quod stabili sanitate corpus hominis firmabat. 322.b
Beda tradit animalia omnia etiam carniuora ante diluuium vixisse tantum herbis. 512.c
Beda tradit Cœlum empyreum statim in suo exordio impletum fuisse agminibus Angelorum. 49.c
Bedæ admonitio, in historia Mosis non ita sensibus allegoricis attendendum, vt apertæ historiæ fidẽ relinquamus. 24.a

Bedæ sententia de interitu elementorum, in consummatione sæculi, quomodo sit intelligenda secundum B. Bonauenturam & S. Thomam. 205.d

Behemoth significare diabolū, quorumdam fuit opinio. 290.a

Behemoth iuxta literalem sensum nobis esse significatum Elephantem sentit Eugubinus & Titelmanus. 190.a.b

Benedictio.

Benedictio Dei in Scriptura quid significet. 500.b

S. Bernardus.

Beati Bernardi præclara sententia de libertate humanæ voluntatis. 725.c

Bernardi sententia de inutili metu improborum. 742.c

Bernardi sententia insignis de peccato superbiæ. 646.b.c

Boëtij sententia de mundi temperamento elegantissimis versibus descripta, proditur. 167.b.c

S. Bonauentura.

Bonauentura docet tria arborum genera fuisse in terrestri Paradiso. 322.b

Bonauentura censuit vim & effectum arboris vitæ fuisse supernaturalem & quomodo. 322.c.d

Bonauentura tradit non fuisse conueniens formari corpus humanum ex cœlesti materia. 407.c

Bonauentura significans quæ nunc sunt peccata venialia, in statu innocentiæ fore mortalia, refellitur. 554.d

Bonauentura putat iustitiam originalem & gratiam gratum facientem res fuisse diuersas, atque inuicem separabiles. 566.a

Bonauentura collocauit iustitiam originalem in voluntate hominis tanquam in subiecto. 577.c

Bona mundi septem scilicet Varietas Ordo & illarum dispositio. Earum plenitudo. Miranda omnium inter se partium connexio. Sympathia & Antipathia quæ inter res aliquas reperitur. Pulchritudo illarum ac inter se proportio. Suauis earum prouidentia & administratio, explicatur. 165. b. c. & 166. per totam.

Bonitatem in rebus à Deo conditis duplici modo considerat Auctor. 164.b

Bonitas & rectitudo ad bene operandum necessariæ. 160.c

Bonitas substantialis in rebus creatis quæ. 164.b

Bonitas accidentalis in rebus creatis triplex, & quænam illa sit explicatur. 165.b.c

C.

Cœlum & cœleste.

Cœlestes orbes moueri ab Angelis sententia Platonicorum, Peripateticorum, & Stoicorum omnium fuit. 216.c.217.a

Cœlestes animalium figuras esse ab Astrologis imaginatione inuentas, ac ob id nullam vim in rebus humanis habere. 267.b

Cœlestes influentias magis vim habere in hominum conceptu, quàm in illorum natiuitate scribunt Ptolemæus & Haly nobiles Astrologi. 268.c.d.269.a

Cœlestes influentias non sufficere ad rerum generationes, sed opus esse etiam particularibus causis ac ob id Astrologos non posse scire futura argumentatur auctor. 251.b.c.d

Cœlestia corpora esse quintam quandā naturam, tradidit solus Aristoteles. 234.a

Cœli nomine in historia Mosis, quid intelligendum sit. 53.b.c

Cœli & terræ creatio fuit prior ordine temporis, creatione lucis, quodq; tempus quam breuissimum fuit secundum Hugonem. 84.c

Cœli nomen in lingua Hebræa caret singulari. 97.b

Cœli partes euasuras in astra, fuisse à Deo densatas tradit Hieronymus Vielmius, sed refellitur. 138.a

Cœli quonam modo sint in die Iudicij commutandi. 203.a

Cœli quonam modo in fine mundi sint interituri. 203.d

Cœli quales nam futuri sint post mundi renouationem. 209.d

Cœli noui & terra noua quæ post diem iudicij substituentur eadem materia vt nunc erunt. 212.a

Cœli nomen variè in sacris litteris & apud sanctos Patres sumi, & quomodo docuit S. Thomas. 215.d

Cœli an moueantur à seipsis, an ab Angelis tractatur. 216.c.d

Cœlorum figuram esse rotundam docent Aristoteles ac Mathematici omnes rationesq; assignantur. 212.b.c

Cœlorum figuram non esse rotundam, quinam ex Ecclesiasticis scriptioribus senserc. ibid.c.d

Cœlorum numerũ nobis esse incompertum tradidit Philastrius. 215.c.d

Cœlorum numerum certum nusquam in Sacris litteris esse proditum. 216.a.b

Cœlorum motus cessaturos post diem iudicij, colligit Auctor ex multis Scripturæ locis. 218.d

Cœlorum motus non omnes complendos esse ante mundi consummationem, vt quidam tradidere probatur. 221.a.b.c

Cœlorum influentias ab Astrologis inuentas, nullas esse. 265.d

Cœlorum influentiæ si admittantur, quantum Philosophia debilitetur ostenditur. 266.a

Cœlorum influentias etiamsi vim haberent, habere tamen magis in conceptu hominum quàm in illorum ortu, obidque ab Astrologis obseruari non posse, probatur. 268.a

Cœlos esse aliquando interituros quinam ex sanctis Patribus senserc. 201.d

Cœlos aëreos dumtaxat & elementa esse ob igne purificanda, scribit S. Augustinus, quàm opinionem ferè omnes Theologi Scholastici secuti sunt. 203.b.c

Cœlos interituros esse tantum accidentaliter, & non substantialiter, tradit S. Gregorius, suamq; sententiam sacræ Scripturæ testimoniis confirmat. 204.c.d

Cœlos esse octo, septem planetarum, & octauum inerrantium syderum sensere Prisci Mathematici vsque ad Ptolemæi tempora. 214.b.c

Cœlos esse nouem tradidere Ptolemæus & Mathematici posteriores. ibid.

Cœlos esse decem mobiles & vndecimum Empyreum, recentiorum Mathematicorum communis opinio. ibid.

Cœlos duos tantum esse tradunt Iustinus Martyr & Theodoretus. 215.a.b

Cœlos tres vt minimum poni debere, dixit S. Basilius. 215.b.c

Cœlos moueri ab Angelis, communis fere est omnium Patrum & Theologorum opinio. 217.a.b.c

Cœlos & astra esse intelligentias, iuxta Philosophorum opinionem asserit Caietanus quod minimè Auctori probatur. 223.b.c.d

Cœlum & terra in exordio mundi creata, quænam sint secundum Chrysostomum. 44.b.c

Cœlum & terra in molitione mundi condita, quænam sint secundum Augustinum. 45. per totam pag.

Cœlum empyreum quodnam sit secundum recentiores Theologos. 47.c.48.a

Cœlum empyreum significatur in Scriptura cum dicitur Cœlum cœli, vel cœli cœlorum. 48.a

Cœlum empyreum esse illud ad quod Paulus se raptum esse dixit, tradit Damascenus. ibid.
Cœlum empyreum quibus nominibus in diuinis litteris appelletur. ibid.
Cœlum empyreum non esse quippiam æternum, vt somniauit Eugubinus, probatur. 47.a b
Cœlum empyreum creari à Deo ob futurã iustorum beatitudinem, conueniens fuit. 48.c
Cœlum empyreum in principio creari debuisset cum sit corpus incorruptibile, ostenditur. 49.a
Cœlum empyreum secundum Bedam, statim in suo exordio Angelorum agminibus impletum fuit. 49.c
Cœlum empyreum quale nam sit secundum Bedam. ibid.
Cœlum empyreum id ipsum est secundum Bedam, quod Moses dixit creasse Deum in principio. ibid.
Cœlum à principio factum, diuersum esse à firmamento sentit D. Basilius. ibid.
Cœlum quod dixit Moses in principio esse conditum, quale nam sit secundum Basilium, Theodoretum, Diodorum, Tharsen, Damascenum, ac Mirandulanum. 50.a
Cælum, eò quod sit corpus opacum & continuum fuisse causam tenebrarum in mundi exordio, affirmant Basilius, ac Theodoretus, & Beda. 62.a
Cœlum & terram intra vnum è sex illis primis diebus condita fuisse, & non ante illos, tradit S. Augustinus. 83.c
Cœlum, terram, & aquam ante sex dierum, exordium creata fuisse, dixerunt Basilius, Beda, ac S. Hieronymus. 84.a
Cœlum per lumẽ facere tam calorem quàm frigus, sententia Peripateticorum est. 103.a.b
Cœlum non agere in res sublunares nisi per motum & lumen tradunt Peripatetici. 105.b
Cœlum cum sit incorruptibile, nullo modo variari potest. 138.a
Cœlum secundum substantiam per se & intrinsece non esse corruptibile. 208.d. & 209.a.b
Cœlum habere similitudinem cameræ quomodo sit intelligendum declarat S. Augustinus. 213.c.d
Cœlum vnum tantùm esse secundum sacram Scripturã sensit S. Chrysostomus. 214.d quam sententiam B. Thomas interpretatur. 215.a
Cœlum aërium sydereum, ac inuisibile & diuinum inueniri tradit Damascenus. 216.a
Cœlum non posse moueri à seipso, assignantur rationes ab Auctore. 217.a.b
Cœlum moueri casu, sensit Democritus & Epicurus. 217.c
Cœlum moueri sua naturali vi & impetu dixit Strato Lampsacenus. ibid.
Cœlum naturaliter omni grauitate & leuitate caret. 220.b.c
Cœlum non habere ex se & intrinsece vllam naturalem propensionem ad motum circularem. 220.a.b
Cœlum quonam modo se habeat erga circularem motum. 220.c
Cœlum vtrum sit animatum secundum sacram Scripturam & Philosophiam fusè disputatur. 222. per totam.
Cœlũ habere præter sensus interiores, etiam tres exteriores dixit Simplicius. 222.a
Cæsar Baronius scriptor annalium Ecclesiasticorum commendatur. 785.c

Caietanus.

Caietani sententia de sacra Scriptura interpretanda, minium audax & correctione digna. 27.c
Caietani memorabilis sententia aduersus prædictiones Astrologorum. 243.a
Caietani absurda interpretatio in illis verbis Adami. Hoc nunc os ex ossibus meis, &c. 488.c

Caietanus à nonnullis calumniis Catharini defenditur. 42.a.b

Caietanus sensit per Spiritum Domini ferebatur super aquas, significari Angelos mouentes cœlos, sed refellitur. 63. *per totam pag.*

Caietanus negans Adamum habuisse scientiam cœlorum & elementorum refellitur. 531.a

Caietanus dicens narrationem Mosis deformatione Euæ ex costa Adami non esse accipiendam secundum historicum sensum, sed secundum parabolicum confutatur. 345. & 348. *per totam.*

Caietanus censuit iustiam originalem rem fuisse diuersam à gratia, non tamen ab ea separabilem. 579

Caietanus putauit narrationem Mosis de serpente, non historicam, sed parabolicam esse, sed refellitur. 606.b

Caietanus censet peccatum Euæ fuisse admodum leue. 652.b

Caietanus dicens, Enos primum omnium inuocasse Deum sub nomine Iehouah refellitur. 766.c

Caietanus negans animalia fuisse vere ad Adamum adducta refellitur. 523.a

Caietanus ambigit, an Cain illa verba, Maior est iniquitas mea, quàm vt veniam merear, dixerit per desperationem necne. 539

Cain.

CAin & Abel quanto tempore post eiectionem Adami ex Paradiso, fuerint ab eo generati. 718.a

Cain an fuerit primogenitus Adami, necne. ibidem.

Cain & Abel habuisse sorores quidam tradiderunt Calmanam & Delboram. 718.b

Cain vnde cognouerit oblationem Abel placuisse Deo non autem suam. 722.c

Cain oblatio quare non placuerit Deo secundum Ambrosium, Chrysostomum Augustinum. 728.a

Cain qua occasione vel data vel arrepta insurrexerit aduersus Abel. 732.b.c

Cain & Abel quid inter se locuti sunt ante necem Abel. 732.c

Cain responsum dicentis, Nescio, fuisse mendax impium, & ferum. 734.a

Cain cur interrogatus sit à Deo Vbi est Abel frater tuus? ibid.

Caini verba illa, Maior est iniquitas mea, quàm vt veniam merear, quàm variè legantur & exponantur. 739.b

Caini mortem cur Deus distulerit. 749.a

Cain qualis fuerit post fratricidium. 751.b

Cain cur aut quomodo ædificauerit ciuitatem Henoch. 753.a

Cain cur ædificauerit ciuitatem. 755.b

Cain ædificans ciuitatem, figura fuit amatorum huius mundi. 756.a

Caini septem peccata. 748.b.c

Caino triplex malum esse à Deo prædictum & inflictum. 737.a

Caino, cur & quale signum dederit Deus 749.b

Cainum egressum esse à Domini facie, quid significet. 750.b

Caritas naturalis erga Deum vt finem naturalem prout est habitus quidam moralis, non erat opus homini in statu innocentiæ. 571.b

Callisthenes.

CAllisthenis testimonium de antiquitate syderalium scientiæ, quam habuere Chaldæi. 3

Carnalis.

CArnalem copulam inter maritum & vxorem non futuram fuisse in statu innocētiæ videtur subindicare Diuus Augustinus. 495.a

Carnium esu non vsuros fuisse homines in statu innocentiæ & quibus de causis: nec eiusmodi esum fuisse in vsu ante diluuium, nonnullis argumentis probatur. 509. *per totam paginam.*

Carrasa Cardinalis laudatur. 781.b
Caspium mare an habet communicationem cum Oceano. 720.a.b

Catharinus.

CAtharinus asserens lucem in principio conditam fuisse tantum lucem Solis perfectam æquè vt nunc est, refellitur. 75.a.b
Catharinus dicens in statu innocentiæ homines generatum iri cum iustitia originali non autem cum gratia gratum faciente, refellitur. 558.d
Catharinus iustitiam originalem rem facit diuersam & separabilem à gratia. 579.c
Catharinus exponit rationem, cur diabolus instigauerit Cain ad occidendum Abel. 733.c
Catharinus existimauit, primos homines eiectos Paradiso habitasse in Iudæa, & inde fugisse Cain. 751.b
Catharinus negat Cainum interfectum esse à Lamech. 758.b

Cato.

CAtonis lepidum dictum de Aruspicibus, quod perbellè in Astrologos quadrat. 262.a

Causæ.

CAusæ quatuor, ex quibus oritur discrepantia supputationis annorum à mundi exordio vsque ad Domini nostri aduentum. 36. per totam paginam.
Causæ variæ ob quas homines mutantur. 268.a
Causæ quattuor, cur Astrologi interdum vera prædicunt. 276.b
Causæ interitus & dissolutionis animalium tres. 319. per totam pag.
Causæ quattuor, ob quas in prædicendis futuris fallitur dæmon, traduntur. 241.b

Cete.

CEte grandia non aliud esse in aquis quam dracones in terris probatur multis Sacrarum litterarum testimoniis. 146.c.& 148.a
Cætos & Balenas subiectos esse imperio hominis probat Sanctus Basilius. 392.a.b
Cetos & Balenas non esse factos propter hominem nec subiectos esse illius imperio putauit Theodoretus, sed refellitur. 391.b.c.d

Chaldæi.

CHaldæi & Ægyptij, in triginta solarium annorum spatio, annos plures quadringentis enumerabant. 33.c
Chaldæi, eo quod mentiri eos iuuabat, immodicè & incredibiliter mentiri voluere. 34.a
Chaldæorum falsa de syderum rerumq; cælestium scientiæ antiquitate persuasio. ibidem
Chaldæorum & Aegyptiorum errores de primordiis mundi quales. 32.c

Cherubin.

CHerubin in Scriptura quid significet secundum Theodoretum. 709.a
Cherubin & flammeus gladius, quid re vera significent. 710. per totam.
Cherubinos ad custodiam Paradisi positos, non fuisse Angelorum virtutes, sed terribiles visiones ac horrificas animalium figuras scribit Theodoretus. 798.c.d

Christus.

CHRISTI Euangelium iam inde ab exordio Mundi manifestari cœptum. 616.c
Christi fuisse proprium fuisse simul comprehensorem & viatorem. 797.c
Christus & Paulus in lege Euangelica, suasores castitatis & virginitatis. 462.c & 501.b
Christus si, Adamo non peccante, fuisset incarnatus, vtrum propter eum plus gratiæ datum esset homini, quàm propter eundem passum & mortuum nunc

datur. 571.c
Christus solus omnium mortalium, perfectas inimicitias exercuit cum serpente secundum Rupertum. 674.a

Christophorus.

CHristophorus Clauius egregius nostri tẽporis Mathematicus. 232.d

Chronographi.

CHronographi, vt de annis diligentem ita de diebus ac minutiis temporum, nullam rationem habent. 37.a
Chronologica obseruatio in supputandis annis. 787.a
Chronologica obseruatio in computatione annorum. 779

Chrysostomus.

CHrysostomus quid per cælum & terram in principio à Deo condita intelligat. 44.b.c
Chrysostomus putat, Caimum illis verbis, Maior est iniquitas mea, quàm vt veniam merear, perfectam edidisse sui peccati confessionem, sed inutilem tamen, quia nimis fera fuit. 740.a
Chrysostomus censet bonã & vtilem fuisse confessionem Lamech. 761.a
Chrysostomus ait: quo sit translatus Henoch, incompertum esse, nec à nobis curiosè inuestigandum. 792.c

Ciuitas.

CIuitates duæ: altera Dei, & altera diaboli, cum vtriusque origine, processu, & proprietatibus. 112.c.d
Ciuitas omnium prima fuit Henoch. 753.a
Ciuitatum ædificandarum quæ fuerit prima causa. 755.c
Ciuitatum antiquitas & vetustas ab Ethnicis varie tradita refellitur. 754.d
Clamare ad Deum peccata, quid significet. 735.c
Claritas nobilitasq; librorum vnde sumatur. 1.c

Cognitio.

COgnitio Dei quæ Christianorum doctrina est, ibi sumit initium, vbi sapientia Gentilium expletur. 42.c

Comparatio.

COmparatio inter orbes cæleſtes aliasque res sublunares, in qua ostenditur rerum æqualitas. 267.b.c
Comparatio inter planetas quarto die in cælo à Deo conditos, & dona Dei quæ tribuuntur homini iustificato. 161.c.& 162.a
Computatio annorum, quæ est in Scriptura Hebraica, an debeat probari potius quã quæ est in translatione Septuaginta interpretum. 783.a

Conceptus.

COnceptus multiplicatio quomodo pæna sit mulieris. 678. per totam paginam.
Conceptus muliebres quàm sint ærumnosi. 629.a
Concilij Lateranẽsis magni de Angelorum creatione sententia. 199.a
Confessio voluntaria peccatorum quàm sit vtilis. 734.b
Confiteri peccata sua cui oportet, & prout oportet quanti sit momenti. 672.a
Coniuges esse vnam tantùm carnem, quatuor ob causas. 491.b
Coniugium post multiplicationem hominum, est secundum indulgentiam, & non secundum imperium. 502.b
Coniunctio inter maritum & vxorem quanta sit declarat Rupertus Abbas. 490.b
Coniunctionem triplicem inter maritum & vxorem designari in illis verbis. Quamobrem relinquet homo patrem suum & matrem, &c. scribit Sanctus Thomas. 491.c.& 492.a
Coniungere nomina pluralis numeri cum verbo singulari, est idiotismus Hebraicus. 42.a

Consensus omnium de Mundi exordio, vox est clarissima & notio quædam à Deo mentibus hominum insita ac impressa. 29.a

Constellationes, nullam in natiuitatibus hominum vim habere, ex moribus diuersarum gentium argumentatur Bardesanes Syrus. 254.c.& 255.a.b

Corpus.

Corpora mista omnia interitura, & post diem Iudicij nulla superfutura. 210.b.& 212.a

Corporis humani excellentiam elegantissimè describit Seneca. 409.c.& 410.a

Corporis humani perfectionem exacte describit Lactantius Firmianus. 410.& 411

Corporis humani informatione, an Angeli aliquid ministrauerint, & quid ministrare potuerint secundum aliquos. 412. *per totam.*

Corporis nuditas quibus de causis non sit pudenda. 515.c.& 519.a

Corpus primi hominis non fuisse ab Angelis fabricatum. 412.b

Corpus humanum an à Deo factum sit conueniens animæ rationali disputatur. 548.a.b

Corpus humanum quibus in rebus à cæteris animantibus vincitur. 407.a

Corpus humanum aptissimum maturæ hominis à Deo fabricatum. ibid.b

Corpus humanum è cælesti substantia coagmentari nō potuisse probatur. ibid.b.c

Corpus humanum esse præstantius corporibus omnium animalium probatur. 408.a.b

Corpus humanum erectum formatum à Deo, ob quattuor vtilissimos eius rei vsus. ibid.

Corpus humanum præstantius esse corporibus cæterorum animalium ob interiorū exteriorumq; sensuum perfectionem. ibid.c.& 409.a

Corpus humanum esse præstātius cæterorum animalium corporibus, ob præstantiam temperamenti. 409.b.c

Corpus hominis viginti quattuor costis præditum. 477.a

Creatio.

Creatione mundi cognita homo adducitur ad cognitionem Dei. 29.c

Creatio mundi quomodo facta sit secundū Mercurium Trimegistum. 67.a.b

Creatio mundi quonam modo fuit secundum Platonem. ibid.b

Creatio mundi quomodo perfecta sit secundum Anaxagoram. ibid.

Creatio mundi qualis fuerit secundum, Hesiodum. ibid.

Creatio mūdi ab Ouidio versibus descripta. ibidem

Cur aliarum rerum molitione, vox & præceptum Dei adhibitum sit, non autem in cæli & terræ creatione. 40.a

Cyprianus.

Cypriani egregia, aduersus hæreticos, de virginitate & continentia sententia. 436.c.464.a

Cyrillus.

Cyrillus probat multis exemplis, dæmones olim loqui solitos per animalia & res inanimas. 609.a

Cyrillus putat serpentem qui seduxit Euam fuisse inanimum serpentis simulacrum sub quo lateret dæmon. 605.a

Cyrum Persarum regem, agrum manibus propriis conserere solitum scribit Xenophon. 437.a

D.

Dæmon.

Dæmon quonam modo futura scire potest. 277.a.b

Dæmon duobus tantum modis hominem interius tentare potest. 608.c

Dæmon cur serpentis potius quam aliorum Animalium formam assumpserit ad tentandum hominem. 620.a

Dæmon princeps sophistarum fuit, secundum Rupertum. 630.a

Dæmon cur serpentem deceperit Euam, cur non ipse potius nominetur à Mose quam serpens. 621.b

Dæmon per quos gradus hominem ad summa flagitia deuoluat. 632.a

Dæmon cur fuerit arcendus ab ingressu Paradisi terrestris. 710.b

Dæmonem super pectus & ventrem ambulare, quid significet secundum Gregorium. 614.a

Dæmonem terram comedere cunctis diebus vitæ suæ, quid sit secundum Gregorium. ibid.c.d

Dæmonem insidiari calcaneo hominis, quid sit secundum Gregorium. 616.a

Dæmonem instigasse Cain ad occidendum Abel, & cur secundum Catharinum. 733.c

Dæmoni, qui princeps fuerat decipiendi Euam, cur Deus non maledixerit potiùs quàm serpenti. 612.c

Dæmonis caput conterere quid sit. 616.b

Dæmonis semen & mulieris quod sit intelligendum, 618.b

Dæmones generatos fuisse ex Adamo & vxore eius Eua, erronea & absurda Thalmudistarum opinio. 487.c.& 488.a

Dæmones olim solitos loqui per animalia & res inanimas, multis exemplis probat Cyrillus. 609.a

Dæmonum fallacia, apud aliquos sacrificia sponte inflammabantur, vt narrat Solinus. 722.d

Damascenus.

Damascenus describit qualis fuerit terrestris Paradisus. 293.a

Damascenus indicat quantis bonis affluueret status innocentiæ. 520.c

De Adami scientia quinque quæstiones. 531.b

Decreta ecclesiæ contra Astrologos quæ. 239

Defensio pertinax propriæ opinionis fugienda. 25.a

Delphini quam mirifice ament homines, tradit Basilius. 391.a

Deus.

Dei operibus, addere quicquã vel detrahere nemo potest. 39.c

Dei nomen Hebræum Elohim pluralis numeri, an careat singulari. 40.c

Dei nomen Hebræum Elohim quid significet, & quibus personis tribuatur. ibid.

Dei nomen Elohim cur Moses cum sit nomen pluralis numeri coniunxit in creatione mundi cum verbo Bara numeri singularis, & an in ista coniunctione insinuetur mysterium sanctissimæ Trinitatis, copiosè ac fusè tractatur. ibid.& 41.a.b

Dei voluntas quàm sit efficax. 70.b

Dei operatio, continua fuit in illis primis sex diebus. 85.b

Dei operationes duodecim eximiæ die Dominica peractæ, vna cum decima tertia futura, enumerantur. 89.a.b

Dei omnipotentia potissimum declaratur à Scriptura ob fundationem terræ super nihilum, & aquarum retẽtionem in aëre. 107.a.b

Dei verbum: Proferat terra, *quid significet.* 124.a.b

Dei quies in die septimo qualis fuerit secundum Augustinum & Bedam. 176.a.b

Dei quies in die septimo, quietis Christi in sepulchro figura fuit. ibid.b.c

Dei quies in die septimo quietem nostram post hanc vitam futuram significat. ibidem c

Dei operationem triplicem distinguit Catharinus, & quænam illa sit. 180.c

Dei apparitiones hominibus sub aliqua sensibili specie factas per Angelos peractas fuisse

fuisse tradit S. Dionysius Areopagita. 732.b

Dei misericordia quantum eluceat in animalium subtractione ab obedientia hominis, obseruauit S. Chrysostom. 639.c

Dei sententiam contra Adamum prolatam si de ligno scientiæ boni & mali ederet non fuisse definitiuam, sed tantum comminatoriam, nonnullorum opinio fuit, quæ refellitur. 453.c.& 454.a

Dei verba contra Adamum prolata, si de ligno prohibito ederet, quomodo intelligant Iustinus & Irenæus. 454.a.b

In Dei præcepto obseruando, quod impositum est Adæ facilitas quanta fuerit. 464.a

Dei benedictio in Scriptura quid significet. 500.c

Dei prouidẽtia erga primos homines quanta fuerit deprehenditur ex illis verbis: Ecce dedi vobis omnẽ herbam, &c. 506.a.b

Dei prouidentia erga coruos quãta. 511.a

Dei cognitionis quadruplex genus. 542.a

Dei assistentia erga hominem in statu innocentiæ constitutum, sex magna bona præstabat homini. 575.a

Dei iudicium quam sit formidabile. 665.a

Deo facilius est facere omne quod ei placuerit quam homini id explicare vel cogitatione fingere. 70.a

Deum fecisse mundum, aut ex nihilo, aut ex alia re: ex nihilo producta, pro certo habetur in diuinis litteris. 38.a.b

Deum quemadmodum fecit cœlum & terram sic etiam plures mundos facere posse, demonstrat S. Basilius. ibid.c

Deum à Scriptura sæpius magnificari, eo quod fecerit cœlum & terram. 43.c 44.a

Deum omnium aquarum Conditorem esse multa Sacrarum litterarum loca indicant. 66.b

Deum tantum aquæ creasse, quantum postea in receptaculis terræ commode posset contineri. 119.b

Deũ tertia die fecisse arbores iuxta vniuscuiusque loci conuenientiam. 136.c

Deum piscibus benedicendo, eorum multiplicationem significasse. 147.a

Deum, res omnes optimas & in statu perfecto creasse in mundi exordio secundum tres accidentales bonitates. 165.a

Deum compleuisse in mundi creatione omnia opera sua sexto die inclusiue. 173.b

Deum compleuisse cuncta opera sua die septimo quomodo sit intelligendum secundum Caietanum. ibid.b.c

Deum requiescere ab omni opere suo, quomodo intelligendum sit. ibid.c

Deum quieuisse die septimo, eo quod rebus à se conditis quietem indidit scilicet stabilitatem, permanentiam, & perpetuitatem; vel ex eo quod quæ proposuerat facere perfecte compleuerat, dixit Aristobulus. 174.b

Deum cessasse ab omni opere quod patrarat, quomodo sit intelligendum secundum Auctorem. 175.c

Deum quiescere quomodo sit intelligendum secundum Augustinum & Bedam. 176.a.b

Deum alicui benedicere quidnam sit secundum Theodoretum. 177.a

Deum præcepisse vsque in mundi exordio obseruationem Sabbati sensit Catharinus, quod minime probatur. 178.a.b

Deum non præcepisse obseruationem Sabbati in mundi exordio sensit Tostatus, cui assentitur Auctor, & hanc sententiã multis confirmat argumentis. 178. per totam paginam.

Deum præceptum vllum positiuum Adæ non imposuisse, nisi vnum tantum de non edendo fructu arboris scientiæ boni & mali. ibid.c

Deum prius creasse in verbo æterno, quod posterius fecit in opere externo sensit Rupertus, sed refellitur. 179.b

Deum mundum non posse dissoluere sen-

serunt Peripatetici, sed falso. 206.c

Deum creasse cœlum æqualiter aptum ad motum & quietem. 221.a

Deum, cur quasi consultabundum ad creationem hominis accedere, describat Moses. 355.a

Deum creasse hominem cum consilio, & quale illud consilium fuerit scribit Rupertus. ibid.c

Deum cũ dixit: Faciamus hominem, &c. *locutum esse cum Angelis quorumdam opinio fuit, quam à sanctis Patribus fuisse confutatam, ac quinque rationibus convinci posse ostenditur.* 358.b.c

Deum cũ dixit: Faciamus hominem, &c. *locutum fuisse more magnatum & principum de se solo pluraliter dixerunt aliqui, quos Theodoretus bene confutat.* 360.a.b

Deum solum habere immortalitatem, quomodo intelligendum secundum Chrysostomum. 429.a

Deum dici habere solum immortalitatem eo quod sit solus immutabilis, interpretatur S. Augustinus. ibid.b

Deum exigere voluisse à primo homine fidem, spem, & charitatem, cum dedit illi præceptum de non edendo ex illa arbore scientiæ boni & mali, scribit Rupertus. 449. *per totam.*

Deum rectissime, sapientissimeq; permittere mala fieri in mundo declarat S. Augustinus. 452.a

Deum cum prædixit Adamum moriturum si comederet de ligno scientiæ boni & mali, intellexisse de morte spirituali tantùm, opinio quorundam fuit, quæ refellitur. 453.b.c

Deum cur dixit Adamo. In quacumque die comederis ex eo, morte morieris, *voluisse significare esum illius arboris esse illi prohibitum omni tempore, sententia plurimorum fuit.* 454.b

Deum cum prædixit Adamum moriturum si de ligno prohibito comederet, voluisse significare tantùm necessitatem moriendi, in quam propter transgressionem ille incurrebat, sensit Theodoretus & S. Augustinus quos fere omnes scholastici Theologi sequuntur. ibidem per totam paginam.

Deum cum dixit Adamo, eum moriturum si de ligno scientiæ boni & mali ederet, intellexisse de actuali inchoata morte, in quam propter præcepti transgressionem Adam cecidit opinio quorumdam fuit. 455.c.& 456.a.

Deum extraxisse ex Adamo duas costas, sentit Hieronymus Oleaster. 473.c

Deum formasse simul Adamum & Euam cohærentes sibi alternis lateribus, figmentum Hebræorum fuit quod secutus est Eugubinus, & multò ante illum, Plato. 474.a.c

Deum in illis verbis: Propter hoc relinquet homo pa. &c. *interdixisse coniugia inter parentes & liberos intellexit S. Augustinus. Hugo de S. Victore, & Caietanus.* 490.c

Deum in illis verbis. Propter hoc relinquet homo, &c. *significasse coniunctionem inter marítum & vxorem maiorem esse cæteris omnibus coniunctionibus.* ibid.c.& 491.a

Deum venisse ad Adamum post meridiem & ad vesperam, vel post auram, quid significet. 681.a

Deum respexisse ad munera Abel, quid significet. 722.a

Deum in arguendo fratricidio Cain, æquissimum se iudicem ostendisse. 724.c.d

Deũ visum esse à Mose, & Paulo, qui Auctores dixerint. 793.b

Deum à nullo mortalium esse visum, qui Auctores censuerint. ibid.c

Deum ostendere vel abscondere alicui faciem suam, quid significet. 741.c

Deus rerũ omnium conseruationis causa. 29

Deus infinita vi ac potestate pollet. ibid.c

Deus efficiendo mundum, potentiam suam

suam non exhausit. 43.c
Deus postquam mundum condidit, numquam sua gubernatione destituit, sed perpetuo eum conseruat ac regit. 44.a
Deus cur in creando luce vsus est illis verbis. Fiat lux. 70.c
Deus cur sicut benedixit animalibus, non similiter benedixerit plantis, redditur ratio ex Theodoreto, & quid illa benedictio significet, explicatur. 126. *per totam paginam*
Deus res omnes tali modo produxit, vt deinceps per seipsas conseruare, aliasq; similes suo tempore generare possent. 136.b
Deus in sex primis illis diebus, quid per singulos condiderit; explicatur. 144.b
Deus cur terrestribus animantibus benedictionem illam: Crescite & multiplicamini, *æque vt piscibus non impertierit.* 154.b
Deus illam benedictionem: Crescite & multiplicamini, *non tantùm ad conseruandam speciem homini impertiuit, verum etiam complendum electorum numerum.* ibid.
Deus cur prohibuerit generationem animalium ex diuersis speciebus, redditur ex D. Thoma triplex ratio. 157.b.c
Deus cur respiciendo singula sua opera, dixerit illud esse bonum, & cur etiam cuncta simul, dixerit valde bona tractatur. 164.a.b
Deus quid boni ex peccato Adami elicuerit. 168.c
Deus cur non ante creationem hominis viderit cuncta quæ fecerat esse valde bona, assignantur quinque causæ. 272.a.b.c
Deus benedicendo die septimo, quid nam illi contulerit explicatur. 177. *per totam paginam.*
Deus qua ratione diem sabbathi sanctificarit. 178.a
Deus an diem septimum præceperit esse obseruandum vsque in mundi exordio, an tantùm tempore legis Mosaicæ tractatur. ibid.b
Deus cur non pluribus & paucioribus quàm sex diebus mundum condiderit, veram ac propriam rationem sciri non posse. 191.b
Deus sicuti ex nihilo mundum condidit, sic etiam potentia sua eum ad nihilum redigere potest. 206.b
Deus cur Angelorum ruinas, non nouis Angelis, sed solum hominibus ab vno procreatis restaurare voluerit. 403.c
Deus cur primo homini, nomen Adam imposuerit. 361.a
Deus sicut cùm dixit: Fiat lux *solos electos angelos intellexit, sic dicendo:* Faciamus hominem, &c. *solos electos homines intelligi voluit secundum Rupertum.* 378
Deus per creationem, imaginem suam inchoauit in homine, quam solus polit & ornat per iustificationem, absoluit & consummat per glorificationem. 390.a
Deus cur in nares seu in faciem hominis insufflauerit animam seu spiraculum vitæ rationes assignat Caietanus. 410.a
Deus cur fecerit hominem ad imaginem & similitudinem suam septem causæ traduntur. 387.a
Deus fecit hominem sibi similem quibuscumque modis ille esse poterat. ibid.b
Deus creauit hominem ad imaginem suam quatenus eum omnes corporales creaturæ reuerentur. ibid.c
Deus plasmauit hominem ad imaginem suam, vt omnes agnosceret illum esse quid Dei proprium ac peculiare. 388.a
Deus comparauit sibi hominem ad imaginem suam factum, quatenus societatem amicitiam & familiaritatem cum illo habere posset. ibid.b.c
Deus imaginem suam impressit in homine, vt facilius ab illo inueniri & agnosci posset. 389.a
Deus hominem ad imaginem suam for-

mauit, vt æternitatis, infinitatis, & diuinitatis capax esse posset. ibid.b
Deus quò agnosceretur mundi conditor, hominem scilicet imaginem suam in eius medio posuit. ibid.c
Deus cur primum hominem de terra finxerit. 404.a
Deus quot vtilitates ex Adæ peccato elicuit. 450.c.& 451.a
Deus alia ratione quàm homines, mala fieri permittit. 451.b
Deus quomodo causa fuit mortis, quæ post peccatum contigit homini. 459.a
Deus cur solã mortem, aliis modis prætermißis, comminatus fuerit Adamo, assignantur tres causæ. ibid b.c
Deus cur non comminatus sit Adamo pœnas inferni, afferuntur tres causæ. 460.b
Deus cur dixerit: Non est bonum hominem esse solum. 461.c.& 462.n
Deus cur non comminatus sit Adamo pœnas inferni, rationem assignat S. Augustinus. 461.a
Deus cur ex Adamo dormiente formare voluit Euam nonnullæ causæ afferuntur. 469.b
Deus cur ex Adamo dormiente detraxit costam, rationem assignat Theodoretus. 470.b
Deus cur sicut primis hominibus præscripsit cibum, non similiter præstitit potum, assignatur ratio. 510.d
Deus cur vnam tantùm mulierem in exordio mundi creauerit, quinque rationes assignantur. 483.per totam.
Deus etiam cum increpauit & puniuit Adamum, quàm blande ac misericorditer eum tractauerit. 665.b
Deus quomodo locutus esse dicatur vel cum Angelis, vel cum hominibus. 666.b
Deus cur posuerit inimicitias inter hominem & diabolum. 675.c.d
Diaria & Annales, in quibus res sacræ memorabiles scribebantur, erant apud priscos Hebræos. 14.a

Didymus.

Didymus dixit, serpẽtem illum ad tempus opera diaboli fuisse erectum, vt more quadrupedũ ingrederetur. 61.b

Dies.

Die septimo apparuisse integritatẽ & consummationem Vniuersi. 180.b
Diei initium vnde sumatur ab Ecclesia in celebrandis festis, & ieiuniis seruandis. 88.a
Diei septimi dignitas & priuilegia. 177. per totam pag.
Diei septimi dignitatẽ vidisse priscos gentilium Theologos quasi per nubem. 180.b
Diem primam non habuisse auroram nec mane, docent Hugo de S. Victore, & Magister sentent. quod minime probatur. 86.c
Dies sæculi ab homine ratione humana sciri non posse tamen reuelatione diuina. 35.c
Dies in mũdi exordio præcessit noctem. 87
Differentia inter Ecstasim & somnũ. 468.b
Diluuium Noë quonam tempore cœperit. 133.a
Discrimen inter imaginẽ & similitudinem secundum B. Augustinum. 364.d
Discrimen inter imaginem & vestigium Dei secundum Theologos. 386.c
Diuinæ prouidentiæ commendatio erga animalia. 510

Doctores.

Doctores existimantes Paradisum adhuc existere, cur in eam sententiã ducti sint. 809
Doctorum multorum consensus vtrum in qualibet quæstione sit omnino sequendus. 808.b
Doctrinam quam nobis de mundi opificio in fidei articulis Ecclesia Catholica tradidit, potissimum ex libro Geneseos deprompsit

deprompsit. 24.a
Dolores mulierum in partu quàm sint acerbi. 680.c
Dominici diei priuilegia ob egregia facinora à Deo in illo operata, enarrantur. 89.a.b.c

Dracones.

DRaconem miræ magnitudinis ab Alexandro Macedone in India inuentum commemorat Aelianus. 146.c
Dracones Indici miræ magnitudinis, quos tradit Plinius. ibid.b.c

Durandus.

DVrandus refellitur, dicens appetitum sensitiuum fuisse perfectum à iustitia originali sine propriis habitibus moralibus eius appetitus perfectiuis. 571.d
Durandus refellitur, collocans iustitiam originalem in appetitu, tanquam in subiecto. 577

E.

ECclesia de quibus aquis intelligat. cum in hymno quintæ feriæ ad vesperas loquitur de aquis. 109.c
Ecstasis diui Pauli qualis. 470.c
Ecstasis B. Catharinæ Senensis. ibid.
Electos & prædestinatos tantùm nascituros fuisse in statu innocentiæ. 463.b

Elementa.

ELementa simul omnia quattuor creata fuisse sentit D. Basilius, Damascenus & Beda. 55.a.b
Elementa omnia quattuor vnà cum cœlis creata esse, ac secundum suam naturalem constitutionem & figuræ sphæricæ. 107.c.& 113.b
Elementa duo tantùm, scilicet terram & aërem ab igne esse purificanda sensit S. Augustinus. 205.a
Elementa omnia quattuor ab igne esse purificanda in die Iudicij, duoque secundum substantiam peritura, tradit Beda. ibid.b
Elementa qualia futura sint post diem Iudicij. 209.b.c.d
Elementum terræ, alia tria elementa aliqua in parte in se continere ostendit D. Basilius. 55.a
Elementum nullum esse periturum secundum substantiam, tradunt Scholastici Theologi. 205

Enos.

ENos an primus omnium cæperit inuocare nomen Domini. 766.b
Enos creditur primus omnium certas instituisse cæremonias rituſq́, non solum priuatim, sed in publico inuocandi & colendi Deum. ibid.c

Ephræm.

EPhræm putauit serpenti qui decepit, Euam ad tempus fuisse datam loquendi facultatem. 602.b
Ephræm putauit serpentem illum fuisse antea quadrupedem, sed propter maleficium esse pedibus priuatum. 612.b

Error.

ERror illorum qui putant humaniores litteras nihil Sacrarum litterarum studiis prodesse, simulq́, eorum qui nimium eas admirantur. 26.a
Error Platonis, Aristotelis ac Theophrasti dicentium memoriã rerum gestarum sæpe ob ingẽtes eluuiones ac deflagrationes periisse ac reuixisse confutatur. 31.b.c
Error poëtarum & Gentilium circa agriculturam. 437.a.b
Errores Gentilium circa mundi ortum. 28.b

Esdras.

ESdram libros Sacros in Hierosolymorum captiuitate integros penes se custodiuisse scribit S. Athanasius. 12.c

Esdras vtrum Sacros libros à Chaldæis incensos diuino memoriæ beneficio resecerit. 9.b

Esdras non auctor, sed restitutor ac refector Sacrorum librorum appellandus. ibidem.c

Esse naturale dupliciter accipi. 514.a

Eua.

EVa cur Deo creata, & quibus in rebus adiutorium homini futura. 461.c

Eua cur erat necessaria primo homini, non nullæ causæ traduntur. 462.a.b

Eua cur facta sit à Deo ex latere & costa Adami plurimæ causæ afferuntur. 475. per totam.

Eua cur dicitur à Mose, ædificata fuisse ex costa Adami, non formata, rationes assignant Sanctus Chrysostomus, Caietanus, Catharinus, Rabbi Salomon, atque Tostatus. 480.b.c

Eua vtrum statim vt comedit fructum vetitum perdiderit iustitiam originalem. 580.a

Eua si sola peccasset, innocente Adamo, vtrum filij eius generati essent cum iustitia originali. 583.b.c

Eua secundum Bonauenturam putauit aliquem spiritum loqui secum per serpentem: non tamen diiudicauit vtrum esset bonus, an malus spiritus secundum S. Thomam. 608.a

Eua cur non exhorruit congressum serpentis. 614.b

Eua cur non obstupuit audiens secum loquentem serpentem. 616.c

Eua cur dixerit vetitum sibi fuisse tactum arboris cum Deus tantum vetuisset esum. 625.c

Eua cur dubitanter dixerit, Ne forte moriamur. 625.d

Eua curiosè & cupide aspiciens arborem vetitam, tria vitia commisit. 631.a

Eua quomodo potuerit credere vera esse dicta & promissa serpentis. 637.b

Eua narrauerítne Adamo promissa serpentis. 638.b.c

Eua tribus modis denunciari potuisse præceptum Dei de non edendo ex illa Arbore scientiæ boni & mali, qui ab Auctore expendũtur. 442. per totam & 443.a.b

Euæ denunciatum fuisse Dei præceptum per Adamum, sensit S. Augustinus & Tostatus. 442.a.b

Euæ primum peccatum fuisse superbiam. 635.a.b

Euæ octo numerantur peccata. 635.b.c

Euæ peccatum quibus rebus grauius fuerit quàm Adami. 552.c

Euæ nomen quam habeat etymologiam. 687.a.c

Euæ nomen quando sit ei impositũ. ibid.c.d

Euæ nomen vtrum Adam imposuerit per superbiam, & contemptum Dei vt dicit Rupertus. 688.a

Euam non fuisse creatam die septimo, vt asserit Catharinus, sed in die sexto. 173.b

Euam formatam fuisse extra Paradisum, quemadmodum & Adam, tradunt Iosephus & Rupertus. 433.a

Euam formatam fuisse intra Paradisum communis & probabilior opinio, assignatúrque ratio cur ibi creari debuit. ibidem.b c

Euam fuisse obstrictam illo præcepto de non edendo ex ligno scientiæ boni & mali sicuti Adam. 441

Euam quibus in rebus similem & dissimilem Adamo fecerit Deus. 466.a.b

Euam creatam fuisse sexto die quibus ex locis Scripturæ deprehendatur. 467. per totam pag.

Euam conditam fuisse extra Paradisum qui Auctores senserint. 467.b

Euam formatam fuisse ex Adami costa in terrestri

terrestri Paradiso, & non extra illum. ibidem.c
Euam ex costa sinistri lateris Adami fuisse conditam creditur, & qua de causa. 475.b
Euam post eius formationem adductã fuisse ad Adamum ob sexc causas, quæ commemorantur. 482.per totam pag.
Euam esse formatam ex costa Adami, intelligendum esse parabolicè & historicè scribit Caietanus, cuius opinio fuse ab Auctore commemoratur & validis argumentis refellitur. 483. 484. & 785. per totas.
Euam ædificatam fuisse ex costa Adami, intelligendum esse historicè & non parabolicè, communis omnium Patrum & Theologorum opinio. 485.b.c
Euam re vera fuisse factam ex costa Adami, tradit Innocentius. III. ibid.c
Euam verè ædificatam fuisse ex costa Adami liquido deprehẽditur ex verbis Pauli & Mosis. 486.a
Euam & Adam dici vnam tantum carnem ob quattuor rationes. 491.b.c
Euam nesciuisse virum animalia carerent naturaliter facultate loquendi, opinio est Cyrilli & aliorũ, nec improbabilis. 608.c
Euam multa ab initio ignorasse, quæ postea didicisset non esse contra perfectionem status innocentiæ. 609.c.& 610.a
Euam non peccasse ante congressum serpentis. 634.c
Euam cur diabolus prius tentauerit, quam Adam. 637.d.& 638.a

Eugubinus.

EVgubinus existimauit, serpentem, qui decepit Euam, fuisse basiliscum, sed refellitur. 615.b

Eusebius.

EVsebius ab Adamo vsque ad diluuium recenset annos bis mille ducentos quadraginta duos. 782.b
Excusatio peccati quã sit detestabilis. 671.a

F.

FOemina cum, secundum Aristotelem, sit animal læsum occasionatum, & imperfectũ, quomodo in statu innocentiæ generari potuisset. 496.& 497.per totas pag.
Ficulneum succinctorium Adami quid significet. 657.c.d
Filius Dei cur nusquam in Scriptura dicitur ad imaginem Patris. 384.c

Firmamentum.

FIrmamenti nomine significari verum corpus cœleste in quo sunt inerrantia sydera, opinio multorum fuit, quæ excutitur. 89.a
Firmamenti nomine à Mose significari totum illud spatium quod est à terra vsque ad astra diffusum, sententia est Auctoris, quæ etiam ab ipso Scripturarum testimoniis, argumentisq; permultis, ac Doctorum auctoritatibus confirmatur. 93. vsque ad 97.c
Firmamentum, ex aërea materia conditum fuisse docent Basilius & Ambrosius. 91.a
Firmamentum, scilicet octauam sphæram, ita esse appellatum ob stellas in eo fixas dixit Catharinus. ibid.b. sed refellitur. ibid.c.& 62.per totam.
Firmamentum seu cœlum esse corpus solidum auctoritate plurimorum ostenditur. 90.a
Firmamentum ex aquis simul congelatis esse compactum senserunt multi veteres, quod Basilius non approbat. ibid.b.c
Firmamentum non propter stabilitatem, sed propter intrangressibilem terminum sic appellatum. 96.c

Flaminius Nobilius commendatur. 782

Flammeus.

Flammeus gladius & versatilis vtrum denotet situm Paradisi sub Æquinoctiali, & Zona torrida. 703.a
Flammeus ille gladius significaueritne murum igneum, quo Deus Paradisum circumdedit. 703.d
Flammeus ille gladius significaueritne ignē Purgatorij, vt placet Ambrosio & Ruperto. 704.c

Flumen.

Flumen Phison esse Gangem fere communis Interpretum sententia, quæ discutitur. 333.d.& 334.a
Flumen Phison non esse Gangem multis argumētis ab Auctore probatur qui etiam opinionem Theodoreti refellit. 335.per totam.
Flumē Gihon an sit Nilus disputatur. 339.d 340.per totam.341.a.b.c
Fluminis Tigris origo, cursus, & exitus secundum Plinium. 342.c.d
Fluminis Euphratis origo cursus & exitus secundum Plinium & alios Auctores. 343.per totam.& 344.a.b.c
Fluuius de Paradiso egrediens, quonam modo illum irrigabat. 332.a
Fluuius de Paradiso egrediens quomodo in quattuor capita diuidebatur. ibid.b
Fluuius Tigris cur ita appellatus. 342.b.c

Fons.

Fons ascendens è terra irrigans vniuersam superficiem terræ qualis nam fuerit secuadum duplicem B. Augustini sententiam quæ à multis improbatur. 181.per totam.
Fons ascendens è terra irrigans vniuersam superficiem terræ qualis nā fuerit. ibi.a.b
Fontem ascendentem è terra, fuisse vaporem vi solis in aëre eleuatum, ex quo postea oriebatur pluuia sententia est plurimorum. 182.b.c

Frugalitas.

Frugalitas primorum hominum quanta fuerit secundum Boëtium, Ouidium, Lucanum, & Isidorum, eorumque sententiæ commemorantur. 507.per totam paginam
Fructus primos in exordio Mūdi perfectissimos suauissimosq; fuisse aliorum omnium deinceps procreandorum. 123.a
Fructuum maturitas in autumno per totum annum præparatur. 136.b

G.

Gangis fluminis origo describitur secundum Strabonem & Plinium. 334.b.c
Germanus ac proprius sensus verborum Mosis, est ea intelligere secundum propriam ac vulgo vsitatam significationem. 23.a.& 72.c
Generatio prolis quomodo futura esset in statu innocentiæ absque mulieribris integritatis detrimento, vt significat Augustinus, declarat Sanctus Bonauentura. 500.a.b
Generationem prolis in statu innocentiæ futuram fuisse sine vlla corruptione integritatis muliebris ac violatione signaculi virginalis scribit Sanctus Augustinus, quod discutitur. 499. per totam & 500.a
Gentis Tentyritarum aduersus crocodilos magna vis. 391.a
Gigantes quonam tempore esse cœperint. 415.b

Gratia.

Gratia Dei vtrum fuisset data hominibus in exordio suæ generationis in statu

in statu innocentiæ. 556.a
Gratia Dei cur in statu innocentiæ data fuisset hominibus ab initio, non autem similiter & scientia. 557.b
Gratia fuisse tne maior in statu innocentiæ data homini, quàm detur in statu legis Euangelicæ, fusè disputatur. 561. *per totam paginam.*
Gratia vberior datur infantibus in statu legis Euangelicæ regeneratis in Christo, quàm eisdem esset datum in statu innocentiæ. 563.b
Gratia gratis data vberior est in statu legis Euangelicæ, quàm fuisset in statu innocentiæ 564.d

S. Gregorius.

Gregorij egregia de virtute obedientiæ sententia. 447.a
Gregorij egregia interpretatio moralis, cur Deus ad vesperam venerit ad Adamum. 661.b
Gregorij egregia sententia de peccato superbiæ. 646.a
Gregorij vere Theologica, & eximia doctrina de variis modis quibus Deus loquitur creaturæ intellectuali. 667.a.b.c
Gregorij luculenta sententia de excusatione peccatorum. 661.a.b
Gregorij præclara sententia, quod improbi in hoc Mundo & in hac vita quietem & felicitatem suam quærant. 756.b
Gregorius mirifice describit felicitatem status innocentiæ. 520.c
Gregorius significat Adamum in statu innocentiæ aliquandiu permansisse. 543.a
Gregorius exponit qualis fuerit immortalitas Adami ante peccatum. 588.c

H.

Hebraice est Vox sanguinum fratris tui, & cur sic legatur. 735.b
Hebræam linguam quatenus acceperit Adamus à Deo. 526.b
Hebræam linguam fuisse primam, quæ in vsu fuit apud homines. 527.a

Hebræi.

Hebræos notitiam Angelorum habuisse ante ortum Mosis. 195.b
Hebræos alioſq; hæreticos negantes in illis verbis. Faciamus hominem, &c. *non significari mysterium Sanctissimæ Trinitatis egregie confutat S. Basilius.* 355. c.d. *& sequent.*

Henoch.

Henoch vbi nam fuerit tempore diluuij. 303.d
Henoch an sit in terrestri Paradiso disputatur. ibid.
Henoch quo in loco sit nesciri, tradit D. Augustinus. 304.a
Henoch non fuisse translatum in illum Paradisum vnde eiectus fuit Adam, sentiunt Rupertus, & S. Gregorius. ibid.c.d
Henoch translatus fuit sexcentis sexaginta nouem annis ante diluuium. 305.a
Henoch & Eliam secundum Rupertum, non esse translatos in Paradisum terrestrem. 707.c.d
Henoch ciuitas quomodo figura fuerit vrbis Romæ, secundum August. 754.b
Henoch ciuitas vbi sit condita. 755.a
Henoch quorsum à Deo per tot annorum millia viuus in terris conseruetur. 771.a
Henoch vtrum sit mortuus, an etiam nunc viuat, & an hoc secundum Fidem teneri debeat. 788.c
Henoch cur sit translatus à Deo. 789.b
Henoch quando sit translatus. ibid.c
Henoch an sit aliquando moriturus. 790.a
Henoch quomodo tam longam vitam agat. 792.a
Henoch quem in locum translatus sit. 792.c
Henoch quas ob causas sic à Deo translatus

tus sit. 794.c
Henoch in terris viuens vtrum videat Dei essentiam, & sit iam comprehensor, an vero sit etiamnum viator nec Deum videat. pag.796
Henoch vtrũ aliquẽ librũ scripserit. 795.a
Henoch victurus vsque ad consummationẽ sæculi, & in statu merendi constitutus, vtrum magnitudine meritorum omnes Sanctos superaturus sit. 792.b
Henoch prophetiam vnde Iudas Apostolus deprompserit. 796.a
Henoch liber cur non est receptus in Scripturas Canonicas. 797.b
Henoch esse in Paradiso terrestri, vtrum bene probetur ex illo loco Ecclesiastici 44. Henoch placuit Deo, & trãslatus est in Paradisum. 806.b
Henricus dicens Iustitiam originalem naturalem fuisse rectitudinem voluntatis humanæ refellitur. 569.a

Herbæ.

HErbæ noxiæ hominibus nocituræ Cur in Mũdi exordio creatæ sint. 125.a
Herbæ noxiæ quæ bona hominibus adferãt. ibidem.b
Herbas & arbores primas in exordio Mũdi fuisse perfectissimas suauissimasq; omnium deinceps procreandarum. 123.a
Herbas noxias creatas fuisse propter peccatum significauit alicubi S. Augustinus. pag.124.c
Herbas noxias & homini lethales fuisse in Mundi exordio. ibid.

Hæretici.

HÆretici quàm male abutantur sententia illa. Non est bonum hominem esse solum. 492.a
Hæretici quid Catholicis obijciant circa illa verba: Crescite & multiplicamini. 501.a.b
Hæreticorum impudentia quanta sit. ibid.b

Hesiodus.

HEsiodus spiritum, qui creat regit ac in se continet Mundum, appellauit amorem. 68.a

Hieronymus.

D. Hierõnymi de terrestri Paradiso sententia quomodo sit interpretanda. 289.c.d
Hispanicum prouerbium de prudentia serpentis. 613.d

Historia.

HIstoria insignis cuiusdam Astrologi iudiciarij pœnitentis à D. Augustino relata. 243.c.d
Historia mirabilis de stupiditate cuiusdam presbyteri nomine Restituti, quam refert D. Augustinus. 741.a

Homo.

HOmo cum secundum rationem operetur, non pendet à Cœlo. 257.a
Homo cum secundum sensum viuit, vitam incertam agit, ob idq; qualis futurus sit, ab Astrologis nesciri potest. ibid.b
Homo in statu innocentiæ quandiu victurus fuisset. 321.a
Homo cur post aliarum rerum creationem conditus sit. 347.a.b.c
Homo præest piscibus & animantibus dono rationis, & non tantum donis supernaturalibus. 369.a
Homo dominatur cunctis animantibus ratione quæ est imago Dei. 290.c
Homo qua de causa imperium habere debeat in animantes. 393.c
Homo in statu innocentiæ eo modo dominabatur animantibus, sicut ratio sensibus & affectibus suis. 394.a
Homo quonam modo in statu innocentiæ ferocibus animãtibus imperaturus fuisset, secundum Auctorem. 375.a
Homo in statu innocentiæ an dominaturus esset

esset aliis hominibus. 397. *per totam paginam.*

Homo cur expresse dicitur à Mose è limo terræ formatus. 401. *per totam pag.*

Homo creandus à Deo etiamsi Angeli non cecidissent. 403.c.& 404.a

Homo cur præcipuè è limo terræ formatus dicatur declarat Caietanus. 405.a

*Homo quo pacto imaginem Dei amittat. pag.*385.d

Homo cur puluis appellatus sit. 402.a

Homo cur formatus fuerit è terra, declarat S. Augustinus. 402.a.b

Hominis è terra origo quid nos admoneat, secundum Rupertum. 240.a.b

Homo qua de causa relinquere debeat patrem & matrem & adhærere vxori suæ. 489 b.c

Homo quem finem habere debeat in generanda prole. 493.a

Homo quomodo dicatur propter peccatum vulneratus in naturalibus. 507.b.c

*Homo in statu innocentiæ vtrum caruisset omnino passionibus appetitus sensitiui. pag.*574.c

Homini subiecta esse animalia etiam post peccatum, variis exemplis ostenditur. 394.b

Homini non satis esse bene agere, nisi bona quæ agit magna cum diligētia custodiat, pulchre disputat Sanctus Gregorius. 435.b

Homini post peccatū fuisse vtile obnoxium esse morti,& laboribus atque ærumnis conflictari. 683.c

Hominem creatum fuisse à Deo cum deliberatione & consilio declarat eius excellentiam. 347.b.c.d

Hominem ad imaginem & similitudinem Dei esse conditum quid sit secundum B. Augustinum. 362.b.c

*Hominem ad imaginem Dei, quantum ad dona naturalia, ad similitudinem vero quantum ad supernaturalia fuisse conditum sententia aliquot Patrum fuit, quàm distinctionem discutit Auctor. pag.*364

Hominem esse conditum ad imaginem Dei quonam modo Hebræi intelligant & quam inepte, refert Tostatus. 373.b

Hominem dici conditum ad imaginem Dei eo quòd Deus haberet humana membra Hæresis fuit Antropomorphitarum, quam refellit Melito apud Theodoretum. 373.c.& 374.a

Hominem esse conditum ad imagine Dei ad marē tantum pertinere putauit Theodoretus, sed falsò. 374.c

Hominem dici factum ad imaginem Dei, eo quod dignitate præcellit cūctis rebus & potestate dominatur cunctis animantibus, tradunt S. Basilius Gregorius Nyssenus & D. Chrysostomus. ibid.

Hominem dici similem Deo, eo quod habeat animum immortalem atque indissolubilem scribit S. Augustinus. 375.a

Hominem dici conditum ad imaginem Dei ob triplicem libertatem qua est præditus tradit S. Bernardus. 376.a

Hominem esse conditum ad imaginem Filij Dei scribit S. Bernardus. ibid.b.c

Hominem dici similem Deo ob rerum omnium participationem quæ in ipso reperiuntur. 377.b.c

Hominem dici ad imaginem Dei factum & non imaginem Dei esse ob imperfectam participationē diuinæ similitudinis quidam tradiderunt. 384. *per totam paginam.*

Hominem propter peccatū perdidisse imaginem Dei error Origenis fuit quem Epiphanius confutauit. 385.b

Hominem & Angelum tantum in rebus creatis esse ad imaginem Dei. 386.a

Hominem propter peccatum amisisse dominium in duo animalium genera, in maxima vt sunt Leones & Tigres, &c. in minima vt muscæ publices, &c. annotauit Hugo de S. Victore. 396.b

Hominem in statu innocentiæ aliis homi-

nibus partim imperaturum, partim vero non, docet S. Augustinus. 397.b
Hominem in statu innocentiæ imperaturum fuisse aliis hominibus, egregiis rationibus probatur. ibid.c.& 398.a
Hominem è terra conditum fuisse, etiam Gentiles prodidere. 404.per totam
Hominem plasmatū esse à Deo è terra duobus modis intelligi posse. 405.a.b
Hominem factum esse in spiritum loquentem, tria significare secundum paraphrasim Chaldaicam. 421.c
Homines in statu innocentiæ habitaturos etiam extra Paradisum terrestrem. 299.b.c.d
Homines in statu innocētiæ nō futuros fuisse expertes famis & sitis. 440.c.441.a
Homines cur ex præceptis Dei mala eliciunt, causæ duæ. 451.c
Homines ad obseruandas leges, tribus rebus permoueri. 452.a.c
Homines & mulieres pari numero fuisse multiplicandos in statu innocentiæ, & quibus de causis. 495.c
Homines in statu innocentiæ & ante diluuium habuisse imperium in animalia quantum ad ius & potestatem, & non quantū ad carnium eorum esum. 509.b.c
Hominis vestimenta & ornamēta in statu innocentiæ quæ nam fuerint secundum B. Bernardum. 250.per totam pag.
Hominis dignitas atque præstantia in statu innocentiæ quanta fuerit, secundum eundem. 251.a.b.c
Hominis vocabulo intelligendum esse illius ideam & non hominem sensibilem, scribit Philo Iudæus, doctrinam Platonis de ideis secutus, sed refellitur. pagina 362.c.d
Hominis vocabulo intelligendum esse solum interiorem hominem, opinio quorundam fuit quam falsam censet S. Augustinus. ibidem.d
Hominis vocabulo totum integrum hominem ex anima & corpore constitutum significari. 363
Hominis qua in parte posita sit imago Dei, incompertum esse atque incomprehensibile scribit Epiphanius, quod non probatur. 374.c
Hominis primi dominium quantum fuerit. 390.a.b
Hominis imperium in animalia in statu innocentiæ qualenam fuerit. 392.c.& seq.
Hominis imperium in animalia quantum ad ius & potestatem, etiam post peccatum remansit in homine. 393.b.c
Hominis imperium in animalia quantum ad eius vsum & executionem post peccatum Adæ valde diminutum & coangustatum. 366.b
Hominis in compositionem quattuor tantum elementa venire, & non cœlestem quandam quintam essentiam probatur. 405.b.c
Hominis temperamentum mutari posse cum variantur illius ætates probatur. 514.a
Hominis sex status distinguuntur. 566.a
Hominis propriam esse facultatem naturalem loquendi. 601.c
Hominum varietas quanta sit & vnde cernatur. 165.b
Hominum tria genera in exordio Mundi fuisse scripsit Plato. 493.b
Hominum multiplicationem in statu innocentiæ futuram fuisse modo Angelorum & non per carnalem copulam senserunt aliqui Patres. ibid.c. quæ opinio refellitur. 494.b.c
Hominum tres esse gradus, alios esse innocentes: alios pœnitentes, & alios impœnitentes, & horum exempla fuisse, Abel, Lamech, & Cain. 761.b

Hugo de S. Victore.

HVgo quid senserit de tempore creationis Angelorum & mora merendi vel demerendi. 73.b

Hugo scribit creationem Cœli & terræ, priorem fuisse ordine temporis creatione lucis. 84.c
Hugo tradit primam diem in Mundi exordio non habuisse auroram & mane, sed statim claram lucem. 86.c
Hugo censet ab initio factam esse terram cum omnibus cauitatibus & alueis, quæ futura erant aquarũ receptacula. 113.c
Hugo censet Solem habere propriam lucem, & ex igne esse factum. 142.a
Hugo sensit, mundum conditum fuisse per sex dierum interualla. 185.b
Hugo commemorat opinionem quorundam dicentium Paradisum terrestrem fuisse vniuersum terrarum orbem, quæ refellitur. 291.d.& 292.a
Hugo tradit lignum vitæ habuisse in se naturam perpetuandi vitam hominis, si competenter ederetur. 323.b
Hugo asserens, costam Adami per solam multiplicationem sui ipsius infinita Dei virtute factam, sufficientem fuisse ad formandũ corpus Euæ, refellitur. 475.c
Hugo intelligit in illis verbis, Propter hoc relinquet homo patrem suum, & matrem, &c. *interdixisse Deum coniugium inter parentes & liberos.* 440.b.c
Hugo scribit primum hominem ante lapsum, triplicem perfectam cognitionem Dei habuisse. 532.b
Hugo annotauit hominem amisisse propter peccatum dominium in duo animalium genera. 396.b
Hugo ex eo quod dixit Deus, Inimicitias ponam inter Euam & serpentem, argumentatur Euam fuisse saluam. 615.b.c
Hugo dixit Adamum peccasse per auaritiam. 652.a

Hyparchus.

Hyparchus & Ptolemæus syderalium sapientiæ antistites, vndenam illius originem obseruare cœpere. 34.a

I.

Iamin vox Hebræa quid secundum D. Hieronymum significet. 258.b
Iamin voce Hebræa, significari venam aquæ salsæ sentit Hieronymus Oleaster. ibid.c

Iassar, Ignis, &c.

Iassar verbum Hebræum quid significet. 418.b
Ignis tres species inueniri Platonis Aristotelis, Gregorij quoque Nysseni, ac Hugonis opinio. 73.c
Ignorantia vtrum fuisset aliqua in statu innocentiæ. 544.a
Ignorantia fueritne omnino contraria statui innocentiæ. 610.b.c

Imago.

Imago Dei in homine vbi sit posita secundum Bedam. 376.b
Imago Dei an magis resplendeat in Mundo quam in homine. 378.c
Imago Dei quomodo etiam in corpore hominis appareat declarat S. Augustinus. 382.per totam paginam
Imago Dei quomodo sit etiam in corpore hominis secundum Beatum Bernardum. 383.a
Imago Dei est Filius Dei, similitudo verò Spiritus sanctus secundum Rupertum. 366.c
Imago hominis dicitur proprietas substantiæ eius secundum Rupertum. 367.b
Imaginem & similitudinem idem esse, nonnullis Scripturæ testimoniis ostenditur. 365.a.b
Imaginem Dei in homine in æternitate, similitudinem vero in moribus esse positam tradit S. Augustinus. 375.a
Imaginem Dei æqualiter esse in viro ac

muliere secundum intellectualem naturam tradit D. Augustinus. 380.b
Imaginem Dei esse in corpore hominis tanquam in signo. 381.c
Imaginem Dei in homine quantum ad naturam rationalem nunquam propter peccatum deleri. 385.c
Imaginem Dei in homine quantum ad dona supernaturalia propter peccatum deleri. ibid.

Immortalitas & immortalis.

Immortalitas corporis Adami ante peccatum qualis fuerit. 587.b
Immortalitas, seu immortale, multas habere significationes. 586.b
Immortalitatis naturalis quattuor genera. ibidem.c
Immortalitatis supernaturalis quattuor genera. ibid.
Immortalis vocabulum variis modis posse accipi. 592.b
Immortalitas corporis vtrum pertineat ad naturalem integritatem & perfectionem naturæ humanæ, ita vt sine ea sit mutila & monstrosa naturaliter. 593. d. & sequent.
Immortalitas animæ rationalis sit ne ex gratia Dei, an ex natura sua. 428.per totam.
Immortalis animæ coniunctio cum corpore mortali, vtrum sit præter naturam hominis & monstrosa. 594 b. & 597.a
Improbitas per se instabilis est. 665.c
In prima rerum mundi fabricatione, non quod Deus absolute facere potuerit, sed quod eius sapientia naturalisq; ipsarum rerum dispositio deposcebat, spectandum est. 24.c & 121.c
Inæqualitas humanarum rerum, quomodo rectam mundi gubernationem ostendat, & cur Deus ea vtatur in illius administratione, & quid boni hominibus adferat. 169.a.b.c
Inimicitia & fraus quomodo differunt secundum Rupertum. 673.c.d

Innocentia.

Innocentiæ statum, & felicitatem primorum hominum tribus ex rebus cognosci posse. 317.b.c
Innocentiæ status quattuor excellentiæ declarantur. 521.c. & seq.
Innocentiæ status decem res habuisset, quibus homines valdè adiuti essent ad omnes doctrinas facilè ac perfectè comparandas. 544.b.c
Innocentiæ status non admittebat peccatum vllum veniale. 552.a
Innocentiæ status vnde habebat vt nullum inibi peccatum veniale committi posset. 554.c
Innocentiæ status dignitas, vtrum postulabat vt omnes generarentur cum gratia Dei. 556.a
Innocentiæ statu permanente, vtrum homines aliqui priuari potuissent iustitia originali. 583.c
Innocentiæ statu permanente si qui peccando perdidissent iustitiã originalem vtrũ eam iterum per pœnitentiam recuperassent. 584.a
Innocentiæ status, septem maximè rebus continebatur. 785.c

Intelligendi facultas.

Intelligendi facultatem, & functionem incommunicabilem esse bestiis. 605.b.c

Interpretatio.

Interpretatio prima verborum illorum cælum & terram, secundum D. Chrysostomum intelligentẽ totum hunc mundum corporeum. 44.b
Interpretatio secunda D. Augustini, intelligentis per cœlum naturam angelicam, per terram materiam informem omnium

nium corporum. 45.a
Interpretatio tertia eiusdem Augustini asserentis per cœlum & terram intelligendam esse materiam primam. ibid.b.c
Interpretatio communis, quæ est quarta multorum recentiorum, asserentium per Cœlum, cœlum empyreũ intelligi debere. 46.a.b
Interpretatio triplex illorum verborum Faciamus ei adiutorium simile sibi. *pag.*464.c
Interpretationes variæ illorum verborum Mosis Fiãt luminaria in firmamento cœli, & diuidãt diem & noctem: & sint in signa, &c. 237.c.d
Interpretationes sex illorum verborum In quacunque die comederis ex eo, morte morieris. 453. *vsque ad* 456.

Ioannes Picus.

Ioannes Picus Mirandulanus doctrinam Mosis ad Philosophorum decreta detorsit. 26.c.& 27.a
Ioannes Picus Mirandulanus ab auctore laudatur. 27.a.& 238.b c.d
Ioannes Annius Viterbiensis Chronographus nulla fide dignus. 36.c

Iosephus.

Iosephus vult esse aquas veras supra Cœlos sydereos, sed refellitur. 98.b
Iosephus scribit, Aegyptios initium anni à mense Septembri, tempore Mosis, ducere solitos. 128.a
Iosephus censet exordium Mundi fuisse in autumno. 131.b.c
Iosephus cõmemorat Abraam fuisse Astrologiæ peritissimum, ac doctrinam Astrologiam Aegyptios docuisse. 229.a
Iosephus asserit Paradisum terrestrẽ fuisse corporeum. 290.a
Iosephus tradit animalia fuisse in terrestri Paradiso. 310.c
Iosephus existimauit flumen Phison esse Gangem, sed refellitur. 333.d
Iosephus opinatur primum hominem fuisse appellatum Adamum, eo quod eum formauerit Deus è terra rubra. 285
Iosephi ratio friuola cur oblatio Abel placuerit Deo potius quàm Cain. 754.a
Iosephi supputatio annorũ ab Adamo vsque ad diluuium excutitur & emendatur. 781.c
Iosephus significat, serpentem qui tentauit Euam fuisse verum animal, pedibus & loquendi facultate præditum. 663.b
Iosephus refellitur, scribens Deum placatum sacrificio Caini, remisisse ei pœnam fratricidij. 750.a
Iosephus exponit qualis fuerit Cain post necem fratris sui Abel. 751.b.c
Iosephus magnum Annum definiuit sexcentis annis. 774.b

Irenæus.

Irenæus illud succinctorium siculneum Adami, pœnitentiæ eius signum fuisse censet. 658.a

Isaias.

Isaiæ liber tempore Cyri post Chaldæorum incendium integer reperiebatur. 11.b

Iudæi.

Iudæos sæpe in errorem colendi astra fuisse prolapsos. 139.a

Iulianus Apostata.

Iulianus Apostata dixit narrationem Mosis de serpente & Eua similem esse fabulis Poëtarum, sed refellitur à Cyrillo. 608.c.d
Iulianum Apostatam dicentem Abraamũ astrologiam & aruspicinam coluisse confutat S. Cyrillus. 240.b

Iustinus Martyr.

Iustini martyris de numero Cœlorum opinio. 215.b

Iustinus martyr sensit aquas veras esse supra Cœlos sydereos: quod nō probatur. pag. 98.c

Iustinus tradit, malitia dæmonis, Gentilium poëtas multa quæ traduntur in Sacris litteris, in suis fabulis prodidisse, & qua de causa. 324.a.b.c

Iustitia originalis.

DE iustitia originali tractantur quattuor quæstiones. 565.c.d

Iustitia originalis quid fuerit, disputatur. pag. 569

Iustitia originalis vtrum fuerit naturalis rectitudo voluntatis disputatur. 569.a.b

Iustitia originalis vtrum fuerit vnus certus aliquis habitus inhærens in homine, an complexio omnium habituum pertinentium ad perfectionem omnium potentiarū hominis, fuse disputatur. 570.d. *& sequent.*

Iustitia originalis vtrum tantùm efficiebat vt appetitus sensitiuus semper subesset, & pareret rationi, an illud præterea efficiebat, vt nunquam is appetitus commoueretur aduersus rationem, & vnde id accidebat. 572.a.b

Iustitia aliqua originalis vtrum fuerit in Angelis. 575.d

Iustitia originalis vtrum dici debeat donum Dei fuisse naturale, vel supernaturale. 576.a

Iustitia originalis cur sic appellata sit. ibid.b

Iustitia originalis vbi fuerit tanquam in subiecto, disputatur. ibid.

Iustitia originalis vtrum fuerit in essentia animæ, vt placet S. Thomæ. ibid.d

Iustitia originalis vtrum fuerit in voluntate tanquam in subiecto. 577.a

Iustitia originalis vtrum diuersa fuerit res à gratia, & ab ea separabilis, disputatur. 578.a.b.c. *& seq.*

Iustitia originalis quomodo erat, & quomodo nō erat separabilis à gratia. 581.a.b

de Iustitia originali cum disputant Patres quid eo vocabulo ferè intelligant. 582.d

Iustitiæ originalis quattuor mirabiles effectus. 559.a

Iustitiæ originalis quinque mirabiles effectus. 568.a

Iustitiam originalem aliud esse, & aliud statum hominis in iustitia originali. pag. 568.d

Iustitiam originalē fuisse in Adamo quomodo probetur in sacris litteris. 582.d. *& sequent.*

K.

KAVA *verbum Hebræum quid significet.* 111.c

Kedem vox Hebræa quid significet. 286.c.d

Keden vox Hebræa quomodo sit à Septuaginta interpretibus intellecta. ibi. & seq.

L.

LActantius copiosè disputat nō esse materiam æternam & ingenitam aduersus Hermogenem hæreticum. 38.b

Lactantius egregie confutat eos, qui astra animam & rationem habere, ex pulcherrima eorum disputatione motusque constantia argumentabantur. 224.a

Lactantius exactè describit humani corporis perfectionem. 410.b.c. 411. *per totam paginam.*

Lamech.

AN *Lamech occiderit Cain, & vnde id compertum sit.* 758.b.c

Lamechi verba illa, Septuplū vltio dabitur de Cain, de Lamech vero septuagesies septies, *quam varias interpretationes habeant. ibid.a.b*

Lectio versionis Septuaginta quæ habet, Compleuit Deus die sexto omnia opera, &c. *Conciliatur cum lectione Hebraica.* 173.a

Leo Papa tradit quædam memorabilia die Dominico peracta. 88.c
Leo Papa censet Mundum verno tempore fuisse conditum. 229.a
Leo Papa censet animam primi hominis non fuisse creatam ante corpus. 436.a
Leonis Papæ egregia sententia, quod astra non sunt ab hominibus colenda. 139.b.c

Lex.

Legem impositam Adamo, fuisse velut matricem & seminarium aliarum legũ tradit Tertullian. 443.c.& 444.a
Legem naturalem non fuisse sufficientem ad explorandam obedientiam Adami, nonnullis argumentis probatur. 446.b.c
Legum diuinarum genera quinque. 444.b.c
Lex positiua de non edendo de illa arbore, cur imposita fuit Adæ. 445.*per totam.* & 446.a
Lex positiua de non edendo de illa arbore cur imposita fuerit Adæ: rationem assignat S. Gregorius. 447.a

Libri.

Libri de rebus sacris olim conscripti, quos nunc non habemus, numerantur. 14.b.c
Libri quomodo antiquitus apud Hebræos scribebantur. 275.d.& 276.a
Libros qui in Actibus Apostolorum memorantur ab aliquibus combustos, fuisse de Astrologia iudiciaria tradit S. Augustinus. 243.b.c
Libertas humanæ volũtatis egregie astruitur ex illis verbis Domini, Sub te erit appetitus tuus,&c. 725

Lingua Hebræa.

Linguæ Hebreæ honestas & sanctitas. 717.a
Linguam, qua vsi sunt primi homines, fuisse Hebræam. ibid.c.d

Loca Sacræ Scripturæ.

Loca Sacræ Scripturæ quæ fauere videntur opinioni, Astra esse certa signa rerum futurarum, explicantur. 285. *per totam.*
Loca sacræ Scripturæ quæ fauere videntur opinioni de aquæ altitudine supra terram explicantur. 107.a.115.a.b.c. & 117.c.118.a.b.c
Longæuitas aliquorum animalium. 715.a
Loquacitas falsæ Philosophiæ, ac simulatæ religionis superstitio, in Christi fide cauendæ. 25.c

Luna.

Luna an sit post Solem maxima omnium syderum. 142.c
Luna cur cum fere syderum omnium minima à Mose appellata sit Luminare magnum. 143.a
Lunæ magnitudo quanta sit secundum Mathematicos. 141.c
Lunam creatam fuisse in plenilunio, Bedæ opinio. 140.c
Lunam conditam fuisse in nouilunio, sententia est plurimorum. 140.c.& 141.a
Lunam minorem esse cunctis astris & planetis, Mercurio dumtaxat excepto, docent Mathematici. 143.a

Lux.

Lucis cur nomen & similitudo ad res sacras explicandas vsurpetur. 69.b
Lucis proprietates trigintaquatuor, à Dionysio Areopagita enumeratæ. 68.c
Lucis laus. 69.b
Lucis nomine significari confirmationem & consummationem Angelorum in gratia sensit S. Augustinus. 71.b
Lucis primæ effectus à Dionysio Areopagita describuntur. 78.c
Lucis nomen absolutè in Scriptura positum,

prolucc Solis interdum accipi. 79.b
Lucem creari primo die, quam conueniens fuerit. 69.c
Lucem illam in principio conditam, non fuisse corporalem sentit Rupertus, Abbas, sed improbatur. 72.a.& 73.a
Lucem illam in exordio Mundi creatam, fuisse corporalem & sensibilem est fere communis opinio, quam etiam Ecclesia amplexari videtur. 72.a.b
Lucem illam primam à Deo factam fuisse elementum ignis significat Damascenus, cuius sententiam Auctor interpretatur. 73.b
Lucem esse formam substantialem astrorum dixit S.Bonauentura, quem S. Thom.& Scotus confutat. ibid.
Lucem in principio factam, fuisse tantum lucem Solis perfectam æquè ac nunc est asserit Catharinus quæ opinio refellitur. 75.a.b
Lucem in exordio Mundi conditam fuisse quoddam corpus lucidum ad densæ lucentisq; nubis similitudinem senserunt Beda, Hugo de S.Victore, Magister senten. aliiq; Scholastici complures, cui opinioni contradicit D.Thomas. 75.c
Lucem primo die creatam, fuisse immaterialem, atque eam postea quarto die in Sole veluti in suo vehiculo collocatam indicat S.Basilius 76.*per totam* 77.a.b. *idemque significat Gregorius Nazianzenus.* ibid.c
Lucem quæ primo die facta fuit, visus hominum ac animalium sustinere non potuisse, idcirco in Solem & Lunam esse quarto die dispertitam, dixit Theodoretus. 78.a
Lucem primigeniam, ab Angelo circa illam primam massam aquæ & terræ circumactam, distinxisse noctem à die, asserit Beda. 81.c
Lucem primi tridui distinxisse noctem à die eodem modo quo nunc fit. 82.a
Lucem primo die conditam, fuisse positam in Meridie, opinio Bedæ fuit. ibid.a.b
Lucem primo die conditam, positam fuisse in Oriente, senserunt Hugo de S.Victore, Caietanus, & S.Augustinus. 83.b.c
Lucem primigeniam creatam fuisse in Dominico die ostenditur. 88.c
Lucem primo die à Deo conditam fuisse lucem Solis imperfectam, ac quarto die totam suam perfectionem accepisse, Doctorum auctoritatibus, validissimisq; argumentis probatur. 79.*per totam.*& 140.b
Lucem primo die conditam, significare rectam mentis intentionem quam vnusquisque habere debet in rectis operibus peragendis, tradit Hugo de S.Victore. 160.c
Luci Solis quænam quarto die accessio sit facta. 80.b.c.& 131.b
Lumen & motus, Cœli sunt ornamenta, sed principalius est lumen, cum motus propter lumen sit. ibid.
Lux illa in qua habitare Deus dicitur quænam sit. 47.c
Lux quam fuisse ante Mundi constitutionem tradit Basilius, an potuerit esse tenebrarum causa. 62.c
Lux prima qualitas actiua primi corporis, scilicet Cœli. ibid.
Lux ad omnes res corporeas fuit effusa. 68.c
Lux generale principaleq; instrumentum causarum cœlestium, quo vis omnis syderum omnisq; destruxus & effectus ad nos defertur. 69.a
Lux colorum & corporum omnium ornamentum. 16.d
Lux ornamentum & pulchritudo omnis creaturæ visibilis. ibid.
Lux primo die condita, an spiritualis vel corporalis fuerit tractatur, & quid de hac re senserit Sanctus Augustinus proditur. 71.a.c
Lux primo die condita, in illo primo triduo diem à nocte distinxit per radiorum suorum contractionem & exnensionem secundum

secundum Basilium & Damascenum: quos S. Augustinus, Beda, & B. Thomas refellunt. 81.a.b

Lux primo creata quo in loco cœli posita fuerit, fuse tractatur. 82.c.& 83.a.b

Lux primo die condita, primam operationem quæ fit in iustificatione hominis, scilicet mentis illuminationem significat. 161.a.b

Lucretij poëtæ sententia quod mundus non sit æternus & habuerit initium. 31.a

M.

MAgi ex quanâ regione ad adorandum Christum dominum venerint. 287.c

Mala non esse, quæ viris bonis aduersa contingunt: nec bona, quæ malis accidunt prospera. 751.c

Mala humana quænam sint, & quomodo Dei gloriæ Vniuersiq; bono inseruiant, explicatur. 168.b

Malorum tria genera, quæ videntur esse in Mundo, ad perfectionem eius facere. 168.a.b

Maor vox Hebræa quid significet. 80.a

M. Tullius & M. Varro.

M. Tullius censet animos hominum ex diuina natura esse libatos, sed falsò. 419.b

M. Tullius censet vitam hominis quamuis bonorum omnium refertissimam, fore tamen illi absque societate hominum iniucundam & acerbam. 462.a

M. Varro tria in tempora omne Mundi ævum distribuit. 32.b

Mare.

MAre an sit altius quam terra disputatur. 113.c

Mare esse locum congregationis aquarum intellexit Sanctus Basilius & Aristoteles. 110.c

Mare Caspium an habeat communicationem cum Oceano. 119.c.& 120.a

Mares & fœminæ æquali numero nasci debuisse in statu innocentiæ, nonnullis rationibus probatur. 495.b.c

Maria omnia & quælibet aquarum loca, esse illum locum vnum, in quo aquæ Dei præcepto congregatæ sunt, asserit Beda. 120.b

B. Maria virgo quomodo contriuerit caput diaboli secundum Bernardum. 616.b.c

B. Mariæ Virginis magnitudo meritorum super omnes sanctos vnde proueniat. pag. 792.a

Mariti in vxores in statu innocentiæ quale imperium & potestatem habituri fuissent. 389.b

Materia.

MAteria primigenia hominis an remaneat per totam vitam. pagina 268.a

Materiam nec æternam nec ingenitam esse, nec in principio fuisse. 38.a

Materiam illâ quæ addita fuit costæ Adami, creatam fuisse ex nihilo sentit S. Thomas, Tostatus verò è terra vel alio corpore sumptam. pag. 476

Materni Astrologi falsa prædictio, de iis qui sub Saturno constituto in Leone nascuntur. 245.a

Memoria Menstrui, &c.

MEmoria nulla apud Gentiles rerum gestarum supra Noëtici diluuij tempus extat. 35.a

Menstrui muliebris fœditas, & pestilens vis ex Plinio. 680.d

Mercurius Trismegistus posterior Mose. pag. 7.a

Messalæ contigisse rerum quas nouerat oblivionem, etiam sui nominis. 535.b

Metalla cur non memorentur à Mose in Mundi creatione describenda. 125.c

Methodius.

METhodio Martyri falsa quædam reuelatio à nonnullis afficta. 180.c

Methodius & Proclus disertè probarunt, Mundum nunquam esse interiturum secundum substantiam. 207.d
Metus improborum hominum qualis sit. 743.b.c

Michal & Michaël.

Michal apud Hebræos genus dicendi scribendiq; vrbanum, acutum, & elegans. 13.c
Michaëlis Medinæ opinio de Prophetia Henoch discutitur. 797.c
Millesimum annum nullus mortalium attigit, & cur. 774.c
Modi quattuor generationis hominũ. 472.c
Modus describitur iuxta D. Augustini sententiam; quem in variis Scripturarum expositionibus nos habere conuenit. 25.b
Moralis digressio de hominis principatu & imperio in animalia. 399.c.& 400.a.b
Moram illam, quam Deus posuit in mundi creatione non arguere impotentiam Dei, & quidnam illa significet. 291.a.b
Mõstra & naturales defectus, cur in mundo eueniant, assignatur ratio. 168.a

Mors.

Mors hominis quadruplex. 457.b
Mors quomodo sit homini naturalis. 458.b
Mors cum sit homini naturalis, quomodo sit illi propter peccatum inflicta tanquã pœna. ibid.c
Mors quonam modo sit à Deo. ibid.
Mors vt pœna peccati, est à Deo. 459.a
Mors maximè omnium rerum horribilis secundum Aristotelem. ibid.
Mors tribus viis nobis exploratè cognita fide scilicet, ratione, & experientia. 460.b
Mors quam sit horrenda & formidanda homini ex aliis humanis morbis cognoscitur. ibid.c
Mors quibus ex rebus homini possit accidere. 587.d
Mortificatio affectuum post peccatũ Adæ, homini acerba & laboriosa. 400.a
Mos antiquissimus orandi ad Orientem, vnde ortum habuerit. 287.b

Moses.

Mosem per cœlum & terram à Deo condita, totum hunc mundum corporeum nobis significare voluisse, tradit S. Chrysostomus. 44.c
Mosem per Cœlum, naturam angelicam, per terram, materiam omnium corporum informem intellexisse, asserit Diuus Augustinus. 45.a.b
Mosem, nomine terræ, aquæ, abyssi, materiã primam informem significare, sentiunt Sanctus Augustinus, Marsilius, & Gabriel. 50.b.c
Mosem in sua historia creationem rerum visibilium tantùm exponere, tradit D. Hieronymus. 52.c.& seq.
Mosem nomine cœli voluisse in sua narratione duntaxat Cœlum empyreum significare non videtur probabile. 52.b
Mosem per Spiritum domini, non intellexisse aërem vel ventum, sed Spiritum sanctum, sentiunt D. Hieronymus, Basilius ac Diodorus Tharsensis. 62.c
Mosem propter Hebræorum ad Idololatriã procliuitatem, Angelorum creationem tacuisse, sentiunt S. Athanasius, Chrysostomus, ac Theodoretus, quæ opinio minimè probatur Tostato. 195.b.c
Mosem creationem Angelorum tacuisse ob id quod multis iam ante sæculis conditi fuerant, tradunt Sanctus Basilius, & Damascenus. 196.a
Moses cur in describenda Mundi creatione simplici tantum narratione sit vsus. 3. & 4. per totas.
Moses auctore Eupolemo, primus qui Hebræis litteras tradidit. 6.a

Moses quingentis annis Homero antiquior. 5.c
Moses, omnibus Scriptoribus, Philosophisque antiquior. 6.b
Moses æqualis Cecropis primi Atheniensium regis. 7.a
Moses tribus de causis præstãtissimus Theologus fuit. 8.a
Moses partem non minimam metro libri Iob composuit. ibid.b
Moses vndecim illorum Psalmorum, qui ab octogesimo octauo, vsque ad centesimum numerantur, secundum D. Hieronymum, auctor fuit. 9.a
Moses omnium Theologorum, Philosophorum, Poëtarum, & Historicorum primus. 8.a
Moses an scripserit totũ Pẽtateuchũ. 12.c
Moses ante Hebræorũ decessum ex Ægypto, librum Geneseos composuit. 16.c
Moses ad consolandos Hebræos in Aegyptiaca captiuitate positos, Genesim edidit. 17.c
Moses vnde habuerit doctrinam de opificio mundi, quam nobis tradidit. 15.c
Moses partim diuina reuelatione, partim fidelissima maiorum suorum traditione, creationem mundi cognitam habuit. 16.a.c
Moses ea quæ scripsit de mundi opificio, primo iuxta litteralem sensum accipi voluit. 22.c
Moses cum dicit Deum fecisse mundum, satis ostendit solum & non aliis consociatum omnia creasse. 43.b
Moses cur de duobus elementis, scilicet, terra & aqua tantùm explicitè mentionem fecerit. 55.a
Moses cur vt terræ, sic etiam aquæ Deum esse creatorem apertè non docuerit. pag.66.c
Moses cur solius lucis expressam mentionem fecerit & non motus Cœlestis. pag.68.c
Moses cur in numerandis primis sex diebus, prius commemoret vesperam, quàm mane. 87.a.b
Moses cur diem in quo facta est lux appellauerit diem vnum & non primum. 88.b
Moses cur in creatione mundi, mentionem metallorum non fecerit. pagina 125.c. & 126.a
Moses cur de septem planetis, duorum tantùm, scilicet Solis & Lunæ mentionem fecerit. 143.b.c
Moses in creatione mundi mentionem Cætorum faciens; omnia alia grandiora genera piscium intelligi voluit. 147.a
Moses cur vt in aquatilibus, itidem in plantis & animalibus terrestribus, aliquam particularem speciem non nominauerit. ibidem
Moses cur enarrans productionem aquatilium, mentionem fecerit volatilium. 152.a.b
Moses appellando pisces reptilia animæ viuentis, & animalia præcisè Animam viuentem, quanto sint hæc illis perfectiora indicauit. 103.b
Moses quonam modo tradat Deum requieuisse ab omni opere quod patrarat, cum Dominus noster in Euangelio dicat. Pater meus vsque modo operatur, & ego operor, *declarat S. Augustin.* 174. b.c. *& alij Theologi.* 175.b.c
Moses cum dicit Deum creasse omnem herbam regionis priusquàm germinaret, &c. ostendit generationem primã plantarum non naturaliter sed Dei potentia fuisse factam. 180.c
Moses cur in mundi creatione mentionem Angelorum non fecerit. 194.b
Moses cur de Paradiso terrestri post creationem hominis mentionem fecerit. 283.b
Moses cur de creatione animæ Euæ mentionem non fecerit. 481.b.c
Moses cur plurali numero dixerit masculum

lum & fœminam creauit eos Deus rationem dat S. Auguſt. 493.b
Moſes cur tantùm ſerpentis mentionem faciat, nullam vero expreſſe ipſius diaboli qui tamen illius maleficij princeps auctor fuerat. 621.b.c
Moſes commemorans decem generationes ante diluuium vtrum aliquam omiſerit ſicut omiſit poſt diluuium. 729.a
Moſis doctrinæ præſtantia de creatione Mundi quanta ſit. 2.a
Moſis doctrinæ vtilitas quanta ſit, & quid boni homini adferat. ibid.b
Moſis laus. 5.a.b
Moſis antiquitas quanta ſit deſcribitur. ibidem.c
Moſis doctrina non ab illo conficta, vel ab hominibus accepta, aut naturæ veſtigiis indagata, ſed indicante Deo, nobis tradita fuit. 8.b
Moſis narratio in libro Geneſeos, non eſt locutio figurata ſed vera rerum geſtarum expoſitio. 22.c
in doctrina Moſis, nihil intelligendum, quod manifeſtis experimentis, aliiſq; honeſtis diſciplinis repugnet. 25.b
Moſi ſententiæ, ad decreta Philoſophorum Poëtarumq; fabulas, non ſunt detorquenda. 26.b
Moſis propoſitum & intentio, in doctrina de creatione Mundi tradenda quænam fuerit. 52.b.c
Moſis narratio de flammeo gladio, & Cherubin poſitis ante Paradiſum, ſitne hiſtoricè an allegorice accipienda. pagina 702.a
Moſis doctrina de creatione Mundi & creatione hominis, quantum conducat ad cognitionem Dei, & conditionis humanæ. 711.b
Motum circularem nec naturalem, nec violentum eſſe Cœlo, ſenſerunt Auicenna Albertus, Scotus, & Durandus. 220.d
Motus circularis ſi naturalis eſt Cœlo, quonam modo eius ceſſatio non erit poſt diem iudicij illi violenta, declarat Sanctus Thomas. 219.c.d

Mulier.

Mvlier qua in parte æquè vt vir creata ſit ad imaginem Dei, ſecundum B. Auguſtinum. 380.b
Mulier qua in parte non æquè vt vir condita ſit ad imaginem Dei, ſecundum eundem. ibid.b.c
Mulier & vir quomodo habeant erga dona ſupernaturalia. ibid.c.& ſeq.
Mulier quibus in rebus ſimilis & diſſimilis viro creari debuit. 464.a.b
Mulier quibus in rebus æqualis viro ſit à Deo cõdita ſecũdũ B. Baſilium. 381.a.b
Mulier quibus in rebus ſit adiutorium viro, declarat S. Auguſtinus. 465.b
Mulier non per ſe, ſed propter virum à Deo condita. 466.a
Mulier animal occaſionatum ab Ariſtotele appellata. ibid.b
Mulier ex viro à Deo formata, vt dignitas excellentiaq; hominis appareat. pagina 472.b
Mulier ex viro formata fuit, vt innoteſceret myſterium, quod eſt inter Chriſtum & Eccleſiam. ibid.b.c
Mulier cum ſecundum Ariſtotelem ſit animal læſum, occaſionatum, & imperfectum, quomodo in ſtatu innocentiæ generari potuiſſet. 496. per totam pag.
Mulier in ſtatu innocentiæ quomodo ſine dolore peperiſſet. 681.a
Mulierem eſſe coram viro quid ſignificet ſecundum Dauid Kimhi, cuius interpretatio refellitur. 465.a
Mulierem non eſſe ſeruam viri, ſed ſociam, probatur auctoritate Ariſtotelis. ibid.b
Mulierem eſſe coram viro quid ſignificet ſecundum Caietanum. ibid.
Mulierem partim fuiſſe neceſſariam viro, partim non neceſſariam, oſtenditur ibi.c. & 466.a
Mulierem quæ res declarent eſſe præſtantiorem

tionem cæteris, præter virum, animantibus. 466.b
Mulierem cur voluit Deus ex viro & non è terra formare, assignantur quinque rationes. 471. per totam pag.
Mulierē ex viro formauit Deus, vt vnitatem societatis commendaret homini. 471.c
Mulierem subiici viro, an fuerit pœna peccati. 682.a
Mulieris subiectio in statu innocentiæ iucunda & voluntaria, contra vero sæpissime accidit post peccatum, & quibus de causis. 399.a.b
Mulieris ex viro denominatio, in sola lingua Hebræa cernitur. 489.a
Mulierum incommoda, cum gestant vterum, ex Plinio. 679.c

Multa.

MVlta per legem Mosis sancita, in vsu & consuetudine antea apud veteres Patriarchas fuerant. 18.c.& 19.a
Multa è Mosaicis scriptis veteres Philosophi ac Poëtæ furati sunt, quæ suis fabulis immiscuere. 20.b
Multa quæ traduntur in sacris litteris, à Poëtis in suis fabulis fuisse prodita scribit Iustinus martyr, & qua de causa id fecerint. 324. per totam pag.

Mundus.

MVndi vocabulo omnia creata comprehenduntur. 2.b
in Mundi rerum dispositione, non est sine causa ad miracula & omnipotentiam Dei recurrendum. 24.c
Mundi ab ortu vsque adhuc, non plures quam sexcenti & quinquies mille anni præterierve. 35.a
Mundi opificium quantum sit, nemo mortalium comprehendere valet. 43.b
Mundi primordia fere scriptores omnes ad æquinoctium, vel vernum, vel autumnale retulere. 128.a
Mundi status in Mundi initio incompositus, inordinatus, & tenebrosus: statum hominis permanentis in peccato significabat. 161.a
Mundi status, illis sex dierum operibus dispositus, ornatus, & decoratus: statum iustificati hominis significabat. ibid.b
Mundi rerum varietas quanta sit. 165.b
Mundi bona septem, scilicet Varietas rerum Ordo, & illarum dispositio: Earum plenitudo: Miranda omnium inter se partium connexio: Sympathia & Antipathia, quæ inter res aliquas reperitur, Pulchritudo illarum ac inter se proportio, Suauis earum prouidentia & administratio, explicatur. 165.& 166. per totas paginas.
Mundi ex contrariis rebus compacti quanta sit æquabilitas. 167.a
Mundi vniuersitas propter gloriam Dei, & vsum hominis condita, & quomodo egregiè id faciat consideratur. 169.c. & 170.a
Mundi tria in constructione cogitanda, tradit Diuus Bernardus, quid sit, quomodo sit, & ad quid sit factus. 170.c.& 171.a.b
Mundi ætates quæ & quot annos singulæ contineant. 193.c
Mundi orientalis pars vtrum præstantissima omnium. 287.c
Mundum, non in temporis puncto, sed sex dierum spatio à Deo conditum fuisse. pag.22.c
Mundum non fuisse ab æterno, probatur ex illis verbis Mosis, In principio creauit Deus, &c. 28.b
Mundum non fuisse æternum, non Sapientum modo, sed & indoctorum hominum iudicio comprobatur. 29.c
Mundum esse in initio temporis conditum, maximum argumentum est, eius creationis

tionis cognitionem, hominem ad veram Dei cognitionem religionemque adducere. ibid.c

Mundum nõ fuisse æternum probatur præcipuè ex eo quod supra sex annorum millia nulla rerum gestarum memoria extat. 30.c

Mundum esse figuræ sphæricæ, ostendit diuina Scriptura, eum sæpenumero orbem appellando. 57.a

Mundum vna cum luce non fuisse conditum. 84.b

Mundum mense Iulio fuisse factum tradit Gerardus Mercator, eiusq; argumenta produntur, quæ confutantur. 127.per totam paginam.

Mundum die vigesimaquinta Martij conditum fuisse qui Auctores censuerint. 229.a.b

Mundum die decimo octauo Martij creatum fuisse, sentiunt Strabus & Rabanus Beda, & Glossa interlinearis. 229.b

Mundum conditum fuisse verno tempore. ex eo quod in illo solent prata virere argumentatur D. Ambr. ibid.c.& seq.

Mundum conditum fuisse verno tempore, communis est opinio. ibid.b

Mundum conditum fuisse verno tempore, declaratum fuit in Synodo Palæstina sub Victore Papa congregata. ibid.

Mundum tempore veris creatum fuisse, argumentatur Theodoretus ex plantarum germinatione quæ in illo tempore fieri solet. 130.b

Mundum creatum esse mense Martio, esse dogma Ecclesiæ, affirmat Magister historiæ Scholasticæ. ibid.

Mundum conditum fuisse vigesimaquinta die Septembris, sententia doctissimorum Hebræorum, vt refert Tostatus, fuit, quæ excutitur. 131.& 132

Mundum seu Vniuersum, etiamsi aliqua species ei desit perfectũ dici posse. 156.b

Mundũ potuisse fieri meliorẽ quattuor modis tradit Auctor, scilicet secundũ quantitatem, secundum plenitudinem & rerum vniuersitatem secundum durationem, & secundum accidentalem perfectionem. 171.c

Mundum non potuisse fieri meliorem quattuor aliis modis, scilicet secundum substantialem rerum perfectionem, secundum ordinem & partium Mundi dispositionem, secundum gubernationem ac secundum proportionem & rerum inter se conuenientiam. 171.c.& 172.a

Mundum fuisse conditum totum in vno instanti senserunt D. Augustinus, Philo Iudæus, Caietanus & Procopius Gazæus. 184.per totam.

Mundum fuisse conditum per sex dierum interualla, fere omnium Patrum & Doctorum Ecclesiæ sententia est. 181.per totam.

Mundum fuisse conditum per temporum interualla sensit Dionysius Areopagita. 186.a

Mundum fuisse conditum per temporum interualla probat Auctor. 176.c.d.& 177.per totam pag.

Mundum cur non pluribus aut paucioribus quam sex diebus Deus cõdiderit, veram & propriam rationem sciri non posse. 191.b

Mundum duplicem, Græcos & Barbaros intellexisse scribit Eusebius. ibid.d

Mundum eo quod sex tantum diebus conditus fuerit sex annorum millibus duntaxat duraturum, habuit vetus multorum traditio. 192.per totam

Mundum quinam ex Catholicis Doctoribus sensere sex annorum millibus tantum esse duraturum: & vnde ad hoc credendum persuasi: & quænam de hac re sit Auctoris sententia explicatur. 193. per totam pag.

Mundum esse aliquando interiturum quinam ex Auctoribus profanis senserc. 202.d

Mundum non esse vnquam interiturum tradere

tradere videtur Philo Iudæus in quodã libello, cuius tamen eum non fuisse auctorem non temere creditur. 203.a.b
Mundum nunquam omnino secundum substantiam destructũ iri, cõfirmatur Scripturarum testimoniis. 207. per totam pag. & 208.a.b
Mundum non esse interiturum secundum substantiam sensit in suis Collectaneis Oecumenius. 211.b.c
Mundum non periturum materialiter, sed accidentaliter, Sapientes Græcorum tradidere. ibid.c.d
Mundus non est effectus adæquatus suæ causæ scilicet Deo. 43.c
Mundus cũ Deo comparatus, pro nihilo est. ibidem.
Mundus, quemadmodum ab alio quàm à Deo effici non poterat, sic etiam nisi ab ipso conseruari & gubernari non potest. 44.a.b
Mundus an verno tempore sit conditus. 127.a
Mundus an conditus fuerit per sex dierum spatium, an vno puncto temporis & momento disputatur. 184.a
Mundus tria rerum genera cõtinet, & quænam illa sint. 192.a
Mundus quonam modo perfectus erit post diem Iudicij carens tot mistorum generibus. 210.d.& 211.a.b
Mundus secundum extensionem & diffusionem diuinæ bonitatis, imaginem Dei magis repræsentat quàm homo. 378.a
Mundos plures esse non posse dixit Aristoteles, falsum supponens principium. 38.c
Munus generandi quod in cæteris animantibus virtutis & vitij capax non est, in homine vtrumque habere potest. 154.b
Mysterium Sanctißmæ Trinitatis fuisse significatum in illis verbis. Faciamus hominem ad imaginem, &c. obseruarunt Patres & quomodo. 355.c.d
Mystica interpretatio Cherubin, & flammei gladij quæ erant ante Paradisum. 696.d

N.

Napach verbum Hebræum quid significet. 418.c
Natura non fert vnum contrarium sine altero. 55.c
Naturæ gradus tres & qui. 404.b
Naturales vires, rebus naturalibus inditas, Scriptura leges & Dei præcepta appellat. 118.c
Necessitatem moriendi, tribus viis esse nobis persuasam. 460.b
Necessitudo & cõiunctio mariti & vxoris, à Deo declarata, cum primos illos homines, marem & fœminam fecit. 490.a
Nepotes Seth ante diluuium Hebraicarum litterarum, secundum Augustinum & Iosephum fuere auctores. 6.a
Nessamah vox Hebræa qd significet. 420.a

Nicolaus de Lyra.

Nicolaus de Lyra tradit, annos qui numerantur ab exordio Mundi, haberi cognitos ratione probabili, nõ tamen certitudine infallibili. 35.b
Nicolaus de Lyra censet nomine Cœli, in mundi creatione, intelligendum esse, Cœlum empyreum tantùm. 46.b
Nicolaus de Lyra quid sentiat de prima illa in exordio mundi luce. 75.c
Nicolaus de Lyra, refellit quandam opinionem Iosephi de fructu Arboris scientiæ boni & mali, sed non validè. 328.b
Nicolaus de Lyra approbat interpretationem Rabbi Salomõ, cur Eua dicatur ædificata ex costa Adami. 480.c
Nicolaus de Lyra approbat opinionem illorum qui dicũt Mundum habuisse initium in Autumno. 131.b
Niciæ ducis Atheniẽsium exitialis inscitia. 280.d

Nigidij Figuli prædictionem de futuro Augusti principatu fuisse fortuitam probat Auctor. 258.c

Noctem seu tenebras præcessisse creationē Mundi, senserunt Mercurius Trismegistus, Hesiodus, & Thales Milesius. 6.c

Nominum impositio ab Adamo facta, quid denotaret. 525.b

Nominum impositionem, commodius & felicius fieri in lingua Hebræa, quàm in aliis linguis. 526.a

Nudi cur fuerint in Paradiso primi homines. 656.d

Nuditas corporis quibus de causis non sit pudenda. 515.c.& 516.a

O.

Obedientiæ præstātia secundum B. Gregorium. 447.a.a

Obediētialis potētia in creaturis erga Deū quāta sit. 170.b

Obiectiones quattuor ex Sacris litteris desumptæ, ac adductæ pro confirmatione opinionis, Aquas esse supra sydereos cœlos, diluuntur ab Auctore. 208.b.c

Obiectiones tres dicentium, Euam non formari debuisse ex costa viri, sed ex eodem puluere quo factus est vir diluuntur. 474.c.& 475.a

Oculos fuisse apertos primis hominibus post peccatum quid significet. 653.a

Oculorum incuriosa custodia quanta mala pariat secundum Bernardum. 632.c.d

Oecumenius sensit in suis Collectaneis Mundum non esse interiturum secundum substantiam. 211.b

Oenomaus vehemens & disertus oraculorum Apollinis confutator. 241.b

Oleaster refellitur, dicens in statu innocentiæ conceptam prolem statim in lucem editum iri. 678.a

Omnis priscarum rerū memoria, apud quasuis gentes & nationes, Noëtico diluuio recentior. 36.c

Omnia esse in Mundo, quinque modis intelligi posse. 165.c

Opinio.

Opinio D. Augustini de creatione Mūdi in iuuentute, eiusdemq; in senectute priorem corrigentis. 23.b.c

Opinionem de altitudine montis Olympi, Atho, & Atlantis, esse magna ex parte fabulosam. 296.d.& 297.a.b.c

Opinio quorumdam dicētium illa verba Ad imaginem & similitudinem nostrā, significare tantùm imaginem filij Dei secundum naturam humanam ab illo assumendam, refellitur. 371.c

Opinionem Eugubini & Oleastri dicentium Deum cum creauit hominē induisse formam humanam confutat auctor. 372.a.b

Opinio quorumdam dicentiū illud Ad imaginem Dei, significare ideam & exēplar hominis quod erat in mente Dei, refellitur. 372.c

Opiniones falsæ aliquorum Doctorum, circa Cœlum, Antipodas, & altitudinē aquæ, enarrantur. 25.c

Opiniones nouæ licet admodum probabiles, & plausibiles, quomodo diligenter examinandæ, & lente atque cunctanter probandæ sint. 809.c

Oraculorū Apollinis vanitas quāta. 240.d

Oraculum Apollinis sæpe fuisse mentitum tradit Porphyrius. 241.a.b

Ordo rerum qui est decor mundi, vnde præcipuè cernatur. 165.b.c

Orientalem partem terræ, quam esse intelligat diuina Scriptura. 288.a.b.c

Origenes.

Origenes, qui in creatione mundi per aquas super cœlestes bonos Angelos, per sublunares vero malos angelos intelligebat, à S. Basilio, ac ab Auctore refellitur. 23.c.ab aliis etiam. 98.a

Origenes putauit stellas esse animatas, & virtutis & vitij capaces, ac pro illis mortuum esse Christum, sed falsò. 222.b

Origenes

Origenes quid sentiat de loco & motibus stellarum in cælo. 231.a
Origenes existimans Astra esse à Deo in cælo posita, vt sint signa rerum futurarum, refellitur. 271.a
Origenes asserēs Mosaicam terrestris Paradisi descriptionē, esse mystice & figuratè intelligendam, refellitur. 289.a.b
Origenes & S. Augustinus quo sensu intellexere per peccatum perdi imaginē Dei. 385.c
Origenis ac aliorum opinionem dicentium illa verba Ad imaginem & similitudinē nostram, imaginem filij Dei tantùm significare refellit S. Augustinus. per totā pag. 370.c. & 371.a
Origenis cōtra Astrologos egregia disputatio ab Eusebio commemorata. 244.c.d

Ouidius.

Ouidij sententia, quod Astra sint animata. 160.a
Ouidij sententia de origine hominis è terra. 404.b
Ouidij sentētiæ variæ de principio hominis. 360.d

P.

Paradisus.

Paradisi Mosaica descriptio, tātum mystice & figuratè intelligenda, secundum Philonem & Origenem. 289.a.b
Paradisi nomine denotari vniuersam terrā, opinio quorundā fuit à D. Hugone commemorata. 291.d. & 292.a
Paradisi descriptio secundum Basilium, Ephræm, Damascenum, & Isidorum. 293. per totam pag.
Paradisi magnitudo quanta fuerit secundū Ephræm ac Tostatum. 298.d. & 299.a
Paradisi magnitudo quanta fuerit secundum Auctorem. 299.b.c
Paradisi locus cur nunquam ab vllo mortalium repertus sit, plurimæ causæ traduntur. 301. per totum & 302.b
Paradisi viam notam fuisse hominibus ante vniuersale diluuium scribit S. Chrysostomus. 301.d
Paradisus terrestris quonam in loco fuerit secundum Auctorem. 303.b. & 345.a.b
Paradisi disputatio quàm difficilis sit demonstratur. 345.c.d
Paradisi culturam non fuisse futuram in statu innocentiæ laboriosam homini, & qua de causa. 435.b
Paradisi cultura quot bona in statu innocētiæ homini contulisset. ibid.b
Paradisi custodiam fuisse necessariam homini in statu innocentiæ, & ob quas causas. 436.a.b
Paradisum fuisse consitum tertia die communis sententia est. 223.c
Paradisum terrestrem, non fuisse corporeū, sed intelligibilem & spiritualem videtur sensisse D. Ambrosius. 289.b
Paradisum terrestrē fuisse visibilem, tradit S. Augustin ac opinionem contrariam inter hæreticorū errores enumerat. 290.a
Paradisum terrestrem fuisse corporeum, est Patrum communis sententia. ibid.
Paradisum terrestrem fuisse corporeū, scribit Sophronius Patriarcha, quod etiam à sexta Synodo comprobatum fuit. 241.a
Paradisum terrestrē fuisse corporeū, ex ipsa Mosis narratione perspicitur. 291.b
Paradisum terrestrem, quid causæ fuerit, cur veteres aliquot Auctores senserint fuisse spiritualem tantùm. 291.b
Paradisum fuisse situ excelsum vsque viciniam cæli, opinio complurium fuit, quæ refellitur. 295.d. & seq.
Paradisum fuisse vbi est finis & terminus exhalationum & vaporum scribit Alexander de Hales. 296.b
Paradisum fuisse locatum in textia aëris regione scribit Tostatus, sed refellitur. ibid.
Paradisum terrestrem miraculosè conseruatum tempore vniuersalis diluuij scri-

bit Scotus, quod minimè probatur. 297.c.d
Paradisum terrestrē fuisse in iis regionibus quas Tigris & Euphrates præter labuntur, & nō procul à Mesopotamia. 298.b.c
Paradisum cur tam pulchrum comparauerit Deus homini tam breui spatio temporis in illo commoraturo. 300.per tot. pag.
Paradisum terrestrem in præsentia non extare, multis argumētis probatur. 302.d. & 303.a.b.c
Paradisum terrestrem etiam nunc existere, quinam auctores senserint: eorumq; sententiæ ab auctore expenduntur. 305.per totam, & 306.a.b
Paradisum terrestrē fuisse generali diluuio destructum. 308.b c
Paradisus terrestris ante hominis creationem conditus. 283.b
Paradisum terrestrem fuisse conditum post creationem hominis significat Sanctus Basilius. ibid.c
Paradisus vox Persica & non Græca. 284.b
Paradisi vox quid in sacra Scriptura significet. ibid.c.d
Paradisus vbinam fuerit secundum Tertullianum. 292.c.d
Paradisus qui locus fuerit secundum Rupertum. 293.d
Paradisus quidnam fuerit secūdum Catharinum, Bedam, & alios. 294.a
Paradisum fuisse vltra Oceanū opinio multorum fuit, sed falsa. 294.b.c.d
Paradisus qualis fuerit, & quāta eius præstantia ab Auctore describitur. 309.a.b
Paradisus terrestris, vtrū diluuio pericrit. 297.c.208. & seq.

Particula Partus.

Particula In die, In sacris litteris sæpe pro tempore ponitur. 85.a
Particula illa Et, posita inter illa verba, Cūctis animātibus terræ & volatilib.cæli, quomodo sit intelligēda declaratur. 152.c
Partus aliorum animalium non æquè laboriosos esse, atque hominis. 681.d
Passiones appetitus sensitiui vtrū fuissent in homine in statu innocentiæ. 574.d
Pastoriæ artis laus. 719.c
Patres in filios in statu innocentiæ habituros fuisse imperiū & potestatem. 398 b

Paulus Burgensis.

Pauli Burgensis de aquarum elemento eiusq; loco absurda opinio. 116.per tot.
Paulus Burgensis refellitur, dicens interfectorem Cain grauius punitum iri quàm ipsum Cain. 747.c
Paulus Burgensis negat Cain interfectum esse à Lamech sed periisse diluuio: verùm refellitur. 758.b
B. Pauli sententia illa 1. ad Timotheum 2. Adam non est seductus, variè exponitur secundum Patres. 641.d

Peccatum.

Peccati grauitas vnde æstimari solet. 649.b.c
Peccati quinque pestilētes fructus. 662.c.d
Peccato quemadmodum dominari debeamus. 730.b
Peccatoris quanta pœna sit testimonium conscientiæ eius. 663.a.b
Peccatorū quattuor esse genera, quæ dicuntur clamare ad Deum. 735.b.c
Peccatum primorum hominū fuerit grauissimum omniū peccatorum, necne. 650.d
Peccatū Adæ quibus rebus grauius fuerit quàm peccatum Euæ. 651.a

Pelliceæ tunicæ.

Pelliceæ tunicæ, quibus Adam indutus est à Deo quales fuerint. 687.c.d
Pelliceæ tunicæ Adami vnde fuerint confectæ. 689.b
Pelliceis tunicis cur Deus primos homines induerit, octo causæ redduntur. 691.c
Pelliceas illas tunicas Deum non dedisse Adamo iam factas, sed docuisse rationem faciendi eas, vel indicasse necessitatem earum tradit Rupertus. 690.a

Pellicea

Pellicearum vestium vsus antiquissimus apud homines. 692.a
Perizoma quid significet. 659.c.d
Personas Sanctiß. Trinitatis, significatas fuisse à Moſe in illis verbis, In principio creauit Deus, &c. & Spiritus Domini ferebatur super aquas, *demonstratur.* 65.a
Petrus de Aliaco quidnã iudiciariæ Astrologiæ falsò attribuit. 244.c.d
Petrus Aliacensis quantũ errauerit in ætatum supputatione ostenditur. 261.b.c.d
Pharnelius scribit, Ambitum terræ esse viginti quattuor millia quingẽta quattuordecim milliaria. 59.c
Phauorinus Philosophus egregiè contra iudiciarios Astrologos disputat. 247.d. 248.a. 253.a.& 254.*per totam pag.*
Pherecides dixit principem dæmonum, qui cœlo deturbati sunt à Ioue, appellatum esse Ophionem, id est, serpẽtinum. 609.d
Philastrij Episcopi Brixiensis, mirabilis de materia prima opinio. 51.a

Philo.

Philo assignat præcipuam rationem, cur Deus quarto die condiderit astra. 140.b
Philo accuratè scribit de virtutibus septenarij numeri. 177.c
Philo sensit stellas esse viuentes & intelligentes, sed refellitur. 221.d.& *seq.*
Philo interpretatur Mosaicã terrestris Paradisi descriptionem mysticè & allegoricè tantùm, verum refellitur. 288.d
Philo sentit, per hominem, cuius creatio à Moſe describitur illis verbis: Creauit Deus hominem ad imaginem, &c. *intelligendam esse illius ideam tantùm, & non sensibilem hominem.* 362.c
Philo intelligit mortem quam Deus minatus est Adamo, fuisse animæ tãtùm mortem & non corporis. 456.b
Philo tradit aquam salsam & noxiam futuræ terræ, duntaxat in creatione Mundi, Dei præcepto, congregatam fuisse. 111.a
Philostratus loca amœnissima oblectationis causa comparata, appellauit Paradisos. 284.b
Philostratus describit cursum & exitum duorum fluminum Tigris & Euphratis. 344.c.d
Phidiæ opus nobilissimum. 388.b.c
Philoxenes putauit arborem scientiæ boni & mali fuisse ficum. 226.a. *sed refellitur à Tostato.* 327.a
Philosophi & Astrologi ea quæ de terra tradunt multis ante sæculis in Sacris litteris reperiebantur. 56.a
Phison flumen esse Gangem, qui Auctores censuerint. 333.c.d.& 334.a.b
Phison non fuisse Gangem demonstratur. 334.d.& 335.a
Phison & Gihon esse fluuios ex Tigri vel Euphrate diductos & deriuatos. 336.a.b

Pisces.

Pisces carere memoria tradidit D. Basilius: quod S. Augustino minimè probatur. 144.c
Pisces habere memoriam probatur experientia. ibid.
Pisces eo quod in aqua degãt, esse terrestribus animantibus imperfectiores sensit Caietanus. 145.a
Pisces nunquam ab hominibus, paucis exceptis, mansuefieri. ibid.
Pisces imperfectiores esse terrestribus animantibus eo quod eorum genus sit totum ouiparum dixit Caietanus, quod esse falsum patet ex D. Basilio tradente duo genera pisciũ, similiter & ex Plinio. ibid.b
Pisces quinto die non fuisse productos actu, sed tantum causaliter tradit D. Augustinus. ibid.b.c
Pisces quarto die fuisse productos actu. ibi.
Pisces numerosiores esse terrestribus animantibus. 145.c.& 146.a
Pisces cur Latinus Interpres appellauerit Reptilia. 246.a
Piscium species centum quadraginta quattuor esse, scribit Isidorus. 148.a

Piſcium & auium multiplex cognatio & ſimilitudo. 151.b
Piſces & volucres an ex eodem elemento aquæ productæ ſint, tractatur. 149.a
Piſces eſſe productos ex aquis, quomodo ſit intelligendum. 148.b
Piſces cur primo loco dicantur ſubiecti homini. 390.c
Piſces cur non ſint adducti ad Adamum. 524.b
Piſcis magnus Leuiathan commemoratur in Scriptura. 148.b.c

Plantæ.

PLantæ quonã modo, Dei præcepto productæ ſint. 122.a
Plantas non fuiſſe actu productas ex terra, ſed tantummodo cauſaliter, ſenſit D. Auguſtinus, quæ opinio minimè Auctori probatur. ibid.
Plantas cum ſuis fructibus & ſeminibus productas fuiſſe actu in mundi exordio, probatur. ibid.c.& 123.a
Plantas omnes fuiſſe frugiferas nullamque homini noxiã ante peccatũ hominis, ſenſit Beda: qui refellitur. 507.c.& 508.a.b

Plato.

PLato in diſputatione de Mundo commemorat nonnulla Aegyptiorum figmenta. 34.c
Plato tradit, materiam primã cognoſci ſpuria & adulterina cognitione. 50.c
Plato & Ariſtoteles tradunt tres ſpecies ignis inueniri. 73.c
Plato duo tantùm animalium genera facit, ſcilicet, ferum & manſuetum. 154.b
Plato ſenſit Mundum nunquam eſſe interiturum. 202.d
Plato volebat aſtra non aliter quàm Deos cœleſtes à nobis honorari & coli. 221.d
Plato putat neceſſarium eſſe, eo quod Cœlum viſibile eſt, illud ex igne conſtare. 234.b
Plato etiamſi ad capeſſendas varias diſciplinas lõgas peregrinationes ſuſceperit, Aſtrologicam diuinationem tamen neglexit. 263.a
Plato ſenſit formitatem humani corporis perfectam eſſe ab Angelis. 361.c
Plato ſcribit omnes animas rationales in Mundi exordio à Deo eſſe conditas. 422.a
Platonis validum argumentum, ad probandam animi noſtri immortalitatem. 427.b
Plato ſenſit animam rationalem eſſe immortalem voluntate Dei, & non ex natura ſua. 429.a
Plato fabulatur à principio fuiſſe tria hominum genera, ſcilicet, marem & fœminam & tertium vtriuſque particeps. 493.b
Plato ſenſit Deum feciſſe mundum ex materia, æterna, & ingenita, ſed hallucinatur. 37.c
Plato quam ſimilima Moſi de nuditate primorum hominum ſcripſit. 516.b.c
Plato cenſuit ſapientiſſimum fuiſſe eum, qui primus nomina rebus impoſuit. 522.c
Plato tradit ſæculo aureo homines ſolitos ſermocinari cum beſtiis: quod eum ſumpſiſſe ex hac hiſtoria Moſis de confabulatione ſerpentis cum Eua putat Euſebius. 604.a
Plato quam putet cauſam fuiſſe, quæ impulit homines ad ædificandas ciuitates. 755.c
Platonis de cauſa efficienti cunctorum animalium opinio. 155.a

Plinius.

PLinius vel contra ſuam ſententiam, nouo Mundi exordio teſtimonium perhibuit. 30.a.b
Plinius referens Zoroaſtrem aſtronomiæ parentem ſex annorum millibus fuiſſe ante Platonis obitum, refellitur. 34.b
Plinius tradit variam rationem auſpicandi diem, apud varias nationes. 88.a
Plinius arbitratus mare Caſpiũ aquas habere cõmunes cum oceano Artico. 119.c.& 120.a

Plinius

Plinius adfert argumẽtum quo probat partem terræ Aquilonarem, altiorem esse Australi. 122.a
Plinius scribit oleæ folia nunquam decidere, nec colorem suum amittere. 128.b
Plinius tradit Solem cæteris syderibus fœnerari lumen. 141.c
Plinius mira narrat de docilitate Delphini, & amore erga homines. 145.a
Plinius scribens aliquot genera piscium esse viuipara, satis refellit opinionem Caietani contra sentientis. ibid.b
Plinius assignat causam, cur plura animalia in aquis quàm in terra reperiũtur. 146.a
Plinius mira tradit de magnitudine Balænarum, Arborũ & Draconum. 147.b.c
Plinius dicit Miluos docuisse homines artẽ nauigandi. 151.c
Plinius facit septuaginta signa cœlestia, in quibus mille sexcentæ stellæ visu notabiles sint annotatæ. 227.d
Plinius luculentè & copiosè scribit de signis pluuiæ, ventorũ, sterilitatis, &c. 237.d
Plinius describit quid sit Bdellium & Onychinus. 338.c.d
Plinius narrat cursum & exitum fluminis Tigris. 342.c
Plinius describit cursum & exitum fluuij Euphratis. 343.a
Plinius narrat miram historiam de quadam aspide apud quemdam familiarissimè agente. 395.c
Plinius tradit Androgynos reperiri in Africa. 493.b
Plinius memorat inter prodigia, cum pulsus Roma est Tarquinius, serpentem latrasse. 604.d
Plinius multa tradit de prudentia serpentis. 613.c
Plinius exactè describit mulierum incommoda cum gestant vterum. 679.b.c

Pluuiæ.

Pluuiæ descensus per vaporum ascensus in aëre, perennis & circularis fluuius ab Aristotele est appellatus. 183.a

Porphyrius.

Porphyrius tradit oraculum Apollinis sæpe esse mentitum. 241.a.b.c
Porphyrius fatetur scientiam futurarum rerum, ex inspectione syderum esse incomprehensibilem. 264.b
Porphyrius affirmat Plotinum cognouisse ex stellarum aspectibus cognitionem quam habebat de interficiendo seipso. 271.c
Potestatem generandi vel marem vel fœminam: futuram fuisse in statu innocentiæ in hominis voluntate, & quomodo. 497.c

Præceptum.

Præcepti impositi Adæ facilitas quanta. 448.b.c
Præcepti Adæ facilitas grauiorem fecit transgressionem Adami. ibid.c
Præceptum obseruandi Sabbatum vsque à Mundi exordio datum fuisse à Deo sensit Catharinus, quod minimè probatur. 178.a
Præceptum obseruationis Sabbati non fuisse datum à Deo in exordio mundi scribit Tostatus, quæ sentẽtia multis argumentis confirmatur. ibid.b.c
Præceptum nullum positiuum Deum imposuisse Adamo, nisi vnum tantum de non edendo fructu arboris scientiæ boni & mali. ibid.c
Præceptum comedendi ex omnibus aliis Paradisi fructibus, præter fructũ scientiæ boni & mali, datum Adamo sensit S. Thomas. 438.b.c
Præceptum nullum fuisse datum Adamo comedendi ex omnibus Paradisi fructibus, sed tantùm concessam potestatem, ligno scientiæ boni & mali excepto, scribit Tostatus: quæ sententia multis argumentis confirmatur. 439.a.b.c. 448.a
Præceptum illud de non edendo ex ligno scientiæ boni & mali obstrinxisse Euam sicuti Adam. 441.b

Præceptum illud Dei de non edendo ex ligno scientiæ boni & mali, tribus modis Euæ denunciari potuisse. 442. *per totum & 443.a.b*

Præceptum Dei de non edendo, &c. fuisse Euæ denunciatum per Adamum sensit S. Augustinus & Tostatus. 442.a.b

Præceptum illud Dei Crescite & multiplicamini, *vim habuisse tantùm quoad multiplicaretur genus humanum, scribit S. Cyprianus.* 502.a

Præceptum illud Dei Crescite & multiplicamini, *non obligare omnes & singulos, sed ipsam communitatem hominum, declarat S. Thomas.* 502.b

Præceptum illud Dei Crescite & multiplicamini, *obligare semper, sed non ad semper, & quibus in casibus obliget, tradit Scotus.* 503.a

Præceptum illud Dei Crescite & multiplicamini, *fuisse ratum & validum vsque ad Christi Domini aduentum, senserunt aliqui auctores.* ibid.

Præceptum illud Dei Crescite & multiplicamini, *fuisse impositum Adamo & Euæ in remedium concupiscentiæ iam fluentis post peccatum, arbitratus est S. Chrysostomus & Damascenus.* ibid.b

Præceptum illud Dei Crescite & multiplicamini, *intelligendum esse tantùm spiritualiter, opinio quorũdam fuit, quam commemorat & cõfutat S. Augustinus.* ibid.c. & 504.a.b

Præceptum nullum contineri in illis verbis Crescite & multiplicamini, *sed esse tantùm sermonem Dei operatorium & efficacem, tribus argumentis probatur.* 505.b.c

Præceptum nullum contineri, in illis verbis Crescite & multiplicamini, *sed tantùm voluisse Deum declarare ob id feciſse masculum & fœminam, vt per legitimam eorum coniunctionem humana proles generaretur.* 505.a

Prædestinatos tantùm in statu innocentiæ fuisse nascituros, sententia est Auctoris. 463.b

Prærogatiuæ decem in creatione hominis. 347. & *seq.*

Præstantia doctrinæ Mosis de creatione Mundi quanta sit. 2.a

Primo die vnà cum luce datus fuit motus Cœlo mobili. 69.a

Priscos Astrologos ante Mosis & Iob tempora habuisse aliquam cœlestium imaginum cognitionem. 230.a.b.c

Priuilegia diei Dominici propter præclara opera perfecta in illa à Deo. 88.a.89.a

Procopius Gazæus.

Procopius Gazæus sentit, Mundũ fuisse conditum in instanti & non per temporum interualla. 184.b

Procopius Gazæus sine causa dixit Henoch fuisse antea improbum & flagitiosum, postea verò per exactam pœnitentiam euasisse sanctissimum. 788.b

Proclus & Methodius disertè probarunt, Mundum hunc non esse secundum substantiam corrumpendum. 207.d

Proprietates diuinæ naturæ, proprietatibus naturæ Angelicæ oppositæ. 359.a

Proprietates diuinæ naturæ quæ. ibid.

Proprietates eximiæ naturæ intelligentis sex traduntur ab Auctore. 377.a

Ptolemæus.

Ptolemæus & Hyparchus syderalium scientiæ principes ex quo tempore illius antiquitatem obseruarint. 34.a

Ptolemæus tradit, ambitũ terræ esse viginti duo mille & quingenta milliaria. 59.c

Ptolemæus sensit, mare Caspium vndequaque circumclusum esse littoribus, nec aquam ex Oceano accipere. 120.a

Ptolemæus scribit, motus omnes Cœlorum non compleri nisi spatio triginta sex annorum mille. 222.b.c

Ptolemæus asserit stellarum effectus à sapiente euitari posse. 264.b

Ptole

Ptolemæus dixit plus esse momenti in conceptu hominis, quàm in eius ortu, idq; ab Astrologis in prædicendo futura obseruari debere. 268.b.c.d

Pudenda.

PVdenda velandi quãta cura fuerit apud omnes gentes. 660.a
Pulchra Auctoris argumentatio ad probandum astra non esse animata. 226.a
Pythagoræ opinio quantum valeret apud eius discipulos. 4.a

Q.

QVæ veteres sapientes & Poëtæ de creatione mundi prodidere, ea ex Mosaicis fontibus hausisse, ostenditur. 67. per totum.
Quænam interpretationes sint eligendæ, ad bene & recte intelligendam doctrinam Mosis. 27.a.b
Quæstiones decem de Cælis & astris ab Auctore explicandæ. 201.b.c
Quali modo naturas rerum Deus instituerit, non ex eius omnipotentia, sed ex eius Scripturis quærendum est. 24.c
Quid causæ fuit vt aliquot Patres existimauerint in statu innocentiæ non futuram carnalem copulam inter maritum & vxorem. 494.b.c
Q. Curtius describit originem, cursum, & exitum duorum fluminum Tigris & Euphratis. 343.d
Quis particula, in diuinis litteris interrogatiuè posita, aliquãdo impossibilitatem, aliquando raritatem & difficultatem significat. 59.b

R.

RAbanus sensit nomine cæli cũ dixit Moses In principio creauit Deus cælum & terram, Cælum empyreum tantùm esse significatum. 46.a
Rabanus tradit, Mundum creatum fuisse decimooctauo die Martij. 229.b
Rabanus quonam in loco senserit fuisse terrestrem Paradisum. 294.a
Raquiah vox Hebræa quam LXX. verterunt στερέωμα, & Latinus Interpres vertit firmamentum, extensionem significat, & de quadruplici extensione. 92.c. & 97.a. & 106.c
Ratio adducta contra diuinarum scripturarum auctoritatem, nulla est. 26.a
Rebellio cărnis aduersus spiritum sitne præter nàturam an secundum naturam hominis. 597.d
Rectitudo hominis duplex. 518.a
Regionem mediam aëris in Mundi exordio, factam fuisse actu frigidam. 107.a

Regulæ.

REgulæ quattuor traduntur ad bene ac recte intelligendam doctrinam Mosis de creatione Mundi. 22. per totam paginam.
Regula prima. Historiam Mosis de opificio mundi esse plane historicam, ac secundum litteralem sensum vulgo vsitatum eius verba accipi debere, auctoritate D. Augustini, Basilij, ac Bedæ confirmatur. 22. c. & 23. toto. ac 24. a.b
Regula secunda. In Mundi creatione non esse sine causa recurrendum ad miracula & omnipotentiam Dei: nec spectandum quid Deus absoluta sua potentia facere poterat, sed solum quid eius sapientia naturalisq; rerum dispositio deposcebat, eiusdem Augustini auctoritate docetur, 24.c. & 25.a. 181.c
Regula tertia. Neminem temerè & obstinatè propriæ opinioni in diuinæ Scripturæ interpretatione adhærere debere, eamq; esse velle veram & Scripturæ propriã, sed potius si veritate melius discussa alia verior reperta fuerit, illam pro sua

accipere oportere, eiusdem Augustini auctoritate ostenditur. 25.a.b
Regula quarta: In Mosis doctrina pro certo habendum, nihil inueniri quod manifestis experimentis, verisq; Philosophiæ rationibus repugnet, eiusdem Augustini auctoritate probatur. 25.d.& 26.a.b
Reptile quid sit definitur à D. Bonauentura & Hugone. 146.b
Requiescere ab opere non aliud esse quàm cessare, sæpe Scriptura significat. 174.a
Res expertes rationis & intelligentiæ quibus in rebus assimilantur Deo. 389.b
Rosas conditas fuisse sine vllis spinis in Mundi creatione, sensit D. Basilius, sed non recte. 124.b.c

Rupertus.

RVperti sententia de imagine & similitudine Dei, quæ est in homine. 366. vsque ad 369.
Rupertus ponit quæstionem cur in creatione cæterarum rerum adhibebatur præceptum Dei, Dixit & Fiat. 40.a.b
Rupertus conatur probare primam lucem in Mundi exordio conditam, non fuisse corpoream. 72.a
Rupertus opinatur, Firmamentum esse aërem extensum & tenuatum. 95.c
Rupertus pulchre declarat, terram non esse omnino sphæricæ figuræ. 112.c.& 113.a.b
Rupertus assignat rationem cur Deus vt benedixit animalibus, non itidem benedixerit plantis. 126.b
Rupertus vult aues esse conditas ex aqua tenuiori, veluti nebulosa. 149.a
Rupertus tradit, animalia, quæ generantur ex commixtione diuersarum specierum esse præter naturam: quæ opinio expenditur 156.c.& 157.a.b
Rupertus sentit Mundum fuisse conditum per sex dierum interualla. 185.c
Rupertus ait, Paradisum terrestrem fuisse amœnissimum & cælo proximum. 296.a
Rupertus sentit, Henoch & Eliam non esse translatos in illum Paradisum terrestrẽ vnde eiectus fuit Adam. 394.d
Rupertus intelligit, Arborem scientiæ boni & mali, fuisse ita appellatam ironicè. 330.c.d
Rupertus censet, aquas omnes quibus vniuersa terra irrigatur, accepisse dulcedinem suam ex fluuio terrestris Paradisi. 332.d.& 333.a.b
Rupertus indicat, origo nostri è terra, cuius rei admonere nos debeat. 403.a
Rupertus sensit, Euam creatam fuisse extra Paradisum. 433.a.& 407.b
Rupertus dixit, voluisse Deum exigere ab Adamo fidem, spem, & charitatem, cum præceptum de non edendo ex ligno scientiæ boni & mali illi imposuit. 449. per totam.
Rupertus declarat, coniũctionem inter maritum & vxorem esse omnium maximam. 490.a.b
Rupertus putauit serpentem illum non intra Paradisum, sed extra fuisse locutum cum Eua. 607.b
Rupertus ait, Euam, serpentem illum secum loquentem tamquam numen quoddam diuinum fuisse miratam ac veneratam. 606.d
Rupertus moraliter exponit, quid sit serpentem ingredi super pectus suum, & comedere terram. 615.a
Rupertus tradit, non dedisse Deum illas pelliceas tunicas Adamo iam factas, sed docuisse rationem eas faciendi, vel indicasse necessitatem earum. 623.c
Rupertus censuit, Euam peccasse ante serpentis tentationem. 635.c.d
Rupertus luculentè declarat, quid sit apertos fuisse oculos primis hominibus post peccatum. 655.b.c
Rupertus putat esse minus, esse sub potestate viri, quàm mulieri virum dominari.

minari. 683.d.& 683.a.b
Rupertus opinatur, Arboris vitæ virtutem dandi immortalitatem, ignotam fuisse diabolo & Adamo. 699 d
Rupertus putauit corpus primi hominis prius esse formatum, & posterius animam eius creatam. 690.c
Rupertus multa egregiè de igne purgatorio. 705.c
Rupertus negat, Henoch & Eliam, translatos esse in Paradisum terrestrem. 707.d
Rupertus reddit rationem, cur Paulus dicat Hebr. 11. vberiorem hostiam obtulisse Abel, quàm Cain. 722.d
Ruperti noua, & mira explanatio illorum verborum, Septuplum punietur. 747.d
Rupertus miram tradit interpretationem illorum verborum, Septies vltio dabitur de Cain, de Lamech verò septuagies septies. 763.b
Rupertus significat Adamum non esse saluum. 777.a
Rupertus non bene sentit de libro Sapientiæ. ibid.

S.

Sacrificia apud aliquos, dæmonum fallacia sponte inflammabantur. 722.d
Sacri libri, an omnes in Hierosolymorum excidio à Chaldæis facto, ac in persecutione Regis Antiochi combusti fuerint, fusè ac copiosè disputatur. 9.b. & 10.c.11 per totam pag.
Salamandram, cõtra vulgatam opinionem, non viuere in igne tradit Galenus, Dioscorides, ac Matthiolus. 160.c

Salomon.

Salomon, cur scientiam rerum omnium naturalium quam habuit, non ediderit. 200.d
Salomonem habuisse scientiam rerum cælestium & sublunarium. 533.a
Salomon vtrum fuerit sapientior Adamo. 535.b
Salomon quomodo dicatur in Scriptura, fuisse omnium sapientissimus. 536.a

Sanctificare, Sanguis, &c.

Sanctificare in diuina Scriptura quid significet. 177.c
Sanguis & aqua quæ fluxit ex latere Christi mortui, quid significauerit. 469.c
Sapientia in Dei populo iam canescente, tunc apud Gentiles infans erat Philosophia. 6.c
Sapientiæ vocabulum quot modis accipiatur in Sacris litteris. 533.c
Sapientiam Dei non significare Angelos, sed Verbum patris. 196.a

Scientia.

Scientia omnium rerum, vtrum ab initio fuerit in Adamo. 528.b.c
Scientia, quattuor ob causas amitti potest. 534.b
Scientia rerum naturalium quæ infusa est Adamo, specie-ne differret à scientia earundem rerum acquisita, quæ est in nobis. 530.a
Scientia cælorum & elementorum vtrum concessa fuerit Adamo. ibid.c.& 531.a

Scotus.

Scoti opinio de immortalitate Adami ante peccatum. 590.c.d
Scotus refellit opinionem D. Bonauenturæ sentientis, lucem esse formam substantialem astrorum. 54.b
Scotus sentit, motum circularem, nec naturalem nec violentum esse Cælo. 220.d
Scotus videtur sentire Astra esse animata. 223.b
Scotus scribit, Paradisum terrestrem miraculosè fuisse conseruatum tempore vniuersalis diluuij: verùm non probatur. 297.c

Scotus censuit, Arborem vitæ habuisse vim conseruandi hominem in vita ad longissimum tempus, nõ tamen in perpetuum. 318.b

Scotus quomodo intelligat illud Dei præceptum, Crescite & multiplicamini, &c. *obligare homines & quando.* 502.c. & 503.a.b

Scotus censens, Adamum, si vicisset primã tentationem, posteà confirmatum iri in gratia, refellitur. 558.b.c

Scotus putat, in statu innocentiæ potuisse committi peccatum veniale. 553.c

Scotus putat iustitiam originalem fuisse in voluntate tanquam in subiecto. 577.b

Scotus putat iustitiam originalem & gratiam gratum facientem, res fuisse diuersas atque inuicem separabiles. 579.c

Scriptura sacra manifestæ certæque humanæ rationi numquam contradicit. 26.a

Sacræ litteræ, primordia Mundi nobis tradidere. 32.a

Scriptura sacra cur opera Dei appellet vias Dei, assignatur ratio. 190.d

Sacræ scripturæ mos est, cum quampiã rem insignem vult significare, adiungere illi nomen Dei. 64.a

Sacræ scripturæ loci qui fauere videntur opinioni, Mundum esse in momento conditum declarantur. 188.d.& 189. *per totam.*

Sacram scripturam tribus modis deprauari, exemplo Euæ. 627.c

Sekakim vox Hebræa, quid significet. 106.b

Selah vocis Hebrææ quattuor significationes. 475.b.c

Selem & Demuth voces Hebraicæ, quid significent. 502.a.b

Secundum legem naturalem debere omnes mortales interiori cultu & aliquo exteriori Deum colere & honorare. 720.a.b

Senarij numeri perfectio secundum Philonem, Augustinum, & Bedam. 191.c

Seneca.

Seneca refert quandam Stoicorum sententiam dicentium Aquam pertinere ad mundi generationem & originẽ. 68.a

Seneca in quodam libello, Astrologorũ vanitatem illusit. 259.d

Seneca egregiè demonstrat diuinam prouidentiam erga humanum corpus. 409.c. 410.a

Septuaginta interpretes.

Septuaginta Interpretum translatio in supputatione annorum, quibus rebus concordet & quibus discordet cum Scriptura Hebraica. 780

Septuaginta Interpretum translatio quot annos numeret ab Adamo vsque ad diluuium. ibid.c

Septuaginta interpretum translatio multum olim variabat in supputatione annorum. 781.b

Septennarius numerus quàm sit in diuina Scriptura nobilitatus. 177.c

Septuplum punietur quid significet. 743

Serpens.

Serpens qui tentauit Euam, qualis fuerit, quinque opiniones. 606.a

Serpens super omnia animalia odit hominem. 608.c

Serpens fuit Tyberio in deliciis. 620.a

Serpens cum petit potum, venenum deponit, secundum Epiphanium. 613.b

Serpens qui tentauit Euam, vtrum habuerit faciem muliebrem. 614.c

Serpens qui decepit Euam, vtrum fuerit Basiliscus, vt putauit Eugubinus. 615.c 616.a.b

Serpens qui decepit Euam, vtrum fuerit is qui nominatur Scytale, cuius pulchritudinem descripsit Solinus. ibid.c

Serpens qui tentauit Euam, fueritne extra Paradisum, an intra. 617.b

Serpentis maledictionẽ secũdum historicum sensum pertinere ad verum serpentem: secundum

secundum autem mysticum sensum principaliter tamen intentum, referri ad diabolum probat Auctor. 617.c
Serpens cur solus maledictus sit, non autem Adam aut Eua 673.a
Serpentem latrasse quo anno Tarquinius Roma pulsus est, inter portenta memorat Plinius. 604.d
Serpentem illum qui seduxit Euã non fuisse verum, sed diabolum sub specie serpentis, putat Cyrillus. 605.c
Serpentem illum fuisse verum animal, & simul ei affuisse diabolum, probat Auctor testimoniis Patrum. 608.d
Serpentis Esculapij mirabilis historia. 609.d
Serpentem fuisse callidiorem bestiis terræ, intelligi ne debeat de vero serpẽte, an do diabolo. 612.a
Serpens sitne reuera callidissimus omnium animalium. 670.a
Serpentem qui decepit Euam nõ fuisse supplicij loco priuatum pedibus. 612.d
Serpentem ingredi super pectus & ventrẽ suum, cùm ei antea esset inditum & naturale, quomodo ei fuerit postea tamquã pœna & supplicium. 619.a.b.c
Serpentes cur potius quàm aliud vllũ animal afficiantur & moueantur incantationibus. 609.c
Serpentes anserinis pedibus visos esse, portenti loco memorat Plinius. 612.b
Serpẽti qui nihil peccauerat, cur Deus maledixerit, quattuor causas adfert Barcephas. 611.b
Serpentis prudentiæ, vel astutiæ quinque indicia. 613.a
Serpentis maledictionem non ad verum serpentem, sed ad diabolum pertinere, ferè communis est Doctorum sententia. 614.a
Serpentis & hominis naturalem antipathiã in statu innocentiæ fuisse cohibitam: post peccatum autem permissam esse exire in actum. 618.c
Serpentis oratio cum Eua quàm fuerit impia & absurda, & simul fallax atque sophistica. 621.b.627.& seq.
Serpentis caput si vel nuda mulieris planta prematur, statim interire serpẽtem, tradit Rupertus. 676.c
Serpentium venena quàm sint pestifera. ibidem.d

Seth.

SEth cur dicatur à Mose genitus ad imaginem & similitudinem Adami. 765.b
Seth præconium ex Suida & Iosepho. ibidem.c
Seth posteri erexerunt duas columnas continentes scientiam syderalem. ibid.

Seuerianus.

SEuerianus sensit Firmamẽtum, ex aqua valde gelata fuisse compactam. 90.c
Seuerianus tradit, ideo Mosem scripsisse & dedisse Hebræis suam Cosmopeiam, vt eos à superstitione Aegyptiorum auerteret. 195.d
Sex interpretationes illorum verborum, In quacunque die comederis ex eo, morte morieris. 453.*vsque ad* 456
Sexus in marem & fœminam distinctio, ad conseruationem & propagationem speciei pertinet. 492.c
Shamain vox Hebraica quid significet. 94.c
Shemeh vox Hebraica, quid significet. 79.c
Similitudinis nomen cur omissum sit à Mose in describenda hominis creatione, cum secundo loco dixit tantùm, Ad imaginem Dei creauit illum, *secundum B. Basilium.* 370.a.b
Similitudinem Dei conseruandam esse in animo, luculẽta oratione explicat S. Bernardus. 382.b.c
Simplicius attribuit Cœlo non modo sensus

interiores, sed etiam tres exteriores. 222.a

Sixtus Senensis refellitur, non rectè sentiès de translatione Henoch. 808.a

Sophronius Patriarcha, tradit Paradisum terrestrem fuisse corporeum: cuius sententiam comprobauit sexta Synodus. 291.a

Sol.

SOl prima & generalissima causa generationis & conseruationis rerum omnium sublunarium. 79.b

Sol & Luna cæteriq; planetæ, quomodo dicantur à Mose positi esse in cœlo. 97.a

Sol quomodo res sublunares calefaciat, cum ipse non sit calidus. 235.d.& 236.a

Sol & astra, vtrum per motum & lucem calefaciant res sublunares: & per lucem quidem, an tantùm per reflectionem radiorum, an verò etiam directè. 236.per totam.

Solem omnibus astris lucem impertiri, sententia plurimorum. 141.c.& 142.a

Soli exhibendi reuerentiam antequam in Basilicam. S. Petri ingrederentur vetus fidelium consuetudo fuit, quæ reprehenditur à S. Leone Papa. 139.c

Solem conditum fuisse vigesima prima die Martij, & in ipsa vernale æquinoctium exortu suo consecrasse, docet Beda. 140.c & 129.b

Solis præstantia pulchrè describitur à Dionysio Areopagita. 141.b

Solis magnitudo quanta sit variæ opiniones. 142.b

Solis magnitudo quanta sit secundum Mathematicos. ibid.c

Socrates.

SOcrates, nouissimis Prophetarum posterior. 6.c

Sortium vsus apud antiquos. 278.d

Spiritus.

PEr Spiritum Domini qui ferebatur super aquas significari Angelum mouentem cœlos tradidit Caietanus, sed falsò, &c. 03.b.c

Per Spiritum Domini significari ventum senserunt Tertullianus & Theodoretus. 64.a. *quæ opinio diligenter excutitur.* ibidem.b.c

Per Spiritum Domini significari Spiritum sanctum fere omnes Patres tradidere, quod & Ecclesiæ Catholicæ testimonio confirmatur. 65.a

Spiritum Domini in primordiis Mundi ferri super aquas, figura sanctificationis, quæ nunc fit per baptismum fuit. ibid.b

Per Spiritum Domini significari in Scriptura quandam vim & efficaciam ad aliquid agendum, multis testimoniis comprobatur. 66.a

Per Spiritum Domini non significari ventum, nec Spiritum sanctum, sed quãdam vim & vitalem efficaciam plenam fœcunditatis à Deo aquis impressam, sensit D. Chrysostomus. ibid.

Per Spiritum Domini intelligi posse significari, vel Spiritum sanctum, vel vẽtum, vel vitalem quandam creaturam, qua vniuersus orbis mouetur, tradit S. Augustinus. ibid.b

Spiritus cœlestes laudasse Deum statim absoluta mundi creatione valdè probabile est. 180.b

Stellæ.

STellæ per lucem calefaciunt. 203.b

Stellæ inerrantes an numerari queant. 227.c.d

Stellæ quonam modo sint in cœlo collocatæ. 230.c.d

Stellæ pasci terræ & aquæ vaporibus: opinio Stoicorum ac Plinij fuit. 284.c.d

Stellarum differentias sex tradunt Astrologi, & earum numerum. 228.per totam paginam.

Stellarum

Stellarum primæ magnitudinis, etiamsi Firmamentum plenum esset, quantus earum numerus futurus fuisset, tradunt Mathematici. ibid.c.d
Stellas non esse calidas & igneas demonstrauit Aristoteles. 103.a
Stellas numerari non posse affirmant Basilius, Eusebius, & Augustinus. 229.b.c.d
Stellas inerrantes visu notabiles, esse tantùm mille viginti duas, docuere Astrologi. ibid.b
Stellas mille sexcentas insignes in septuaginta duobus præcipuis signis cœlestibus inueniri, tradidere antiqui Astrologi, Plinio auctore. 229.d
Stellas non esse hærentes & affixas cælo, sed propriis motibus per cœleste spacium circumagi censuerunt aliqui Ecclesiastici scriptores. 232.a.b.c
Stellas non esse hærentes & affixas Cælo, opinio Stoicorum fuit, quæ à Philosophis & Mathematicis confutata est. 232.a.b.c
Stellas non posse per cœleste spatium propriis motibus circumagi, Mathematicorum argumentis probatur. ibid.b.c
Stellas numerari non posse, videtur insinuare diuina Scriptura. 229.a

Vide etiam in dictione Astra.

Στερέωμα *vox corpora solida & robore pollentia significat.* 90.b
Stoicorum sententia, Omnia quæ sunt in Mundo, ab vno diuino spiritu procreari, regi atque contineri: quam etiam Virgilius elegantissimis versibus exprimit. 68.a.b

Strabus.

Strabus quonam in loco senserit fuisse terrestrem Paradisum. 294.a
Strabus sensit, Arborem vitæ habuisse virtutem naturalem conseruandi vitam hominis in perpetuum. 323.a.b
Subiectio sub viri potestate, cur in pœnam peccati irrogata fuit mulieri si ei erat naturalis. 399.a.b
Suidas quid sentiat de cæde quam fecit Lamech. 760.b
Superbis vtile nonnumquam esse, vt putat Augustinus, in manifestum aliquod pudendumque peccatum prolabi. 636.a

T.

TEmpus tenebrarum ante lucis creationem fuisse per duodecim horarum spatium, tradit Tostatus. 86.a
Tempus post diem iudicij cessaturum quale. 218.d
Tempus qualenam permanere possit post diem iudicij. ibid.
Tenebræ in mundi initio, quanam ex causa fuere secundum Basilium, Theodoretum, & Bedam. 62.c
Tenebras esse quandam substantiam æternam falsò asserebant Manichæi. 62.a

Terra.

TErra an sit fundata super aliquo fundamento. 57.b
Terra in principio creata, fuit pura secũdum substantiam, non autem secundum qualitates. 60.c
Terra ex qua parte, expulsis aquis, apparere cœperit. 120.c
Terra an in primam planetarum productionem concurrerit passiuè tãtùm vel etiam actiuè. 123.b
Terra in Mundi exordio, an virtutẽ habuerit ex se producendi animalia cuncta, & omnes arbores, &c. ibid.c.& 124.a
Terra quonam modo in Mundi exordio produxerit plantas, & irrigata fuerit secundum sententiam Auctoris. 183.b

Terra quomodo sit maledicta propter peccatum. 684.a

Terræ nomine non esse intelligendam materiam primam informem tradit D. Thomas. 51.b.c

Terræ nomine in Mosis narratione quid intelligendum sit secundum Auctorem. 53.b.c

Terræ stabilitatis causa, est ipsiusmet pondus, quod eam naturaliter ad centrum quoquo versus trahit. 58.a

Terræ pondus, idipsum est quod vocatur à Dauide stabilitas terræ. 58.b

Terræ ambitus, quem compertũ habere affirmant Mathematici, an sit verus, & an hoc contrarium sit aliquot diuinæ Scripturæ locis. 59.a

Terræ ambitus secundum Mathematicos alios q̃, antiquos Auctores, quantus sit describitur. 59.c

Terræ ambitus quantus sit iuxta Recentiorum sententiam. 60.a

Terræ nomine in creatione Mundi, etiam aquam comprehendi probatur. 66.c

Terræ partem nullam esse, quæ non sit homini subiecta, argumentatur Caietanus ex illis verbis. Præsit vniuersæ terræ. 396.b.c

Terram fuisse creatam in loco suo naturali ostenditur. 56.b.c

Terram esse locatam in centro Mundi. 56.b

Terram fundatã esse super aquas fuit opinio Thaletis Philosophi, ab Aristotele tamen & Seneca confutata. 57.b

Terram non posse esse fundatã super aquas, etiamsi videantur aliquot sacræ Scripturæ loci huic opinioni suffragari, ostẽditur. ibid.c

Terram fundatam esse super aquam, sicut in sacra Scriptura legitur, quonã modo intelligi debeat. 59.c

Terram ante diluuium non fuisse æquabiliter rotundam per totum, ac fuisse in ea montes, & valles, probatur. 712.b.c.& 113.a.b

Terram esse multò maiorem aqua, demonstrauit Alexander Picolomineus & Iulius Scaliger. 116.c

Terram ardore Solis recens creati fuisse aquis exsiccatam, tradit Eugubinus: sed refellitur. 121.a

Terram à vento quodã vehementi in Mundi exordio fuisse aquis exsiccatam, opinatur Tostatus. ibid.c

Terram in oppositio nobis hemisphærio, totam fuisse ab exordio Mũdi vsque adhuc obrutam aquis, dixerunt Procopius Gazæus, & Sanctus Augustinus, sed non rectè. ibid.& 121

Terram virtute Dei in instanti produxisse omnia vegetabilia in statu perfecto tradit Caietanus. 123.b.c

Terram non produxisse in instanti omnia vegetabilia in statu perfecto, asserit D. Thomas & Tostatus. ibid.

Terram virtutem habuisse producendi omnia Animalia sensit Auicenna, sed refellitur à S. Thoma. 123.c

Terram ob suam in exordio Mundi bonitatem, produxisse animalia omnia, sensit Epicurus & Lucretius poëta: eandemque posse nunc etiam quælibet animalia producere, opinatus est Auicenna. 155.a.b

Terram à principio nõ fuisse irrigatam imbribus, sed tantùm ab humore in ea è segregatione aquarũ relicto, scribit Theodoretus. 122.c

Terram quam Moses dixit vno fonte fuisse irrigatam, fuisse terrã Paradisi tantùm, tradit Albinus. 122.a

Terram ante diluuium non fuisse irrigatam pluuiis, significat Glossa interlinearis. ibid.a.b

Terram Heuilath fuisse partẽ Indiæ orientalis opinio quorundam fuit: quod non probatur. 336.d.& 337.a

Terram Heuilath fuisse illam partem quæ hodie vocatur Perù, tradunt Vatablus & Benedictus Arias. 337.a.b

Terram

Terram Henilath fuisse prope Palæstinam & Assyriam nonnullis scripturæ testimoniis probatur. ibid.c.a.& 338.a

Tertullianus.

Tertullianus copiose disputat, Non esse materiam æternam & ingenitam aduersus Hermogenem hæreticum. 38.b

Tertullianus reprehendit Hermogenem interpretantem illa verba Mosis, Terra autem erat inanis & vacua, esse de materia prima. 53.c

Tertullianus intelligit, per spiritum Domini qui ferebatur super aquas in Mundi primordiis significari ventum. 64.a

Tertullianus describit situm terrestris Paradisi iuxta Zonam torridam. 292.c

Tertullianus sensit, Animam hominis esse corpoream & per traducem propagari, sed refellitur. 426.b

Tertullianus tradit legem impositam Adamo, fuisse veluti matricem & seminariũ aliarum legum. 443.c

Tertullianus putat librum Henoch seruatum esse in diluuio, nec esse reiciendum. 796.b

Testamentum & Testimonia.

Testamentum duodecim Patriarcharum. 795.c

Testimonia Sacrarum litterarum quæ suffragari videntur opinioni de altitudine aquarum supra terram, quomodo sint intelligenda, declaratur. 117.c.& 118.a b

Testimonia Scripturæ producta pro confirmatione opinionis, Mundum esse in momento conditum, explicantur ab Auctore. 189. *per totum.*

Testimonia Scripturæ de futuro Mundi interitu, quænam sint. 202.a.b

Testimonia Scripturæ de futuro Mundi interitu, quo modo à D. Hieronymo sint explicata. 204.a.b

Thales.

Thales Milesius Philosophus sensit priorem fuisse noctem quàm diem. 67.c

Thales circa quinquagesimam Olympiadem primus in Græcia Astrorum obseruator. 230.a

Thargum.

Thargum Hierosolymitanum, memorabilem habere interpretationem illorum verborum Domini, sub te erit appetitus tuus. 222.a

Thargum Hierosolymitanum, narrat dialogum habitum inter Cain & Abel ante necem Abel. 732.c

Theodoretus.

Theodoretus dicit Danielem permouisse Cyrum Persarum regem ad dandam Iudæis libertatem. 11.c

Theodoretus intelligit per Spiritum domini, qui in exordio Mundi ferebatur super aquas, significari ventum. 63.c

Theodoretus tradit, lucem primo die conditam, quarto die in Solem & Lunam cæteraq; sydera fuisse dispertitam. 77.c. & 78.a

Theodoretus dixit, lucem esse substantiam quandam per se subsistentem: qui quomodo sit interpretandus declaratur. 74.b.c

Theodoretus sentit Firmamentum ita esse appellatum, eo quod ex aqua prius fluxa & liquida sit compactum. 90.b

Theodoretus arbitratur, aquas veras esse supra Cœlum. 98.c

Theodoretus assignat rationem, cur Deus non benedixerit plantis sicuti Animalibus. 126.a

Theodoretus argumentatur Mundum conditum fuisse verno tempore, eo quod in illo soleant prata virere, ac ob alias causas. 130.a.b

Theodoretus rationē adfert, cur astra creata fuerint post plantas. 138.c

Theodoretus sensit Angelos simul cum Mundo corporeo esse conditos. 198.d. & 199.a

Theodoretus putauit Mundum esse aliquando interiturum. 202.a

Theodoretus duos tātùm Cælos posuit, &c. 215.b

Theodoretus refellit opinionē quorumdam dicentium, Deum cum dixit Faciamus hominem, &c. *locutum esse de se pluraliter more magnatum & principum* 360.b

Theodoretus arbitratur, Cetos non esse factos propter homines, nec eius imperio subiectos, verum refellitur à Sancto Basilio. 391.& 392.a

Theodoretus rationem dat, cur creatio animæ rationalis appelletur insufflatio. 418. c.& 419.a

Theodoretus intelligit Adamum propter diuini præcepti transgressionem, non statim in mortem, sed in moriendi necessitatem incurrisse. 454.c

Theodoretus sentit Cherubinos ad custodiā Paradisi positos, non fuisse Angelorum virtutes. sed terribiles visiones ac horrificas animalium figuras. 195.b.c.d. & 196.a

Theodoretus asserens flumen Phison esse Gangem, ab Auctore refellitur. 335.b.c

Theodoretus apertionem oculorum interpretatur sensum peccati, pudorem sceleris admissi. 655.b

Theodoretus negat Lamech occidisse duos homines, aut occidisse ipsum Cain, &c. 760.a

Tigris & Titulus.

Tigris fluuius vnde dictus. 342.c

Tigris fluuij origo, cursus, & exitus. ibidem.d

Titulus, quem Appelles, Polycletus, veteresq; pictores suis operibus appendebant, qui. 39.b.c

S. Thomas.

Sancti Thomæ notabilis argumentatio ad probandum Cœlos non esse animatos. 226.b.c

S. Thomæ argumentatio ad probandum Angelos simul cum Mūdo esse factos. 196.c. & 197.a.b

S. Thomæ interpretatio illorum verborum Isaiæ, Cæli sicut libri complicabuntur. 275.c. *ac etiam aliorum Auctorum. ibid.b.c*

S. Thomæ ratio, qua confirmatur, corpus Adæ cōditum fuisse simul cum eius anima. 418.b.c

S. Thomas argumentatur contra Auctores sentientes primam lucem in Mundi exordio conditam, aut non durasse, aut ex ea postea factum esse Solem. 76.a

S. Thomas tradit, primam lucem in exordio Mundi conditam, fuisse lucem Solis, &c. 80.a.b

S. Thomas quid sentiat de creatione Mundi facta in instanti secundum opinionem Augustini. 186.a

S. Thomæ argumentatio quod Angeli non fuerint ante Mundum corporeum, &c. 198.a

Sanctus Thomas tradit, quomodo in Sacris litteris nomen Paradisi sumatur. 215.c.d

S. Thomas declarat, quomodo si circularis motus naturalis est Cælo, eius cessatio non erit post diem Iudicij illi violenta. 219.d. 220.a.b

S. Thomas interpretatur Chrysostomum dicentem, vnū dumtaxat Cælum secundum Scripturam inueniri, &c. 215.a

S. Thomas reddit rationem, cur Eua formata sit in Paradiso. 433.c

S.Thomas declarat præceptum illud Dei, Crescite & multiplicamini, non obligare omnes & singulos, sed ipsam communitatem hominum. 502.c
S.Thomæ opinio, quod iustitia originalis fuerit in essentia animæ, discutitur. 576.c.d
S.Thomas sensisse videtur iustitiam originalem re diuersam non fuisse à gratia gratum faciente. 578.b
S.Thomæ opinio de immortalitate Adami ante peccatum. 589.d.& 590.a.b

Tostatus.

Tostati singularis interpretatio illorum verborum Spiritus Domini ferebatur super aquas. 65.c
Tostatus quid sentiat de prima luce condita in Mundi exordio. 75.c
Tostatus approbat opinionem sentientium, Mundum in Autumno habuisse initium. 131.b
Tostatus negat, præceptum obseruationis Sabbati fuisse datum in Mundi exordio contra Catharinum. 178.b
Tostatus putans Paradisum fuisse in suprema regione aëris, refellitur. 296.c
Tostatus putauit Arborem vitæ habuisse vim faciendi hominem simpliciter immortalem. 317.a
Tostatus probat Arborem scientiæ boni & mali non fuisse Ficum. 389.b
Tostatus tradit quiddam memorabile de Strygibus sui temporis. 484.b
Tostatus sentit, Animalia quæcũque etiam carniuora, in statu innocentiæ & ante diluuium vixisse tantùm herbis. 512.c
Tostatus negat, Animalia genita ex putri materia, fuisse adducta ad Adamum. 524.c
Tostatus mira narrat de obliuione quæ accidit Alberto Magno. 535.a
Tostatus dicens, si Adam non peccasset, posteros eius creatum iri cum iustitia originali, non autem cum gratia gratum faciente, refellitur. 558.d
Tostatus & Catharinus iustitiam originalem re distinguunt à gratia & ab ea separabilem, quinimo separatam fuisse censent. 579.c
Translatio LXX. interpretum vnde sit facta, mendosa in supputatione annorum. 783.c
Tyberius habuit in deliciis serpentem. 810.a

V.

Vanitas cui, vt ait Diuus Paulus, omnis creatura subiecta est, qualis sit. 219.a.b
Vapores qui sunt in sublimi aëre, non habere naturales proprietates aquæ. 101.a
Variæ de Mundi effectione Philosophorum sententiæ ac errores explicantur. 38.c. & 39.a.b
Variæ lectiones illorum verborum, Hæc vocabitur Virago, &c. 489.a.b
Varietas Scriptorum circa temporum computationem vnde oriatur. 35.c.& 36.a
Varietas lectionum horum verborum, Formauit igitur Dominus Deus hominem, &c. 402.c
Vbi sapientia Gentilium terminatur, ibi Christianorum doctrina, quæ est cognitio Dei incipit. 43.a
Venenorum serpentium quàm pestilens vis. 676.c.d
Veniale peccatum non poterat fieri in statu innocentiæ. 552.a
Veniale peccatum ex suo genere vtrum in statu innocentiæ fuisset mortale, vt visum est Bonauenturæ. 554.c
Venialis peccati tria genera. 553.b
Ventum aquilonarē multū valere ad generandos mares, tradit Aristoteles. 497.b
Ventum Australem multum iuuare ad generandas fœminas. ibid.

Verba.

VErba illa Ecclesiastici, Dies sæculi quis dinumerauit? *quonam modo intelligenda.* 37.b
Verba illa Ecclesiastici, Qui viuit in æternum, creauit omnia simul, *declarantur ab Auctore.* 189. *per totam pag.*
Verba illa Iob, Ecce Behemot quem feci tecum, *declarantur.* 190. *per totam.*
Verba illa, Prior omnibus creata est sapientia, *declarantur.* 196.c.d
Verba illa Petri, Cæli magno impetu transient, &c. *explicantur.* 205.a
Verba illa Apocalypsis, Et mare iam non est, *quomodo intelligenda sint secundum D. Augustinum.* ibid.b.c
Verba illa, Adiutorium simile sibi, *quomodo legantur Chaldaicè, & quid significent.* 463.c. & 464.a
Verbum Hebræum Saras, quid significet. 145.c
Verbum nullum superuacaneum in Scriptura reperiri censet S. Basilius. 364.d
Verbum Hebræum Genach, quid significet. 432.a
Verbum Hebræum Sagar, quid significet. 474.b.c

Veritas.

VEritas, præcipua Historiæ laus & virtus, & quanta ea sit in Historia Mosis. 9.a
Verni temporis effectus egregij. 130.c
Vespasiani censu qui homines reperti sint in Italia longæuissimi. 771.b
Vesperam fuisse principium diei apud Hebræos ex loco Scripturæ, Factum est vespere, &c. *colligit Diuus Hieronymus.* 86.c
Vespere cur prius in creatione Mundi nominetur, quàm mane. 85.c
Vespere quid in Sacris litteris significet. 86.a
Vespere & mane in illis primis diebus, æquinoctiales dies conficiebant. 87.a
Vestium vsus multiplex. 515.c
Vini potus nec fuisset in statu innocentiæ, nec fuit in vsu ante diluuium. 510.a.b

Vita.

VIta hominis quatenus possit naturaliter produci. 770.c
Vitæ longitudinem quantam prodiderint antiqui. ibid.d
Vitæ longitudinis hominum ante diluuium septem causæ. 772.c
Virgilij sententia de Mundi creatione & gubernatione. 68.a
Virgilij sententia de origine hominis, &c. 404.c
Virgilius opinatur Aquilonarem partem terræ altiorem esse Australi. 120.c
Virgilius cecinit Mundum fuisse conditum verno tempore. 129.a
Virgilius sentit in mundi primordiis nullam fuisse culturam agri. 437.b

Vox.

VOcem spiritus interdum in Scriptura accipi pro vento, multis testimoniis demonstratur. 64.b.c
Voces illas Inanis & Vacua, quonam modo varij Interpretes verterunt, & quid per illas Moses intellexerit & nobis tradere voluerit, indicatur. 60.b
Voces illæ Hebraicæ Thohu & Bohu, quid significent. ibid.
Voces Hebrææ Gan & Pardes, quid significent, & quibus in locis in Scriptura reperiantur. 283.d
Voces Hebraicæ Selem & Demuth, quid significent. 363.d. & 364.a
Vocis Hebrææ Selah, quattuor significationes. 473.c
Vox illa Hebræa Ruach, quid significet. 62.c
Vox Shemesh Hebraica, quid significet. 79.b

Vox Maor Hebræa, quid significet. ibid.c
Vox Hebræa Hereb, quid significet. 86.b
Vox Hebraica Boiques, quid significet. ibid.
Vox Hebræa Riquiax, quam L X X. verterunt στερέωμα, *& Interpres vertit firmamentum, extensionem significat, & de quadruplici extensione, &c.* 92.c.a. & 97.a. & 106.b
Vox Hebraica Shamim, quid significet, &c. 94.c
Vox Chaldaica Thisri, quid significet, &c. 131.a
Vox Hataninim Hebraica, quid significet. 146.c
Vox Hebræa Ed, quid significet, &c. 181.a. 182.c
Vox Hebræa Heden, quid significet. 285.b
Vox imaginis cur sit præposita voci similitudinis, rationem assignat Rupertus. 368.c
Vox Hebræa Aph, quid significet. 419.c
Vox Hebræa Nessamah, quid significet, &c. 420.b
Vox Chaldaica Semach, quid significet, &c. 464.a
Vox Chaldaica Chechible, quid significet, &c. ibid.
Vox Hebræa Tardemah, quid significet, &c. 468.a
Vox Hebræa Adam, quid significet. 402.a
Vox pro sono ponitur sæpe in Scriptura, &c. 660.d
Vsus varij auspicandi diem apud diuersas nationes. 88.a

X.

Xenophon scribit Socratem dicere solitum cognitionẽ futurarum rerum quæ in potestate Dei sunt, non esse ab hominibus procurandam. 262.d
Xenophon loca amœnissima oblectationis causa comparata, appellauit Paradisos, &c. 284.b
Xenophon tradit, Cyrum Persarum regem agrum manibus propriis conserere solitum. 436.c

Z.

Zodiacus duplex apud Astrologos, &c. 249.c
Zodiaci quomodo se habuerint in Mundi exordio, ignorant Astrologi. ibid.
Zonæ torridæ vicinitas, vtrum obstet quominus Paradisus terrestris sub æquinoxiali esse potuerit. 298.a
Zonæ torridæ natura significata-ne fuerit à Mose similitudine Cherubim & gladij flammei atque versatilis. 703.a
Zoroastrem Astronomiæ parentem extitisse sex annorum millia ante Platonis obitum, tradit Plinius. 34.b


FINIS.

F. O R M I S

G.VICHARDI IVLLIERON,

M. D. XCIIII.













arbkarte #13

Green Yellow Red Magenta White 3/Color Black

B.I.G.

arbkarte #13
B.I.G.
Green
Yellow
Red
Magenta
White
3/Color
Black
0 cm